






THESAVRVS
ANTIQVITATVM
ET
HISTORIARVM
ITALIAE,
NEAPOLIS, SICILIAE,
SARDINIAE, CORSICAE, MELITAE,
ALIARVMQVE
TERRARVM INSVLARVMQVE
ADJACENTIVM,
TOMIS X.
VEL VOLVMINIBVS XLV. DISTINCTVS.





J. Verhoek Inv. M. Pool Dilineavit et Sculp.


BIBLIOTECA UNIVERSITARIA
SEVILLA

THESAVRVS ANTIQVITATVM ET HISTORIARVM ITALIAE, NEAPOLIS, SICILIAE, SARDINIAE, CORSICAE, MELITAE,

Atque adjacentium Terrarum Insularumque;

Constans

Rarissimis, praestantissimis, doctissimisque Scriptoribus

Qui antea sparsim

SVAE CVIQVE PATRIAE

Situm, Res gestas, Antiquitates & memorabilia variis in locis illustrarunt,

Nunc autem vix & nusquam fere comparari possunt:

Digeri atque edi olim coeptus Cura & Studio

JOANNIS GEORGII GRAEVII,

Nunc autem continuatus & ad finem perductus.

Cum Praefationibus

PETRI BVRMANNI,

J. U. D. Historiarum, Graecae Linguae, Eloquentiae & Historiae Foederati Belgii, in Academia Lugduno-Batava Professoris & Bibliothecarii.

COMPREHENSVS VOLVMINIBVS XLV.

Interseruntur passim

Variae & accuratae Tabulae, tam Geographicae, quam aliae, ut & Indices ad singulos ubique Libros locupletissimi.

In fine hujus Operis additus est Catalogus omnium Authorum &c. qui in hoc Thesauro exstant.





LVGDVNI BATAVORVM,

Excudit PETRVS VANDER Aa,

Bibliopola, Urbis atque Academiae Typographus Ordinarius, MDCCXXV.

Cum speciali Privilegio Illustr. ac Praepotent. Ordinum Hollandiae & West-Frisiae.

POTENTISSIMIS

CELSISSIMIS ET ILLVSTRISSIMIS

REGIBVS REBVSPVBLICIS

PRINCIPIBVS ET DOMINIS

PRINCIPIS TERRARVM

ITALIAE,

NEAPOLIS, SICILIAE,

SARDINIAE, CORSICAE, MELITAE

ATQVE

ADJACENTIVM TERRARVM

INSVLARVMQVE



COLLECTIONEM HANC VERE REGIAM,

QVAE INSCRIBITVR

THESAVRVS

ANTIQVITATVM ET HISTORIARVM

ITALIAE,

NEAPOLIS, SICILIAE,

SARDINIAE, CORSICAE, MELITAE,

ETC. ETC. ETC.

SCRIPTORVM

NVMERO, RARITATE, ERVDITIONE PRAESTANS

CONSPICVVM, DESIDERATVM,

PRIMO QVIDEM CONGESTVM, DELECTVM, DESIGNATVM

A

CELEBERRIMO ATQVE EXIMIO VIRO

JOANNE GEORGIO GRAEVIO

CONTINVATVM DEINDE ET AVCTVM

EX CONSILIO DOCTORVM VIRORVM

NVNC TANDEM CONSVMMATVM

CVM PRAEFATIONIBVS

CLARISSIMI ATQVE ERVDITISSIMI

PETRI BVRMANNI

OPVS

NON MODO SVPERIORVM AETATVM

INFINITORVM INGENIO ET LAVDE

PRAESTANTIVM

VIRORVM MONVMENTIS

SPLENDENS DIVES REFERTVM

SED ET HVJVS AEVI

PLVRIMORVM

CLARISSIMORVM DOCTISSIMORVMQVE

CVRIS, LVCVBRATIONIBVS, VERSIONIBVS NOTIS

DECORATVM, DITATVM ET EXPOLITVM

EO QVO DECET CVLTV ET OBSERVANTIA

D. D. D.

EDITOR ET TYPOGRAPHVS

PETRVS VANDER Aa.

LVGD. BAT.
Kal. Maj.
MDCCXXV.

TYPOGRAPHUS LECTORI S. D.



No jam conspectu, trado Tibi, Lector Benigne, *per* DEI *Omnipotentis indulgentiam universum hoc Opus, sive* THESAURUM HISTORIARUM & ANTIQUITATUM ITALIÆ, NEAPOLIS, SICILIÆ, &c: *cujus rarissimorum præstantissimorumque, ex quibus consistit, Scriptorum Librorumque collectionem atque indagationem incredibili sumtu atque industria nobis constitisse nemo, qui inspexerit, dubitabit. Neque meo (si vel maxime voluissem) peculio adspirare ad tot Eruditionis Gemmas, Facemque Historiæ tantam licuisset; nisi benigna manu atque generoso animo Virorum & Dignitate & Literis Principum adjutus fuissem; qui mihi magnifica sane liberalitate usum indulserunt Auctorum longe rarissimorum præstantissimorumque; quibus quidem omnibus quum jam a longo tempore sim obstrictus, hic lubet publicum repodere gratiæ præconium; ut & omnibus illis Eruditis Nominibus, quibus in hisce ordinandis, disponendis, edendis, uti maxime contigit; Inter quos (quem nemo Doctorum nescit, omnes æstimant) merito confiteor plurimum me debere Præclarissimo Viro,* PETRO BURMANNO; *qui quidem tantum sibi, a reliquis assiduisque in Republica Literaria curis, otii voluit esse; ut ad meas preces, destitutam Maximi* JO. GEOR. GRAEVII *morte prolem hanc susceperit; totamque illam & immensam accessionem* (XXXIX. *inplentem Volumina;) hujus Operis, quod* XLV. *absolvitur Voluminibus, ambitum oculis suis haud tralatitia opera percurrerit; atque inde bonæ frugis solidæque doctrinæ plenas concinnaverit* Præfationes; *cujus nisi mihi promta succurrisset, voluntas vix a lolii pravitate aliqua & sterili avena libera fuisset Collectio; cui itaque* Præstantissimo

 Vi-

Viro *etiam atque etiam publice grates meas persolvo.*

Neque sua laude fraudari debent Viri illi honoribus & doctrina in primariis Patriæ nostræ Academiis aliisque, ut & Ecclesiæ Regimine conspicuit; quorum nobis cura & Diligentia egregie profuit in suppeditandis, vertendis, Notisque suis Eruditissimis illustrandis innumeram segetem Scriptorum, qui Patriæ suæ Antiquitates patria quondam conscripserant lingua. Inter quos sicuti primas tenet Doctissimus SIGEBERTUS HAVERCAMPUS, *cujus indefessam industriam, atque multiplicem Eruditionem facile ex solo Auctorum (qui in hoc Thesauro continentur) Indice quivis intelliget; ita* ALEXANDRUM DUKERUM, JO. LAURENTIUM MOSHEMIUM, ABRAHAMUM PREIGERUM, *aliosque merito veneramur, & ut omnes diu perennent in seculi sui gloriam & Studiorum commune bonum serio optamus.*

Hujus autem Operis si quis dignitatem, præstantiam, atque Utilitatem scire desideret, Præstantissimi (qui numquam sine honoris præfatione *nominandus mihi erit)* BURMANNI *legat novem Præfationes, præfixas Tom.* IV. VI. VII. VIII. IX. *Item Tomi istius* IX. Supplemento *& X. Volum.* 1. 6. 11. *atque, si tantum illi est otii, conferat Testimonia Virorum tota Europa celeberrimorum; qui in propyleo Tomi* IV. *inveniri possunt. Imo longe plura ejus generis cuique penes me visenda supersunt; at inseri commode jam non potuerunt, quoniam priores Tomi Clariss.* Grævii *cura editi in multorum jam manibus compacti & debito decore exornati versantur.*

Neque temere quis loqui me existimet aut fumos vendere, si exquisitam Librorum, qui hisce Thesauris *continentur, multitudinem cum pari raritate & doctrina conjunctam operosius laudem; quandoquidem libere dico, resque examinantibus patebit, locupletissimas fere tota Europa*

ropa Bibliothecas & publicas & privatas maxima eorundem parte hactenus esse destitutas. Sive enim in Angliam transeas, sive Galliam, frustra Bodlejanas, Tellerianas, *atque multo etiam sumtuosiores consules; sive in Patria nostra, quæ sedes vere Musarum esse videtur, scruteris* Lugd. Bat. Ultrajectinam, Franequeranam, Groninganam, Harderovicianam, Amstelodamensem, Harlemensem &c. *dimidia vix, imo sæpius vix quarta vel decima se pars offeret. Idem de* Francofurti ad Oderam, *aliisque Germaniæ Bibliothecis liquere poterit, atque elucebit conferenti excusos Catalogos eruditissimorum maximorumque virorum,* Thuaneas *dico Bibliothecas,* Heinsianas, Hemmianas, Bigotianas, Vossianas, Gudianas Galloisias, Nicolaias, Marsevenias, Westrenianas, Bentesianas, Carelsonianas, Snabelianas, Francianas, Grævianas, Perizonianas, Cuperianas, *innumerasque alias, celebrium quoque Bibliopolarum, ut* Blavianas, Elsevirianas *&c.*

Denique quod maxime etiam stringit argumentum; si Lexica Historica atque Bibliographica & similia inspicias; qualia in omnium versantur manibus, Gesneri, Simleri, Lipenii, Hofmanni, Moreri, Baylii, *vel ipsa longe plurimorum (qui hic occurrunt) nomina illis ignota fuisse deprehendes; quod liquido indicat, nunquam ab iisdem visos aut cognitos fuisse.*


Adde quod nisi mature hac potissimum ratione fuisset subventum tot præclaris Scriptoribus, qui vel typorum vel æstimatorum penuria, laboris sui quondam pauca admodum inprimi fecerunt exemplaria (quorum plurima ad meum usum pervenerunt ipsorum illorum virorum manibus notata & emendata) vel diuturnitate temporis excussi ex hominum manibus abditi latebris sordebant; vix nigram mortem atque oblivionem scriptis suis depulissent; quorum quidem jam Nomina & Opera lubet Immortalitati di-

dicata adſpicere, & tanquam in Triumphalibus Eruditorum Faſtis omni marmore & ære perenniora permanere.

Denique ſolidum hoc mihi eſt gaudium, quod non modo omnia illa, nullis exceptis libellis, protulerim atque nactus fuerim, quæ quondam in edito hujus Operis Catalogo (ante Tom. IV.) *promiſeram, quorum quorundam (ob id Aſteriſcis notatorum) tum adhuc conſequendorum ſpes tantum erat; ſed vel* LXXXII. *ſupernumerarios, eoſque rariſſimos præſtantiſſimoſque acceſſiſſe, undique ex variis terrarum oris ab doctis hominibus mihi tranſmiſſos; quæ cauſa eſt, quod numerus voluminum in ſeptem plura excreverit, quam initio deſtinaveram.*

Totius autem hujus Operis largam deſcriptionem atque diviſionem invenies in meis quatuor Præfationibus Tomo IV. VI. VIII. & X *Voluminis primi præmiſſis; Denique in omnium ultimo, ſive* XLV. *ex voto Clariſſimorum Virorum Univerſalem ſubjunxi Catalogum omnium Librorum, qui in Opere hoc continentur, ordine diſpoſitum Alphabetico, atque addito in quibus Tomis ſeu Voluminibus inveniri poſſint.*

Pauca hæc, Benigne Lector, *præfari neceſſe habui, quibus Tibi meam fidem & diligentiam probarem; ſi autem hic immenſus meus labor Tibi placuerit, erit quod gaudeam; qui interim* DEO *Immortali, quod hactenus ſua me dignatus ſit miſericordia, gratias refero, & quod vitæ reliquum eſt, commendo.*



THESAV-

THESAVRVS ANTIQVITATVM ET HISTORIARVM ITALIAE, REGIONIS TRANSPADANAE ET ALPIBVS VICINAE.

TOMI QVARTI PARS PRIMA.



De Staten van Holland ende West-Vriesland, doen te weten, alsoo ons vertoont is by Pieter vander Aa, Stads en Universiteyts Drucker tot Leyden, hoe dat hy Supplt. voor circa sestien jaren hadde Gedrukt ende Uytgegeven de drie eerste Tomi van den Thesaurus Antiquitatum & Historiarum Italiæ, Neapolis, Siciliæ, Sardiniæ, &c. Joannis Georgii Grævii in Folio cum Figuris, en sedert sich besich gehouden, om de verdere seven Tomi, tot het voorsz. Werk behorende in ordre te brengen, en mede uyt te voeren, en waerinne den Supplt. jegenwoordigh soo verre was geavanceert, dat de meeste Tractaten, die in het voorn. Werk souden komen, reets voldrukt lagen, en alle binnen korten tyd by hem Supplt. aen den dagh stonden te komen, met de Voorredens vanden Hre Professor Petrus Burmannus, sijnde het compleete Register van alle die Tractaten, aen ons geexhibeert, (uytgesondert eenige Manuscripten, die den Supplt. van buytens Lands waren beloofd, en welckers namen hem als noch onbekent waren) hebbende geen Boeckverkoper hier te Lande eenig eygendom van Copyrecht aen het selve, waer door by gevolgh niemand wierd benadeelt, dogh alsoo den Supplt. beducht was, dat eenige nydige, off baetsoekende Menschen, 't sy binnen off buytens Lands, hem de voorsz. Thesaurus in 't geheel, off ten deele, off de raerste Tractaten off Figuren, daer uyt mochte komen hem na te drucken, off na te maecken, waar door hy van alle syne exececssive kosten, vlijt en arbeyt sedert soo veele jaren daer aen gedaen, en noch vervolgens te doen, soude versteken syn, soo was den Supplt. tot verhoedinge van het selve te rade geworden, hem te keeren tot Ons, versoeckende Onse Octroy, ofte Privilegie voor den tijd van vyftien eerst achter een volgende jaren, soo voor sich selven, als oock voor die geene dewelcke namaels syn Recht, ofte Actie souden mogen verkrijgen, omme de voorn. Thesaurus Antiquitatem & Historiarum Italiæ, Neapolis, Siciliæ, Sardiniæ, &c. in Folio X. Tomis cum Figuris, alleen met seclusie van allen anderen te mogen drucken, doen drucken, uytgeven, en verkopen, alles by malkanderen compleet, ofte wel yder Tomus, off Tractaet apart, soo als het den Supplt. voor syn interest best oirbaer soude vinden, met expres verbod, waar by aan allen, en eenen ygelycken buyten hem Supplt. ofte die syn actie off recht namaels mochten verkrygen, door ons wierd verboden de voorn. Thesaurus Antiquitatum & Historiarum Italiæ, Neapolis, Siciliæ, Sardiniæ, &c. in Folio, X. Tomis cum Figuris, in 't geheel noch ten deele, noch een, off meer aparte Tractaten, off Platen daer uyt te mogen drucken, noch namaecken, te doen drucken, off doen namaecken, uyt te geven, te verhandelen, off te verkopen, ofte elders buyten desen Lande gedruckt, off nagemaeckt, deselve niet te mogen inbrengen, te verhandelen, off te verkopen, telkens op verbeurte van alle de gedrukte, nagedruckte, nagemaekte, ingebrachte, verhandelde, off verkogte Exemplaren, off Platen, mitsgaders een pœne van drie duysent guldens by ons tegens de Contraventeurs te stellen, soo dickwils, en menighmalen, als deselve souden werden achterhaeld; SOO IST, dat Wy de saek, ende 't versoek voorsz. overgemerkt hebbende, ende genegen wesende ter beede van den Supplt. uyt Onse rechte wetenschap, Souveraine magt, ende authoriteyt, den selven Supplt. geconsenteert, geaccordeert, ende geoctroyeert hebben, consenteeren, accordeeren, en octroyeeren hem mitsdesen, dat hy geduyrende den tyd van vyftien eerst achter een volgende jaren, de voorsz. Thesaurus Antiquitatum & Historiarum Italiæ, Neapolis, Siciliæ, Sardiniæ, &c. in Folio X. Tomis cum Figuris, (inhoudende de hier onder gespecificeerde Tractaten) binnen onsen voorsz. Lande met seclusie van allen anderen, alleen sal mogen drucken, doen drucken, uytgeven, ende verkopen, alles by malkander compleet, ofte wel yder Tomus, off Tractaet apart, soo als het den Supplt. voor syn intrest best oirbaar sal vinden, verbiedende daerom allen, ende een ygelycken buyten hem Supplt., ofte die namaels syn actie off recht soude mogen verkrygen, den voorn. Thesaurus Antiquitatum & Historiarum Italiæ, Neapolis, Siciliæ, Sardiniæ, &c. in 't geheel, noch ten deelen, nochte een, off meer aparte Tractaten, off Platen daer uyt te drucken, noch na te maken, ofte te doen drucken, off doen na maecken, uyt te geven, te verhandelen, ofte te verkopen, noch elders buyten Onsen voorsz. Lande gedruckt, off naergemaeckt, deselve binnen den selven Onsen Lande te mogen brengen, uytgeven, verhandelen off verkoopen, op de verbeurte van alle de gedruckte, nagedruckte, nagemaeckte, ingebrachte, verhandelde ofte verkogte Exemplaren, ofte Platen, mitsgaders een boete van drie duysent guldens daer en boven te verbeuren, te appliceren een derde part voor den Officier, die de Calange doen sal, een derde part voor den armen der plaatse daer het casus voorvallen sal, en het resterende derde part voor den Supplt. ende dit tellens en soo menigmael, als deselve sullen werden achterhaelt, des dat dit Octroy, en Privilegie niet betreckelyck sal syn op Philippi Parutæ Sicilia in het Italiaens met verscheyde platen tot Lions, volgens den Titel plaat gedruckt, maer dat aen de houders van dien sal werden gelaten de vryheyt, omme dat Boek alsoo te mogen debiteren, en selfs indien sy sulcx souden komen goed te vinden, dat Boeck alleen in die taal, ende met die Platen (dog sonder eenige verandering van Text off Platen by den Supplt. gedruckt) te mogen herdrucken, en alsoo uytgeven, alles in dien verstande, dat Wy den Supplt. met desen Onsen Octroye alleen willende gratificeren tot verhoedinge van schade door het nadrucken van den voorsz. Thesaurus Antiquitatum & Historiarum Italiæ, Neapolis, Siciliæ, Sardiniæ, &c. daer door in geenen deele verstaen, den inhouden van dien te authoriseren, ofte te advoueren ende veel min deselve onder onse protexie, ende bescherminge eenig meerder credit, aensien, ofte reputatie te geven, nemaer den Supplt. in cas daerinne iets onbehoorlycx soude influeren, alle het selve tot synen laste gehouden wesen sal te verantwoorden, tot dien eynde wel expresselyk begerende, dat by aldien hy dese Onsen Octroye voor den selven Thesaurus Antiquitatum & Historiarum Italiæ, Neapolis, Siciliæ, Sardiniæ &c. sal willen stellen, daer van geen geabrevieerde, ofte gecontraheerde mentie sal mogen maken, nemaer gehouden sal wesen, het selve Octroy in 't geheel, ende sonder eenige Omissie daer voor te drucken, ofte te doen drucken, ende dat hy oock gehouden sal syn een Exemplaer van den voorsz. Thesaurus Antiquitatum & Historiarum Italiæ, Neapolis, Siciliæ, Sardiniae, &c. gebonden, en wel geconditioneert te brengen in de Biblioteecq van Onse Universiteyt tot Leyden, ende daer van behoorlyck te doen blycken, alles op pœne van het effect van dien te verliesen; ende ten eynde den Supplt. desen Onsen Consente en Octroye moge genieten als naer behoren, lasten Wy allen ende eenen ygelycken dien 't aangaen mag, dat sy den Supplt. van den inhoude van desen doen laten ende gedogen, rustelyck, vredelyck ende volkomentlyk genieten. ende gebruycken, cesseerende alle beleth ende wederseggen ter contrarie. Gedaen in den Hage onder Onsen Grooten Zegele hier onder aen doen hangen, op den sevenentwintigste Juny in 't jaer onses Heeren en Zaligmakers seventhien hondert en eenentwintig.

Register off Lyste der Tractaten, die in de Thesaurus Antiquitatum & Historiarum, Italiæ, Neapolis, Siciliæ, Sardiniæ &c. sullen komen.


Gabriël Barrius de Laudibus Italiæ. Petri Leonis Casellæ de Primis Italiæ Colonis Liber. Jacobi Bracellii Oræ Ligusticæ Descriptio & de Claris Genuensibus Libellus. Gaudentii Merulæ de Gallorum Cisalpinorum Antiquitate ac Origine Libri III. Bonaventuræ Castillionei de Gallorum Insubrum Antiquis sedibus Liber. Vberti Folietæ Historiæ Genuensium Libri XII. - - - Clarorum Ligurum Elogia. - - - Conjuratio Joannis Ludovici Flisci. Tumultus Neapolitani. Cædes Petri Ludovici Farnesiii, Placentiæ Ducis. - - - de Sacro Fœdere in Selimum, Libri IV. Ejusdem Variæ Expeditiones in Africam, cum Obsidione Melitæ. - - - Opuscula nonnulla Varii Argumenti. Jacobi Bracelli de Bello, quod inter Hispanos & Genuenses Seculo suo gestum, Libri V. Additum est Diploma miræ Antiquitatis Tabellæ in agro Genuensi repertæ. Jacobi Bonfadii, Annalium Genuensium ab Anno MDXXVIII. (in quo desinit Vbertus Folieta) Recuperatæ Libertatis usque ad Annum MDL, Libri V. Hieronymi de Marinis Genua, sive Dominii, Gubernationis, Potentiæ, Dignitatis Serenissimæ Reipublicæ Genuensis compendiaria descriptio. Petri Bizari perbrevis Dissertatio de Vniverso Reipublicæ Genuensis statu & administratione. Reipublicæ Genuensis Leges Novæ a Petro Bizaro. Andreæ Alciati Rerum Patriæ, seu Historiæ Mediolanensis, Libri IV. Tristani Calchi Historiæ Patriæ Libri XX. Cum notis Joannis Guilielmi Calaveroni. - - - Residua, hoc est Historiæ Patriæ Liber XXI. & XXII. aliaque. Josephi Ripamontii Historiæ Patriæ Libri XXIII. ab anno salutis CIↃCCCXII. qui Tristano Calcho Patriæ Historiæ finis; deinde novi Operis initium & tempora insecuta memorantur, in III. Partes distincta. - - - Historiæ Patriæ Continuatio, comprehensa octo Libris. Galeatii Capellæ de Bello Mediolanensi, seu de rebus in Italia gestis pro restitutione Francisci Sfortiæ II. Mediolanensium Ducis, ab anno MDXXI. usque ad MDXXX. Libri VIII. Caroli a Basilica Petri de Metropoli Mediolanensi Libellus. Georgii Merulæ Antiquitatis Vicecomitum Libri X. Pauli Jovii Vitæ Duodecim Vicecomitum, Mediolani Principum, singulorum veris Imaginibus illustratæ. Jo. Ant. Castellionæi Mediolanenses Antiquitates. Bernardi Sacci Historiæ Ticinensis Libri X. Jo. Chrysostomi Zanchi de Orobiorum, sive Cenomanorum Origine, Libri tres. Joannis Baptistæ Villanovæ, Laudis Pompejæ, sive Laudæ (nunc Lodi) Vrbis Historia. Othonis Morenæ & Acerbi Othonis F. Rerum Laudensium, tempore Federici Ænobarbi Cæsaris, Historia Cum notis & emendationibus Felicis Osii. Eryci Puteani Historiæ Cisalpinæ Libri duo. Alexandri Duketi Comi Vrbis brevis Historia & Descriptio. Camilli Ghilini Telinæ Vallis ac Larii Lacus particularis Descriptio. Pauli Jovii Larii Lacus (hodie Comensis) Descriptio. Galeatii Capellæ, de Bello Mussiano, Liber adoptivus. Ludovici Cavitelli Cremonenses Annales. Vmberti Locati de Placentinæ Vrbis Origine, successu, & laudibus, seriosa narratio. Joannis de Cermenate Historia de Situ, Origine, & cultoribus Ambrosianæ Vrbis, ac Mediolanensium gestis sub Imperio Henrici VII. Arnulphi Historia Mediolanensis. Joannis Petri Puricelli, Ambrosianæ Mediolani Basilicæ ac Monasterii, hodie Cisterriensis, Monumentorum singularis descriptio. Benedicti Jovii Historia Novocomensis. Octavii Rubei Monumenta Brixiana. Antonii Gatti Historia Gymnasii Ticinensis. Baptistæ Platinæ Historia Vrbis Mantuæ & Familiæ Gonzagæ. Bernardi Iustiniani de Origine Vrbis Venetorum Historia. Donati Iannotii Dialogus de Republica Venetorum. Caspàris Contareni de Magistratibus & Republica Venetorum Libri V. Nicolai Crassi de Forma Reipublicæ Venetæ Liber singularis. Petri Bembi Historiæ Venetæ. Marci Antonii Coccii Sabellici de Situ Vrbis Venetæ. Antonii Stellæ Elogiorum Venetorum Navali pugna Illustrium. Nicolai Crassi Elogia Patritiorum Venetorum. Bartholomæi Facii de Bello Veneto Clodiano Liber. Splendor Invictissimæ atque Florentissimæ Vrbis Venetiarum clarissimus, e figuris elegantissimis, earumque accurata enarratione & dilucida emicans: in duas Partes distributus. Antonii de Ville Pyctomachia Veneta. Iosephi Laurentii Dissertatio de Origine ac Solemnitate desponsationis maris Adriatici. Ioannis Valacrii Spectacula Veneta. Andreæ Mocenici Bellum Cameracense contra Venetos. Rolandini Libri Chronicorum. Monachi Paduani Chronicorum Libri tres. Gerardi Maurisii Dominorum de Romano & Marchiæ Tarvisinæ Historia. Antonii Godi Chronica, quæ extant. Albertini Mussati Historia Augusta Henrici VII. Cæsaris. - - - - Tragœdiæ duæ, Eccerinis & Achilleis, cum notis Nicolai Villani. &c. &c. Gulielmi & Albrigeti Cortusiorum Historia de Novitatibus Paduæ & Lombardiæ. Petri Pauli Vergerii de Carrariensium Familia, & de Illustrium ejus Principum rebus magnifice gestis Historia. I. Noalis de constructione Patavii. Bernardini Scardeonii Antiquitates Vrbis Patavii. H. Angelerius de Rebus Atestinis. Laurentii Pignorii Antiquitates Patavinæ, & Antenor. Antonius Riccobonus de Gymnasio Patavino. Henrici Palladii Rerum Foro-Iuliensium Libri XI. & de Oppugnatione Gradiscana Libri V. Ioannis Pierii de Antiquitatibus Bellunensibus Sermones quatuor. Ioannis Candidi Commentariorum Aquilejensium Libri octo. Marci Antonii Sabellici de vetustate Aquilejæ & Fori Iulii Libri sex. Antonii de Ville Descriptio Portus & Vrbis Polæ. Descriptio Civitatis Bononiæ antiquæ & hodiernæ. Antiquitates Vrbis Recineti. Descriptio Vrbis Reatæ. Gyraldus de Ferraria. Hieronymi Rubei Historia Ravennatum. Desiderius Spretus, de Amplitudine, Vastatione & instauratione Vrbis Ravennæ. Petri Mariæ Kavinæ Faventia Rediviva. Scipionis Claramontii Historia Cæsenæ. Iacobi Villani Ariminensis Rubicon in Cæsenam Scipionis Claramontii. Vincentii de Rubicone antiquo adversus Ariminensi Script. Dissertatio. Iacobi Villani de Rubicone antiquo Ariminensi in Pisciatellum Cæsenæ Responsa. Gabrielis Naudæj Exercitatio, quod nomen Senæ non Cæsenæ, sed Senogalliæ conveniat. Guiljelmi Postelli de Etruriæ Regionis Originibus, Institutis, Religione ac moribus commentatio. Bartholomæi Scalæ Historiæ Florentinorum Libri V. Francisci Contareni Historia Hetruriæ. Poggii Bracciolini Historiæ Florentinæ Libri octo. Ioannis Michaëlis Bruti Historiæ Florentinæ Libri octo. *Istoria Fiorentina, di Benedetto Varchi.* Andreæ Mugnotii Eremi Camaldulensis descriptio. Cæsar Orlandius de Vrbis Senæ, ejusque Episcopatus Antiquitate. Antonii Massæ de Origine & rebus Faliscorum Liber. Petri Cursii, Civitatem Castellanam Faliscorum non Vejentium oppidum esse, Poëma, cum Iulii Roscii Additamentis. Dominici Mazzochi Veji antiqui. Famiani Nardini Veji antiqui. Epistola apologetica de Vejis antiquis. Camilli Peregrini Historia Principum Longobardorum. - - - Dissertationes de Veteri Significatu vocis Portæ, & de Origine antiquæ Familiæ *di Columenta*. Chronologi IV. Herempertus, Anonymus. Falco & Luc. Protospat. cum notis Caraccioli. Descriptio Montis Cassini. P. Diaconus de Viris Illustribus Cassinensibus. Fl. Vgonius de dignitate Reipubl. Cassinensis. Camilli Peregrinii Dissertationes de Campania Felice. Antonius Sanfelicius de Situ ac Origine Campaniæ. Iulii Cæsaris Capacii Antiquitates & Historiæ Campaniæ Felicis. M. Anth. Surgentis Neapolis Illustrata. Iulii Cæsaris Capacii Antiquitates & Historiæ Neapolitanæ. Bartholomæi Facii de rebus gestis ab Alphonso I. Neapolitanorum Regi, Libri X. Henrici Brencmanni Dissertationes de Republica Amalphitana, &c. Mazza de Rebus Salernitanis. Scipio Mazzella de Puteolis & Cumis. Ioan. Francisci Lombardi Balneæ Puteolis &c. Capacii Virtutes Baln. Neap. &c. Ambrosii Leonis Antiquitatum, nec non Historiam Vrbis ac Agri Nolæ, ut & de Montibus Vesuvio & Abella Libri III. Mutii Phœbonii Historiæ Marsorum Libri III. Lucii Camarræ de Teate antiquo Libri III. D. Pauli Antonii de Tafia Historiarum Cupersanensium Libri III. Antonii Galatei de Situ Japygiæ Liber. Ioannis Iuvenis de Antiquitate & Varia Fortuna Tarentinorum Libri VIII. Antiquitates Civitatis Canusii. Gabrielis Barrii de Calabriæ Antiquitate & Situ Libri V. Cl. Marii Aretii Siciliæ Chorographia. Dominici Marii Nigri Siciliæ Descriptio. Antonini Mongitoris Regni Siciliæ delineatio. Placidi Carrafæ Sicaniæ descriptio & delineatio. Michaëlis Ritii de Regibus Siciliæ Libri IV. Felini Sandei de Regibus Siciliæ & Apuliæ Liber. Rocchi Pirri Chronologia Regum Siciliæ. Philippi Parutæ Sicilia Numismatica. Georgii Ioannis Gualtheri Inscriptiones Siciliæ, &c. Chronicon Siciliæ incerti Authoris. Sabas (vel Sallas) Malaspinæ Rerum Sicularum Libri VI. Nicolai Specialis Rerum Sicularum Lib. VIII. Gaufredi Malaterræ res gestæ Roberti Viscardi & Rogerii Calabr. & Sicil. Duc. Alexandri Abbatis res gestæ Rogerii Siciliæ Regis. Brevis Historia Liberationis Messanæ a Sarracenorum dominatu &c. Genealogia Roberti Viscardi, ex Ptolem. Luc. Chronicis decerpta. Descriptio Victoriæ Caroli Siciliæ Regis, Ann. MCCLXVI. Ptolomæi de Luca Genealogia Caroli Siciliæ Regis. Epistolæ Pontificum ad Principes & Reges Francorum, & super negotia regni Siciliæ. Francisci Maurolyci Sicanicarum Rerum Compendium, Libri VI. Thomæ Fazelli de rebus Siculis Decades duæ. Hugonis Falcandi de rebus gestis in Siciliæ Regno Histor. Cæsaris Baronii tractatus de Monarchia Siciliæ. Conradii Vecerii Historia de duabus Seditionibus Siciliæ sub Imperio Caroli V. Rocchi Pirri Sicilia Sacra. Alberti Piccoli de antiquo Iure Ecclesiæ Siculæ Dissertatio. Antonii Philothei de Homodeis Ætnæ Topographia, atque ejus Incendiorum Historia. Petri Carreræ descriptio Ætnæ. Alex. Burgos descriptio Ætnæ. Petri Carreræ Cataneæ antiquæ descriptio. Guarnerii Catanea. D. Ioannis Baptistæ de Grossis Catanense Decachordum, sive Novissima Sacræ Ecclesiæ Catanensis Notitia, Augustini Inveges Carthaginensis Descriptio. Iosephi Buonfiglii Descriptio Vrbis Messanensis. Plac. Reinæ Antiquitates Messanenses. P. MarioPace Antiquitates Caltageronis. Placidi Carrafæ Motucæ Descriptio. M. Valguarneræ Antiquitates Panormitanæ. Aug. Inveges Antiquitates Panormitanæ. D. Francisci Baronii ac Manfredis de Panormitana Majestate Libri IV. D. Vincentii Mirabellæ Explicatio Ichnographiæ Antiquarum Syracusarum, ut & Selectorum Numismatum, II. Tomis. Iacobi Bonanni antiqua Syracusa illustrata. Antonini de Amico de Vrbis Syracusarum antiquo Archiepiscopatu Dissertatio. Antiquitates Scicli. Ioannis Pauli Chiaranda Platia antiqua. Iosephi Vincentii Auriæ Notitia Historica. Originis ac Antiquitatis Cephaledis. Hieronymi Ragusæ Elogia Siculorum. Benedicti Cochorellæ Tremitanæ, olim Diomedeæ Insulæ Descriptio. Salvatoris Vitalis Annales Sardiniæ. Ioannis Francisci Faræ de rebus Sardois Historia. Melita Illustrata, per Franciscum Abelam.

Was geteekend

W. V. WASSENAER.

Lager stond: Ter Ordonnantie van de Staten

SIMON VAN BEAUMONT



Al. Pool Sculp.



THESAVRVS ANTIQVITATVM ET HISTORIARVM ITALIAE,

Quo continentur

Optimi quique Scriptores,

Qui

REGIONIS TRANSPADANAE

Et

ALPIBVS VICINAE

Confiniumque Populorum ac Civitatium Res Antiquas, aliasque vario tempore gestas, memoriae prodiderunt:

Digeri olim coeptus Cura & Studio

JOANNIS GEORGII GRAEVII.

Accesserunt

Variae & accuratae Tabulae, tam Geographicae, quam aliae, ut & Indices ad singulos Libros locupletissimi:

CVM PRAEFATIONIBVS

PETRI BVRMANNI,

J.U.D. Historiarum, Graecae Linguae, Eloquentiae & Historiae foederati Belgii, in Academia Lugduno-Batava Professoris.

TOMI QVARTI PARS PRIMA.

Scriptores totius hujus Operis post Praefationem reperientur.






LVGDVNI BATAVORVM,

Excudit PETRVS VANDER Aa,

Bibliopola, Civitatis atque Academiae Typographus, MDCCXXII.





LECTORI
AEQUO ET BENEVOLO
S. D.
PETRUS BURMANNUS.

Nihil incertius esse eventu, quem sibi in conatibus capiendis homines proponere solent, non modo rerum publicarum & maximarum, quas Reges & principes humani generis suscipiunt, & quarum omnis saepe spes in incerto temporis exitu est collocata, molitiones, sed & literariae curae & cogitationes, in quibus primarii saepe in studiis optimarum artium viri versantur, docere possunt. Quotus enim quisque inter eruditos, aliquod decus & nomen gerens, extitisse deprehenditur, qui, cum ad praeclarum aliquod, & quod utilitate simul & amplitudine laboris majorem partem Antiquitatum vel Historiarum veterum complecteretur, concinnandum opus adgressus esset, finem propositi & suscepti laboris videre potuerit. Tot & tam nec opinati rerum humanarum casus, bellorum motus, & perturbationes imperiorum, regnorum & civitatium mutationes & vicissitudines, temporum denique ingentes saepe conversiones, interrumpere egregie suscepta solent, ut raro reperiantur, qui spes suas in longi temporis incerta mittere velint, aut aliquid suscipere audeant, cui non intra paucorum annorum circuitus summa manus imponi possit. Adde quod ingentibus illis moliminibus, non primae aetatis juvenes admoveri solent, sed, ut operibus magno sumptu exstructis, ex Viri, jam auctoritatis & famae constitutae, nomine, pretium & gratia concilietur, saepe jam senectutis vitio imbecilles, & a quibus dies summus non longe abesse judicari debet. Hinc posteritas, tot adfecta, nec consummata opera ingenti desiderio, ubi vitas doctorum virorum perlegit, requirere, & perdita esse dolere consuevit. Nec aliter evenire potest, cum, licet ipso aetatis & roboris flore vigentes juvenes, tot simul

operibus manus admoverent, et illis praeſcriptos lege aeterna humanae vitae fines aliquantum tranſire daretur, omnium perfectionem & abſolutionem ſperare umquam poſſent. Quid mirum ergo, ſi viri, aetatis jam affectae, raro magna negotia emoliri queant, ſed interrupta aliis perficienda tradere cogantur.

Hoc certe fuit ingentis & fere Herculei laboris illius fatum, cui ſe decreſcentibus viribus & annis, magno animo adcinxerat celeberrimus GRAEVIUS: qui cum ingentes ſemper curas ſuſtinuiſſet, non ad ornandam modo unam ſtudiorum elegantiorum partem, ſed ad demerendum omnem, qua patet, diſciplinarum interiorum orbem, animo capaci cogitationum immenſarum, vaſtiſſimi operis imaginem conceperat, quo omnis Antiquitatis & Hiſtoriarum ſtudioſis numeroſae bibliothecae in uno corpore compendium faceret, & veteris ſimul & recentioris *Italiae*, & Imperii fata certis voluminibus circumſcriberet. Hinc prius in ipſius *Romae*, non *Italiae* modo, ſed totius Orbis capitis, natales & origines, proceſſus, incrementa, maturitatem, & quibus maxime ſupra alias civitates caput extulit, leges, inſtituta & mores, tam publicos, quam privatos exhibendos, animum intendit. Qui labor conquirendi & digerendi tot libros, quorum bona pars vix nomine noti erant, feliciter ad exitum perductus, duodecimque voluminibus omnis *Romanae* Civitatis antiquitas comprehenſa fuit, votique ſui compoti metam illam primi curſus, quem inſtituerat Vir maximus, attigiſſe feliciter contigit. Sed cum hoc inſigni opere illorum magis, qui in ſolius *Romae*, olim orbi imperantis, ſplendore mentem et oculos defixos tenent, ſitim exſtinxiſſet, quam ingentis inter eruditos multitudinis, qui ſtudia & curas ſuas ad tempora noſtris propiora demittere ſolent, deſiderio ſatisfeciſſet: ſimulque Viros in rebus publicis regnorum & civitatium verſantes, quorum magna pars haec a memoria hominum remotiora vel faſtidire, vel leviter attingere ſolet, querentes ſaepe audiviſſet, ſemper florentis & dominantis *Romae*, & Imperii maximi miracula ſeculo noſtro magna cum ambitione oſtentari, paucos vero ſeneſcentis & intermortui Imperii reliquiis colligendis ſe adcingere, ad arduum magis & compoſitionis difficilioris corpus adgreſſus fuit: quo totius *Italiae*, ab eo tempore, quo Imperatorum in Occidente majeſtas, vel inertia regentum deformata, vel incurſu & inundatione Barbararum, ut *Itali* vocare ſolebant, gentium plane fuit obruta & exſtincta, antiquitates & fata

com-

comprehenderet. Lacerati ergo in infinita membra & partes Imperii reliquias, & novam non *Italiae* modo, sed universae *Europae* faciem informare animo instituerat, & *medio*, ut adpellari solet, *aevo* res gestas, regnorum, principatuum, & rerumpublicarum, quae ex ruinis immensi imperii surrexerunt, origines producere cogitaverat, unde viris civilibus, & rebus maximis præpositis, facili opera & studio, etiam fontes aperirentur, ex quibus per varias temporum & rerum conversiones ad hodiernam *Europae* formam intelligendam descenderent. Hinc THESAURUM, qui totius *ITALIAE*, maximi olim imperii sedis, & unde reliquorum per *Europam* populorum fata & vicissitudines defluxerunt, statum & fortunam contineret, exstruere meditatus, lineamenta totius operis duxerat, ex quibus non modo urbium plerarumque origines & antiquitates, sed res & bella, quibus *Italia* per longum annorum decursum concussa fuit, cognosci possent. Tales autem conquisiverat in primis scriptores, qui *Italiae*, quæ primum a *Graecis*, deinde a *Gothis*, *Hunnis*, *Langobardis*, *Francis* & *Germanis*, infestata & inundata fere fuit, varios casus exponerent, & deinde per imperii reliquias & vestigia ad eam, in qua nunc substitit, conditionem deducerent. Cum enim cum ipsius religionis Christianae incremento, Episcoporum etiam *Romae*, quae se omnium Ecclesiarum matrem & caput ferebat, dignitas & auctoritas augeretur, & deinde ex damnis Imperii novas quotidie vires adsumeret, ea tandem nata fuit omnium in *Italia* rerum perturbatio, ut ipsa fere fundamenta & principia, quibus Imperatoria majestas in *Italia* inniteretur, fuerint obscurata & deleta. Tot novi dominatores, & principes exorti fuere in *Italia*, qui partim vi & armis, inter factiones domesticas, sibi tyrannidem & perpetuos urbium magistratus vindicarunt, partim adulationibus & obsequio Pontifici gratificantes, opes sibi non exiguas pepererunt, & adjuvante Papa, qui lacerari potius imperii integrum corpus, quam unum sibi & *Italiae* timendum dominum pati volebat, se omni nexu & vinculo liberarunt. Immo ipsi Papae, collisis & commissis calliditate mira *Langobardis*, *Francis* & *Germanis* maximam sibi inter internecina bella majestatis partem vindicarunt. Non paucae quoque civitates, Regum & Episcoporum discordias gravissimas et longas, suam occasionem ratae, vel pecunia, ab inopia pressis Imperatoribus, libertatem mercatae, vel armis & vi excusso jugo, legibus suis vivere instituerunt,

runt, quarum etiam quaedam domesticis seditionibus agitatae, in civium rursus potentiorum tyrannidem concesserunt: qui arbitrantes illo statu rerum id, quod occupasset quemque habiturum, longo deinde tempore, ut jure, dominationem firmaverunt. Horum temporum accurata & absoluta cognitio, quantum ad publicarum etiam hujus seculi rerum tractationem, utilitatis & adjumenti conferat, nemo negabit, nisi qui continuas inter *Europae* Principes lites & controversias non solum armis, sed et juris aliquando imagine disceptari, ignorat. Nondum enim illas conticescere & sopitas jacere, sed male fidis toties pactionibus compositas magis, quam finitas, ad primam occasionis auram, subinde reviviscere deprehendimus.

Ut ergo interiorum & antiquarum literarum studiosis reclusus fuit ROMANARUM ANTIQUITATUM THESAURUS, ita Principibus & Regibus, eorumque amicis & ministris hic ITALIAE exponitur, ut inde promere jura & fundamenta, quibus totius fere *Europæ* regna & imperia innituntur, possent.

Priores hujus Thesauri tres tomi, quos ex instituto & consilio magni *Graevii* Librarius noster ordinaverat (ipse enim *Graevius* antequam typis exirent, diem supremum obierat) illam *Italiae* partem, quae *Alpibus* & *Ligustico* mari est vicinior, complexi sunt. Auctores, qui in hanc priorem partem conjecti sunt, erudita praefatione commendavit Celeberrimus *Perizonius*, quo etiam defuncto ad me itum fuit, ut de reliquis hujus operis voluminibus cum Lectoribus agere vellem. Diu certe dubitavi, an has partes mihi imponi paterer, cujus nullae fuere in congerendo vel disponendo Thesauro, qui maximam partem jam a Cl. *Graevio* descriptus, & insigni industria, & diligentia a *Petro* van der *Aa*, capto per totam *Europam* cum Viris, dignitatibus & eruditione illustribus, consilio, auctus erat. Sed ne deessem publicæ utilitati, & sine exemplo ad conquirendos ex omnibus bibliothecarum angulis libros & libellos sollerti Bibliopolæ, hanc subterfugere nolui molestiam, nec, qui duorum in literarum cultu & studiis Virorum principum, *Graevii* & *Perizonii*, vices in Academiis nostris exceperam, potui hanc ab illis relictam provinciam detrectare.

Quare, cum fidem, quam Librarius dederat, se, ubi belli, quod totam fere *Europam* adflaverat, incendium exstinctum esset, telam, quam exorsus erat, pertexturum, liberasse se ostenderet, & hos sex tomos ad me deferret, istos perlustrandi laborem suscepi, ut quid complecterentur, bre-

brevi in tabella lectoribus exponerem & enarrarem.

Non multum vero a prioribus voluminibus, horum argumentum discrepat ; sed *Galliae Cisalpinae*, sive *Italiae* illam partem, quæ ad *Alpes* & Mare *Ligusticum* sinusque *Adriatici* initium adjacet, præcipuas urbes & Principatus complectitur. Quæ *Italiae* portio, ut olim ingentium rerum & factorum fuit spectatrix & testis, ita memorabiles casus & rerum vicissitudines lectoribus exhibebit. *Langobardia* enim, sive ut vitiato nomine, *Lombardia* vocari solet, tot illustres Principum & civitatium historicos & præcones sortita fuit, ut nullus in tota illa regione fere angulus lateat, qui non ab aliquo scriptore monumentis publicis sit illustratus. Inter omnes vero Urbes caput olim extulit, & etiamnum eminet *Mediolanum*, splendidissima totius *Galliae Cisalpinæ* metropolis, qua Urbe nulla in *Italia* graviores belli domestici & externi motus & furores experta, amplam annalium conditoribus materiam praebuit, cujus partem jam prioribus tomis exhibiti *Alciatus*, *Chalcus*, *Ripamontius* & alii exhauserunt. Primus ergo in his, qui nunc prodeunt, tomis locus datus est JOANNI DE CERMENATE, qui diligentissime Originem, situm & cultores Urbis magnificentissimae descripsit ; & quid praecipue in illa & vicinia sub *Henrico VII.* actum fuerit enarravit. Hunc, diu intra claustra Bibliothecae *Ambrosianae* delitescentem, produxit vir celeberrimus *L. Antonius Muratorius*, quo diligentiorem veteris aevi, & monumentorum antiquorum indagatorem, nullum hodie *Italia* ostentare potest; qui insignis Analectorum collectionis, qua totum sibi demeruit literatum orbem, tomo secundo ejus historiam inseruit, & eruditissima praefatione, Auctoris ingenium & dotes complexus, nobis longioris dissertationis gratiam & vacationem fecit. In quo viro nescio an magis mirer doctrinam eximiam, & patriarum rerum intelligentiam, an rarum animi candorem & integritatem, quae non caeco erga populares scriptores amore eum abripi patiuntur, sed multa saepe studio partium & sectae, quam secuti fuere scriptores, nimis credulis saepe excidisse fatetur, quæ apud posteros, minus hodie confictis ad religionem populis injiciendam narrationibus tribuentes, vix fidem inveniunt. Ingenue enim fatetur leviorem quoque hujus, ut plurimorum, scriptoris sibi videri auctoritatem, ubi altius populorum *Italicorum* origines ex incertis & fabulosis traditionibus repetit, quam ubi ad ea tempora delabitur, quibus ipse proximus vixit, & quae spectare, vel ex certis

auctoribus accipere potuerit. Tunc vero ipsi prae aliis fidem habendam gravissime ostendit, eumque ab omni servilis adsentationis macula, qua *Jovius*, *Merula* & alii, qui regnantium gratiam captantes leges Historiae saepissime temerare non dubitaverunt, famam suam obfuscarunt, absolvit. Si vero ullum Historiae *Italicae* tempus accurate excuti & perpendi mereatur, est certe illud, quod *Henricum VII.* Imperii summi gubernacula tenentem vidit. Sub eo enim gens Vicecomitum *Mediolanensium*, auctore praecipue *Matthaeo*, caput coepit extollere, & dominationis illius fundamenta jacere, quae deinceps in admirandam omnibus excrevit magnitudinem, & perpetua bellorum semina praebuit. Tunc divisa & misere lacerata inter *Gibellinorum* & *Guelforum* factiones *Italia*, tot simul novi Tyranni & principes exstiterunt, tot civitates modo jugum servitutis recipere, modo eo excusso legibus suis uti instituerunt, ut non aliud majorum vicissitudinum & conversionum magis animadvertendarum nobis seculum cucurrerit. Horum Dominatorum quidam civitates vel vi, vel juris specie occupatas, ad posteros regnandas transmisere, alii ab aliis ejecti & deleti, nihil nobis nisi memoriam & nomina reliquerunt. Inter omnes, vero, qui has *Cisalpinae Galliae* commutationes, & caussas, & origines tot motuum descripsere, jure primum huic JOANNI DE CERMENATE dat locum Illustris *Muratorius*, qui amplissima oratione ejus merita exsequitur. Nobis praeterea nihil in illo observatum fuit, nisi quod, ut olim *Itali* solebant, *Germanicae* genti paullo iniquior esse videatur, quos *Barbarorum* nomine saepe notare, & *Stolidam gentem* vocare non erubescit. Unum vero minime praetereundum puto, sed illis, qui veterum scriptorum, quos aurea & erudita *Romanae* civitatis aetas tulit, perditos codices investigare solent, diligenter animadvertendum puto. Celeb. enim *Muratorius* ex *Gualvanei Flammae* manipulo florum, qui in bibliotheca *Ambrosiana Mediolani* servatur, notat, hunc JOANNEM de CERMENATE possedisse *Titi Livii* codicem inter alios libros; qui tamen an integrior fuerit aliis exemplaribus, quæ postea reperta fuere, non addit. Sed diligentem illum *Livii* lectorem fuisse, & multa ex illo Historico in sua scripta transtulisse, insigni ex hoc opere loco constare potest. Capite enim primo, & seq. ubi *Gallorum* in *Italiam* adventum describit, tantum non omnia ex Livii *Lib.* v. *cap.* 34. & *seqq.* repetit. & si ejus verba cum illis, quae hodie apud *Livium* leguntur,

guntur, conferre vacabit, quaedam eum interpolasse, quaedam etiam in ejus codice diverse lecta olim fuisse, atque nunc, adparebit: saepe etiam cum optimis manu exaratorum codicum, quorum fide viri docti *Livium* emendarunt, lectionibus ejus verba conspirare deprehendi. Sed angustiae hujus praefationis exactam utriusque scriptoris comparationem non patiuntur; certe criticis auctor esse non dubito, ut in medii hujus aevi scriptoribus versantes, diligenter semper ea loca excutiant, quibus de veterum populorum fatis & migrationibus agunt; nam saepe integra veterum loca in scripta sua transtulisse patebit, quae cum olim ex manuscriptis codicibus depromserint, variarum saepe nobis lectionum copiam non exiguam subministrare possunt. Quod cum multis exemplis ostendere proclive foret, unicum, quia de *Gallis* quoque & eorum migratione agit, adducam, ex Anonymo Auctore, quem Illustris *Leibnitius* produxit inter Accessiones Historicas Tom. I. & qui, *Gesta Trevirorum* conscripsit. Is Cap. VIII. libri sui ad verbum fere omnia, quae Justinus *Lib. XXIV. Cap.* 4. reliquit de *Gallis*, in sua transtulit; & talia plura posse investigari nullus dubito. Memorabile praeterea in hoc sciptore est, quod licet Pontificiae auctoritati plus, quam Imperatoriae, tribuere videatur, & *devolutam a Graecis ad Germanos electionem Auctoritate sedis Apostolicae* dicat, juris tamen, quod VII. Principes *Germaniae*, praeter alios sibi eligendi Imperatorem vindicarunt, originem, non ut alii, Pontificiae constitutioni adscribat, sed ingenue se *non cognoscere* adfirmet. multo prudentior & sincerior in hac parte *Merula* & *Chalco*, quorum errores Cl. *Perizonius* in praefatione sua castigavit. Non immunem vero a superstitione & religioso metu, quo obnoxios homines fatalibus libris & vaticinationibus, quae vulgo de futuri temporis conditione ferebantur, teneri saepe videmus, fuisse, addiscere licet ex *Cap.* XLII. ubi culpat factum *Rizardi* de *Marliano* civis sui, qui, quum ex libris *Sibyllinis* (qui quales fuerint non addit) conjectasset, *Henricum VII.* antequam *Janua* (*Genua* ita dicebatur) discederet, moriturum, ibique non Rex sed Regina esset exstincta, Rexque incolumis *Pisas* pervenisset, eos ut falsos in ignem projecit; se amplius nolle falli ab iis addens. Quod laudabile viri factum ipse culpans, stultitiam suam & superstitioni deditum animum prodit, cum *Sibyllae* illius praedicta ita vera fuisse contendat, quasi mortua Regina Viri quoque regnum conciderit. De morte vero *Henrici* vera nostrum *Joannem* prodidisse, calumniamque illam, qua veneno sublatum a *Bernardo* Praedica-

torum

torum familiae ſodale, diſtulerunt plurimi, abunde diſcuſſit *Muratorius*.

Joannem de *Cermenate* excipit *ARNULPHUS*, qui *Hiſtoriam Mediolanenſem* literis conſignavit, & quem Illuſtri *Leibnitio*, qui Tom. II. Scriptorum *Brunſvicenſium* eum inſeruit, debemus; ſummus vero Vir in praefatione de Auctore & ejus meritis abunde diſſertavit. Singulare in hoc Auctore eſt, quod omni modo conatus eſt ſupra ſeculi ſui ſcriptores elegantia ſtili & dictionis eminere, ſed ſimilis illis, quos *Fabius* dicit elegantius velle ſcribere, quam poſſunt, putida affectationis labe munditiam & ſimplicitatem ſermonis infecit & corrupit. Tumore & hyperbolica oratione & audaciſſimis, ex linguæ ſanctæ & codicis divini inepta imitatione translatis, figuris, ridiculum ſe ſanis hominibus praebuit. Non erat id tempus, quo vera ſcribendi ratio & nitor erant cognita, neque ex ejus aevi auctoribus Orationis polities, ſed rerum geſtarum fides & auctoritas ſunt repetendae. Fides vero ejus ſatis idonea, niſi quod, more omnium, primo libro, de temporum Antiquiorum factis agens, magis audita quam comperta narret, ſequentibus vero certiora, & quibus ipſe interfuit, prodat. Non humili vero loco ortum, neque a rerum publicarum adminiſtratione remotum vixiſſe indicat *Lib.* IV. *Cap.* 3. ubi ſe legationis *Mediolanenſis* ad Papam partem fuiſſe ſcribit. Pietatis ſtudium quoque non defuiſſe *Arnulpho* inde confici poſſet, quod, cum corruptiſſimi hoc tempore eſſent Antiſtitum & Sacerdotum mores, non potuerit ſibi temperare, quin vitia & flagitia Cleri (ut vocat) cenſoria nota inſigniret. Vid. *Lib.* III. *Cap.* 8. 9. & 12. nec *Hildebrandi* & aliorum impotentiam, qua fundamenta pontificiae dominationis jecerunt, ſilentio tranſit, ſed Eccleſiae *Ambroſianae*, & Archiepiſcopis liberam a Papae imperio adminiſtrationem ubique graviſſime vindicat, eoſque ipſis Papae legatis minime concedere debere contendit, & Cardinales quoque Eccleſiam *Mediolanenſem* (ut multas olim alias) aeque ac *Romanam* ornaſſe. Vid. *Lib.* II. *Cap.* 6. III. 12. & 31. Aperte etiam jus Imperatori creandi epiſcopos in *Italia*, vindicat. *Vetus enim* (inquit *Lib.* III. *Cap.* 18.) *Italici Regni conditio, perſeverans uſque in hodiernum, ut defunctis Eccleſiarum praeſulibus, Rex provideat ſucceſſores Italicus, a clero & populo decibiliter invitatus.* Cui repugnaſſe *Hildebrandum*, & *novum tentaſſe indicere conſtitutum* deinde narrat & damnat. Vid. & *Cap.* 22. & 24.

Sequitur JOANNIS PETRI PURICELLI *Ambroſianæ Mediolani Baſilicæ*, ac *Monaſterii* hodie *Ciſtercienſis Monumentorum* de-

descriptio, qui liber insignia, & non ubique obvia veteris temporis monumenta complectitur. Et quamvis multa intermiscuerit, quae animos illorum explebunt, qui miraculis antiquis delectari solent, & venerari gaudent traditas per manus reliquias, quibus reverentia & sanctitas locis religione plenis conciliatur, etiam ab illis, qui arcana illa Dominationis Ecclesiasticae non nimis diligenter esse perscrutanda adfirmant, non parum tamen diligentiæ posuit, in indagandis etiam certioris fidei documentis. Magnam certe Historiae patriae scientiam ubique prodit, & diplomata & rescripta Imperatorum & Pontificum insignia ex tenebris profert, priorumque Historicorum peccata contra certam temporum doctrinam & rationem, & rerum gestarum veritatem, indubitatis argumentis refutat. Sic, exempli gratia, sectione CCCC. & seqq. contra plures, qui id tradiderunt, probat, *Cunradum* minime in *Italiam* venisse, nec coronatum *Mediolani*, quamvis Chronici *Hirsaugiensis* auctor ad A. C. 1151. eum venisse in *Italiam*, sed noluisse coronari adfirmet. Inter alia memoranda operose exsequitur Historiam *Frederici Barbarossae*, quem non *Conradi* Imperatoris, sed ejus fratris filium fuisse optime probat. Confuderunt enim Scriptores duos *Fredericos*: *Cunradi* enim Frater *Fridericus*, dictus de *Hohenstauffen*, pater *Friderici* imperatoris fuit, ut *Otho Frisingensis* aperte testatur, *Cunradi* autem filius, qui non successit patri, etiam *Fridericus* dictus fuit. Colloquium etiam *Friderici* Imperatoris cum Papa *Alexandro* in urbe *Veneta* habitum diligenter exponit, & Imperatorem magnifice a Duce *Venetiae* & Clero & Populo exceptum, & ad *Papam, cum Episcopis honorifice residentem, peditem accessisse, seque rejecto pallio ad pedes Papæ toto extenso corpore inclinavisse, quem Papa cum lacrimis benigne elevatum recepit in osculo & benedixit.* nihil de calcato Imperatoris collo, aut prolatis insolentiae & arrogantiae plenis verbis, adjungens. Vid. *Sect.* DLXIX. & seqq. ubi operose hanc fabulam refutat.

A *Mediolanensium* Scriptoribus ad vicinarum urbium Historicos hinc transitur, & primus celeberrimo Patriae suae *Novicomi* decoratori BENEDICTO JOVIO locus datur. Fuit hic *Pauli Jovii*, qui in vulgus notior est, frater major natu, & quem in Elogiis suis *Paulus*, non ut fratrem, sed ut patrem, se veneratum testatur, & pluribus laudibus extollit, quae huic Historiae praemissae legi possunt. Historiam vero altius repetit, & per *Romanorum* Imperatorum, deinde *Græcorum*, & postea *Gothorum*, *Langobardorum*, *Francorum* & *Germanorum* successiones breviter delapsus, deinde patriae suae re-

 liqua

liqua exſequitur. In illis hoc memorabile offendi, quod regnum *Gothorum* a celeberrimo illo *Theodorico* conditum, quaſi beneficiarium & fiduciarium *Græcorum* Imperatorum faciat. & a *Zenone Italiam Theodoricum*, ut munus, accepiſſe regendam, quod ex regum *Gothorum* nummis, qui altera parte etiam *Conſtantinopolitanorum* effigiem exhibent, conſtare ait. In quam ſententiam etiam diſceſſiſſe video *Cangium* in diſſertatione de numiſmatibus inferioris aevi, quae poſt Gloſſarium mediae Latinitatis legitur, §. 23. neque ab ea abhorret, *Bandurius* Celeb. ubi *Juſtiniani* numiſmata illuſtrat. *Theodoricum* enim ea lege accepiſſe *Italiam* a *Zenone* contendit, ut ne quid in ea immutaret, ſed ex formula Imperii adminiſtraret, & hinc omnium Magiſtratuum vocabula, quae ab imperatoribus *Romanis* erant frequentata, retinuiſſe, Praefectos Praetorio, urbi, Conſules &c. dignitatem ſuam obtinuiſſe, ut ex *Caſſiodori* formulis adparet. Deinde exſtincto *Langobardorum* regno, & ad *Germanos* ſumma rerum delata, ſub *Carolingis* & *Ottonibus* ſaepius tentaſſe *Langobardos* jugum Imperatorum excutere, & multas civitates libertatem arripuiſſe, creatis Conſulibus, qui *Communes* dicebantur. De Epiſcoporum jure & auctoritate agens agnoſcit *Carolo* Magno jus fuiſſe deſignandi ſummi Pontificis, & Antiſtitum per omnes provincias, idque Eccleſiaſticis decretis confirmatum fuiſſe, & *Henricum* in primis IV. ejus juris fuiſſe tenaciſſimum. Non temere etiam fabuloſa recepiſſe hunc hiſtoricum inde diſcere licet, quia *Bernardinum Corium*, quem ut nugacem & levem auctorem, rejectum fuiſſe ex Theſauro hoc a Cl. *Graevio*, celeberrimus *Perizonius* notavit, multis erroribus hiſtoriam foedaſſe docet. Ubi viros Illuſtres *Comenſes* recenſet, inter illos relatum video *Caecilium* quemdam Poëtam, ſodalem *Catulli*, ad quem ejus Poëtae Epigramma XXXVI. refert, nec *Catullum* auctorem Poëmatis in *Atyn* eſſe, ſed *Caecilium* cenſet. Quae tamen ſuſpicio infirmis admodum argumentis confirmatur, neque ullum indicium proditur, quo patria *Comenſem* fuiſſe probatur; ſed ſolummodo *Comi* ad Lacum *Larium* aliquando commorantem ad ſe *Veronam* invitaſſe *Catullum*. Potuit vero ille eſſe *Q. Caecilius Celer*, cognominis patris filius, qui praetor Conſuli *Ciceroni* in *Catilinaria* conſpiratione egregiam operam navavit, & deinde ex praetura *Galliam* provinciam obtinuit. potuitque ille tunc *Comi* morari, praeſertim ſi verum ſit, quod *Apulejus* in Apologia tradit, *Lesbiam Catulli*, fuiſſe *Claudiam Quadrantariam Caecilii* uxorem, ad quam ille forte jure ſodalitii & amicitiae nomine irrepens amici ſui uxorem ſubagitavit. Nam Ovi-

dius

dius II. *Trist.* 430. dicit *Catullum fassum fuisse adulteria sua.* Hanc vero insignis impudicitiae feminam fuisse tradunt veteres, cum frater ejus cum illa & duabus sororibus incesti consuetudinem habuerit. Immo ipsum *Catullum Lesbiae* suae, (id est *Claudiae*) consuetudinem cum *Lesbio* (qui *Claudius* vel *Clodius* est) aegerrime tulisse, patet ex *Epigr.* LXXX. ut recte observavit *Scipio Gentilis* ad *Apulej. Apol. p.*178. & jam notaverat *Muretus*, licet *Scaligero* id commentum non placeat, & *Gellium Lesbio* substituat. Sed haec accuratius essent & majori otio discutienda. Meliori certe specie *Como* patriae suae vindicat *Plinium*, contra eos, qui *Veronensem* fuisse acriter contendunt. Idem decus patriae suae postea adseruit *Paullus Cigalinus Novocomensis*, qui *Benedictum* hunc *Jovium* multis ornat laudibus, & virum Latine, Graece & Hebraice literatissimum vocat, diligentemque antiquae lectionis investigatorem praedicat. Cui respondit, & *Veronae* caussam egit *Polycarpus Veronensis* tribus libris de vera *Plinii* patria *Veronae* A. 1608. editis. quam litem nunc dijudicare nihil attinet. Quod vero *Jovius* tertium *Plinium*, cognomine *Valerianum*, suae etiam patriae adscribat, eumque antiquioribus temporibus, quam vulgo ab eruditis creditur, vixisse adfirmet, nescio qua auctoritate id fecerit, cum omnia, quae de ejus nomine, aetate, patria & studiis jactantur, sint incertissima. Nihil vero argumento, quo ex Lapide apud *Gruter. pag.* DCXXXV. 1. utitur, infirmius, cum si jam sit ad eum referendus ille titulus, nihil inde confici possit, nisi illum *Comi* esse mortuum, non vero natales habuisse. Praeterea Boissard. *Tom.* V. *Ant.* p. 60. *Romae* ad *Minervam* lapidem illum collocat. Non contendemus vero acriter, an lapide illo Medicus ille *Plinius* designetur, cum viros summos *Reines. lib.* III. *Var.* 4. & *Meibom.* ad *Cassiodori Formulam Archiatrorum pag.* 37. id summo opere velle videam. Illum vero opere ipso, non solum scriptis medicum fuisse ostendit *Barthius lib.* X. *adv.* 25. qui etiam *lib.* II. *cap.* 14. eum *Gallum* fuisse, & post *Valentiniani* tempora floruisse ideo conficit, quia *lib.* I. *cap.* 54. meminit *Ventidii* medici, qui sub eo imperatore vixit.

Dimitterem *Jovium*, nisi nefas esse putarem sine honore civis & popularis mei *Hadriani Sexti* Pontificis *Romani*, nomen transmittere, quem hominem *Batavum* invitis *Italis* sedi *Romanae* fuisse impositum omnes norunt, ideoque debitis ejus simplicitati & pietatis studio laudibus ab illis ornatum non fuisse, saepe fuit animadversum. *Benedictus* vero *Jovius*, fratrem suum *Paullum* ita ab *Hadriano* amatum fuisse, & in tanto honore habitum nobis narrat, ut eum *Comensis* ecclesiae Canonicatu ornaverit, simulque (tanti

 hujus

hujus historici auctoritatem faciebat) pactus fuerit, ut honorificum in ejus historia locum, pro munere hoc, apud posteros haberet. Qualem vero gratiam benefico huic Papae retulerit *Jovius*, ex ejus Historia existimare licet. Cum enim in fine *Lib.* XX. exitum *Leonis* X. narrasset, haec subjungit. *In ejus locum suffectus Hadrianus sextus, mira & certe pudenda, si Italiae decus respiceretur, senatorum factiosorum suffragatione, quum festinatis comitiis, hominem apud Batavos extremi Oceani natum, & tum in Hispania agentem, virtutis nomine, cunctis senatorii ordinis praetulissent.* Libro deinde sequenti in *Hadrianum*, immeritum certe, partem maximam culpae, qua *Rhodus* insula Christianis erepta in manus *Turcorum* venit, confert, quia copias, quas *Rhodum* debuisset mittere, in *Galliam Cisalpinam*, ut Caesaris opes confirmaret, mittendas esse censuerit: cum certum fuerit *Hadrianum*, quamprimum *Romam* venerit, statim omnes nervos intendisse, ut compositis bellis inter Caesarem & *Franciae* regem aliosque principes, in communem hostem iretur, & literas misisse ad omnes, quibus omni contentione id agebat, ut pace inter Christianos facta contra *Turcos* proficiscerentur, immo *Venetis* & aliis minatum fuisse etiam vim censoriae animadversionis, nisi induciis intra tres menses factis rei Christianae prospicerent; sed frustra illum laborasse aliud spectantibus *Venetis*, nec *Solimanni* iram provocare volentibus. Quod ipse fatetur celeberrimus *Venetorum* Historicus *Paullus Paruta libr.* V. *Historiae Venetae.* Classem vero, quae missa erat, ut *Rhodiis* auxilium ferret, non Papae culpa, sed aliorum, quorum curae commissa erat, tardius cursum direxisse constat. Sed livori & irae *Italorum* ejus temporum, & Historicorum patriae faventium hae calumniae adscribendae, qui indignabantur summae rei praefectum, fato quodam, *Barbarum*, ut eum passim vocare non erubescebant, Papam. *Jovius* praeterea eum aulae & *Italicarum* rerum imperitum (quod facile largiemur) plurima perverse administrasse Caesaris studio narrat, & deinde ejus mortem referens, ne tralatitio quidem honore virum optimum, a quo beneficio insigni ornatus erat, decorare voluit; sed grati hominis partes forte se jam abunde implevisse credebat *Jovius*, quod *lib.* XX. motus *Hispanicos* singulari *Hadriani* prudentia compositos narrasset. Unde manifesto colligitur in Cardinale, & *Italiam* nondum sperante *Hadriano* voluisse quidem virtutes aliquas agnoscere, sed in Papa, quem pudendum suis Pontificem credebat, nihil prudentiae aut aequitatis voluisse agnoscere. Sed non ausus fuit *Jovius* singularem in regendis *Hispanis* *Hadriani* prudentiam & modera-

tionem

tionem culpare, quam ipſe *Leo* X. immenſis praeconiis extulerat: ut patet ex *Lib.* XVI. *Epiſtol. Bembi*, nomine *Leonis* ſcriptarum *Epiſt.* 24. Alia producit ex *Jovii* vita *Hadriani Broukhuſius* noſter ad *Sannazar. Lib.* III. *Epigr.* 4. unde iniquus ſcriptoris ejus animus in *Hadrianum* conſpicitur. Neque mirum eſt *Jovium*, cujus fides ipſis popularibus ſemper fuit ſuſpectiſſima, detrectaſſe optimum virum, cum eadem eſſet omnium fere ejus ſeculi *Italorum* indignatio: immo quidam eo progreſſi fuerint, ut innocentiſſimum, ſi quis umquam fuit, Papam, velut ſceleſtiſſimum, avaritia inſignem, impudicitia infamem, magica arte & immanibus aliis dedecoribus contaminatum depingerent; qui furor fuit, neſcio cujus, C. *Batti Parmenſis*, cujus epiſtolam produxit *Wolfius Tom.* II. *Lection. Memorab. pag.* 191. Sed mittamus *Batavum*, & ad alios ſcriptores, qui huic operi decus addunt, tranſeamus.

OCTAVII RUBEI *Monumenta Brixiana* minime omittenda eſſe duxit operis hujus concinnator: hic enim cum hortatu illuſtris Cardinalis *Baronii* ſe ad res *Brixianas* prodendas & ornandas contuliſſet, dumque *Hiſtoriam patriam* elaboraret, & *Theatrum Brixianorum*, qui aut armis, aut literis, aut qualibet in re memorabili illuſtres fuerant (quorum operum in his monumentis mentionem injicit pag. 93.) exſtrueret, interim haec antiqui aevi monumenta cum publico communicare voluit. Prodiit hic liber primum *Brixiae* A. C. 1616. ſed cum tam rara ejus copia facta eſſet, ut in ipſa *Italia*, non niſi inſano pretio, comparari poſſet, *Brixienſes* iterum 1693. ediderunt. Vixit autem auctor ille tempore Imperatoris *Rudolfi*, & ipſe, ſe *Pragae* fuiſſe, narrat pag. 72. Egregiam ſane hic *Rubeus* non modo patrio ſuo agro, ſed univerſae reipub. literariae operam navavit, & monumenta praeclara, quibus antiquitates iſtius partis *Italiae* illuſtrantur, collegit & produxit. Verum, ut fieri ſolet, neque in interpretandis lapidibus dextre ſemper divinaſſe, neque accurate ſatis deſcriptos exhibuiſſe conſtat. Ita, exempli cauſſa, in primo, quem profert, lapide, *Herculi* & *Apollini Arvalo* poſito, labi videtur, cum non duobus, ſed tribus numinibus eum poſitum judicat, *Herculi*, *Apollini* & *Saturno*, quem *Arvalum* dictum fuiſſe credidit; quo nomine umquam *Saturnum* inſignitum fuiſſe ignoro, neque conjunctio hujus cognominis cum *Apolline*, alium Deum intelligi ſinit; ſine dubio vero vel error ſculptoris, qui pro *Arvali*, *Arvalo* ſuppoſuit, fuit, vel ex corruptela ſeculi ſui *Arvalum* pro *Arvalem* nominavit *Apollinem*, qui lapidem dedicavit. Ille vero eſt *Apollo Graecis* dictus Ἄγελος & Νόμιος. Ex eadem perſua-

ſuaſione pagina 47. lapidem exhibet, qui poſitus *Deo Arvalo Saturno*; ſed ubi ipſe fatetur in marmore illud nomen integrum non exſtitiſſe, ſed tantum *ALO* ſine ullo compendii indicio, quam vocem *Rubeus* Deum agricolam interpretatur. Pagina 34. agens de ſollemni Equitum *Romanorum* transvectione, dicit omnium equos fuiſſe albos (quod vellem probaſſet, cum vulgata illa opinio non niſi uno, quod ſciam, nitatur *Victoris* loco de *Vir. Illuſtr. cap.* 32. quem tamen nec adfert, & ubi vox *albis* in multis exemplaribus deeſt) quamvis numerus nonnumquam ad quinque millium excurreret; & hinc ortum fuiſſe proverbium ait, *equis albis præcedere*, quo uſi fuerint veteres, de iis, qui integritate vitae & elegantia morum erant inſignes. Sed in hoc neque adſentientes habere potuit Eruditos *Actorum Lipſienſium* editores, qui in *Actis Maji An.* 1693. p. 212. Horatii locum ex *Lib.* I. *Sat.* VII. 8. eo minime trahi poſſe jure ſummo contendunt, cum ibi agatur de *Perſio*, qui erat tam amari ſermonis, ut *Siſennas*, *Barros equis praecurreret albis*, quæ minime de integritate vitae & elegantia morum dici poſſunt: praeterea ſi ad transvectionem illam referendum hoc adagium eſſet, ſaltem *procedere*, non *praecedere* debuiſſet dici, nam illius verbi in publicis illis pompis uſus eſt, non *praecedere*. Lapides vero, quos pag. 63. ex Muſæo *Moſcardi* profert, perperam deſcriptos eſſe mihi patuit conferenti cum ipſius Muſæi *pag.* 413. *Reineſius* tamen *Claſſ.* VII. *Inſ.* 17. *Rubeum* ſecutus eſt. neque etiam duae reliquae tabulae *Gruterianis pag.* CCCCLXX. per omnia conſentiunt. Tantum notari meretur, *Rubeum* dubitare de Conſulibus *L. Silano* & *C. Velleo Tutore*, qui in illis conſpiciuntur, cum ſatis conſtet inter eruditos de illis, & a *Velleo* illo Senatuſconſultum illud *Velleanum* fuiſſe nominatum, ut apparet ex *l.* 2. §. 1. ff. *ad SCt. Vellean.* ubi tamen non *L. Silanus* prior Conſul dicitur, ſed *Marcus*. Sed neque haec in praefatione ad liquidum perducere, aut omnia excutere, quae non exacte ſatis ad veteris Hiſtoriae & antiquitatis fidem adferuntur, vacat; quare ad alia properamus.

Prodierat nuper demum, Anno nimirum 1704. *Mediolani Gymnaſii Ticinenſis Hiſtoria & Vindiciæ*, a ſeculo V. ad finem XV. conſcriptae a Viro eruditiſſimo ANTONIO GATTO, in eodem Gymnaſio Anteceſſore, & ingenti doctorum virorum adplauſu exceptus liber fuerat, quia doctiſſimo hoc opere & Urbis, olim ſplendidiſſimæ, & ſedis diu Regiæ, origines & antiquitates, praecipue vero Academiae *Papienſis* Hiſtoriam, & literarum ſtudii apud *Italos* originem egregie illuſtrabat

auctor.

auctor. Scribendi vero occasionem adripuisse se ait, quod, cum *Karoli Antonii* de *Luca Melphictani* librum, dictum *Lauream legalem*, legisset, eoque omnes fere Academias celebratas, omissam vero *Ticinensem* indignaretur, eam ab oblivione vindicare voluerit. omnia vero ex temporis, quo res gestae sunt, monumentis, diligentissime conquisivit, & Academiae *Ticinensis* decus & antiquitatem magna cum laude adseruit: an tamen ad *Caroli Magni* tempora, ejusque, ut vocat, *privilegium*, Academiae primordia sint referenda, inde dubitari posset, quia, ut hodie sunt Academiae, tam remotam antiquitatem nulli convenire puto. Fuisse quidem scholas institutas, in quibus septem illae, ut vocabantur, artes liberales, docebantur, constat, sed quarum forma & institutum nihil cum Academiis hodiernis commune habet: nam nullam fuisse Magistratuum Academicorum jurisdictionem, nullam titulorum collationem, nullam graduum distinctionem, nullas immunitates, quibus nunc praecipue Academiae censentur, egregie ostendit *Germaniae* suæ olim lumen *H. Conringius* in libro doctissimo de *Antiquitatibus Academicis*, in quibus tamen nihil vel parum de *Ticinensi* Gymnasio. Imo *Dissertat. tertia* nihil memoratum se invenisse dicit, quo illud a *Carolo* conditum probari posset.

Gattum excipit PLATINAE Historia *Mantuana & Familiae Gonzagarum*, de qua ubertim egit *Lambecius*, cujus in hanc historiam commentarius, magno cum historici studii detrimento fuit, nescio quo fato, interruptus. De ipso *Platina*, ejusque nomine acriter inter historiae literariae studiosos fuit concertatum; sed *Lambecius*, *Baptistam Sacchum*, vel *de Sacchis* verum ejus nomen fuisse, & *Platinam* a vico *Platina*, hodie *Piadena*, cognominatum multis probare conatur. De praenomine dubitat tamen diligens talium indagator *Janus Broukhusius* ad *Sannazar. Lib.* I. *Epig.* 21. quia Sabellic. *Ennead.* X. *lib.* 7. planissime *Bartholomeum* vocat. qua in sententia & *Bailium* esse video, qui ipsum ita plane vocari in Brevi, ut vocant, quodam Papae adfirmat, & accedunt huic sententiae viri doctissimi *C. A. Heumannus* in Schediasmate de *libris Anonymis* ac *Pseudonymis pag.* 132. & *G. E. Walchius* in dissertatione de *Societate Abbreviatorum*, quæ legitur *Tom.* I. *Miscell. Lipsien. dis.* 15. ubi data opera *Lambecium* refutare nititur, quare hanc litem aliis dijudicandam relinquemus. De munere vero, quod obiit, nulla quidem controversia est, cum *Abbreviatorem Apostolicum* fuisse constet; sed an fuerit *Romae* societas sive sodalitas quaedam literaria virorum eruditorum,

qui hoc titulo *Abbreviatorum* coierint, (quorum moderator *Platina* fuerit, & quibus, quia ipse eo munere fungeretur, *Abbreviatorum* nomen dederit) &, ut hodie in multis *Italiae*, *Galliae* aliarumque regionum urbibus frequentari solet, literis & studiis elegantioribus adjuvandis & ornandis operas mutuas contulerint, non una est eruditorum sententia. *Abbreviatores* fuisse scribas, vel saltem similes scribis, quia circa *Brevia*, id est Epistolas a Papa missas, illorum opera occupabatur, satis constat, & doctissimus *Heumannus* aperte satis ostendit. *Walchius* vero post alios contendit, fuisse certam societatem, quae Academiae instar erat, & coibat ad studia literaria promovenda. Cujus opinionis, quae multorum animis insedit, unicam fuisse caussam non recte intellecta ipsius *Platinae* verba esse puto, unde constabit, quam ridiculae saepe & ineptae opiniones de rebus, & factis quibusdam ex Historiae & Linguae Latinae non accurata & exacta satis scientia oriri possint. Scribit Platina in *vita Paulli II.* *Abbreviatores omnes, quos Pius in ordinem redegerat, tamquam inutiles & indoctos (ut ipse dicebat) exauctoravit. Eos enim bonis & dignitate indicta causa spoliavit. quos etiam propter eruditionem & doctrinam ex toto orbe terrarum conquisitos magnis pollicitationibus & praemiis vocare ad se debuerat. erat quidem illud collegium refertum bonis ac doctis viris, inerant divini atque humani juris peritissimi. inerant Poëtae & Oratores plerique, qui certe non minus ornamenti ipsi curiae adferebant, quam ab eadem acciperent; quos omnes Paullus, tamquam inquilinos & advenas possessione pepulit, licet emptoribus cautum esset literis Apostolicis, cautum etiam fisci Pontificis auctoritate, ne qui bona fide emissent, e possessione honesta ac legitima dejicerentur.* Quis ex his verbis talem umquam fuisse societatem, quales hodie in *Gallia* & alibi celebrantur, somniare posset, cum & *collegium* vocetur, & *ornamentum curiae*, scilicet Papae, cui ministrabant, adtulisse. Immo cum ejus ministerii *emtores* fuisse dicantur, & *Platina* in Epistola sua ad *Paullum*, *spoliatos esse emtione sua* queratur. Eodem nimirum modo, ut olim *Romae* collegium & decurias scribarum fuisse constat, quos & pecunia sibi illud muneris comparasse, inde patet, quod *scriptum emisse*, *comparasse*, & *vendidisse* legamus, id est scribarum munus emisse &c. Vid. *Rutgers. Venusin. lection. cap.* XVI. & *Vales.* ad *Ammian. Marcel.* XXVIII. 6. & *Salmas. Epist.* ad *Sarrav.* 82. haec omnia clarissime ostendunt Abbreviatores fuisse scribas, in collegium unum collatos. Et talis fuerat ipse *AEneas Sylvius*, postea *Pius* II. dictus; quem idem *Platina* dicit in synodo celeberrima *Basileensi*

leensi fuisse *Scribam* & *literarum Apostolicarum abbreviatorem.* quod vero adjicit doctissimus *Walchius*, huic societatis imaginariae probandae caussa, dum *Paullus* Papa de sociis conjurationis, quam in se compositam credebat, quaestiones haberet, *M. Barbum*, mentione de Academia facta, inclamasse, conjuratos non esse *Academicos*, *sed foedatores Academiae*; manifeste ad Platonicae Philosophiae studia referri debet, non ad Academiam aliquam, ut hodie societates illas literarias vocare solent *Galli* & *Itali*; & *Barbus* eos minime esse *Academicos*, id est *Platonicos* esse, sed foedatores Platonicae sectae esse clamabat. Sequentia praeterea haec aperte evincunt, cum *Platina* addat, *Paullum haereticos pronuntiasse*, *qui vel serio vel joco nomen Academiae commemorarent.* & *hanc inustam esse ignominiam Platoni.* ubi quaeso in his omnibus vestigium aliquod exstat societatis, quam sibi fingunt viri Eruditi? Sed quod fefellit viros doctos, esse praeterea puto, quod dicat *Platina*, *Pium* eos *in ordinem redegisse*, quod explicant, in societatem jussisse coire; quo sensu si liceat ea verba capere, in collegium vel decuriam, ut veteres loquebantur, hos Abbreviatores redegisse intelligendum certe esset; sed cum rectius & ex genio linguae Latinae haec phrasis notare debeat, eorum insolentiam & effrenatos mores coërcuisse, jura, quae sibi usurpabant, ademisse, repressisse, & ad modum, supra quem se efferebant, redegisse; malo de simili *Pii* facto intelligere, quod obscurius tangit *Platina.* ita Suetonius in *Vespas. cap.* 15. *Altercationibus insolentissimis pene in ordinem redactus.* Sic & *cogere in ordinem* idem Sueton. *Claud.* 38. *ut in ordinem se coactum scriberet*, ubi recte *Torrentius* explicat, se principem, quasi privati loco habitum: plura ex *Livio* & aliis collegit Meursius *Exerc. Critic. part.* II. *lib.* I. *cap*, 5. & hoc *Pii Secundi* moribus convenientissimum, quem *Platina* dicit minime fuisse lenis & remissi animi; sed fortitudinis singularis & prudentiae, & qui majestatem Pontificis semper conatus sit augere, neque a regibus, neque a populis, neque a tyrannis pateretur eam diminui, & nulli prae timore concederet: sic ergo se altius efferentes, & nimios hos Abbreviatores coërcuisse credendus *Pius*, quos omnes deinde sustulit *Paullus.* Sed haec de *Platina* & ejus munere sufficiant, neque reliqua ejus vitae pertexere est animus. Hujus vero celeberrimi viri nunc prodit *Historia Mantuana*, cujus olim desiderium longum fuit eruditis, & quam *Naudaeus* exstare non credebat; sed qui notulas ad *Naudaeana* p. 74. adjecit, ostendit illam prodiisse 1675. Vossius de *Historicis Latinis lib.* III. *cap.* 7. ex *Gesnero* tradit Libros tres de rebus urbis *Mantuae* & familiae

*** *** *Gon-*

Gonzagae posteris prodidisse *Platinam*. *Possevinus* modo sex, modo septem libris consignasse scribit, ut ex *Lambecii* notis constat. *Diffenbachius* vero in notis ad Dissertationem suam de vero mortis genere, quo *Henricus* VII. obiit, pag. 47. narrat, *Zwingerum* possidere αὐτόγραφον hujus *Mantuanae* historiae, quod *Platina* reliquerat *Gaudentio Merulae*, qui id *Johanni Oporino* transmiserat edendum, cujus morte, cum id non expedivisset, ad *Zwingeros* pervenisse, ex quorum posteris superstes *Zwingerus* adhuc servabat; neque potuisse illum, aut *Diffenbacchium* nancisci exemplar editionis *Lambecianae*, ut cum autographo illud conferrent, quod tamen expediisset. *Platina* vero in hoc opere leviter perstricta *Mantuanae* urbis origine, id maxime agit, ut Familiae *Gonzagarum*, quae urbis istius dominatum adripuerat, splendorem illustraret, de cujus origine & incremento accurate etiam egit *Lambecius* in notis. Perduxit vero *Platina* ad sua fere tempora historiam, & in mortem *Pii Secundi* desinit. consecravit vero illam *Francisco Gonzagae* Cardinali titulo *S. Mariae Novae*, cujus laudes grato animo praedicat, quod sibi adfuisset in casu gravi, cum conjurationis reus ageretur. Laudem vero hac historia, ut reliquis operibus, non exiguam meruit *Platina*, cum & stilo, pro illis temporibus, polito & eleganti, & fide satis integra conscripserit, nisi quod in principio leviter aliquoties in rationes temporum, quae eo seculo nondum tam accurate subductae erant, peccavisse eum notet *Lambecius*, cujus si commentarius perfectus ad nos venisset, egregia certe opera vir doctissimus, & varia temporis istius rerum cognitione instructissimus, rem literariam adjuvisset. Quae vero de temere creditis miraculis, ut pag. 19. de *Longino* & aliis refert, non magis nos ab ejus lectione deterrere debent, quam ab omnium aliorum, qui similia scriptis gravissimis interponunt, Historicorum usu. Atque haec quidem sunt duobus quarti tomi voluminibus comprehensa opera.

Quintus vero solius Reipub. *Venetae*, cujus res amplissimae & magnificae semper fuere, historicis & antiquitatis auctoribus absolvitur. de singulis vero *Venetarum* rerum auctoribus hic disserere, cum eorum operibus judicia & elogia virorum doctorum a Typographo sint adposita, minime necessarium puto, & praeterea notiores illi, & doctorum fere manibus triti, non obscuram nominis & meritorum memoriam reliquerunt. Cum vero ipsa urbis *Venetae* origo & forma, ad quam Respublica fuit gubernata, sit obscurior, & diversae sententium opiniones ejus principia reddiderint magis ambigua, ex ingenti copia prae-

praestantissimi scriptores quidam electi fuere, qui hoc in opere conspicerentur.

De JUSTINIANO, cujus *VOSSIUS* & alii cum laude meminerunt, nihil est quod addamus, cum praemissa ejus operi elogia sufficere possint.

Inter illos vero, qui de reipubl: forma & gubernandi modo egerunt, maximam semper laudem meruit DONATUS JANNOTIUS, qui more antiquo per Dialogi formam tribus libris de republ. *Veneta* tractare sibi proposuerat. Sed primum tantum emisit, in quo de Urbis origine, situ & viribus, Civium descriptione, comitiis nobilium, Ducibus, eorumque auctoritate, Nobilium ordine & Magistratuum majorum creatione, eorumque officiis, accurate satis disputavit. Cum vero de singulorum magistratuum etiam minorum muneribus, & de tota reipub. forma reliquis libris agere destinasset, neque illi prodiissent, jacturam illam sarcire *Casp. Contareni* libellus de *reipubl. Venetae Magistratibus*, & *Nicol. Crassi* de *forma reipub.* liber singularis poterunt, quorum hic plurimos *Jannotii* errores jam in notis ad ejus dialogum castigaverat. Qui licet quidam occurrant satis etiam graves, non ideo tamen *Jannotius*, ut jejunus & peregrinus in rebus *Venetis* scriptor, cum *Struvio* in *Bibl. Select. Histor. cap.* XXVII. §. 28. est projiciendus, cum satis instructum fuisse a cognitione reipub. *Venetae* constet, sed in diversis sententiis, quae obscuratam libertatis *Venetae* originem magis involverunt, quam illustrarunt, non semper optimam elegerit. Præterea omni, quo stetit celeberrima haec urbs, tempore, tot graves vicissitudines rerum & conversiones eam perturbarunt, & toties commutata fuit administrandae publicae rei ratio, ut nec ipsi *Veneti* semper eadem de illa tradant. post *Jannotii* etiam tempora plurimum fuisse in civitatis regimine variatum diligenter *CRASSUS* adnotavit. qui etiam, licet errantem *Jannotium* castiget frequentius, ipsum tamen saepe egregiis laudibus effert, quae *pag.* 11. 71. & alibi conspiciuntur. Accuratior certe & ab institutis patriis magis instructus fuit GASPAR CONTARENUS, ex antiquissima & nobilissima inter patricios familia oriundus, qui in ipsis rebus & publicis negotiis diu multumque versatus, egregie nobis magistratuum *Venetorum* rationem & vim descripsit, de cujus libelli meritis & fatis praefatio librarii satis multis egisse visus est. Vitam hujus *Contareni*, magnum illud *Italiae* & literarum politiorum decus, *Johannes Casa*, in monumentis suis amplissime descripsit; omnesque eruditi illorum temporum summis elogiis *Contareni* pietatem simul cum eru-

ditione solida conjunctam extulerunt; sed in hoc viro maxime illa vitae ejus pars est memorabilis, qua post gestos in patria sua splendidissimos magistratus, & obitas legationes praeter spem, & sine ulla ambitione, purpuratorum Senatorum *Romanae* Curiae adscriptus, inter omnes ita eminuit, ut qui simplicitate morum, castitate (nam numquam re Venerea usus creditur) & prudentia rerum Ecclesiasticarum & Civilium, pietatis & religionis cultu eum aequaret vel antecelleret, nullus reperiretur. Cum vero in illa tempora ejus aetas incideret, quibus *Germania* maximis ob religionis emendationem turbis concuteretur, missus a *Paullo III.* fuit *Contarenus*, ut comitiis *Ratisbonensibus*, quibus Religionis negotium maxime excuteretur, caussam Papae & Ecclesiæ *Romanae* ageret. Ibi vero tantam animi moderationem & aequitatem exhibuit, ut eum magnis laudibus efferat ipse *Sleidanus Lib.* XIV. *Commentar*: & *Maimburgius Historiae Lutheranismi Lib.* III. indignetur, eum Protestantibus nimium concessisse, & plurimum remisisse a doctrina, quam *Romana* Ecclesia profitetur, in capitibus de bonis operibus & Justificatione, Papamque aegerrime tulisse ejus moderationem, qua in concordiam dissentientes reducere conabatur; & ideo periculum subiisse, ne a Papa, ut proditor causae pontificiae & praevaricator, accusaretur. Certe reducem non benigne fuisse acceptum, quod non acriter se satis *Lutheranis* opposuisset, refert etiam *Sleidanus*, quem rumorem etiam per *Italiam* delatum *Casa* scribit, sed *Contarenum* se & epistola praemissa, & deinceps coram, *Paullo* Papae planissime purgasse addit, & ita satisfecisse, ut Papa statim eum *Bononiae* legatum praefecerit. Cui provinciae cum praeesset, & a *Sadoleto* literas nomine Papae accepisset, quibus jubebatur Legatus ire in *Hispaniam* ad *Carolum* Imperatorem, subita morte, cujus caussa fuerat aura frigida, quam in villae suburbanae porticu cibum capiens exceperat, exstinctus fuit: fuitque etiam dilata fama, maxime *Bernardino Ochino* auctore, qui ad eum aegrotantem inviserat, in extremis professum esse in multis capitibus doctrinae Christianae se a sententia *Romanae* Ecclesiae discrepare, quem rumorem diligentissime *Casa* refutare conatur, qui ab harum rerum studiosis consuli poterit. pluribus etiam de *Contareno* egit vir Illustris Seckendorfius in *Historia Lutheranismi Lib.* III. § 85. Eruditionem vero & rerum divinarum, humanarum scientiam opera ejus, quae junctim prodiere *Venetiis* 1589, ostendere poterunt, & ex quibus facile intelligi poterit, an rumor de ejus sensu circa religionis capita, verus fictusne fuerit. In hujus quoque *Contareni* libellum, qui

qui hic exhibetur, notas conſcripſit *Nicolaus Craſſus*, peritiſſimus *Venetarum* rerum ſcriptor, & qui in notis, & ſuo libro id maxime agit, ut contra *Bodinum* & alios veritatem adſerat. praecipue vero intendit animum, ut libertatis *Venetae* principia vindicet, contra ſcriptorem libelli terribilis & moleſti reipubl. *Venetae*, qui *Scrutinium libertatis Venetae* inſcriptus, ad auctorem Marchionem de *Bedmar*, Legatum *Hiſpanicum* apud *Venetos*, referri ſolet. ita operoſe pag. 8. excutit Epiſtolam *Caſſiodori* ex *Lib*: XXIV, & oſtendere nititur, ab ipſis urbis incunabulis liberrimam reipubl. formam fuiſſe, nec Duces quoque *Venetos* regia umquam poteſtate uſos, ſed ſimul cum Tribunorum & Magiſtratuum conſilio civitatem adminiſtraſſe, & magnas etiam Populi partes fuiſſe.

His praemiſſis, Hiſtorici quidam primarii *Venetorum* ſequuntur, inter quos, aetatis praerogativa BLONDO FLAVIO primus locus eſt datus, qui renaſcentibus in *Italia* literis ad Hiſtoriam veterem, & ſuis temporibus etiam proximam, illuſtrandam inter primos manum admovit. Et licet ſtilo & dictione nondum ita eſſet expolitus, ut qui eum exceperunt, ex veteribus tamen ſcriptoribus antiquitates patriae non ſine laude illuſtrare eſt adgreſſus, & illud meruit nomen, ut licet omnia narret quaſi ſe auctore prodita, viam oſtenderit ſequentibus, per quam verae eruditionis ſtudioſi incedere debeant. inter alia quae edidit opera, de *Origine & Geſtis Venetorum* librum ſcripſit, quo ab *Attilae* temporibus fundamenta civitatis jacta, quibus deinde ampliſſimae reipub. libertas & dominatio fuit inaedificata, docet. notior hic omnibus eruditis eſt, quam ut, poſt elogia a Typographo noſtro conquiſita, addi aliquid mereatur.

Quamvis vero tempore ſit poſterior, meritis tamen & fama principem ſibi poſcit locum Illuſtris non tam generis nobilitate, quae tamen ſumma eſt, quam eruditionis laude, Cardinalis PETRUS BEMBUS, de quo, neque multa verba facere attinet, cum nominis ejus ſplendor & decus latiſſime ſe per omnes eruditi orbis partes diffuderit; Hiſtoria certe ejus ita omnium ſermone celebrata, & toties typis deſcripta, notior eſt, quam ut ullo verborum lenocinio commendari indigeat. Duo tamen fuere, quae in illa culpare quidam omnium operum acerbi Cenſores, auſi fuere. Primum, quod ſaepe, nimis amans patriae ſuae, veritatem neglexerit, quae prima hiſtoriae lex & dos eſſe debet. cujus criminis in primis reum egit *Bodinus*, ipſe, ſi quis alius, gentis ſuae unicus admirator & praeco, & omnibus aliis iniquiſſimus hoſtis & detrectator. Sed oportuiſſet capita accuſationis diligenter ex-

posuisse, & res ipsas, in quibus patriae in gratiam mendacii convictus fuerit *Bembus*, notasse, ut ita comparatis aliorum narrationibus, aut absolvi aut jure damnari posset; si vero in rebus levioribus faverit suae patriae *Bembus*, a qua suspicione nullus omnino scriptor, nisi qui injuria aliqua commotus hostili animo in alteram partem peccasse saepe deprehenditur, immunis exstat, non ideo in summa rerum fides, tot testimoniis comprobata, infirmari debet. Alterum puerile sane, sed quod illiteratis & barbariae studiosis, ingens & exsecrabile crimen videri solet, est, quod Latinae dictionis munditiem & elegantiam tanto studio adfectaverit, ut illis, qui linguae *Romanae* castitatem, quia non adsequi possunt, contemnunt, vix intelligi possit. Bilem hoc vero movit etiam *Lipsio*, & ejus similis, qui cum ad eam laudem adspirare non potuissent, & antiqui sermonis naturalem pulchritudinem sordide foedassent, hanc laudem *Bembo*, *Sadoleto* & multis ea tempestate *Italis* invidebant, & malignis sermonibus eorum studia & diligentiae famam deterebant; & licet in minutis quibusdam nimia adfectatio Latinitatis veteris a superciliosis Censoribus culpari posset, in summa tamen universa dictio non tam acerbe exagitari merebatur. Immo vero illo seculo, quo a Barbarie horridissima revocari homines debebant, non culpari, sed summis ob id laudibus efferri cum consortibus ejus elegantiae, merebatur *Bembus*: sed jam satis graviter viri eruditissimi, barbarorum clamores non audiendos esse evicerunt; & indignum & injustum esse ostenderunt, vitium & stuporem lectorum, qui ignorantiae & ignaviae patrociniis omnia bonarum artium studia pessumdare conabantur, non debere principibus in literis viris objici, sed suis meritis eorum opera a peritis verae eloquentiae aestimari. Placuisse tunc adhuc ineptis *Midis*, inconditos Scholasticorum, qui diu satis regnum tenuerant, sonos animadvertimus, & quo majori quis fastu, tumore & fuçatis pigmentis sordidum sermonem foedaret & inquinaret, eo Historici gravioris mensuram implere judicatum fuisse indignamur. praecipue cum nec hodie immunes a morsibus & Theoninis dentibus Divinae sapientiae antistitum cultioris sermonis studiosi abire possint, qui ipsi pietatis studio obstare mundioris eloquentiae curam & adfectatam, ut vocant, illam dictionem nocere; & diversas a veritate specie mentibus aliorum de divinis rebus per verba elegantiora informari, calumniantur: cum tamen ipsi monstruosis vocabulis in foetenti schola ab indoctis, sed superbissimis paedagogis, inventis & formatis, sancta mysteria toties religionis temeraverint,

rint, & obſcurantes tenebricoſa doctrinae ambage planiſſima mentis coeleſtis verba, a divini ſermonis vi & proprietate tam longe diſceſſerint, ut errorum capitalium fontes ex ipſa verborum barbarie extiterint. Neque facile mihi cenſores iſti inficeti unum ex literatiſſimis viris producent, qui Hiſtoriam vel ſacram vel profanam ornatius ſcribendo errorum cauſſas praebuerit, cum mille ex grege ſordido ſcholaſticorum doctores immundis & ineptis vocabulis ipſa divinae diſciplinae arcana & ſacra polluerint. Non aliunde vero impudentiſſimae, ſed ſimul frigidae calumniae in *Bembum* alioſque cultioris ſtudii conſortes promanarunt, niſi ex invidia, qua omnes Literatores premere ſolent ſancti ſcilicet antiſtites, & qua eos impietatis & contemtionis divinorum voluminum reos faciunt. Et ipſe *Lipſius* non aliam invehendi in *Bembum* cauſſam habuiſſe videtur, niſi ut patrocinium ſuae ſectae in acerba politioris Latini ſermonis cenſura inveniret, unde neque calumniis, quas in viros innocentes quotidie ille & ejus ſequaces effundebant, fidem facere potuerunt, licet ex incertis rumoribus & fabulis, illos infamare omni contentione conarentur. Hinc Theologi quoque ex liberiori quodam, ſed innocuo joco, ex ſermone inter familiares, etiam inter vinum jactato, quo barbariem & rudem ſtyli impolitiem deridere aliquando ſolebant, & cui praeſentes obloqui non audebant, detrectandi apud alios, memores congerrones & compotores occaſionem captabant. Et quorum mores, quos multo ſanctiores & divinis praeceptis congruentes magis Grammatici ſaepe colunt, & exhibent, culpare non poterant, eorum ſtudia & anxiam ſermonis curam, in religionis & doctrinae purioris imminutionem redundare, maligna interpretatione aliis perſuadere laborabant. Hinc millies & ad nauſeam repetitæ, & inter juvenes cirratos quotidie jactatae tot fabulae & mendacia de *Politiano*, *Laeto*, *Bembo* & eorum aequalibus, quaſi illis ſorduiſſent divina volumina, & prae *Cicerone*, *Virgilio* &c. Vates & Apoſtolos contemſiſſent, quae ſollemni concionantium malignitate in deteriorem partem detorquendo, in patrocinia ſuae barbariae adhuc hodie adducere ſolent. Qui tamen ipſi Ariſtarchi, cum illis Latine loquendi aut ſcribendi neceſſitas evenit, poſtquam magno ſudore & moleſtia conati fuerint elegantius loqui, aut ſcribere quam poſſunt, inopiam Latini ſermonis plebeja & tralatitia excuſationis formula profiteri, & undique praeſidia ignaviae ſuae conquirere ſolent. Placeant vero ſuibus ſordes ſuae, dum illorum, qui politiori & urbana magis dictione delectantur, voluptati ne invideant, & de pietatis ſtudio, utri noſtrûm magis

 caleant,

caleant, Deum arbitrum & testem esse sinant. Sed ut ad *Bembum* redeam, mera quoque calumnia est, qua toties virum summum superciliosi magistri adsperserunt, eum nimis moleste scribendo, rerum, sive in regnis & rebuspublicis, sive in Ecclesia novarum nomina noluisse adhibere, sed conquisivisse ex *Romana* antiquitate vocabula, quibus recentiores res docte magis quam vere exprimeret. Numquam legisse illos *Bembi* scripta puto; non enim in ea fuit umquam *Bembus* opinione, unum alterumve vocabulum sermonis munditiem contaminare, etsi ex antiquitate ejus exemplum produci nequiret; sed totam dictionem ad *Ciceronis* exemplar esse conformandam recte censebat. itaque minime dubito, quin, si ipsi, ut Theologo, de rebus sacris, earumque doctrina fuisset agendum, religioni minime duxisset, uti vocabulis a Theologis fere omnibus in auctoritatem receptis; sed verbis communibus, & nominibus usitatis, & ad res hodiernas accommodatissimis non substituisset nova & monstruosa, aut locutiones olim aliter acceptas, contra genium linguae, perperam adhibuisset. Sic in Historia & Epistolis non veretur dignitatum hodiernarum titulos, recentibus vocabulis & recepto in Aulis & Curiis more efferre, & *Episcopos*, *Cardinales*, *Archidiaconos*, *Priores*, *Canonicos*, & si qui plures sunt, simpliciter nuncupare; *Apostolos* etiam sacrata adpellatione insignit; a *Baptismatis* voce minime, abhorret, & sexcenta talia, si vacaret, colligere in proclivi foret; sed studiose cavet, ne ubi integrae Phrases ex elegantiori Latinitate ad manum sint, pro iis novas & a Theologis nuper excogitatas usurpet, aut verbis antiquis significatus, veteribus non probatos, adtribuat, ideoque omnibus, qui Linguae Latinae veneres & divitias amant & noverunt, minime obscurus, sed planissimus & apertissimi sensus scriptor celebrabitur, & semper cum nominis sui grata memoratione coletur; & si non omni adfectationis vitio absolvi possit, magnis id laudibus eloquentiae redemisse censebitur.

M. ANTONII COCCII SABELLICI opus de situ urbis, Magistratibus &c. ideo additum videtur, ut qua ejus temporis, quo vivebat, urbis magnitudo & forma fuerit cognosceretur, & ut collatis posteriorum temporum scriptis, & praecipue illo, qui huic tomo etiam adjunctus est, libro *de Splendore urbis Venetiarum*, in quantam excreverit magnificentiam Urbs haec insignis, judicari posset. *Sabellicus* ille inter primos renascentibus in *Italia* literis eruditos, & *Pomponii Laeti* discipulus, multis in rem literariam meritis claruit, quantique habitus sit, inde confici facile poterit, quod a Senatu *Veneto* evocatus fue-

fuerit, ut historiam a *Petro Justiniano* interruptam conscriberet, quam libris XXXIII. exsecutus multam laudem meruit: sed quae, cum mole sua nimis augeret Thesauri hujus, jam satis excrescentis, magnitudinem, & toties edita nullum sui desiderium excitare possit, facile adduci potuit librarius noster, ut omitteretur. Neque etiam illa fuit *Coccii* fama, licet publico auctoramento ad res scribendas accesserit, ut historiae a se conscriptae potuerit illam auctoritatem conciliare, qua reliqui *Venetarum* rerum scriptores censentur. Si enim *Jovio* in elogio *Coccii* fides sit habenda, adulatione parum sobria rerum veritatem adumbrasse, majoremque laudem ex munere publico, quo *Venetae* juventuti erudiendae praefectus erat, quam ex memoriae prodendis rebus gestis retulisse dicitur. Certe ex disciplina ejus plurimi ingenio & eruditione celebres viri prodierunt, inter quos eminet *Pierius Valerianus*, qui honorifice praeceptoris sui *Sabellici* meminit ad *Virgil. I. Æneid.* 567. Cardinalis vero *Bessarion* eum unum ex omnibus elegit, quem Bibliothecae suae, libris ex *Graecia* conquisitis in Urbe *Veneta* institutae, praeficeret. Sed tamen egregiam Eruditionis laudem incontinentia vitae & libidinibus ita obfuscasse *Jovius* addit, ut nec senem deseruerit Veneris vagae consuetudo, unde annum fere septuagesimum agens lue contracta, mortem sibi acceleravit.

Sabellico subjicitur URBIS, ut hodie floret, MAGNIFICENTISSIMAE VENETIARUM SPLENDOR, magna industria, undique arcessitus, & tabulis, quae magno constiterunt Editori, elegantissimis illustratus. De quo opere, quod & in admirationem legentium animos abripere, operum publicorum molibus & privatorum substructionibus considerandis, & spectantium oculos elegantissima imagine pascere poterit, nihil est quod verbis multis agamus; suffecerit aequis rerum aestimatoribus tales Principum urbium formas & descriptiones utilissimas existimari, quia ex illis, si cum priorum temporum scriptoribus conferatur hodierna Urbis facies, in quam excreverit magnitudinem ratio iniri possit; & posteritas simul, si porro incrementa tam illustri Urbi addere, & reipubl. splendorem (quod omnibus a summo numine votis contendimus) augere velit divina benignitas, habeat quo gratum pro continua tutela & favore Deo animum testetur; sin vero (quod omen in hostes potius eat) fatali omnium imperiorum & civitatium fato, ab antiquo flore aliquid decerpatur, vestigia pristinae dignitatis nepotes indagare possint. Quis enim non magno redemtum vellet, si dominantis olim *Romae* tam accura-

ta ad nos a diligenti & artifici manu descripta & illustrata forma pervenisset, ut non ex ruderibus antiquae Urbis faciem conjicere, sed ex certis monumentis, chartae vel materiae perenni consignatis, ipsam, ut olim fuit, urbem oculis inspicere liceret? Quare & hodie jucundum tam insignis urbis conspectum, & olim utilem & admirabilem fore persuasissimum habemus.

Ne tamen puerorum aut rudium adolescentium ritu in moenibus & operibus Urbis divinae oculos retineamus, cavit diligentissimus hujus Thesauri collector, sed ut mentem potius ad Viros illustres, quos magna copia benigna virtutis bellicae & civilis alumna protulit, convertere possimus, procuravit. Si enim praeclare *Themistocles* pronuntiavit, *patriam esse municipes, non moenia, civitatemque non in aedificiis, sed in civibus positam*, dicti hujus veritatem non alia magis Urbs, confirmare potest. Nullis enim umquam moenibus, intra quae segnes & securi cives laterent, libertatem diutius, quam ulla ab orbe condito respublica, *Venetorum* civitas tutata fuit, sed pectoribus & virtute principum virorum & civium omnem a se hostium vim constanti fortitudine repulit: & si ea ambitione nobis illustrium *Venetorum* laudes fuissent traditae, qua *Graecia* & *Roma* suos extulit Imperatores & Magistratus, nullus dubito, quin & numero & factorum magnitudine utramque facile aequaret. Quare egregiam *Venetis* ediderunt operam duo nobilissimi scriptores, qui Elogia Illustrium *Venetorum* posteritati prodidere, ANTONIUS STELLA, & NICOLAUS CRASSUS Junior, in quibus neque elegantiam sermonis, neque veritatem lector desiderabit. Quamvis morosior aliquis Censor, nuda potius eos narratione defunctos, quam declamatorum modo, calamistris exornata laudatione res gestas extulisse eos mallet. Sed id tempori & consuetudini dandum, qua ablati omnes Elogiorum scriptores se ad severas Historiae leges adstringere dedignati fuere. Unicum ego in illis requirerem, ut quia diversae ætatis Viros in unum libellum conferre voluerint, aliquam & non obscuram temporis, quo maxime floruerunt, notam addidissent. De ipsis auctoribus, aut eorum vita & fatis quod addam, parum in mundo mihi esse comperio. *Antonium Stellam* praeter hoc opusculum, quod rarum & inventu apud nos difficile erat, vitam etiam *Bernardi Justiniani*, cujus liber de *Origine Urbis Venetae* principem inter hujus reipub. scriptores in hoc opere locum occupavit, scripsisse video; quae *Venetiis* A. C. 1552. in lucem prodiit. An vero, aut quam propinquo sanguinis

guinis gradu contigerit *Joannem Stellam* sacerdotem *Venetum*, qui Vitas Pontificum ad *Julium II.* conscripsit, & qui in fine ejus opusculi se A. 1503. summam manum labori isti imposuisse testatur, ignorare me fateor. Nec etiam an alii *Stellae*, (nam eo nomine plures in *Italia*, ut de *Hispania* sileam, floruere) aliquod generis commune cum eo habuerint adfirmare possum.

Alterius opusculi, quod Elogia Patriciorum *Venetorum* belli pacisque artibus Illustrium complectitur, auctor est NICOLAUS CRASSUS Junior, Philosophus & Jurisconsultus, Quem, quia se *Juniorem* vocat, conjicere liceret illius *Nicolai Crassi*, qui in *Jannotii* & *Contareni* libros de Repb. *Veneta* commentarios scripsit, & in hoc quoque opere legitur, vel filium, vel potius nepotem fuisse? nam in dedicatione majores suos, eorumque laudes & merita in patriam enumerans, Avi sui *Nicolai Crassi*, ejusque doctrinae & eloquentiae forensis, simulque bellicae virtutis mentionem injicit. Ex utriusque vero aetate si conjectura ineatur, eum ex illo non longius, quam ut nepos fuerit, distare, confici potest? nam primi *Crassi* aetas ex commentario ad *Jannotium* pag. 20. colligi potest; ubi agens de mirabili ponte Rivi alti, dicit fundamenta lapidea, cum olim e ligno fuissent, jacta A. 1588. quo ipse vivebat. Junior vero *Crassus* suum opus inscripsit *Leonardo Donato*, Principi *Venetorum*, qui summae rei praefuit ab anno Chr. 1605. ad 1612, ut ex Fastis ducalibus Palatii constat. Praeter hoc opusculum scripsisse etiam Satyram Menippeam fertur, cujus titulus fuit, *Nescimus quid serus vesper vehat*, & nomen sibi adsumsisse *Vincentii Liberii Batavi*, sub quo latere olim credebatur Celeberrimus *Petrus Cunaeus*, in Placcii Theatro Pseudonymorum n. 1575. docetur. quam adpellationem non sine ignominia nostrae gentis sibi imposuit; quia scilicet nos *Batavi* sub crasso aëre nati, stupidiores acutis *Italorum* ingeniis videmur, *Crassi* nomen cum *Batavi* adpellatione, quasi idem significet utraque, mutavit, & pro *Nicolao Vincentium* se vocare voluit. Nos vero *Batavi* facile hanc contumeliam devoramus, ut qui nostris contenti bonis & natura, crassam illam stupiditatem, non libenter cum callido & veteratorio acumine aliorum commutare vellemus, & ad dicteria aliarum nationum jamdiu occaluerimus: immo vero, ubi majoribus nostris stupiditatem objici videmus, dolorem concipimus justum, antiquam illam simplicitatem nostri aevi *Batavos* ita degenerasse, & in aliarum gentium vitia & mores transiisse, ut cum illis omnibus de corruptela morum contendere possint; sed

quidquid ſit, parum humanum aut aequum credimus in univerſam aliquam gentem convicia effundere, & ſub una cauſſa plebem & nobiles, idiotas & eruditos obruere, hancque elegantiam *Gallis* & *Italis* non invidemus, ſoliti ſingulos per ſe homines inſpicere. Ex eodem quoque *Placcii* libro didici vitam ejus *Craſſi* deſcriptam legi in *Italico* libro, cujus titulus eſt, *Glorie de gli incogniti, Overo gli huomini dell' Academia de Signori incogniti di Venetia*: qui ſi ad manum eſſet, plura & certiora de noſtro homine cognoſcere & promere liceret. Sed ejus mentionem fieri in Muſeo *Joannis Imperialis, Edit. Hamb. p.* 221. deprehendi, his verbis. *Eſt ſingulis obvia* Nicolai Craſſi JCti *felicitas in ſcribendo mira, vario multiplicique rerum maximarum apparatu ſuffulta: quod praeſertim nobis commonſtrant Elogia probatiorum* Venetae *nobilitatis virorum, quibus jampridem non obſcuram* Romanae *facundiae laudem, doctorum ſibi judicio comparavit. Accedit ſalſum ejus & ſolidum in ſelectioribus literatorum elucubrationibus aeſtimandis judicium, & morum decor & conſuetudinis urbanae ſuavitas, ob quae in ampliſſima Urbe cum maxime ſpectabilis & clarus habetur.*

Sequens libellus, qui BARTHOLOMAEUM FACIUM, auctorem habet, graviſſimi belli, quod *Clodianum* vocavit, hiſtoriam continet, quo in tantas anguſtias redacta fuit Reſpublica *Veneta*, ut parum a ruina abeſſet. Fidem vero *Facii* nobis ſuſpectam facit *Jovius*, qui cum in Elogiis ejus doctrinam & utriuſque linguae peritiam laudaſſet, clariorem futurum fuiſſe addit, ſi *Genuenſium* de *Venetis* victorias incorrupto judicio perſcripſiſſet. Cum *Valla* etiam tam acres inimicitias & contentiones habuiſſe addit, ut ex vulnere, quod a *Vallae* calamo accepit, clarior, quam ex ſuis ſcriptis evaſerit. Cujus teſtimonii veritas ex libris invectivarum, quas in *Facium* ſcripſit *Valla*, confirmari poſſit, ubi longam ſimultatis & rixarum cum *Facio* hiſtoriam contexuit, quam hic repetere nihil attinet. Unicum vero mirari ſubit, cum omnes fere *Itali* uno ore tradant, eo in bello primum fuiſſe viſas peſtiferas illas machinas & tormenta, quas ſua lingua *Bombardas* vocavere, & ad quarum uſum pulverem nitratum inventum fuiſſe jactent, ejuſque inventi gloriam ſuae genti attribuant, *Facium* nullam tam memorabilis rei facere mentionem. *Platina* vero in Vita *Urbani* ambiguis verbis uſus, inventam quidem a *Theutonico* quodam tunc bombardam narrat, ſed ita verba ſua exhibet lectori intelligenda, quaſi in illo bello primum adhibita eſſet. Sed ante illud tempus jam pernicio-

niciosam hanc machinam a *Germanis* usitatam multis docuerunt viri insignes, ipsos etiam *Italos* ad testimonium citantes. vid. Spelmann. *Glossar. in Bombarda.* Voss. de *Instit. Orat. Lib.* IV. *Cap.* XIII. §. 7. Crusii *German. Græc. Lib.* IV. *pag.* 157. & alios. Alterum in hoc bello notabile est, quod redactis ad summas angustias *Venetis*, jam decretum fuisse scribat *Facius*, ut, rebus omnibus cum uxoribus & filiis classi impositis, in *Cretam* abirent, ibique sedes novas constituerent; & morem quoque tunc introductum, ut plebeji, collata in usum publicum pecunia, in nobilium ordinem adlegerentur.

Sequuntur ANTONII de VILLE, qui idem Urbis *Polae* descriptionem, quae sequentibus voluminibus inseretur, dedit, *Pyctomachia Veneta*, & JOSEPHI LAURENTII de *desponsatione maris Adriatici*, & JOANNIS VALACRII *Spectacula Veneta*, quae opuscula tam exigui sunt modi, ut facilius fere perlegi possint, quam de iis a nobis aliquid disseri. *Laurentii* vero dissertatio desumpta est ex *Polymathiae* (Libri nec penitus mali, nec tamen valde boni) *Lib.* I. *Dissert.* II. & ipse fatetur se omnia ex aliis, & praesertim *Justiniano* Historico plurima collegisse.

Claudunt vero hoc volumen duo scriptores, qui gravissimi belli, quo *Venetorum* respubl. pressa fuit, Historiam prodidere. Prior est ANDREAS MOCENICUS, cujus hic datur *Historia belli Cameracensis*, quod ita vocavit, licet longe lateque se diffuderit per totam *Europam*, quia a *Cameracensi* foedere, quo omnes fere reges & Principes in exitium reipubl. *Venetae* juraverant, originem deducit. & hinc licet inter plurimos & diversis in locis gestum fuerit, *Venetorum* rebus addere Typographo ex consilio doctissimorum in *Italia* virorum, qui librum hunc desiderasse se profitebantur, placuit. Auctor quoque, ex nobilissima Patriciorum gente merebatur inter patriae suae illustres Scriptores referri, qui Atavum suum *Thomam Mocenicum* Ducem, sub quo res *Veneta* pace, opibus, probitate hominum & bonitate artium florebat, laudat pag. 8. alios ex antiquissima familia Illustres Duces ex *Morerii* Lexico dabit praefatio Typographi.

Mocenico nunc opportune subnectitur alter, qui ejusdem belli historiam conscripserat, *BERNARDINUS ARLUNUS*, numquam antehac, quod sciam, editus. qui liber qua via ad manus Typographi pervenerit, ejus præfatio docebit, simulque ex elogiis, quæ de *Arluno* adjecit, diversum hunc ab historia ejus *Mediolanensi*, quæ adhuc latet, librum esse, constare poterit. Memorabile certe hoc ejus temporis esse monumentum quivis videre poterit, cum auctor rebus, quas narrat, ipse vel interfuerit, vel a certis auctoribus facta didicerit. Licet vero *Venetæ* reipubl. favere, ejusque partes semper defendere

videatur, fides tamen ejus & integritas in dubium ideo vocari non meretur, quia ipsa magis caussae justitia & injuriae gravitas, qua tunc pressa fuit illustrissima civitas, quam beneficia a *Venetis* accepta eum permovisse videantur, ut aequior illis, quam infensis & conspiratis ad ruinam reipubl. hostibus, fuisse videatur. Diligentiae vero & veritatis studii manifesta saepe edit documenta, ubi ejusdem temporis scriptores, a veritate aberrantes, gravissime refutat, & *Mocenici*, *Baselii* & auctoris *Fasciculi temporum* aliorumque errores castigat; quod tamen nec acerbitate verborum, nec ullo partium studio, sed solius veritatis amore facere videtur, cum etiam in multis, de quibus fama erat dubia, saepe *Mocenico* accedat. De stilo & dictione ejus ita judico, illum nimiae elegantiae studio & adfectatione sæpe peccasse, & inflata & tumida oratione, luxuriantis potius ingenii, quam subacti & limati judicii, nobis vestigia reliquisse. & cum *Mocenicus* Salustianam brevitatem adfectans in obscurae dictionis vitium non modo inciderit, sed & parum Latine loquendo saepe grammatices etiam rationem neglexerit; *Arlunus* contra diffusiori Oratione & coacervatis saepe idem significantibus in unam periodum verbis & sententiis, ostentare eruditionis copiam & ubertatem studuerit: cujus luxuriæ, Poëtae potius quam Historico permissae, exempla expressa passim reperiet lector, & in primis pag. 3. ubi luctus publici imaginem operosissime describit, & pag. 29. ubi pompae & epularum apparatum magnificum ultra rei fere fidem exponit. Uterque vero scriptor in eo veteres aemulari voluerunt, ut viros sive bello sive pace illustres disertissime & gravissime verba vel in senatu, vel apud populum, vel milites facientes inducant; quae conciones sæpe magis eloquentiae laudem Historicis, quam veritatis testimonium adferre solent. Non immunem autem & liberum a superstitionibus & opinionibus populi animum *Arluno* fuisse, ex prodigiorum & mirabilium vulgo factorum narrationibus facile colligi potest, in iis enim ornandis & augendis sibi ultra modum placere auctorem nostrum, incredibilium ostentorum pag. 25. 73. & alibi exempla docent.

Hic modum praefandi facere non modo decreveram, sed & ad hunc usque locum descripta typis jam praefatio finem postulabat; cum Typographus se *Roma* a Cl. *Fontanino*, viro, cujus amicitia jam ante aliquot annos summa cum suavitate fueram usus, & cujus ex scriptis doctissimis fructus uberrimos saepe retuleram, ejus dissertationem de *Corona Ferrea Longobardorum*, quæ primum *Romæ* 1717. & paullo post cum Viri eruditissimi *Muratorii* commentario de eodem argu-

gumento *Lipsiæ* iterum prodierat, accepisse multis partibus auctiorem, ostenderet. Quare auctor ipsi factus fui, ut utramque huic *Thesauri Italici* parti, quae Res *Mediolanensium* & Antiquitates complectitur, insereret. Cum vero Utriusque fama & eruditio satis clara, & apud omnes, qui bonas artes amant, sit confirmata, non mihi sumam, ut de tota hac lite, & caussâ, inter eos Judex aut arbiter sedeam. Neque, cum dissertationes hae recenter scriptae, & bis intra breve tempus editæ, a doctis denique *Lipsiensibus Tom.* VII. *supplem. Sect.* IV. *pag.* 151. & in *Actis A.* CIƆIƆCCXIX. *pag.* 191. accuratissime recensitae fuerint, a nobis exspectabis, Lector, ut actum agendo fastidium tibi faciamus: Candide vero profiteri possumus, utrumque scriptorem, doctrinæ & ingenii laudibus florentissimos, egregia Historicæ scientiæ specimina, & aevi, ut vocant, medii notitiam præclaram in his ipsis dissertationibus exhibuisse. De veritate vero, si quis dijudicandum esse contendat, majus apud me Cl. *Muratorii* argumenta pondus habuisse fateri non dubito: cui deinde magis adsentiri sum coactus, postquam dum hoc scribo, Epistolæ celeberrimi Viri ad Amplis. *Menkenium* scriptæ copiam sum nactus, qua ille Cl. *Fontanini* præcipua argumenta graviter refellit. Cum enim palmarium hoc non modo Cl. *Fontanini*, sed omnium fere, qui in argumento simili versantur, sit præsidium, reliquiis, ut vocant, adserendis unice facere, quod, quidquid constans fama, & vetus traditio ad posteros transmiserit, ei sine piaculo fidem negare nemini liceat, egregie ostendit Cl. *Muratorius* Clavo huic, ex Christi cruce, ut creditur, reliquo, neque famam constantem, neque veterem traditionem patrocinari; sed cum maluerim haec ipsius *Muratorii* verbis quam meis legi, excerpta ex Epistola illa praefationi, ut subjiceret *Typographus*, suadere coepi; & cum ille utroque viro amicissime utens, & utriusque consilio & operae ad exornandum hunc Thesaurum plurimum debens, dubitaret, an si hanc epistolam publico, permittente etiam Cl. *Muratorio*, exponeret, malam apud Cl. *Fontaninum*, cui se multis nominibus obstrictum esse profitebatur, gratiam iniret, ostendi integra id ipsi amicitia & officiorum ratione licere. Neque me magis ipso quidquam committere velle, quo Viri optimi & doctissimi, si non iram, certe indignationem provocarem, sed interesse studiorum & veritatis adseveravi, ut ab utraque parte in simili re argumenta proponantur; neque ipsum *Fontaninum* ægre posse ferre, si in opere hujusmodi, in quo diversarum saepe sententiarum aucto-

res ſibi opponuntur, etiam Epiſtola haec legatur, quae diſſertationis ejus non omnia capita, ſed ſummam & quaſi arcem impugnaret. Quare cum abſolutae jam utrique diſſertationi & typis deſcriptae apte ſubjungi nequiret, poſt praefationem eſſe ponendam contendi. Unicum, quia id Cl. *Muratorius* in Epiſtola ſua tranſiit, monere liceat, novae nempe huic editioni adjectum eſſe decretum congregationis Em. Cardinalium in cauſſa dioeceſeos *Mediolanenſis*, quo permittitur *Modoetienſibus* Coronam illam ferream publicae venerationi exponere. Ex quo nihil cauſſae, quam agit Cl. *Fontaninus*, praeſidii accedere puto. Non enim ferream illam coronam ex clavo ipſo, quo fixus fuit Chriſtus, recoctam & factam eſſe decernunt Cardinales, ſed hujus decreti omnis ratio fundamento eodem inniti poteſt, quo ipſe *Fontaninus Cap. XIII.* refutare eos ſe poſſe credit, qui multiplicem clavorum, qui diverſis in locis oſtentantur, numerum obſtare jactent, quo minus *Modoetienſis* ille pro vero haberi poſſit. Reſpondet enim, licet multiplicetur numerus ille clavorum, qui ultra quatuor eſſe nequeunt, nullum tamen eorum ab Eccleſia explodi; addita præjudicata *Baronii* ſententia, quia ſi non ſint omnes veri, corpori Chriſti infixi, clavi, potuerunt eſſe Martyrum aliorum, qui cum fuerint myſtica Chriſti membra, clavi illorum corporibus infixi, jure poſſint vocari clavi Chriſti, & ita abfuerit ab illis, qui has reliquias, vel eruerunt, vel adhuc ſervant & cultui exponunt, fallendi animus & dolus. De qua argumentandi ratione, quid nos, qui ab Eccleſia *Romana* & ejus decretis alieni ſumus, ſentiamus nihil attinet hic dicere. *Voſſium* tamen noſtrum, at quantum Virum! illa macula liberare, quaſi hanc *Baronii* ſententiam expanſis ulnis fuerit amplexus, nihil erit invidiae, idque unico verbo. cepit nimirum Cl. *Fontaninus* ita *Voſſii* verba, quaſi, quia non ſatis graviter & ſerio refutat *Baronii* ſententiam, ipſi acceſſiſſet, cum nemo non *Voſſii* orationem continuam perlegens, non videat, noluiſſe *Voſſium* in hoc argumento, levi & dubio ipſi viſo, immorari, quia quiſque per ſe facile refellere illa, quae de clavis tradebantur, poterat. ideoque ſe contentum ait fore, verbis *Baronii*, quibus, cum nullius ponderis, & ipſis foliis leviorem argumentationem contineant, ironice illuſiſſe contentus, oſtendit ſe nihil eorum credere, nec mereri hanc, ut videri poteſt, callidi potius, quam ſapientis viri argumentationem, ut centies dicta reponat.

Atque haec ſunt fere opera inſignium meritis & doctrina Virorum, quae partim rariora merebantur ex tenebris in amplio-

pliorem lucem produci, partim obvia quidem magis, digna tamen, quae in unum corpus conjecta, partis *Italiae* nobilissimae illustrationi conducere Typographo nostro sunt visa. Qui, si studium singulare adjuvandi vota eruditorum & harum rerum studiosorum placere orbi erudito deprehendet, nullo labori, nullis sumptibus & curis undique praestantissimos & raritate commendabiles scriptores conquirendi parcet, reliquosque Thesauri hujus locupletissimi tomos, brevi temporis intervallo se expositurum promittit. Quam fidem, ne, quia hi tomi tanto a prioribus temporis spatio, demum prodeunt, quis vanam putet, sciat maximam jam totius Thesauri partem typis descriptam esse, nec annum hunc exiturum, quin tres pluresve tomos prioribus adjungendi copia sit futura. Ut etiam emtores scire possint, quos potissimum auctores sequentes Tomi exhibebunt, eorum accuratissimum Indicem & Catalogum non solum confecit, & cum publico communicavit; sed etiam post hanc praefationem adposuit, ut inde melius unusquisque aestimare hujus Thesauri pretium possit, quam ex invidi alicujus & mercenarii Ephemeridum consarcinatoris maligna obtrectatione, qui forte indignatus se non adhibitum in consilium, priores hujus Operis tomos omni arte infamare conatus fuit. Nec contentus Celeberrimum *Graevium* insanis dicteriis & conviciis lacerasse, ipsum *Typographum*, cui tunc maxime in alio opere procurando operam suam locaverat, damno mactare, ideo tantum, quod non ejus sub auspiciis opus hoc suscepisset. Sed quantum profecerit malevolentia sua vitio creatus librorum censor, & doctorum virorum obtrectator, inde facile confici poterit, quod tam parvi ponderis ejus judicium sit visum, ut jam omnia fere exemplaria sint divendita, & pauca admodum Typographo supersint. qui neque minus avidos emptores horum, & qui sequentur, voluminum, se reperturum esse auguratur. Tu modo, aeque Lector, conatibus tam honestis & utilibus fave, & industrii viri labores & curas adjuvare perge. *Leidae* Kal. Septemb. CIƆIƆCCXXI.

F I N I S.

Excerpta *ex Epistola Clarissimi Viri* Ludovici Antonii Muratorii, *Bibliothecarii Serenissimi Ducis* Mutinensis, *ad* Johannem Burchardum Menckenium, *Serenissimi Electoris* Saxoniæ, *Regis* Poloniæ, *Consiliarium*, *in Dissertationem* Justi Fontanini *de Corona Ferrea.*

Johanni Burchardo Menckenio V. C. Ludov: Ant. Muratorius S. P.

Q*uod una cum Dissertatione Fontaniniana* de Corona Ferrea *jam Romæ edita Anno* 1717. *publicis typis Lipsiæ traditus iterum fuerit & meus* de Corona Ferrea *Commentarius, quem adolescens Anno* 1698. *Mediolani Tom. II. Anecdotorum meorum evulgaveram: id mihi gloriæ verto, multumque debeo hominibus tanti meos qualescumque labores facientibus. Si id ante editionem rescivissem, certe non excidisset mihi occasio aliquid ad te, Vir Clarissime, scribendi de*

opposita mihi Fontanini sententia. Attamen pauca nunc habeto, quæ ad rectum judicium ferendum de controversia inter nos agitata praesto tibi esse possint. Contendit ille, Modoëtiensibus concors, Coronæ Ferreæ insertum Dominicæ Crucis Clavum, undè illi Ferreæ appellatio accessit. Contra ego, opinionem hanc nulla antiqua Traditione, nullis firmis argumentis niti, olim scribebam. Quid quæso tanti ponderis nunc Fontaninus adfert, ut me potius, quam Modoëtienses, falli ostendat? Bugatum, Besutium, Morigiam, Zucchium, Ripamontium, Collium, Coronam, Quaresmium, & si qui sunt alii Scriptores, omnes fere mihi notos, & a me laudatos, qui post Annum Christi 1586. suos Libros luce donarunt, quid attinet in hanc rem testes advocare? De Corona Modoëtiensi, qua fama ævo suo foret, ii quidem edocere nos possunt; sed eamdem famam apud veteres obtinuisse, profecto testes adeo recentes, parum Critici, nulloque rei examine instituto scribentes, nunquam nobis persuadere poterunt. Quum nulli antiquorum decus hoc Coronæ Ferreæ innotuerit, nullus memoraverit, qui tamen sæpissime de ea mentionem fecere, justæ suspicioni locus fuit, & erit, Seculo solum XVI. ex ingenio bonorum hominum causam perquirentium, cur addita Coronæ aureæ Modoëtiensi lamina ferrea fuerit, opinionem prodiisse de inserto sacro Clavo, eamque sensim, ut de tot aliis piis opinionibus accidit, apud Modoëtienses invaluisse, additamentum gloriæ minime aversantes.

Sed Guntherum Fontaninus Cap. IV. laudat, quo teste Lib. 8. Ligurini Fridericus I. Anno 1158. *Modoëtiæ* SACRO DIADEMATE crines induit. *Accedit Matthæus Villanius, quo narrante res sui temporis Lib.* 4. *Cap.* 39. *Historiæ Italicæ Carolus IV. Anno* 1355. il di della Santa Epifania del Mese di Gennajo fu coronato della SANTA CORONA del Ferro. *Bene cessit, quod Villanio hæc exciderint; nam mirum est, quanta superstruat uni huic verbo eruditus Modoëtiensium patronus, & quoties ante oculos Lectorum & Judicum hunc Villanii locum ingeniosus vir obversari faciat. Et tamen quid quæso inde exsculpant prudentes rerum æstimatores? Nihil reor. Nam ut Carolus Paschalius de Coronis Lib. X. Cap. VII. antea monuit,* Insignia Regalia inter Sacra censeri video. Sunt autem Thronus, Sceptrum, Diadema. Ergo Corona Regia, aut Imperatoria, vix ab alio contrectatur, quam ab illo, cui id juris in Ecclesia concessum &c. *Ac propterea Coronæ Cæsari, & Regibus adhibendæ, in Sacris Templi adytis religiose servari solent, & Sacris Ministris commendantur: quod nemo ignorat. Ut proinde mirari cogamur, Fontaninum ex eo, quod Henricus VII. ad Canonicos Modoëtienses scribens, eos ad se venire jusserit,* qui sciunt, quid opus sit ad collationem Coronæ Ferreæ, *ita disserere Cap. V. Dissertationis suæ:* Viden, Imperatorem de re Sacra, & præcipuo cultu habita, tractantem, ad Canonicos, & rerum Sacrarum ministros, non ad civiles Modoëtiæ Magistratus scripsisse? *quasi hinc Lectores monere velit, Coronæ illi insitum Dominicæ Crucis Clavum. Verum & sine sacro illo pignore sacris rebus accensetur Ferrea Corona, & uti reliqua Regum insignia in Templo, & a sacris Ministris servatur; ideoque ad Canonicos erat de hujusmodi negotio scribendum. Accedit, quod Godefridus Viterbiensis in* Chron. Par. 18. *in fine de* Henrico VII. *adhuc adolescente scribit his verbis:*

Henrico Sexto SACRA sunt DIADEMATA præsto.

Idem etiam Scriptor Par. 17. pag. 459. apud Pistorium significare videtur, ideo Sacrum esse Diadema, quia sacro Oleo inunctum.

Sic oleo non corporeo Diadema sacratur &c.

Ad hæc ipsemet Guntherus Lib. IV. Ligurini, coronationem Romanam Friderici I. enarrans, paria habet.

Sacra redimitus veste Sacerdos
Summus ad alta sacri ducens Altaria Petri,
Innexum digitis mundi totius honorem
Imposuit, pressitque SACRO DIADEMATE crines.

En ut ipse Guntherus sibi, seu potius Fontanino ejus verba invita in suam causam trahenti, respondet. Quid plura? sibi ipsemet Fontaninus respondere potuisset, nisi elaberentur, quæ ipse præ oculis & manibus habet. Nam ante paucas paginas eodem Cap. IV. hos Corippi versus de coronatione Justini II. Augusti laudavit:

Cœlique potentem
Exorans Dominum, SACRO DIADEMATE jussit
Augustum vincire caput, summoque Coronam
Imponens apici feliciter &c.

Quid aliud quærimus, ut tandem pateat, nil amplius Modoëtiensi olim Coronæ tributum, quam ceteris Regalibus inter Sacra computatis? Quod enim ad istos versus subsistens Fontaninus, tacito meo nomine, me compellat, scribens: Erras, Critice, erras, nam Diadema proprie sumtum cum Corona proprie sumta confundis. Nos tibi Corippum opponimus, qui Justino II. & Diadema, & Coronam impositam ita describit: *Equidem vereor, ut risum teneant Lectores doctissimi, quibus perspicuum est, promiscue usurpari vocabula* Diadematis, & Coronæ, *idquevel ex paucis allatis locis constare; neque*

que apparere, duas res diversas a Corippo enarrari, sed potius Poëtica amplificatione unum idemque duabus phrasibus explicari. Itaque frustra pro opinione Modoëtiensium de Clavo Dominico proferuntur Guntherus, & Villanius. Et sane apud istum alibi memoratam animadvertas, hoc est Lib. 4. *Capp.* 27. & 39. *Coronam Ferream, sed absque titulo* Sanctæ, *idemque esse apud illum* la Sacra Corona, *ac la* Santa Corona; *nam Cap.* 62. *ipsi laudantur* la Santa memoria dello Imperatore Arrigo, *ac subinde* il Santo Imperio. *Imo Cap.* 54. & *alibi, quod nos* Sacra Majestas *alloquendo Cæsares dicimus, ipse* Santa Corona *dicit.*

Quibus ex rebus jam videas, nullum a Modoëtiensibus veterem Scriptorem, aut testem proferri suæ opinioni faventem. Contra jam nos phalangem, ut ita dicam, Auctorum laudavimus, aliosque superaddere possumus, qui ante medium Seculum XVI. Coronam Ferream memorarunt, contrectarunt etiam, atque descripserunt, & ne hilum quidem de Clavo Dominico dixerunt. Silentium hocce tot hominum, tot Seculorum, quid aliud est, quam loqui contra Modoëtienses, eorumque recentem opinionem novitatis & falsitatis arguere? Atqui hoc Argumentum est Negativum, inquit Fontaninus; illudque non uno in loco is videt. Siquidem viguisset olim fama de Clavo, quem intextum nunc volunt, id multi ex iis Scriptoribus novissent; si vero novissent, non tacuissent. Præcipuum hoc erat illius Coronæ decus, & describentibus minime excidisset. De ea loquuti sunt complures antiqui Scriptores Mediolanenses & Æneas Sylvius, *qui Mediolani aliquandiu est versatus. Ipsam quoque non semel commemoravit* Bonincontrus Morigia *in Chronico Modoëtiensi, atque ipse* Balthassar Fidelis Modoëtiensis Basilicæ *olim* Archipresbyter. *Hi sane rerum illarum peritiores, quam Villanius Tuscus, fuere. Atque hi, ut cum Melchiore Cano loquar, tantam Prærogativam* non omissuri erant, si scivissent; sciturì autem erant, si fuisset. *Neque est, quod Fontaninus elabi se posse putet Cap. VII. in dubium vocando, num* Fidelis vix umquam Modoëtiæ substiterit. *Certe tamdiu ibi substiterit necesse est, ut colligere potuerit* Prærogativas *multiplices Basilicæ suæ, quas Anno* 1514. *Leoni X. P. M. dicatas Libro in folio evulgavit. Sed ut brevius agam, litem hanc dirimere una Bononiensis Coronatio Caroli V. potest. Quid ibi actum, qui ritus servati, non tantum Paulus Jovius insignis Historicus, & oculatus testis, verum & ipse Pontificius rituum Præfectus Blasius Cæsenas literis mandarunt; imo uterque Coronam ipsam Ferream descripsit, ille in sua Historia, hic apud Raynaldum in* Annal. Eccles. ad Annum 1530. §. 12. *Procul dubio si quisquam rescire debuit, num sacrum Dominicæ Passionis pignus intextum Coronæ Ferreæ foret, is fuit ea occasione Blasius Cæsenas, ad quem spectavit Coronationis seriem recte deducere, & nosse si quid venerationis impendendum esset Modoëtiensi Diademati. At ille nullum peculiarem honorem Coronæ ejusmodi adhibitum scribit, nullum venerationis signum. Imo Coronam ipsam delineans ita loquitur.* Hæc Corona, ut habeatur aliqualiter ejus cognitio & ejus formæ, circularis & latitudine quinque digitorum est, vix coronam unius Episcopi circuiens, nec capiti firmari poterat. Ex Modoëtia delata fuit &c. *Lege reliquam narrationem. Quæ Cap. VIII. suæ Dissertationis reponat Fontaninus, ut se a Jovii, & Cæsenatis auctoritate expediat, sunt, ut benigne loquar, tam levia, ut vim argumentationis nostræ nulla ex parte elevare possint. Ii Coronationi interfuere, ii Coronam ipsam, ejusque usum intuiti sunt, & descripserunt; ii ergo satis nos docent, se de Clavo Dominico nihil accepisse, nullaque veneratione exceptam tunc fuisse ejusmodi Coronam. Et tamen audire nunc cogimur, qui Jovio, & Cæsenati a sacris Cæremoniis ipsius Pontificis, testibusque oculatis, nunc opponant & præferant Ripamontium, uno fere Seculo a Caroli V. coronatione remotum, Scriptoremque parum Criticum, & fidei non usquequaque certæ, qui narrat, ad conspectum Coronæ Ferreæ* subito perfusam horrore concionem obriguisse &c. *Rem tantam novit immensus Populus tum Bononiæ coactus: & soli Jovius, Rituumque Præfectus, ceterique Scriptores eorum temporum ignorarunt?*

Non his ultra immorabor. Nuperos vero testes, a Modoëtiensibus, eorumque patrono Fontanino prolatos, excutere non est hujus loci. Id unum regero. Amplissimos Cardinales Borromæos, Sanctum nempe Carolum, & Fridericum, Mediolanenses Archiepiscopos, de veritate Clavi Dominici minime dubitantes chorus ille testium nobis exhibet. Et tamen eximii Præsules illi, qui, si vera hæc forent, Coronam utpote sacrarum rerum Modoëtiensis Basilicæ pretiosissimam, & præ ceteris cultu dignam, honore publico donare potuissent, imo debuissent, ii, inquam, ipsam in latebris, atque inhonoratam prorsus reliquere. Quid hoc significet, prudentes viri non indigent ut a me edoceantur. Addo, exsistere adhuc in Archivo Archiepiscopali Mediolanensi Librum jussu celeberrimi Card. Friderici Borromæi die 26. *Junii Anno* 1621. *scriptum hoc titulo:* Dello stato della Chiesa di Monza. *Accurate ibi recensentur singulæ sacræ Reliquiæ in Modoëtiensi Basilica adservatæ, & publica veneratione donatæ, nihilque ibi de sacro Clavo occurrit. Tum pag.* 45. *habetur,* Nota del Tesoro della Chiesa Collegiata di S. Giovanni Battista di Monza. La Corona Ferrea del Regno d'oro. La Croce dello stesso Regno con il suo pen-

dente &c. *Et ne heic quidem ullum de Clavo Dominico verbum, nullumque cultus signum Coronæ Ferreæ impensum. Num dormitabant Modoëtienses? dormitabantne ipsi accuratissimi & piissimi Archiepiscopi, qui ingloriam & confusam cum reliquis Thesauri Modoëtiensis non sacris rebus tamdiu Coronam patiebantur, quam tamen, si Modoëtiensibus credimus, sanctissimo pignore auctam & ipsi credebant? Vix fieri potuit, ut suo cultu, sua veneratione tam insigne pietatis monumentum ipsi fraudarent. Sed tandem Anno* 1655. *increbrescente apud Modoëtienses dulci fama de Clavo Dominico suæ Coronæ inserto, illius Oppidi Clerus ipsum Diadema publicæ venerationi exponere cœpit: quod consilium subinde Archiepiscopalis Curia turbavit, ut constat: novitatem nempe rei animadvertit, ac minime tulit.*

Quæ quum ita sint, videant qui pro Modoëtiensium opinione pugnant, quam causam protegendam susceperint. Ubi de cultu sacrarum antiquissimarum rerum agitur, aut antiquam Traditionem *adferre opus est, aut immemorabilis temporis* Possessionem. *Atqui Modoëtienses* Traditione *destituuntur, quum nullum ex antiquitate testem laudent; & contra ita veteres de Corona Ferrea loquuntur, ut ipsam sacro Clavo insignitam numquam se novisse significent. Rursum neque* Possessionem *antiquam publici Cultus ostendere possunt, imo ejusmodi Cultus initium perquam recens ostenditur. Quei ergo nobis persuadeat ille Populus, se non tantum celeberrima Corona, sed etiam pretiosissimo Dominicæ Passionis monumento frui? Equidem per me illis liceat colere, quod bona fide se possidere putant: at credere quid ipsi putant, mihi reluctantibus melioris Criticæ Regulis, integrum non est. Quod si eorum patronus Fontaninus in fronte Basilicæ Modoëtiensis magnis characteribus inscribendam vult hanc Vincentii Lirinensis epigraphen, qua suam Dissertationem claudit,* Desinat incessere novitas vetustatem: *ego epigraphen hanc, utpote Basilicæ illi, & causæ, quam is tractat, incongruam, inde auferens, in ipsius tantum Fontaninianæ Dissertationis fronte inscribam, & æquius ibi atque aptius collocatam, si opus fuerit, rursus contendam. Tu interea &c.*

Mutinæ XII. Kal. Decembr. MDCCXIX.

CATALOGUS & SERIES RARISSIMORUM ac SELECTISSIMORUM LIBRORUM, quos continet THESAURUS ANTIQUITATUM & HISTORIARUM ITALIÆ, NEAPOLIS, SICILIÆ, SARDINIÆ, CORSICÆ, &c. antehac ad Consilium Celeberrimi JOANNIS GEORGII GRÆVII inchoatus, cujus tres priores Tomi in folio jam sunt editi, Lugduni Batavorum, apud Petrum Vander Aa: reliqui vero ejusdem formæ, apud eundem, ex Consilio & cum Præfationibus Clarissimi Viri PETRI BURMANNI, J.U.D. *Historiarum, Græcæ Linguæ, Eloquentiæ & Historiæ Fœderati Belgii, in Academia Lugduno-Batava, Professoris,* propediem prodituri.

Quatuor his primis *Tomis* Auctores, qui scripserunt de *Italia, Mari Ligustico Transpadana,* & *Alpibus vicina,* comprehenduntur.

TOMUS PRIMUS, 2 voll. constat charta communi 15. flor. Charta Majori 20. florenis.

Gabriel Barrius, Francicanus, de Laudibus Italiæ.

Petri Leonis Casellæ de primis Italiæ Colonis Liber.

Jacobi Bracellii, Genuensium a Secretis, Oræ Ligusticæ Descriptio. — De Claris Genuensibus Libellus.

Gaudentii Merulæ, de Gallorum Cisalpinorum Antiquitate ac Origine, Libri III. Novis Annotationibus expoliti & aucti.

Bonaventuræ Castillionei, Mediolanensis, de Gallorum Insubrum Antiquis sedibus Liber.

Uberti Folietæ, Patricii Genuensis, Historiæ Genuensium Libri XII. Auctiores & emendatiores.

Uberti Folietæ, Patricii Genuensis, Clarorum Ligurum Elogia, juxta postremam Editionem, Romæ MDLXXVII. ceteris auctiorem ac emendatiorem, paucisque visam; quippe cujus nulla fit mentio in Catalogis celebr. Bibliothec.

Uberti Folietæ, Patricii Genuensis, Conjuratio Joannis Ludov. Flisci. — Tumultus Neapol.. — Cædes *Petri Lud. Farnesii,* Placent. Ducis, ex univ. Hist. Rer. Europ. suor. temp.

Uberti Folietæ, Patricii Genuensis, de sacro Fœd. in Selim. Libri IV. — Variæ Expedit. in Afric. cum Obsid. Melitæ.

Uberti Folietæ, Patricii Genuensis, Opuscula nonnulla varii Argumenti: nempe — de Vitæ & Studiorum ratione Hominis Sacris initiati. — De Ratione scribendæ Historiæ. — De caussis magnitudinis Turcarum Imperii. — Tiburtinum *Hippolyti Cardinalis Ferrariensis.* — Brumanus, sive de Laudibus Urbis Neapolis. — De nonnullis, in quibus *Plato* ab *Aristotele* reprehenditur. — De norma *Polybiana.* — Oratio in Festo die Omnium Sanctorum.

Jacobi Bracellii, Genuensium a Secretis, de Bello, quod inter Hispanos & Genuenses seculo suo gestum, Libri V. Addit. est Diploma miræ Antiquit. Tabell. in agr. Genuensi repert.

Jacobi Bonfadii Annalium Genuensium, ab Anno MDXXVIII. (*in quo desinit Ubertus Folieta*) recuperatæ Libertatis usque ad annum MDL. Libri V. In lucem editi a Barth. Paschetto, Veron. Medic. & Philos. In hac vero postrema Editione ab innumeris mendis repurgati.

Hieronymi de Marinis, Patricii Genuensis, Genua, sive Dominii, Gubernationis, Potentiæ, Dignitatis Serenissimæ Reipubl. Genuensis, compendiaria Descriptio.

Petri Bizari, Sentinatis, perbrevis Dissertatio de Universo Reipubl. Genuensis Statu & Administratione.

Reipublicæ Genuensis Leges Novæ, a Legatis Summi Pontificis, Cæsaris, & Regis Catholici, in quos per Rempublicam collata fuerit auctoritas, conditæ, & Genuæ die XVII. Martii MDLXXVI. publicatæ, ac in lucem editæ a *Petro Bizaro.*

TOMUS SECUNDUS, 2. voll. 18—5. ft. C. M. 23—15. ft.

Andreæ Alciati, J.C. Celeberrimi, Rerum Patriæ, seu Historiæ Mediolanensis, Libri IV. *Ex M. S. Bibliothecæ Ambrosianæ.*

Tristani Calchi, Mediolanensis Historiographi, Historiæ Patriæ Libri XX. Cum notis *Joannis Guilielmi Calaveroni.*

Tristani Calchi, Mediolanensis Historiographi, Residua, hoc est Historiæ Patriæ Liber XXI. & XXII. — Nuptiæ Mediolanensium Ducum: sive Joannis Galeacii cum Isabella Aragona, Ferdinandi Neapolitanorum Regis Nepte. — Nuptiæ Mediolanensium & Estensium Principum, scilicet Ludovici Mariæ cum Beatrice, Alphonsi Estensis Sorore; vicissimque Alphonsi cum Anna, Ludovici Nepte. — Nuptiæ Augustæ: hoc est Maximiliani Romanorum Regis & Imperatoris jam designati, cum Blanca, Joannis Galeacii Mediolanensium Ducis Sorore. Omnia è Bibliotheca Patricii Nobilissimi *Lucii Hadriani Cottæ* eruta, studio & opera *Joannis Petri Puricelli, S. Th. Doct. & Laurentianæ Basilicæ Archipresbyteri.* Qui suum etiam illis Indicem Familiarum & Epitomas adjecit.

Josephi Ripamontii, Canonici Scalensis & Chronistæ Urbis Mediolani, Historiæ Patriæ Libri XXIII. ab Anno salutis CIƆCCCXIII. qui *Tristano Calcho* Patriæ Historiæ finis; desumitur novi Operis initium, & tempora insecuta memorantur, sed repetuntur prius extrema superioris Historiæ, fusiusque & altius explicantur ea, quæ *Calchus* ipse in parte ultima Annalium suorum perstrinxit tantummodo, sive omittenda putavit: atque temporis proxime ante acti facies datur in conspectum. In III. partes digest.

Josephi Ripamontii, Canonici Scalensis & Chronistæ Urbis Mediolani, Historiæ Patriæ Continuatio, comprehensa octo Libris, in quibus res, quas gessit Philippus II. tam Mediolani, cum in ejus ditionem redigeretur, quam alibi, exponuntur.

Galeatii Capellæ, de Bello Mediolanensi, seu de rebus in Italia gestis pro restitutione Franc. Sfortiæ II. Mediolanensium Ducis, ab Anno MDXXI. usque ad MDXXX. Libri VIII.

Caroli a Basilica Petri, Episcopi Novariensis, de Metropoli Mediolanensi Libellus.

TOMUS TERTIUS, 2. voll. 16—15. C. M. 21—11.

Georgii Merulæ Alexandrini, Antiquitatis Vicecomitum Libri X.

Pauli Jovii, Novocomensis, Episcopi Nucerini, Vitæ Duodecim Vicecomitum, Mediolani Principum, singulorum

veris Imaginibus illustratæ.

Jo. Ant. Castellionæi, J. C. Sacræ Theol. Doct. & Vicarii perpetui Abbatiæ S. Vinc. in Prato, Mediolanenses Antiquitates, ex Urbis Parœciis collectæ, Ichnographicis ipsarum tabulis, recentibus rerum memoriis, variis Ecclesiasticis ritibus auctæ & illustratæ.

Bernardi Sacci, Patricii Papiensis, Historiæ Ticinensis Libri X. In quibus multa scitu digna recensentur, de Italiæ Populorum Vetustate, Dominio, & Mutatione: item de Provinciarum proprietate, & Rom. Ecclesiæ amplificatione. Situs Italiæ, partes, & proprietates. Antiquiores Populi ex Transpadanis. Ligurum vetustas, & Gentis præstantia. Libertas & Dominium Civitatum Italicarum. Christianæ Religionis primordia. Italiæ deprædationes, & subjectiones. Regna Italica in exteris constituta. Longobardorum Origo, Adventus, & Regnum. Duelli introductio, & causæ olim admissæ. Dominium Romanæ Ecclesiæ in Italia. Bononiæ & Ferrariæ incrementa sub Ecclesia Romana. Regnum Longobardorum in Carolum Magnum translatum.

Jo. Chrysostomi Zanchi, Bergomatis Canonic. Ord. D. Augustini, de Orobiorum, sive Cenomanorum Origine, Situ, ac Bergomi rebus antiquis, Libri tres.

Joannis Baptistæ Villanovæ Nobilis Laudensis, Laudis Pompejæ, sive Laudæ (*nunc Lodi*) Urbis Historia. Ex Italico in Latinum sermonem transtulit *Alexander Dukerus*.

Othonis Morenæ, Laudensis, & Acerbi Othonis F. Historia Rerum Laudensium, tempore Federici Ænobarbi Cæsaris, cum Notis & Emendationibus *Felicis Osii, Artis Oratoriæ Interp. in Gymnasio Patavino*.

Erycii Puteani, Mediol. Profess. Eloquent. Historiæ Cisalpinæ Libri duo: quibus continentur Res potissimum circa Lacum Larium a *Jo. Jacobo Medicæo* gestæ.

Alexandri Dukeri, Comi Urbis Historia & Descriptio, ex variis Auctoribus concinnata. Ut & *Camilli Ghilini Romani*, Telinæ Vallis ac Larii Lacus particularis Descriptio. Nec non *Pauli Jovii, Novocomensis, Episcopi Nucerini*, Larii Lacus (*hodie Comensis*) Descriptio.

Galeatii Capellæ, de Bello Mussiano Liber adoptivus, è *Bibliotheca Ambrosiana*.

Ludovici Cavitellii, Patricii, Cremonenses Annales: quibus Res gestas memorabiles a Patriæ suæ Origine usque ad Annum salutis MDLXXXIII. breviter ille complexus est. Auctiores & emendatiores.

Uberti Locati, Placentini, de Placentinæ Urbis Origine, Successu, & Laudibus, seriosa Narratio.

TOMUS QUARTUS, 2. voll. 16—18. C. M. 22—16.

Joannis de Cermenate, Notarii Mediolanensis, Historia, de Situ, Origine, & Cultoribus Ambrosianæ Urbis, ac de Mediolanensium gestis sub Imperio Henrici VII. ab anno MCCCVII. Ad annum MCCCXIII.

Arnulphi, Mediolanensis Historici, Historiæ Mediolanensis, qua continentur Gesta quorundam Italiæ Regum, ab anno DCCCCXXV. usque ad MLXXVI. Libri quatuor.

Johannis Petri Puricelli, S. T. D. Laurentianæ Archipresbyteri, Ambrosianæ Mediolani Basilicæ ac Monasterii, *hodie Cistercienfis*, Monumentorum singularis Descriptio: qua Historia Mediolanensis valde illustrata, multis ab erroribus vindicatur.

Ludovici Antonii Muratorii, Serenissimi Ducis Mutinensis Bibliothecarii, ac Bibliothecæ Ambrosiani Collegii Doctoris, de Corona Ferrea, qua Romanorum Imperatores in Insubribus coronari solent, Commentarius. ‡

Justi Fontanini a Cubiculo honorario Sanctissimi Domini Clementis Papæ XI. Dissertatio de Corona ferrea Langobardorum. Editio Novissima, ab Auctore recognita & aucta. ‡

Benedicti Jovii, Novocomensis, Historiæ Patriæ, sive Novocomensis, Libri duo.

Octavii Rubei, Brixiani, suæ Patriæ Script. Celeb. Monumenta Brixiana, seu Civitat. Brixiæ Antiquitates: in ling. Lat. ex Italica transtulit *Alexander Dukerus*: Accessêre *Postremæ* huic Editioni, præter adjectas *Secundæ* a Fortunato *Vinaccesi* Inscriptiones, ut aliæ plures, potissimum e MS. *Rerum Antiquarum Civitatis* Brixiæ *ejusque universi Agri memoriæ*.

Antonii Gatti, Antecessoris Ticinensis, Historia Gymnasii Ticinensis, a Sæculo V. ad finem Sæculi XV. nec non de ejus Urbis antiqua Nobilitate.

Baptistæ Sacchi, Cremonensis, ex vico Platina, *vulgo appellati Platinæ*, Historia inclytæ Urbis Mantuæ & Serenissimæ familiæ Gonzagæ, in Libros sex divisa; Primum ex *Augustissima Bibliotheca Cæsarea Vindobonensi* a *Petro Lambecio, S. Cæs. Majestatis Consiliario, Historiographo & Bibliothecario*, in lucem edita, atque necessariis Annotationibus illustrata: Novissimâ hac Editione emendatior, subjunctis loco quibusque suo *Annotationibus* accommodatior facta, locupletiorque perfectô ferme *Indice*.

TOMUS QUINTUS, 4. voll. 42—4. C. M. 54—16.

Italiam Juris Veneti comprehendens.

Bernardi Justiniani, Patricii Veneti, Senatorii Equestrisque Ordinis Viri Clarissimi, de Origine Urbis Venetiarum, rebusque gestis a Venetis Libri quindecim: in quibus gravissimo stylo non solum res Venetæ, verum etiam bella Gothorum, Longobardorum & Saracenorum amplissime continentur. Adjectis tribus libris de Divi Marci Evangelistæ Vita, ejus translatione & sepulturæ loco.

Donati Jannotii, Reipublicæ Florentinæ à Secretis, Dialogus de Republica Venetorum, cum Notis *Nicolai Crassi*.

Gasparis Contareni, Patricii Veneti & S. R. E. Cardinalis, de Magistratibus & Republica Venetorum Libri V. cum Notis *Nicolai Crassi*; Accesserunt *Balthasaris Bonifacii*, de majoribus Comitiis & Judiciis capitalibus duæ Epistolæ.

Nicolai Crassi, Veneti, de Forma potentiss. ac florent Reip. Venetæ per omnem ejus Ætatem Mista Liber singularis, antehac Auctoris Notis in *Donati Jannotii* Dialogum, & *Gasparis Contareni* de Republica Venetorum Libros V. subjunctus, nunc vero ob elegantiam suam separatim impressus.

Blondus Flavius de Origine & Gestis Venetorum. ‡

Petri Bembi, Patr. Venet. Cardin. Historiæ Venetæ, libri XII. Editio Novissima, cum optimis Exemplaribus collata, accuratissimè castigata atque Indice copiosissimo adaucta.

Marci Antonii Coccii Sabellici, de Situ Urbis Venetæ, Magistratibus, & Officio Prætoris, atque Scribarum ingeniosa descriptio: ut & ejusdem Genethliacum ac Oraculum.

Splendor magnificentissimæ Urbis Venetiarum clarissimus; è figuris elegantissimis, & accurata descriptione emicans, in duas Partes distributus: Quarum Prior, Templa inclytæ Urbis magnifica, Collegia, Monumenta, Mausolea, Epitaphia, Inscriptiones, Statuas, Picturas, Sculpturas, ac reliqua ibidem memoriâ digna continet; Posterior, Regimen Serenissimæ Reipublicæ Venetæ, Magistratus, Dignitates, Ædificia publica atque privata, Pompas, Festa, Spectacula, & sumptuosissima quæque recenset. Opus collectum atque editum ex Scriptoribus optimis atque luculentis.

Antonii Stellæ, Clerici Veneti, Elogiorum Venetorum navali pugna Illustrium Liber.

Nicolai Crassi, Junioris, Philosophiæ & J. U. C. Elogia Patritiorum Venetorum Belli, Pacisque artibus Illustrium.

Barthol. Facii, Reip. Genuens. a Secretis, de Bello Veneto Clodiano Liber; ut & Aliud parvi temp. Bellum Venetum.

Antonii de Ville, Equitis Galli, Pyctomachia Veneta, seu Pugna Venetorum in Ponte annua.

Josephi Laurentii, Lucensis, Dissertatio de Desponsatione Maris Adriatici, aliisque ad eam pertinentibus, vel cum eâ convenientibus.

Joannis Valacrii, Scoti Britanni, Spectacula Veneta, Epigrammatibus aliquot celebrata.

Andreæ Mocenici, P. V. D. Belli memorabilis Cameracensis adversus Venetos Historiæ Libri Sex: quibus Epitome latior præmissa est, unde breviter omnia intelligi possunt, quæ in singulis Libris continentur.

Bernardini Arluni, Jureconsulti, Patricii Mediolanensis, de Bello Veneto, Libri Sex, ubi quæ, Seculo XVI. novo, a Germanis, Gallis, Hispanis, variisque Italiæ Principibus, adversus Venetos gesta, ad his vero infirmata sunt, usque ad Pacem inter hos omnes initam, aliaque huc pertinentia, dilucidissime & solidissime enarrantur. *Nunc primum e MS. editi.* ‡

TOMUS SEXTUS, 4. voll. 34—15. C. M. 46—

Patavium, Forumjulium & Istriam exhibens.

Rolandini, cognomento Grammatici, Patavini, Libri Chronicorum: sive Memorialis Temporum de factis in Marchia & prope ad Marchiam Tarvisinam.

Gerardi Maurisii, Civis & Judicis Vicentini, Dominorum de Romano & Marchiæ Tarvisinæ Historia, a *Felice Osio* primum publici juris facta. Cui adjuncti sunt versus *Thadæi*, Notarii Vincentini, Historiam hanc & Significationem Nominum & Cognominum *Eccelini* & *Alberici* Fratrum *de Romano* continentes, juxta prosam Auctoris, à quo & producti & allati sunt.

Monachi Paduani Chronicorum Libri tres, de rebus in Insubribus & Euganeis, hoc est, in Lombardia & vicina Marchia Tarvisina gestis, circa ea tempora, quibus *Fridericus II.* Romani Imperii clavum tenuit, usque ad annum Christi M. CC. LXX. cum adjecta Mantissa hoc titulo: *Quædam scitu digna de Civitate Paduæ.* Insuper diversorum Auctorum variantibus Lectionibus & Annotationibus donata.

Antonii Godi, Nobilis Vicentini, Chronica quæ extant, ab Anno MCXCIV. usque ad MCCLX. Quibus accessit, Supplementum ex *Caroli Sigonii* Libro XIX. de Regno Italiæ: *Nicolai Smeregi, Notarii Vicentini, de Burgo Bericæ*, Chronicon: *Scriptoris Anonymi* Supplementum Annalium Smeregi: *Ricciardi, S. Bonifacii Comitis*, Vita: *Laurentii de Monacis, Veneti Senatus a Secretis, ac Cretensis Regni Magni Cancellarii*, Ezerinus tertius. Omnes hi tractatus ex *Felicis Osii, Artis Oratoriæ Interpretis in Gymnasio Patavino*, recensione luce publica primum sunt donati.

Albertini Mussati, Historiographi Paduani, de Gestis Henrici VII. Imperatoris Romani, vel Historiæ Augustæ, Libri XVI. Ejusdem de Gestis Italicorum post Henricum VII. Libri XII. Item, Ejusdem Ludovicus Bavarus ad filium. *Laurentii Pignorii* Viri Clarissimi, *Felicis Osii*, & *Nicolai Villani* Castigationibus, Collationibus & Notis sunt illustrata.

Albertini Mussati, Historiographi Paduani, Tragœdiæ duæ, Eccerinis, & Achilleis, cum notis *Nicolai Villani, Pistoriensis*; ut & alia Auctoris Poëmata, Epistolæ nimirum, Elegi, Soliloquia, Eclogæ, & Fragmenta; ac Lectiones variantes, Collationes, & Notæ marginales.

Cortusii, Patavini duo, sive *Gulielmi & Albrigeti Cortusiorum* Historia (omnibus auctior) de Novitatibus Paduæ, & Lombardiæ, ab Anno MCCLVI. usque ad MCCCLXIV. solerti *Felicis Osii* calamo serio castigata beneficio MSS. Exemplarium IV. quorum Primum subministravit Illustrissimus Serenissimæ Reipublicæ Venetæ Senator, & obliteratæ Veterum Scriptorum memoriæ restitutor *Dominicus Molinus*; Secundum, exaratum Viri docti *Francisci Mussati* manu, Con-

*** *** *** ** san-

sanguineus ejus, & *J.V.C. Marcus Antonius Mussatus*; Tertium, *Bartholomæus Petardus*, *Veronensis* I.C.&c. Postremum, *Jacobus Philippus Tomasinus*, *Canonicus Secularis S. Georgii ab Alga Venetiarum*, & *S. Mariæ ab Avantio Patavii Prior*: Unde Variantes aliquot Lectiones duorum præcipue Codicum, *Mussati* scilicet, & *Petardi* fuère deprompta.

Supplementum ad *Cortusiorum* Historiam, ex MS. Codice *Comitis Pii de Comitibus, Patricii Veneti*. Nunc primum editum.‡

Petri Pauli Vergerii, *Justinopolitani*, *Juris Consulti*, *Philosophi*, & *Oratoris Celeberrimi*, de Carrariensium Familia, & de Illustrium ejus Principum rebus magnifice gestis Historia, ex optimis MSS. Codicibus desumpta, emendata, atque ad sui puritatem & integritatem redacta.

Bernardini Scardeonii, *Canonici Patavini*, Historiæ de Urbis Patavii Antiquitate, & claris Civibus Patavinis, Libri tres, in XV. Classes distincti. Ejusdemque Appendix de Sepulchris Insignibus exterorum Patavii jacentium.

Hippolythi Angelerii, *Civis Atestini*, de Antiquitate Urbis Atestinæ Liber, ubi ejus Origo, Situs, Magnitudo, Dignitas, ac Viri Clarissimi, qui ex hoc nobilissimo loco extitere, & patriam non mediocriter illustrarunt, aliaque ad eam pertinentia, ex vetustis marmoribus & numismatibus, nec non ex antiquis, & probatis Auctoribus collecta exhibentur; cum Animadversionibus ex Emendationibus *F. Alexandri Burgos*, Messanensis, in Academia Patavina Philosophiæ & Historiæ Ecclesiasticæ Professoris. *Nunc primum ex MSS. editus.*

Laurentii Pignorii, *Patavini*, *Canonici Tarvisini*, Origines Patavinæ; & Antenor, una cum ejusdem *Pignorii* Animadversionibus. Latine vertit, suisque Notis auxit *Sigebertus Havercampus.*

Laurentii Pignorii Epistola super antiquissimam Picturam, quæ Romæ visitur, de Ritu Nuptiarum.‡

Laurentii Pignorii Vita, Bibliotheca & Museum, Auctore *Jacobo Philippo Tomasino*. ‡

Octavii Ferrarii, Oratio de Laudibus Urbis Patavii. ‡

Antonii Riccoboni, *Rhodigini*, *Publ. Orat. Profess. Patavini*, de Gymnasio Patavino Commentariorum Libri VI. quibus antiquissima ejus origo & multa præclara ad Patavium pertinentia: Doctoresque clariores usque ad annum 1571. ac deinceps omnes, quotquot in eo floruerunt, eorumque controversiæ: atque alia memoratu dignissima recensentur: opus ut non amplius pertractatum: sic studiosis antiquitatis valde expetendum.

Henrici Palladii de Olivis, *Patricii Utinensis*, *Medici & Philosophi Celeberrimi*, *Varii Academici Suentati*, Rerum Foro-Juliensium ab orbe condito usque ad annum Redemptoris Domini Nostri CCCCLII. Libri undecim; nec non de Oppugnatione Gradiscana Libri quinque.

Joannis Baptistæ Goynæi, *Pyrrhanensis*, de Situ Istriæ libellus, ubi ejus Regionis simul Nomen, Termini, Civitates, Ingenia, Eruditi, & Soli natura, elegantissimè & solidissime pertractantur, *Cum Præfatione & Emendationibus* Justi Fontanini, *a Cubiculo honorario Summi Pontificis Clementis XI.* ‡

Joannis Pierii Valeriani, *Bellunensis*, Antiquitatum Bellunensium Sermones quatuor; quorum ultimus, Flaviorum Nobilitatem, ex antiquis in Agro Bellunensium memoriis exponit. Olim primum è Biblioth. *Lolliniana* in lucem editi.

Joannis Candidi, *Juris Consulti*, Commentariorum Aquilejensium, Libri octo, quibus tum Descriptio hujus felicissimæ Regionis, tum Historia rerum Ecclesiasticarum Secularium que in ea gestarum copiosissime sunt absolutæ.

Paulus Pincius, de Timavo flumine. ‡

Jovita Rapitius, de Balneis, quæ ad Timavi Ostia sunt.‡

Marci Antonii Sabellici, de Vetustate Aquilejæ & Fori Julii Libri Sex; *ut & ejusdem* Carmen, Vicentinus Crater, in quo continetur brevis Urbis Agrique Vicentini Descriptio.

Antonii de Ville, *Equitis Galli*, Portus & Urbis Polæ Antiquitatum, ut & Thynnorum Piscationis descriptio curiosa.

TOMUS SEPTIMUS, 2. voll. 19—3. C. M. 26—4.

Bononiam & Civitates Status Ecclesiastici, & ad Mare Adriaticum, complectens.

Descriptio inclytæ & felicissimæ Civitatis *Bononiæ* antiquæ & hodiernæ, ubi ipsius Origo, Conditores, variæ rerum & regiminis mutationes, Magistratus, Privilegia, Regiones, Templa, Ædificia magnifica, Studia & Academia, Viri illustres ac eruditi, pluraque alia, ut & varia rerum notabiliorum Monumenta, ex gravissimis & probatissimis Auctoribus collecta, exhibentur, cum Indice Rerum & Verborum per *Georgium Quapnerum.*

Joannis Francisci Angelitæ, Origines Urbis Recineti, Historia ejus & Descriptio.

Pompeji Angelotti, Descriptio & Antiquitates Urbis Reate.

Joannis Baptistae Gyraldi, de Ferraria, & Atestinis Principibus Commentarius.

Dominicus Angelus, *Castrensis*, de Deprædatione Castrensium, & suæ Patriæ Historia.‡

Desiderius Spretus, de origine amplitudine, vastatione & instauratione Urbis Ravennæ.

Laur. Schraderi, Descriptio & Inscriptiones urbis Ravennæ. ‡

Hieronymi Rubei, *Medici Ravennatis*, Italicarum & Ravennatum Historiarum Libri XII. In quibus variæ Italiæ perturbationes, & rerum Commutationes uberrime ac fidelissime explicantur, atque multiplici Antiquitatis Historia, Gothorum, Longobardorum, & Italicorum ab anno post diluvium CXLI. usque ad Annum Christi MDLXXXVIII. amplissime locupletantur. *Ut &* Concilia Provincialia Ravennatum Antiqua quatuor, *Aliaque* ad res ejusdem Civitatis pertinentia habentur.

Petri Mariæ Kavinæ, *Academici Philoponi*, Faventia rediviva; seu Descriptio Historico-Geographica Regionis ac Civitatis Faventiæ antiquissimæ.

Scipionis Claramontii, Historiarum Libri XVI. ab origines Urbis Cæsenæ usque ad annum MDCXLI.

Jacobi Villanii, *I. P. D.* Ariminensis Rubicon in Cæsenam *Scipionis Claramontii*. Ubi Auctor per Prosopopœiam Rubicon. Fluv. introducit asserentem, se esse Ariminii, non Cæsenæ.

Vincentii, *Civis Cæsenatis*, de Rubicone antiquo, adversus Ariminenses Scriptores Dissertatio: Continens Responsionem *Vincentii*, Notas ex monitu Illustrissimi & Reverendissimi *Marci Aurelii Maraldi*, alias Roma missas ex Ambulatione Gregoriana restituta à Sanctissimo Pontifice Summo *Urbano VIII.* ut & quasdam additiones.

Jacobi Villanii, *J. P. D.* de Rubicone antiquo Ariminensi in Pisciatellum Cæsenæ, Responsa, ad quinque argumenta à Viro integræ solidæque doctrinæ *Luca Holstenio* proposita: & a *Terentiano Ubicola*, in publicam lucem data.

Gabrielis Naudæi, *Parisiaci*, Exercitatio: in qua Argumento valde probabili asserit, quod Nomen Senæ non Cæsenæ, sed Senogalliæ conveniat.

Josephi Malatestæ Garuffii Lucernæ Lapidariæ Ariminensis.‡

Philippi Antonini, Antiquitates Urbis Sarsinæ. ‡

TOMUS OCTAVUS, 2. voll. 18—16. C. M. 24—5.

Etruriam continens.

Guilielmi Postelli, *Linguarum Orientalium Professoris Regii Parisiensis*, de Etruriæ Regionis Originibus, Institutis, Religione, ac Moribus Commentatio.

Francisci Dyzi, *Advocati Senensis*, Antiquitates Etruriæ, de Situ Clanarum &c.‡

Bartholomæi Scalæ, *Equitis Florentini*, Historiæ Florentinorum, Libri quinque; *nec non Ejusdem* Vita Vitaliani Borrhomæi: quæ primum e Cod. Bibliothecæ *Mediceæ* edita fuerunt. Novissima vero Editione correcta.

Francisci Contareni, *Patricii Veneti*, *Legati ad Pium II. P. M.* Historia Hetruriæ, sive, Commentariorum de Rebus in Hetruria a Senensibus gestis cum adversus Florentinos, tum adversus Ildibrandinum Ursinum, Petilianensium Comitem, Libri tres, a *Joanne Michaële Bruto*, antehac primum editi. Subjecta sunt Additamenta & Testimonia, tum ex Cardinalis *Jacobi Picclhominæi* Epistolis, tum ex *Platina* de Vitis Pontificum Romanorum: ex quibus multa ad hanc Historiam pertinentia intelliguntur.

Poggii Bracciolini, *Florentini*, Historiæ Florentinæ, libri octo: primum à *Joanne Baptista Recanato, Patricio Veneto, Academico Florentino*, in lucem editi, Notisque, figuris, & Auctoris Vita illustrati.

Joannis Michaëlis Bruti, Historiæ Florentinæ Libri octo.

Istoria Fiorentina, di Benedetto Varchi, *Istorico Fiorentino.*

Andreæ Mugnotii, *Conchensis*, *Hispani*, Eremi Camaldulensis descriptio, duobus Libris absoluta. (quitate.

Cæsar Orlandius, de Urbis Senæ ejusque Episcopatus Anti-

Antonii Massæ, *Gallesii*, *Jurisconsulti*, de Origine & rebus Faliscorum Liber.

Petri Cursii, *Civis Romani*, Civitat. Castellan. Faliscor. non Vejent. oppidum esse, Poëma, cum *Julii Roscii Hortini* Additamentis.

Dominici Mazzocchi, Veji antiqui.

Famiani Nardini, Veji antiqui.

Peruzzi, Epistola Apologetica de Vejis antiquis.

TOMUS NONUS, 5. voll. 48—4. C. M. 66—3.

Campaniam, Neapolim, & Magnam Græciam comprehendens.

Camilli Peregrinii, *Alexandri Filii*, *Campani*, Historia Principum Langobardorum; quæ partim aliquot Opuscula antiqua de rebus Longobardorum Beneventanæ olim Provinciæ, quæ modo Regnum ferè est Neapolitanum, continet: partim generis ejusdem alia nunc primum adjuncta; una cum Notis, Castigationibus, & Variis Lectionibus *Camilli Peregrinii*, & *Antonii Caraccioli*. Huic Operi inserti sunt sequentes quinque Auctores.

Antiqui Chronologi quatuor: *Herempertus*, *Anonymus*, *Falco* & *Lupus Protospata*, cum variis Lectionibus, Notis & Castigationibus *A. Caraccioli*, & *Camilli Peregrinii.*

Descriptio *Montis Cassini.*

Petri Diaconi, *Monachi*, *ac Bibliothecarii Sacri Cassinensis Archisteri*, de Viris Illustribus Cassinensibus opusculum: ex celeberrima Bibliotheca *Barbarina* olim depromptum, notisque illustratum, studio & opera *Joannis Baptistæ Mari*, *Romani*, *S. Angeli in foro Piscium Canonici.*

Supplementum Virorum Illustrium Monasterii Casinensis, conflatum per Domnum *Placidum Romanum*, *Monachum & Diaconum Casinensem.*‡

Flavii Alexii Ugonii, *Nobilissimi Brixiani*, de dignitate, atque præstantia Reipublicæ Cassinensis: Ad Cardinalem *Polum*, Præsulum Amplissimum.

Camilli Peregrinii, *Alexandri Filii*, Dissertationes de veteri significatu vocis Portæ, & de origine antiquæ Familiæ *di Colimenta*. Nunc primum ex Italico Latine vertit *Sigebertus Havercampus.*

Camilli Peregrinii, *Alexandri Filii*, *Campani*, Dissertationes de Campania felice. Quibus continetur exacta singulorum priscæ Campaniæ Locorum ac Populorum descriptio, ac suc-

succincta historia, a primis, quibus cœpere, temporibus ad suam usque ætatem. Opus varia eruditione refertum, in quo plurima veterum Scriptorum loca explicantur, illustrantur, & emendantur. Nunc primum ex Italico in Latinum sermonem transtulit, & Animadversion. adjecit *Alexander Dukerus*. In majorem, præter omnes emendationes accessionesque, illustrationem Geographicæ Tabulæ additæ sunt, atque Figuræ æneæ, nec non Auctoris Vita & Effigies, aliaque multa.

Antonius Sanfelicius, Neapolitanus, de Situ ac Origine Campaniæ, comprehendens hujus felicissimæ Regionis perfectissimam descriptionem, nec non accuratissimam Chorographiam Oppidorum, Fluminum, Montium, Vallium, Lacuum, Camporum, cæterorumque notabilium.

Julii Cæsaris Capacii, Neapoleos Urbis a Secretis & Civis, Antiquitates & Historiae Campaniae felicis; in quibus explicantur Regionis felicissimae Loca, Urbs quaeque conjuncta Monumentis, Viri Illustres; aliaque insignia: Novissima Editione accuratius editae, integritati restitutae, & Nummis passim figurisque adornatae.

Henrici Bacci & Cæsaris de Engenio, brevis descriptio Regni Neapolitani.‡

Bened. Falconis, Neapolitani, Descriptio locorum antiquorum, quae visuntur Neapoli & in amœnissim. istius Regione.‡

Marci Antonii Surgentis, U. J. D. ac Patricii & Equitis Neapolitani, Neapolis Illustrata, Praefecti Praetorio, reliquorumque antiquorum Magistratuum cum Vicerege, aliisque Magistratibus praesentis temporis comparationem, eorumque Potestatem, Ordinem & inter se Praecellentiam continens, Omnium praeterea Tribunalium Regni *Neapolis* in Jure dicundo ritum complectens, tota ad optimum administrandae Justitiae cultum, Urbisque, & Regni Regimen atque ad omnes quaestiones in ejus supremis Auditoriis agitari solitas, earumque decisiones pernecessaria; cum Annotationibus *Mutii Surgentis, Auctoris fratris, U. J. D. & Præsidentis Regiæ Cameræ Summariæ*.

Julii Cæsaris Capacii, Urbis Neapoleos a Secretis & Civis, Antiquitates & Historiae Neapolitanae; in quibus Antiquitas Ædificii, Civium, Reipublicae, Ducum, Religionis, Bellorum, Lapidum, adjacentiumque Locorum continetur: Novissima Editione a mendis corruptelisque, quibus scatebant plurimis, repurgatae, locisque compluribus restitutæ: & *Nummis Figuris*que accuratissimè ornatae. Cui *Vita Auctoris Effigies*que additae sunt.

Bartholomæi Facii, Reipublicæ Genuensis a Secretis, de Rebus gestis ab Alphonso primo, Neapolitanorum Rege, Commentariorum Libri X. summo antehac Studio, vetustissimis collatis exemplaribus, emendati, ac in lucem editi a *Joanne Michaële Bruto*.

Henrici Brencmanni, J.C. & Academici Florentini, Gemina Dissertatio: altera de Republica Amalphitana: altera de Amalphi a Pisanis direpta. Utraque nunc primum in lucem mittitur. Adjecta in calce Tabula Chronologica, cum duplici Indice.

Ferrandi Lofredi, Marchionis Trevicensis & Majestatis Suæ Consiliario Bellico, Antiquitas Puteolorum & Locorum vicinorum.‡

Antonii Mazzæ Historia de rebus Salernitanis.

Scipionis Mazzellæ, Neapolitani, Urbium Puteolorum & Cumarum Descriptio. Cum additamento Epitaphiorum & Inscriptionum, Puteolis, Cumis, in Bajis & Miseno, finitimisque locis inventarum.

Anton. Ferri, ex urbe Bitetto, Conspectus Statuarum nuperrimè inventarum in Ruinis Urbis Cumæ; accedunt *ejusdem Auctoris* interpretationes & Discursus una cum Descriptione ipsius Templi, in quo Statuæ hæ collocatæ fuerunt.‡

Joannis Francisci Lombardi, Neapolitani, eorum, quae de Balneis, aliisque Miraculis *Puteolanis* scripta sunt, Synopsis: Adjectis Balneis *Ænariarum*, nec non locis obscurioribus Scholiis. Insuper addita sunt in calce tria Opuscula Medica: *cl. Galeni* libellus, Quos, quibus & quando purgare oporteat. *Hippocratis Coi* Jusjurandum. *Scholæ Salernitanæ* Versus. Eodem Auctore.

Julii Cæsaris Capacii, Neapoleos Urbis a Secretis & Civis, de Balneis Liber, ubi Aquarum, quae *Neapoli, Puteolis, Bajis, Pithecusis* extant virtutes; Thermarum, & Balnearum apud antiquos structuræ, usus & ministeria, ad ægrorum commoda, explicantur.

Ambrosii Leonis, Nolani, Antiquitatum nec non Historiarum Urbis ac Agri Nolae, *ut &* de Montibus Vesuvio & Abella description. Libri tres.

Mutii Phoebonii, Marsi, I. U. D. Protonotarii Apostolici, Ecclesiæ Transaquensis Abbatis, & Marsorum Vicarii Generalis, Historiae Marsorum, Libri tres: *una cum* eorundem Episcoporum Catalogo. *Nec non* Illustrissimi ac Reverendissimi Domini, *D. Didaci Petra, Marsorum Episcopi*, Illustrationibus atque Auctariis.

Lucii Camarræ, Marrucini Teatini, Juris Consulti & Viri Patricii, de Teate antiquo, Marrucinorum, in Italia Metropoli, Libri tres.

D. Pauli Antonii de Tarsia, Doctoris Theologi, Abbatis Sancti Antonii Cupersanensis, & Academici Ociosi Neapolitani, Historiarum Cupersanensium Libri III.

Antonii Galatei, Liciensis, Philosophi & Medici Doctissimi ac Celeberrimi, de Situ Japygiae Liber. *Nec non* Urbis Callipolis descriptio; *ut &* de Villa Laurentii Vallae.

Joannis Juvenis, Tarentini, Celeberrimi suæ Patriæ Historici, de Antiquitate & varia fortuna Tarentinorum Libri octo. Cum triplici Indice, Capit. Scriptor. & rer. memor.

AES Redivivum: sive Tabula Ærea, Maxima, Consularis, Duum-Viralis, Decurialis, Fastorum Consularium, Romanarumque Familiarum in pluribus instaurativa, *Canusii*, in agro *Apulorum* olim incisa & erecta, exinde Barbarorum depopulatione recondita, recens e terrae visceribus eruta: Illustrata per *Abbatem Damadenum*. Nunc primum editum.

Gabrielis Barrii, Francicani, Presbyteri Secularis, de Calabriae Antiquitate & Situ Libri quinque, in quibus Urbes, Castella, Vici, Pagi, Montes, Sylvae, Flumina, Promontoria, Sinus aliaque loca, nec non Sanctorum Reliquiae; ut & caetera notabilia perspicue descripta.

SICILIA, SARDINIA, CORSICA, &c. 13. voll. 150—C. M. 194—10.

Philippi Cluverii, Gedanensis, Sicilia antiqua; cum minoribus Insulis ei adjacentibus. Opus post omnium curas elaboratissimum; tabulis Geographicis, ære expressis, illustratum ‡ *cl. Marii Aretii, Patr. Syrac. Cæs. Majest. Historiographi*, de Situ Siciliae Libellus, vel Chorographia sive Descriptio ejusdem Insulæ accuratissima. Cui adjuncta *Dominici Marii Nigri* Siciliae descriptio Quibus libellis Index copios. accurat. est accommodatus.

Antonini Mongitoris, S. Th. D. Presbyteri Panormitani, Regni Siciliae delineatio, Sicanae Historiae prospectum, nec non de Nomine utriusque Siciliae; item de Literarum in Sicilia Cultu, ut & de Siculorum Ingenio; tandemque de Olympiadum Computo succinctas Disquisit. complectens.

Placidi Carrafæ, J. U. D. Sanctiss. Tribunal. Sacr. Inquisitionis Patritii Motucensis in Patria Proreceptoris, Sicaniae Descriptio, & Delineatio; in qua ulterioris Regni Siciliae Urbes, Oppida, Littora, illius Domini ac Reges, Templa, Sanctorum Corpora, Archiepiscopatus, Episcopatus, Archimandritatus, Abbatiae, Praepositurae, Prioratus, aliaque memorabilia breviter describuntur ac delineantur.

Michaëlis Ritii, Neapolitani Juris Consulti, de Regibus Siciliae, eorumque Origine & Successione, Libri IV.

Felini Sandei, Ferrariensis Jurisconsulti, de Regibus Siciliae, & Apuliae, Liber: summatim in unum reducens, quaecunque ab aliis incidenter & sparsim de istis Regnis sunt scripta. *Ex Biblioth. Marq. Freheri, cum Præf. ejusdem & Notis.*

Rocchi Pirri, Abbatis Netini, Historiographi Regii, S. T. & U. J. D. in Sancto Quæsitorum fidei Tribunali Censoris, atque Consultoris, Chronologia Regum, penes quos Siciliae fuit Imperium post exactos Saracenos. Ubi etiam Familiae magna ex parte explicantur, eorumdem Vices-Gerentes, & praecipui quique Consiliarii recensentur.

Philippi Parutæ, Nobilis Panormitani, Juris utriusque Doctoris, & *Leonardi Augustini, Senensis*, Sicilia Numismatica. Nunc primum additis *Huberti Goltzii, Vincentii Mirabellæ, Petri Carreræ, Augustini Inveges*, aliorumque Siciliæ Descriptione, & in Numismata singula explicationibus, ingenti numero Tabularum, edita sparsim apud alios & inedita Numismata complectentium, locupletata, & perpetuo Commentario illustrata, studio & industria *Sigeberti Havercampi*. Accedunt insuper, suis locis dispositæ, integræ *Georgii Gualtheri* Siciliæ & adjacentium Insularum & Bruttiorum Tabulæ Antiquæ, una cum ejusdem *Georgii Gualtheri* Animadversionibus. Editio plane nova, prioribus immensum præstans, & Tabularum numero, & Sculpturæ artificio, & dispositionis ratione, nitidior ac emendatior. Adduntur in fine Chronologia & Indices necessarii.

Chronicon Siciliæ, complectens accuratam Regni Siciliæ Historiam, ab acquisitione ipsius Insulae per *Græcos*, usque ad obitum *Guillelmi* Ducis, *Friderici II.* Regis *Siciliæ* filii, qui circa annum MCCCXL. contigit, antehac Ab Auctore *Anonymo* conscriptum, Editum *ex MS. Illustrissimi Joachimi de Colbert, Episcopi Montis-Pessulani.*

Sabas Malaspina, Decani Militensis, & Scriptoris Pontific. Rerum Sicularum Libri sex, ab Anno Christi MCCL. usque ad annum MCCLXXVI. Olim e Schedis *Andreæ Duchesnii* per *Stephanum Baluzium* editi; Novissima vero Editione correcti, atque Indice suo ornati.

Nicolai Specialis, Netini, Legati Friderici II. Regis Siciliæ ad Benedictum XII. P. M. Rerum Sicularum Libri octo, qui Historiam Bellorum inter Reges Siciliae & Aragoniae gestorum ab anno Christi MCCLXXXII. usque ad annum MCCCXXXVII. continent: Primùm e Veteri Codice MS. Bibliothecae *Regis Galliarum* editi.

Francisci Maurolyci, Nobilis Messanensis, Abbatis S. Mariæ de Partu, Historici ac Mathematici Celeberrimi, Sicanicarum Rerum Compendium, sive Sicanicæ Historiæ Libri Sex. Accesserunt, vel reposita sunt, loca quædam insignia consilio omissa, a *Stephano Baluzio*, ex Autographo Auctoris, quod extat in Bibliotheca *Colbertina*, collecta; ut & alia, quae in Editione priore exciderant.

Thomæ Fazelli, Siculi, Sacr. Th. & Artium Prof. Ord. Prædicat. de Rebus Siculis, Decades duae: quarum Prior, accuratissimam Descriptionem, Posterior verò Historiam Siciliae Universam Fidelissimamque continet.

Gaufredi Malaterræ, Beati Benedicti Monachi, de rebus gestis Roberti Guiscardi, Ducis Calabriae, & Rogerii, Comitis Siciliae, Libri quatuor: Quibus, Rogerii hortatu, Acquisitionem Regni Siciliae, Calabriae, Apuliae, & Bruttiarum describit.

Alexandri, Cœnobii S. Salvatoris Vallis Celesinæ Abbatis, Rogerii, Siciliae Regis, Rerum Gestarum Libri quatuor: Quibus adhortatione Mathildis, ejusdem Rogerii Sororis, Siciliae

ciliae regnum in Campania, Calabris, Bruttiis, & Apulia usque ad Ecclesiasticae ditionis fines constituit.

Historia brevis Liberationis Messinae a Saracenorum dominatu, per Comitem Rogerium Principem Normannum, factae, a Messanensibus vocatum.

Ptolomæi, Lucensis, Roberti Guiscardi, & eorum Principum, qui Siciliae regnum adepti sunt Genealogia: Qua Dyrrachinae domus Principum propagines certa & constanti complexione appinguntur.

Hugonis Falcandi, Siculi, de rebus gestis in Siciliae Regno Historia: cum *Gervasii Tornacæi Suessionensis* Dedicatione, cui insertum Procemium: *Item* ejusdem *Tornacæi*, Historiae Encomion.

Descriptio Victoriae per *Carolum* Regem Siciliae, Ducem Apuliae, Principem Capuae, Senatorem Urbis Almae, Comitem Andegaviae, Provinciae, & Forcalquerii, Fratrem *Ludovici IX.* Francorum Regis, contra *Manfredum*, Siciliae Regem, Anno MCCLXV. obtentae. *Ex Codice M S. Bibliothecæ Regiæ.*

Gesta *Petri*, Arragonum, Siciliae, & Valentiae Regis, ac Barcinonae Comitis. *Ex veteri Codice MS. Monasterii Rivipullensis.* Adjectis nonnullis *Pontificum Romanorum* literis ad has historias facientibus.

Cæsaris Baronii, Cardinalis, tractatus de Monarchia Siciliae. Accessit, *Ascanii Columnæ Cardinalis* de eodem Tractatu Judicium. Cum ejusdem *Cardinalis Baronii* Responsione Apologetica adversus *Cardinalem Columnam. Nec non* Epistola ad *Philippum III.* Regem Hispaniae.

Conradi Vecerii, Lucenb. Maximil. Imp. a Secretis, Historia de duabus Seditionibus Siciliae, sub imperio Caroli V. Imperatoris & Regis Hispaniae, anno salutis MDXVII.

* *Rocchi Pirri, Abbatis Netini, Historiographi Regii, &c.* Sicilia Sacra, disquisitionibus, & notitiis Illustrata. Ubi libris quatuor postquam de illius Patriarcha, & Metropolita disquisitum est, à Christianae Religionis exordio ad nostra usque tempora cujusque Praesulatus, Majorumque Beneficiorum institutio, Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, Priores, singulorum jura, privilegia, praeclara monumenta, Civitates Diœcesem cum præcipuis earum templis, religiosisque familiis, atque Viri Siculi vel Sanctitate, vel Doctrina illustres continentur & explicantur. Opus ex incorruptis publicarum Tabularum, Scriptorumque monumentis diligentissimè comparatum.

Alberti Piccoli, J. C. Ex Congregatione Oratorii Messanensis, de antiquo jure Ecclesiæ Siculæ Dissertatio, duabus partibus comprehensa.

Antonii Philothei de Homodeis, Siculi, Ætnae Topographia, atque ejus Incendiorum historia.

Petri Carreræ, Sacerdotis Panormitani, Descriptio Ætnæ, Libris tribus, in quibus praeter varias res memorabiles, Incendiorum continetur Historia, inque eorum causas inquiritur.

Alexandri Burgos, Messanensis, Philosophiæ, Histor. Ecclesiast. &c. Professoris Patavini, Descriptio Terrae Motus Siculi Anno MDCXCIII.

* *Petri Carreræ, Sacerdotis Panormitani*, Catana Illustrata seu urbis ejus memoria historica.

Joannis Baptistæ Guarnerii, Catanensis, Historicae Dissertationes Catanenses, de Origine Catanae, S. Agathae Patriae; de ejusdem Virginis Martyrio, de Translatione ejusdem, de Triumpho ejusdem, & Festo Patriae Liberationis.

D. Joannis Baptistæ de Grossis, S. Th. & J. U. D. Protonotarii Apostolici, ac Regiæ & Insignis Collegiatæ Catanensis Ecclesiæ Canonici, Catanense Decachordum, sive Novissima Sacrae Ecclesiae Catanenensis Notitia. Qua tum Ecclesiasticae, tum Secularis Politiae Status universus, Scriptorum calamis vel intactus vel intectus intente signatur, intentius propugnatur.

Augustini Inveges, Saccensis Sacerdotis, Carthag. Siciliens. antiquae Descriptio.

Josephi Bonfilii & Constantii, Equitis Messanensis, Descript. Urbis Messanensis Libri octo.

* *Placidi Reinae, Messanensis, Philosophiae Naturalis Professoris*, Notitia Historica Urbis Messanensis.

Antiquitates Caltageronis, Urbis pulcherrimae Siciliae, *Auctore P. Mariæ Pace.* Ex Italico Latinè vertit, recensuit, Notulas ac Indices adjecit *Sigebertus Havercampus.*

Placidi Carrafæ J. U. D. Patricii Motucensis, in Patria Sanctissimi Tribunalis Sacrosanctæ Inquisitionis Proreceptoris, Motucæ descriptio, seu delineatio: In qua Motucae populosae & opulentae Urbis, & ipsius amplissimi ac celeberrimi Comitatus initium, Loca, Districtus, Fontes, Putei, Ecclesiae, Collegia, Dignitates, Conventus, Cœnobia, Hospitia, Monasteria, Proceres, Milites, Regimen, Tribunalia, Familiae, atque insignium Virorum pietas, doctrina, nobilitas & gesta breviter describuntur ac delineantur.

* *Mariani Valguarneræ, Panormitani, Abbatis S. Anastasiæ, Philippi IV. Reg. Capellani, &c.* Antiquitates Urbis Panormitanae.

* *Augustini Inveges, Saccensis Sacerdotis*, Panormi antiq. descr.

D. Francisci Baronii ac Manfredis, Monteregalensis Sacerdotis & Historici Celeberrimi, de Panormitana Majestate Libri IV. ubi felicissimae hujus Urbis Antiquitas, Gloria, Primatus ac Metropolica dignitas evidentissime asseruntur & confirmantur.

Ichnographiae Syracusarum Antiquarum Explicatio, ut & Numismatum aliquot Selectiorum Reipublicae ejusdem liberae, & Regum qui in illa dominati sunt. Auctore *Vincentio Mirabella & Alagona, Patricio Syracusano.* Ex Italo Sermone Latine vertit & Notis illustravit *Sig. Havercampus.*

Jacobi Bonanni, Syracusani, Ducis Montisalbani, Antiqua Syracusa illustrata. *Sigebertus Havercampus* ex Italico Latine vertit, Notas, Figuras & Indices adjecit.

Antonini de Amico, Messanensis, Regni Siciliæ Regii Historiographi, & Metropolitanæ Panormitanæ Ecclesiæ Canonici, de Urbis Syracusarum antiquo Archiepiscopatu, ac de ejusdem in Universa Sicilia Metropolitico Jure, Historica & Chronologica Dissertatio.

Antiquitas Scicli, quam antiquitus vocarunt Casmenas, secundam Syracusanorum Coloniam, descripta a fratre *Mariano Perello, Siclensi Sacerdot. Ordinis S. Relig. Hierosolymitanae.*

P. Joannis Pauli Chiarandæ, Platiensis, e Societate Jesu, Plutia, sive Platia, Civitas Siciliæ, antiqua, nova, sacra & nobilis. Recensuit, ex Italico sermone Latine vertit, Præfatione, Notisque instruxit *Joannes Laurentius Mosheim.* Praemissa est *L'Academia Piazzese*, Carmina & Literas continens, ex quibus patet, quanti Viri hujus operis editionem ab Auctore efflagitaverint.

Josephi Vincentii Auriæ, Juris Utriusque Doctoris Panormitani, Notitia Historica Originis ac Antiquitatis Cephaledis, Urbis placentissimae Siciliae. Ex Italico Latinè vertit, recensuit, Notulas adjecit, atque aliquot Nummis auxit *Sigebertus Havercampus.*

Elogia Siculorum, qui veteri memoria Literis floruerunt Auctore *Hieronymo Ragusa Siculo Motucensi, Societatis Jesu.*

Benedicti Cochorellæ, Vercellensis, Canonici Regularis Salvatoris Lateranensis, Tremitanae olim Diomedeae Insulae accuratissima Descriptio.

Salvatoris Vitalis, Marensis, Regularis Observantiæ Franciscani, Annales Sardiniae, duobus Tomis absoluti.

Joannis Francisci Faræ, Sassarensis, J. U. D. *Eximii, Archipresbyteri Turritani*, de rebus Sardois Historia.

Philippi Cluverii, Sardinia & Corsica antiqua. Opus post omnium curas elaboratissimum; tabulis Geographicis aere expressis, illustratum. ‡

* *Joannis Francisci Abelæ, Melitensis, Vice-Cancellar. Ord. Sacr. Relig. Hierosolymitani*, Melita illustrata, sive Insulæ Melitensis Descriptio, Antiquitates, &c.

Cum speciali Privilegio Præpotentissimorum D. D. Ordinum Hollandiæ & West-Frisiæ.
Ea, quæ, Privilegio jam obtento, demum supervenerunt, in Catalogo notata sunt hoc signo ‡.

PETRUS VANDER Aa
LECTORIBUS SALUTEM.

Nunc tandem voti mei mihi videor compos, & quanto in Orbem Literarium ferar inserviendi studio planum posse facere argumento haud vulgari. Absolutus enim & impressus fere integer, ad quem exhibendum per annorum plurium decursus, labore indefesso, & sumptibus plane nullis parcendo, elegantissima gravissimorum Auctorum mihi comparavi scripta & monumenta, *Thesaurus Antiquitatum & Historiarum Italiæ, Neapolis, Siciliæ, Sardiniæ, Corsicæ, adjacentiumque Insularum & Regionum.* Qui quæ contineat, Catalogus proxime præcedens docebit, omnes, qui hic habentur, Auctores, Operis integri Divisionem, Ordinem ac Seriem, Tomos, Volumina, & pretium indicans. Auctorum, qui ad constituendum insigne hoc Opus requirebantur, plurimos selegit primus, & in ordinem digessit, Gravissimus Antiquitatis Investigator, *Joannes Georgius Graevius*, in Academia Ultrajectina Politices, Historiarum, & Eloquentiæ, dum viveret, Professor. Inde jam anno 1704, apud

apud me prodierunt *tres* hujus Thesauri *Tomi* priores, *in Folio*, quibus, cum interea obierat modo laudatus *Graevius*, Præfationem præmisit, Clarissimus ac summa doctrina Præstans Vir, *Jacobus Perizonius*, Historiarum, Eloquentiæ, & Græcæ Linguæ in Academia Lugduno-Batava, dum viveret, Professor.

Probatos vidi Orbi Erudito hos conatus, & *tres* illos *Tomos* distractos adeo, ut exemplarium adhuc supersint admodum pauca. Id non poterat non addere animum, ut in Opere ad finem perducendo omnem moverem lapidem, non dubitans, Continuationem suos quoque Emptores nacturam esse pariter. Quare pro sublevandis impressionis sumptibus, ea nec suscepta nec continuata est subscriptionis lege, neque injuncta conatuum meorum Fautoribus erogandæ pecuniæ necessitas, antequam ex prælo, quæ desiderabantur, prodierant: sufficiente eorum, qui priores Tomos accipiunt, sponsione, sequentes sibi se comparaturos pariter. Integrum igitur & sane ingens hoc opus meis sumptibus susceptum, continuatum, & eo perductum, ut Tomus IV. & V. nunc prodeant, quos reliqui excipient propediem, ita ut quatuor diversis vicibus integra hæc Operis Continuatio sit proditura: cum & reliqua XXVI. Volumina editioni fere sint parata.

Instituti rationem reddit in Præfationibus ampliorem Vir Clarissimus, *Petrus Burmannus*, J. U. D. Historiarum, Græcæ Linguæ, Eloquentiæ & Historiæ Fœderati Belgii, in hac florentissima Academia Lugduno-Batava, Professor, qui in hoc imprimis Opere me adjuvit plurimum. Id saltem hic indicatum velim, quid in Continuatione hac præstare fuerim conatus, quod brevissimis sic habetor.

I. Ut *tres* priores *Tomos* exhiberi curavi, quoad fieri potuit, nitidissimos, ita & nunc in progressu usus sum charta & typis ejusdem puritatis & integritatis.

II. Opera nactus sum alia MSS. alia antè jam impressa, sed quæ impræsentiarum occurrunt rarissima. Illa nunc primum in Officina mea prælo subjecta; hæc ab erroribus typographicis, quorum in plurimis remanserant plurima, reddita sunt purgatiora.

III. Accepi etiam varia, quæ alio legebantur idiomate; hæc latine sunt versa, & eorum quædam Notis ac Animadversionibus illustrata. Singulare quid exigebat *Benedicti Varchi Historia Florentina:* cujus Auctoris cum, quantam in rebus gravitatem, tantam, ni majorem, in verbis elegantiam judicarint Viri Summi Nominis, horum Consilia secutus, eam, qua ipsam conscripserat Auctor, lingua, id est *Italica*, exhibendam duxi.

IV. Omnium, quæ antea prodierant, operum diversæ sunt collatæ editiones: iisque sedulo examinatis, selecta, quæ videbatur optima; adhibita nihilominus omnibus iis, quæ præsentem editionem reddere poterant præcedentibus meliorem.

V. In ejusmodi Auctoribus jam ante impressis, Exemplaria veterum Editionum secuti sumus fidelissime, retentis Auctorum Præfationibus, Dedicationibus, & aliis omnibus, quæ simul antea cum opere ipso prodierant.

VI. Inter editiones diversas, sæpius ea, quæ minoris alias censetur æstimationis, quædam, ut Dedicationes, Præfationes, aliaque non contemnenda, habebat, quæ in aliis editionibus, alias licet melioribus, desiderabantur. Talia hic sunt reposita, & ita collatis omnibus, quæ quidem ad manum nostram pervenire potuerunt, editionibus, hæc novissima veræ integritati restituta.

VII. In omnibus autem, quo lectio redderetur eo facilior, aliudque ab alio distinctius, Nomina propria, Citationes, aliunde transscripta, & res notatu digniores, diversis a contextu impressa sunt literis.

VIII. Ubi vero Auctores erant imprimendi, quorum apud alios Scriptores frequentior occurrit allegatio, numeri paginarum Editionis veteris, quam secuti sumus, quæve in cujusvis Tractatus nova Præfatione indicatur, vel ad marginem notati, vel in peculiari consignati sunt Tractatui adjuncta Tabula. Sic enim Lector, quæ ex nostris Auctoribus ab aliis, alia licet usis editione, citantur, in præsenti reperiet absque molestia.

IX. Scriptionis illa compendia, abbreviaturas vocant, quorum non solum in MSS. sed in impressis etiam offendebantur plurima, Lectori satis molesta, sublata sunt, ac pro iis integræ, quas significabant, voces restitutæ.

X. In omnium per quemlibet Tractatum paginarum apice, rei, de qua agitur, positus est Titulus, adjectis Libri & Capitis, si opus ita dividitur, numeris, ut quolibet pateat intuitu, quæ ubicunque substrata sit materia.

XI. Cuilibet Tractatui præmissa est Nova Præfatio, quæ, quid ad editionem nostram vel emendatiorem vel auctiorem reddendam, vel ad eam ornandam, tentatum sit, indicabit; additus vel accommodatus est pariter cuilibet Index Nominum & Rerum notabiliorum locupletissimus. Peculiari vero Titulo & Præfatione, ut & novis paginarum numeris, inchoatus, & Indice finitus quilibet est Tractatus, ut, si forte posthac occurrant quædam, quæ in hoc Thesauro locum mereantur, interponi ea possint locis suis debitis.

XII. Quibusdam, ubi nimirum Tractatus ita dispescuntur, præmissus est Index Librorum, Capitum, & Tractatus divisio.

XIII. Multis præterea Tractatibus Figuras æneas vel Nummorum, vel Statuarum, vel

Locorum, aliorumque Monumentorum memorabilium, & Chartas Geographicas, nec non Iconas aut Perſonarum inclytarûm multum ibi memoratarum, aut ipſorum Auctorum, horumque Vitas & Elogia addidi.

XIV. Collata quoque ſunt & ſpecialius indicata plurima Auctorum loca, quæ ipſi generatim ſaltem laudaverant; & in diverſis, ubi ad adſtruendam Antiquitatem Auctores Græci citabantur, non ſolum iſtorum locorum verſio, ſed & Græca ipſa exhibentur: adeo ut in integra hac collectione ne ullus quidem exhibeatur Tractatus, niſi qui emendatior, aut auctior, vel utriuſque ratione prioribus editionibus redditus ſit longe melior.

XV. Meum cum putarim omne obſervare, quod in Opere hoc edendo, cujuſmodi, ſive Voluminum numerum ſpectes, ſive Tractatuum ſelectiſſimorum elegantiam, nullum antea unquam (quantum ego quidem novi) in orbe prodiit, deſiderari poſſet: per omnes etiam terrarum tractus rariſſima hæc Præſtantiſſimorum Auctorum relicta poſteritati Cimelia inveſtigavi detegenda; nec exiguus eorum eſt numerus, quæ non niſi ſummo parari poterant depenſo; nullorum autem potuit pœnitere ſumptuum, qui in commodum Orbis fiebant Eruditi.

XVI. Secutus ſum ubique Conſilia ſaluberrima & fideliſſima, quibus me inſtruxerunt Maximi Rei Literariæ Mæcenates: id quod Epiſtolis ipſorum manu propria exaratis, quæ in ſcrinio ſervantur meo, planum facere valeo; imo poſteros docere, quibus & quantis monitoribus tanta auſus fuerim. Plures enim Viri Illuſtres, Graviſſimi, & ſumma doctrina Præſtantes, tum indigenæ, tum exteri, ex quo ipſis inſtitutum hoc patefeci, æque varia MSS. ac rariſſimos Clariſſimorum Auctorum Tractatus, quos aliunde obtinere neutiquam potuiſſem, ex Bibliothecis ſuis benevole ac generoſe contulerunt, & ferentes ſimul de his noſtris conatibus ſuam ſententiam plurimum mihi addidere animi. Tranſmiſerunt denique horum Mæcenatum varii de Operis hujus elegantia ac præſtantia, ſua Teſtimonia, quorum quædam, hanc meam Præfationem excipere volui: ſervatis reliquis ad finem uſque totius Operis, ubi non ſolum, quid de integro hoc Opere in genere, ſed & de plurimis Tractatibus peculiaribus hic comprehenſis, præter ſupra laudatum *Grævium*, judicarint plures Summi Nominis Viri, tum exteri, tum indigenæ, Lectori exhibebitur, & planum fiet, huic Theſauro inſertum nihil, niſi quod commendatum a ſuaſoribus & monitoribus graviſſimis.

Hæc in Orbis Eruditi commodum mei conatus; quos Tantis Viris jam probatos, gaudeo.


Opus autem integrum XXXVIII. Voluminibus conſiſtens, conſtabit Chartæ impreſſum Communi 380. flor. Chartæ Majori 500. flor. ut ex computatione pretii cujuslibet Tomi in præcedente Catalogo indicati patet. Qui vero tres priores Tomos antehac editos jam poſſident, & inde ſequentes ſaltem Tomos accipiunt, detrahent de pretio Chart. Communis 50. flor. Chart. Maj. 65. flor. 6. ſtufer.

Emptoribus liberum erit novem Tomos, Auctores, qui de Italia ſcripſerunt, comprehendentes, ſolos ſibi comparare, qui XXV. Voll. conſiſtentes conſtabunt Chart. Comm. 230. flor. Chart. Maj. 305. flor. 10. ſtufer.

Ultimo monendum duxi Lectorem, illa quæ in Catalogo * notantur, promiſſa eſſe ex Bibliothecis *Italis* & *Siculis* præſtantiſſimis auctiora; quorum ſi forte unum vel alterum non obtineretur, (quippe quæ in tanto itinere variis intercipi poſſunt fatis) pretium vel detrahetur, vel locus aliis tractatibus egregiis, qui pariter expectantur, ſupplebitur, & pretium pro rata vel minuetur vel augebitur.

Promiſſi mihi ſunt præterea a Viris exteris, iiſque Illuſtribus ac Præſtantiſſimis, egregii quidam alii Tractatus, tum MSS. tum antehac excuſi, quorum adhuc nec poſſeſſionem teneo, nec nomina, vel titulos ſatis novi. Hos ſimulac obtinuero, quod quidem brevi futurum confido, Orbi Literario, largiente Deo valetudinem & vitam, exhibendos ſtatim parabo.

Hæc de iis, quæ in Tui, *Benevole Lector*, commodum hucuſque paravi, ad alia ejuſmodi impoſterum paranda promptiſſimus. Vale. *Lugduni Batavorum*, d. 31. Auguſti MDCCXXI.



TESTI-

TESTIMONIA ac JUDICIA QUORUNDAM VIRORUM PRÆSTANTISSIMORUM & CELEBERRIMORUM, tantum Exterorum, DE HOC OPERE,

Excerpta ex eorum Epistolis missis ad Typographum,

Ordine Alphabetico posita, ne forte honori aut dignitati cujusdam fiat præjudicium.

Honestissimo Viro
P. VANDER AA.

..... *Susceptum a Te consilium edendi Corpus Scriptorum de rebus Italicis,* Dominus Ascanius Varesius, Abbas Can.^{cus} Lateranensis, *Vir Doctissimus & amicissimus, mecum vehementer probat; probantque omnes, qui Italici nominis gloriam amant, præsertim quod nonnullorum ex his historicis penuria laboramus, & rara admodum sunt, & non nisi in insignioribus Bibliothecis visenda quorumdam exemplaria.* ..... Patavii pridie Kal. Martii, MDCCXXI.

F. ALEXANDER BURGOS,
in Academia Patavina Philosophiæ & Historiæ Ecclesiasticæ Professor.

..... Viri Docti, præcipue Itali, jamdudum optant compleri *Thesaurum Historiarum Italiæ*, per eximium Typographum, deque literis optime meritum *Petrum Vander Aa* olim edi cœptum. Quare ego pro parte mea non solum tantum Opus summe laudandum existimo; sed eidem *Petro* stimulos addo, si opus est, ut Virorum Illustrium consilio usus *Thesaurum* suum prosequatur, se & rem Literariam vere locupletaturus, dummodo illi non inserat, quod Romanam Ecclesiam lædat. ....
Romæ d. 24. *Febr.* 1721.

J. FONTANINI,
Clem. XI. Pont. Max. a Cubiculo honorarib.

Viro Solertissimo
PETRO VANDER AA
S. P. D.
JO. BURCHARDUS MENCKENIUS.

Magna cum voluptate intellexi, Te, consilio Viri in Republica Literaria Principis, Burmanni, *id agere, ut* Thesaurum Antiquitatum & Historiarum Italiæ Græviarum *compleas, ceterosque qui adhuc desiderati sunt, Scriptores Italos compluribus Voluminibus addas. Neque enim vulgaria sunt, quæ promis, aut proletaria, verum selecta omnia, multaque adeo inventu difficilia, ut immenso hactenus pretio venerint, qualia sunt, ut vel de paucissimis dicam,* Bapt. Sacchi *vulgo* Platinæ, *Historia Urbis Mantuæ*, Albertini Mussati *de gestis Henrici VII. Libri XVI.* Bernardini Scardeonii *de Urbis Patavii Antiquitate & claris Civibus Patavinis Libri III.* Hier. Rubei *Italicarum & Ravennatum Historiarum Libri XI.* Guil. Postelli *de Etruriæ Originibus Commentatio*, Jo. Mich. Bruti *Historia Florentina*, Phil. Parutæ *Sicilia Numismatica*, Vinc. Mirabellæ & Jac. Bonanni *Syracusa illustrata*, Salvatoris Vitalis *Annales Sardiniæ*, Jo. Franc. Abelæ *Melita illustrata, atque alia multa, in nostris certe oris rarissime obvia. Et nihil omnino in toto illo Conspectu occurrit, quod non locum aliquem in splendidissima hac Collectione mereatur.... Nec quicquam eorum velim prætermitti, quæ vel in Italia illustrata Fr.* 1600. *fol. vel in Sicularum rerum Scriptoribus ib.* 1579. *fol. editis exhibentur, ut his demum comparandis supersedere possint Thesauri Tui emptores....* Vale. Dab. Lipsiæ die 8. Jul. 1721.....

Humanissime ac Clarissime Vir.

..... Quanta accedat Reipub. literariæ utilitas ab operum collectione; quanta sit hujusce conatus præstantia, non est qui in dubium revocare queat. Hæc præsertim Italicarum rerum selectissima editio omnem promeretur laudem: quæ etenim parvæ molis opuscula aliaque monumenta, dispersa, rarissima, in Bibliothecarum latebris M. S S. delitescentia desiderabantur, hic velut in Thesauro recondita, ad Eruditorum beneficium, ad Italicæ gentis glo-

gloriam, habent doctissimi omnes. Opus sanè egregium, quod desiderium acuit, ut brevi ad umbilicum productum in lucem prodeat. *Panormi 25. April.* 1721.

ANTONINUS MONGITOR, Sicul. Panorm. S.T.D. Metropolitanæ Panormitanæ Ecclesiæ Canonicus.

Viro Clarissimo
PETRO VANDER AA
BERNARDUS MONTEFALCONIUS
M. B.
S. P. D.

Nihil, meo quidem judicio, Reipublicæ Literariæ utilius illa Collectione, quam paras, V. Cl. & quam jure inscribis Thesaurum Antiquitatum & Historiarum Italiæ &c. *quod Opus sane Literatis omnibus opportunissimum est; iis maxime qui Historiæ & Antiquariæ rei dant operam. Nam Thesaurus ille ceu Bibliotheca quædam est Librorum multorum, qui pridem comparari & colligi omnes vix ac ne vix quidem poterant. Factum bene quod tantum opus* Petri Burmanni *sit & Præfationibus & Consiliis illustrandum, Viri, inquam, cujus nomen & fama totum pervasit Orbem Literarium. Unum autem summopere optarim, ut videlicet tanto Thesauro index locupletissimus subjungeretur; ut cum cæteris commodis hoc etiam eruditis parias, ut confestim & sine temporis dispendio optata quæque statim reperiant. Hoc certe omnibus in libris observari pervelim; in illis vero maxime, qui tantam rerum & historiarum sylvam complectuntur. Vale, Vir Clarissime, & de re Literaria bene mereri perge.* Dabam Lutetiæ decimo tertio Kal. Septembr. 1721.

Amplissimo Nobilissimoque Viro
PETRO VANDER AA
S. P. D.
JO. LAUR. MOSHEIM.

.... Operis Tui eximii de *Antiquit. Italicis* delineationem cum viris quibusdam eximiis jam communicavi, & non modo ad eos, qui Diaria conscribunt, exempla misi, sed & in novis litterariis, quae hic Hamburgi excuduntur, inseri curavi. Ego quidem de hoc Opere non nisi praeclare sentire possum, nec, quin plurimum inde commodi qui elegantioribus litteris student percepturi sint, dubito. Quod si enim ipsos specto Scriptores, egregii maximam partem, rarissimique sunt; eaque de caussa nobis, qui extra Italiam vivimus, acceptissimi esse debent. Si numerum considero & apparatum, amplissimus plane & magnificus est: id quod inprimis ad Operis commendationem facere existimo. Quidni enim jucundum sit, in unum locum congesta possidere, quae incredibili alioquin cura frustra interdum in omnibus angulis quaerere deberes? Si terram ipsam, cujus Antiquitates Scriptores *Tui* illustrant, ob oculos mihi pono, neminem tam ineptum fore puto, qui eam negligendam putet, unde omnes litterae universaque humanitas ad nos aliosque terrarum orbis incolas manarunt. Historia inprimis ea, quae *medii aevi* dicitur, nondum ita, ut decebat, illustrata & pertractata, sine Italicae Historiae cognitione nullo modo recte explicari & evolvi potest. Qui hanc ergo, quod omnes hodie qui sapiunt facere nosti, servatam meliorique gradu collocatam cupiunt, illi Operi Tuo necessario favere debent. .... Vale, Vir Nobilissime. *Dab. Hamburgi d.* XVII. *Maji.* MDCCXXI.

.... Nullum sane dubium est, quin multæ per Italos agendæ sint gratiæ *Petro Vander Aa* Typographo, qui Lugduni Batavorum tanto labore de Italicarum Urbium Historia bene mereri pergit. Operum, quorum ille editionem pollicetur Catalogum vidi. Multa complectitur rarissima, utilissima, ita ut Bibliothecam ille nobis postremis hisce Tomis Italicam paene donet. Quod ab Italis expectandum erat, en ex Batavi hominis munere habebimus, cui gloriæ ac eruditionis nostræ major cura, quam nobis. ....

LUDOV. ANTONIUS MURATORIUS,
Serenissimi Ducis Mutinensis Bibliothecarius, ac Bibliothecæ Ambrosiani Collegii Doctor.

Clarissimo Viro
PETRO VANDER AA.
S. P.
D. JOSEPHUS MAR. SANDIUS
Bened^us *&c.*

.... Accepi Catalogum operum ad continuationem Thesauri Antiquitatum Italiæ. Hæc omnia optima quidem sunt, & digna, ut publicentur, dummodo in certam seriem redigantur ad Chronologiæ leges, quod utique præstiturum non dubito *Cl. Burmannum*, qui indè æmulum Cl: Virorum *Grævii & Gronovii* Magnum, æternumque nomen in Republica literaria sibi meritò conciliabit. Accuratissimi etiam Indices præmittendi erunt, ut cuncta Legentium usui accommodentur. .... Meum Judicium tale esset.

„ Opus præclarissimum *Antiquitatum* „ *Græcarum & Romanarum* D. D. *Grævii* „ & *Gronovii* meritò excipit *Thesaurus* „ *Antiquitatum Italicarum, & Siculorum.* „ Ut enim illud Romanis, & Græcis, ita „ iste

„ iste Italicis, Siculisque rebus plurimum „ affert utilitatis, & ponderis. Nec aliter „ senties, si vel selectissimos, & melioris no- „ tæ Auctores invicem conferas, vel eo- „ rum raritatem consideres, vel demum „ eruditionem, & scribendi peritiam in o- „ culis habeas. Horum etiam non pauci „ nunc primum in lucem prodeunt. Et „ si Characterum, ac Typographiæ ni- „ torem, & correctionem aspicias, nil „ est quod tanto in Opere desiderandum „ censeas. Hæc omnia debentur Soler- „ tissimo Viro & de literaria Republica a- „ deo benemerito P. Vander Aa; cui „ auspicor omne bonum. Vale. *Patavii Nonis Martii* 1721.

Typographo Celebratissimo

Dn. PETRO VANDER AA

S. P. D.

JOH. JACOBUS SCHEUCHZER.

Med. D. Math. P. Tigurin.

Commendat se multis nominibus sumtuosissimus simul & utilissimus Tuus Antiquitatum & Historiarum Italiæ, Neapolis, atque Siciliæ Thesaurus, *cui tot debentur optimo jure Elogia, quot dabis volumina, imo, quot Scriptores in singulis. Quis iis sufficeret? Antiqua, imo Antiquissima, renovas: rarissima omnibus reddis communia: operta recludis: privatissima, & nonnisi in rarioribus Bibliothecis obvia publicas: livorem minuis, appetitum satias: & mentem & oculos recreas: Historiis das fidem, Monumentis Splendorem, imo Italiæ, Siciliæ, Sardiniæ Gloriam:* Thesauris Græviano Romanarum, Gronoviano Græcarum Antiquitatum *dignissimum socium, ut Trigam possideat eruditus Orbis omni Auro chariorem Operum, quorum memoriam nulla delebit ætas.* Grævio, Burmanno, Tibi, *auges famam, omnibus Scientiam. Felix illa Regio, quæ Te agnoscit rerum suarum promum condum. Felix & Patria mea, qua Te salutat* Deliciarum Helveticarum, *&, si addere ausim*, Historiæ Naturalis Helveticæ, *in* Itinerum Alpinorum *Fasciculo sparsæ Editorem. Patere, Vir Optime, ut hoc addam, quod in laudes tuas Patriæ amor abs me exigit. Strenué perge in hujusmodi ausis, quæ humeros plerorumque Bibliopolarum transcendunt, & amare me perge, imò favere.*

Tiguri Helvetiorum 5. Maji. 1721.

Viro Clarissimo & Praestantissimo

PETRO VANDER AA

D. PETRUS CATHARINUS ZENUS,

Congregationis Somaschae,

S. P. D.

Inituriusne sis a nostris hominibus gratiam, quod *Antiquitatum Italicarum Thesaurum*, inceptum jam atque immatura *Graevii* morte intermissum, continuare, animum induxisti, rogas, Vir clarissime, *Petre Vander Aa.* Quid gratius nobis fieri potuit, quid honorificentius Italiae nostrae? Gloriosum sane est, eas esse res nostras, ut alienos etiam capiant, eorumque studiis videantur dignae. Major, neque ego fallor, gratia tibi esse debet, quam *Graevio*, cui tamen habetur maxima. Quem enim numquam expectabamus, honorem *Graevius* Italiae habuit; tu vero, quem diu expectatum, desperabamus. Perge itaque, V. C. Italicas Antiquitates prelis tuis emittere. Dignae prelis tuis illae sunt, prela tua illis. Sed suscepto operi ut nihil desit, ab amicis pete, ut inedita illa ad te mittant, quæ in eorum scriniis latent. Ipse si quid offendam, quod *Thesaurum* tuum locupletare possit, ut protinus ad te mittam, enixe curabo. Vale, V. C. reique literariae bonum, ut facis, cura. *Venetiis tertio nonas Aprilis* 1721.



SERIES SCRIPTORUM

Qui in Quarto Tomo Thesauri Antiquitatum & Historiarum Italiæ inveniuntur.

PARS PRIMA.



Joannis de Cermenate, Notarii Mediolanensis, *Historia, de Situ, Origine, & Cultoribus Ambrosianæ Urbis, ac de Mediolanensium gestis sub Imperio Henrici VII. ab anno MCCCVII. Ad annum MCCCXIII.*

Arnulphi, Mediolanensis Historici, *Historiæ Mediolanensis, qua continentur Gesta quorundam Italiæ Regum, ab anno DCCCCXXV. usque ad MLXXVI. Libri quatuor.*

Johannis Petri Puricelli, S. T. D. Laurentianæ Archipresbyteri, *Ambrosianæ Mediolani Basilicæ ac Monasterii*, hodie Cisterciensis, *Monumentorum singularis Descriptio: qua Historia Mediolanensis valde illustrata, multis ab erroribus vindicatur.*

PARS SECUNDA.

Ludovici Antonii Muratorii, Serenissimi Ducis Mutinensis Bibliothecarii, ac Bibliothecæ Ambrosiani Collegii Doctoris, *de Corona Ferrea, qua Romanorum Imperatores in Insubribus coronari solent, Commentarius.*

Justi Fontanini, a Cubiculo honorario Sanctissimi Domini Clementis Papæ XI. *Dissertatio de Corona Ferrea Langobardorum. Editio Novissima, ab Auctore recognita & aucta.*

Benedicti Jovii, Novocomensis, *Historiæ Patriæ, sive Novocomensis, Libri duo.*

Octavii Rubei, Brixiani, suæ Patriæ Script. Celeb. *Monumenta Brixiana, seu Civitat. Brixiæ Antiquitates: in ling. Lat. ex Italica transtulit* Alexander Dukerus*: Accessêre* Postremæ *huic Editioni, præter adjectas* Secundæ *a Fortunato* Vinaccesi *Inscriptiones, ut aliæ plures, potissimum e MS.* Rerum Antiquarum Civitatis *Brixiæ* ejusque universi Agri memoriæ.

Antonii Gatti, Antecessoris Ticinensis, *Historia Gymnasii Ticinensis, a Sæculo V. ad finem Sæculi XV. nec non de ejus Urbis antiqua Nobilitate.*

Baptistæ Sacchi, Cremonensis, ex vico *Platina*, vulgo appellati Platinæ, *Historia inclytæ Urbis Mantuæ & Serenissimæ familiæ Gonzagæ, in Libros sex divisa; Primum ex* Augustissima Bibliotheca Cæsarea Vindobonensi, *a* Petro Lambecio, S. Cæs. Majestatis Consiliario, Historiographo & Bibliothecario, *in lucem edita, atque necessariis Annotationibus illustrata: Novissimâ hac Editione emendatior, subjunctis loco quibusque suo* Annotationibus *accommodatior facta, locupletiorque perfectô ferme* Indice.



JOANNIS

JOANNIS DE CERMENATE,

Notarii Mediolanensis,

HISTORIA,

DE SITU, ORIGINE, ET CULTORIBUS

AMBROSIANÆ URBIS,

AC DE

MEDIOLANENSIUM

GESTIS

Sub Imperio

HENRICI SEPTIMI,

Ab Anno MCCCVII. ad Annum MCCCXIII.

Editio Novissima, accuratius quam antea edita, & Indice locupleti adaucta.



LUGDUNI BATAVORUM,

Sumptibus PETRI VANDER Aa,

Bibliopolæ, Academiæ atque Civitatis Typographi.



PRÆFATIO HUJUS NOVÆ EDITIONIS.

H*Abes hic (Benevole Lector) de novo* Joannis de Cermenate Notarii Mediolanensis Historiam, *tum de ipsa Mediolanensi Urbe, tum de Mediolanensium, sub Imperatore* Henrico Septimo, *Gestis agentem. De cujus Historiæ utilitate & usu, longis verborum ambagibus, tecum agere, non est animus: præstitit hoc jam ante Nos, partim Auctor ipse; maxime autem hujus operis (quod inseruerat suis Anecdotis quinque voluminibus in Quarto comprehensis) primus Editor, Celeberrimus & Eruditissimus* Ludovicus Antonius Muratorius, *Ambrosiani Collegii Doctor, & Serenissimi Ducis* Mutinæ *Bibliothecarius. Cujus industria indefessa, in MSS. pulvere obrutis, perscrutandis, & ineditis edendis, maximopere laudanda: cujus etiam summi Viri Præfationes, in hac nostra Editione, locum ut habeant procuravimus. E quibus tam scopus Nostri Auctoris,* Joannis de Cermenate, *quam ipsius Primi Editoris, in edendo & supplendo hoc opere, satis commode & clare perspici & percipi poterit. Sufficit nobis in præsentiarum paucis solummodo indicare, quid in nostra hac Editione adornanda præstitum.*

Editionis prioris Exemplar in Italia *Typis divulgatum satis presse fuimus secuti: sic tamen ut Supplementa, (de quibus in altera* D. Muratorii *præfatione) quæ calci erant*

 ad-

adjecta, ſuo proprio loco inſeruerimus. Numeros, ſive Cifras ut dicunt, paginarum prioris Editionis, Margini appoſuimus. Nomina propria Charactere currente, ſive, ut vulgo dicunt, literis curſivis, tum ad elegantiam, tum ad majorem attentionem excitandam, conſignari curavimus; denique quicquid nitori inſervire potuit non omiſimus. Indicem ſat locupletem adjecimus: ut adeo Noſtram hanc Editionem priori, licet etiam eleganti, palmam tamen præripuiſſe Nemo inficias ire poterit. Et hæc quidem hactenus. Quod ſi Deus Vitam conceſſerit, Scriptores rerum Italicarum, *ut cœpimus, continuare pergemus, in iiſque literaturæ Amatoribus operam noſtram navare non deërimus. Vale Studioſe* Lector *& Noſtro labore fruere.*

LUDOVICI ANTONII MURATORII IN JOANNIS DE CERMENATE HISTORIAM PRÆFATIO.

M*ediolanenſis* Urbis præſtantiam, atque vetuſtatem non pauci hucuſque ſcriptis ſuis notiſſimam effecere. Inter hos celebrem *Auſonium* primo, tum *Bernardinum Corium*, *Andream Alciatum*, *Donatum Boſſium*, *Morigiam*, alioſque clariſſimos Hiſtoricos numerare in promptu eſt. Et quis ſane poſt tantam meſſem vel ſpicilegium ſperet? Nihilominus & ego, cui jam *Mediolanenſis* animus, ſtudiumque tam præclaræ Urbis inſedit, *Joannem* de *Cermenate* vulgatis in hanc uſque diem Scriptoribus accedere volo, hujus enim ope cum *Mediolanenſis* populi, tum nobiliſſimæ Vicecomitum familiæ primordia uberrime explorantur, quorum cognitio procul dubio noſtris, atque exteris placere admodum ſolet. Ea quidem, quæ de veteribus *Italiæ* incolis heic proferuntur, ubi antiquorum auctoritate non innitantur, non omnium fidem ſibi conciliare poterunt; multa tamen heic invenias, quæ quia ex deperditis noſtra tempeſtate libris, ſuaque vigentibus, depromere is potuit, neque inconcinna videbuntur, iiſque fidem prorſus negare illiberalis animi foret. Quod autem eſt ad illa, quæ ineunte *Chriſti* ſeculo decimo quarto *Cermenate* refert, quum eorum oculatus teſtis fuerit, quin veriſſima ſint, omnique digna pretio, nequaquam eſt ambigendum. Et revera plurimi libellum hunc facere ſoleo; nam quem illius temporis æqualem Scriptorem invenias, qui naſcentem Vicecomitum potentiam accurate deſcribat? *Georgium Merulam*, *Paulum Jovium*, nonnulloſque alios ampliſſimæ hujus familiæ Hiſtoriam literis perſequutos novimus; ſed quis cum antiquo Scriptore componat recentes, quos adulationis ſuſpicione Regnantium præſentia vix liberat? *Poſtquam* inquit in hanc rem Tacitus, *omnem poteſtatem ad unum conferri pacis interfuit, veritas pluribus modis infracta, primum inſcitia Reipublicæ, ut alienæ, mox libidine aſſentandi, &c.* Itaque *Cermenati* in libera (ut ita dicam) eo tempore *Mediolanenſi* Urbe degenti unicam veritatem præ oculis fuiſſe non immerito arbitror, ſummumque illi propterea decus acceſſurum apud noſtros eruditos confido. Quamquam non noſtris modo, verum etiam reliquis Reipu-

blicæ

blicæ literariæ cultoribus opus hoc non exiguo futurum est usui. Siquidem luculenter adeo res gestæ sub *Henrico VII.* Imperatore ibidem recensentur, ut aliunde meliora non exspectes, imo neque paria. Scilicet illa tum fluebant secula, quæ cœca literarum oblivione damnata, Cymmeriisque tenebris involuta parvam Historicorum segetem dabant. Quin ex iis paucis plerique luce carentes hucusque in Bibliothecis delituere, & adhuc cum blattis & pulvere certant. *Ptolemæum Lucensem*, *Bernardum Guidonis*, *Sozomenum Pistoriensem Presbyterum*, *Gualvaneum Flammam*, *Bonincontrum Morigiam*, aliosque ejus ævi Historiam complexos idem fatum perculit, qui omnes in *Ambrosianæ* Bibliothecæ pluteis manu tantum exarati adhuc asservantur. Quos igitur rerum *Henrico* Septimo imperante gestarum testes æquales advocemus? *Joannes Villanus*, atque *Albertinus Mussatus* soli ferme occurrunt. Ille tamen brevibus *Henrici* Imperium describit; hic identidem librariorum vitio peccat. *Matthæum* Vicecomitem eo tempore in Urbe *Mediolanensi* Gibelinorum principem corrupto semper nomine *Maphæum* (quemadmodum etiam à *Cuspiniano* mendose in vita *Rodulphi* Cæsaris vocatur) *Amadeum* vero *Sabaudiæ* Comitem *Ameum* appellat, aliaque nomina fœdissime vitiata lectoribus ingerit frequentissime. Noster autem quam accurato studio singula pertractet, id eruditi optime viderint. Heic unum tantum modo animadvertere mihi liceat de *Henrici* Imperatoris morte, quam omnino incertam Historicorum dissidia non tam reliquerunt quam fecerunt. Principem hunc veneno per Bernardum quendam Ordinis *Prædicatorum* Fratrem in sacra Hostia sibi ministrato periisse complurium sententia fuit; Joannes Cuspinianus *in hujus Imperatoris vita*, *Jacobus Meyerus Baliolanus*, Albertus Krantzius *lib.* 1. *Saxon. cap.* 7. *Joannes Belca*, Anonymus quidam, à quo *Ptolomæo Lucensi* assuta fuit lacinia, & alii calumniam hanc scriptis prodidere, quam tamen Nicolaus Serrarius *lib.* 5. *rerum Moguntiac.* Conradus Vecerius *de rebus gestis ipsius* Henrici, *Odoricus Raynaldus*, *Henricus Spondanus*, & omnium accuratissime Bzovius *in Annalibus* confoderunt. Quod enim ad rem maxime facit, atque ab iis adnotatum est, *Albertinus Mussatus* diligentissimus ejus temporis Scriptor tribus caussis *Henrici* obitum adscribit, nullamque de veneno mentionem injicit. Sunt ejus verba: *Triplex illi interitus causa deprehensa est. Una nati sub genu lethalis ulceris, quod Physici anthrax vocant. Altera scissæ ab stranguria vesicæ, quo morbo assidue laborabat. Tertia pleuresi, quam merso jam spiritu vomuisse constitit.* Accedit *Joannis Villani* qui iisdem quoque temporibus scripsit, S. *Antonini*, *Trithemi* Abbatis, aliorumque Chronographorum testimonium, ut late pateat, sacrum, atque illustrissimum *Prædicatorum* Ordinem tam infamis calumniæ suspicione omnino liberatum. Quibus ego auctoritatibus gravissimam *Cermenatis* nostri addo, cujus calculum apud eruditos plurimi futurum spero, utpote qui rem in *Italia* gestam à pluribus tunc vivens potuerit intelligere. Inquit autem: *Triduana febre implicitus ad tumultum suorum in pugna levibus certaminibus cœpta laborantium equitavit armatus. Inde ira animi, & immodicus corporis ægri labor ipsius febris igniculum in continuam traxit, qua continua comite die XXIV. Augusti Anno MCCCXIII. migravit ad Dominum in loco, quem incolæ* Bonconventum *dicunt distante à* Senis *XV. millibus passuum.* Iis etiam temporibus vivebat *Gualvaneus de la Flamma* vir multæ eruditionis *Prædicatorum* Ordini adscriptus, à cujus calamo quamplures lucubrationes profectas Servat *Ambrosiana* Bibliotheca nondum typis commissas. Nemini profecto, quam huic Scriptori, notiora fuisse *Henrici VII.* gesta arbitror, quum iisdem diebus ad Historiam conscribendam totus incumberet, & *Mediolani* in patria sua Imperatorem illum sæpius videre potuerit. Scribit enim libro, qui *Politia Novella* inscribitur: *Incipit Chronica generalis ab exordio Mundi usque in præsentem diem, quam conscripsit Frater* Gualvagneus de la Flamma *Ordinis Fratrum Prædicatorum Anno, quo fuit coronatus in* Mediolano *Serenissimus Imperator* Henricus *hujus nominis septimus.* In Chronico itaque Majori, quod multis post annis *Gualvaneus* elucubravit, & M. S. in *Ambrosiana*, & apud doctissimum virum *Joannem Baptistam Blanchinum* reperitur, hæc leguntur: *Anno Domini MCCCXIII. sedente Clemente in* Avignone, *exulante* Castono de la Turre *Archiepiscopo*, *imperante* Henrico VII. *dominante* Matthæo *Vicecomite*, *Imperator obsedit Civitatem* Florentiam, *sed non obtinuit. Tandem Civitatem* Senensem *obsedit, ubi laborans apostemate viam universæ carnis ingressus est die XXIV. Augusti in Festo S.* Bartholomæi. *Tunc quidam Monachus Diabolico spiritu plenus, genere* Theutonicus *imposuit cuidam Fratri Prædicatori, quod Imperatorem tossicasset. In progressu temporis ad Papam* Joannem *ivit, & qui Ordinem Prædicatorum ex sola malitia de morte Imperatoris confessus fuit aggravasse, publice multis lacrymis, & singultibus culpam suam dixit. Quem Papa dure redarguit, & gravem pœnam indixit, & statuit Papa per suas literas ad diversos Principes Ordinem Prædicatorum excusare.* Hæc *Gualvaneus* omnium sine dubio gestorum conscius, quæ si cum tot aliis conferantur monumentis, hujusmodi calumniam à sacro *Prædicatorum* Ordine penitus amovere poterunt. Atque his refellenda est præclarissimis documentis *Martini Difenbachii* Dissertatio *de vero mortis genere, ex quo Henricus VII. Imp. obiit*, quæ Anno 1685. *Francofurti* prodiit, nimio utique consspersa livore, & incertis nixa fundamentis. Verum quis tandem *Joannes* de *Cermenate* fuerit, inspiciamus. Notarium patria *Mediolanensem* fuisse titulus operis fatetur, quod munus quam illustre, virisque etiam nobilibus commune olim fuerit, post *Franciscum Osium*, ac *Placidum Puccinellum*, brevi demonstratum iri confido ab ornatissimo viro *Silvestro Gallono* Mutinensi Notario, & Episcopali Cancellario, cui in hanc rem eruditum opus elaboratur. *Cermenatorum* vero familiam nobilem, ac vetustissimam in hac Urbe esse Raphael Fagnanus *in Annalibus* M. SS. est Auctor; quin ab ipso Scriptoris nostri nomen his verbis commendatur: *Clarus fuit in hac familia* Joannes *de* Cermenatis. Hujus etiam meminit Philippus Picinellus *in Athenæo Literatorum* Mediolanensium *pag.* 293. ita scribens: *Giovanni Cermenati visse, e fiorì nell' Anno*

1300., *e i seguenti, essendo in quel secolo, cioè del* 1308. *stato creato Imperatore Enrico VII. il che seguì sotto il Pontificato di Clemente V., che fù creato del* 1305. *Detto Imperatore venne in Italia. Laonde il Cermenati, che era Notaio Milanese, e Sindico della nostra Città, scrisse in Latino assai elegante la venuta di quel Monarca in Italia, e di ciò, che racconta, fù testimonio di vista, come e nel principio, e nel progresso dell' opera più volte egli medesimo attesta.* Non temere Syndicus Mediolanensis à *Picinello* appellatur *Cermenate*, siquidem *cap.* 46. ipsemet, postquam *Varnerium* ab *Henrico* Cæsare *Lombardiæ* generalem Vicarium præfectum esse dixit, hæc addit: *Ad illum* Laude *morantem legantur per Communem Mediolani* Franciscus *de* Garbagnate, & Adoardus *de* Pirovano, & *ego, ut Syndicus; ceteros taceo, ne nimium morer.* Quo vero tempore is viveret, hinc non solum discimus, verum etiam ab aliis locis. In operis Præfatione se tractaturum ait *de Serenissimi ac mirabilis Principis* Henrici *de* Lucimborgo, *quem primum nostra ætate Imperatorem vidimus, in Italiam adventu.* Alibi Castonum de la Turre *nunc Archiepiscopum* appellat, & rebus se interfuisse prodit. Constat igitur ineunte seculo *Christi* decimo quarto *Cermenatem* nostrum floruisse, eumque ad annum usque 1330. aut circiter in vivis egisse, à vero nequaquam abhorret. Siquidem, uti superius significatum est, per illa tempora scribebat *Gualvaneus Flamma* Manipulum Florum, videlicet *Mediolanensis* Historiæ compendium à Christo nato ad suam usque ætatem, seu ad Annum *Christi* 1332. Capite autem primo, ubi *numerum Chronicarum* recenset, *à quibus præsens Opus compilatur*, inter alios libros ibidem enumeratos *Titum Livium apud Joannem de Cermenate* adservatum refert. In Politia vero Novella, quam pluribus annis ante promulgaverat, hæc addit: *Apud Joannem de Cermenate Liber T. Livii, de quo dixit Hieronymus in Prologo galeato: T. Livium lacteo eloquentiæ fonte manantem. Chronica Jacobi de Laude, de Historiis Laudensium contra Mediolanenses. Quædam Historia Legati ad Matthæum Vicecomitem. Registrum Communitatis Civitatis Mediolani.* Atque hæc pauca ad *Cermenatis* notitiam mihi se offerunt. Quod spectat ad Codicem, unde ejus Historiam derivavi, eumdem humanissimo viro, rerumque *Mediolanensium* accuratissimo cultori *Camillo Sitono* I. V. D. debeo, qui mihi pro nostra familiaritate exscribendum concessit. De autographo audiendus Picinellus supra laudatus, cujus verba sunt: *Il Libro è scritto in caratteri Gotici, in carta pergamena, e in foglio grande, il cui originale è conservato dal Signor Pirro de' Capitani.* Verum ab hujus *Pirrhi* patre quum Codex cuidam nobili viro commodatus fuisset, inter istius manus aliquot paginarum jacturam subiit, non sine suspicione consulto mutilatum fuisse, ut celebris cujusdam familiæ dignitati, ac nomini melius consuleretur. Prodit igitur cum eisdem lacunis liber, quas alieno contraxit aut errore, aut vitio, supplendus tamen ex *Albertini Mussati* Historia, si quisquam integram rerum sub *Henrico* Septimo gestarum seriem ordine cognoscere cupit. Neque dubito, quin vel cum ipsis vulneribus hominum gratiam sit initurus, *Cremonensium* præsertim, ac *Brixiensium*, quum eumdem non semel à me expetierint Illustrissimus *Julius Antonius Averoldus* vir nobilitate, ac eruditione inter *Brixienses* præstans, ac *Franciscus Arisius* V. C. qui *Cremonam* patriam suam eruditis laboribus illustrare pergit.

ALTERA PRÆFATIO,

Quam Supplementis præfixerat

LUDOVICUS ANTONIUS MURATORIUS.

Supplementa Historiarum Johannis de Cermenate Addenda Tomo II. pag. 60. Anecdotorum in Johannis de Cermenate fragmenta.

H*istoriam Johannis de Cermenate Notarii Mediolanensis* de rebus gestis Henrici VII. Imperatoris *evulgavi Ego Tom. II.* Anecdotorum meorum *pag.* 31. *At in Prolegomenis dolebam, quod in Codice MS. unde illud Opus descripseram, aliquot folia desiderarentur, idque etiam factum suspicabar, ut alicui mos gereretur: cujus interesset non omnia* Cermenatensis *scripta luce donari. Sed suspicionem tandem istam a me depulit* Lazarus Augustinus Cotta, Jurisconsultus Novariensis, *vir eruditione Librisque editis clarus, quippe qui integrum ejus Historiæ exemplar nactus, ea quæ Editioni meæ defuerant, non solum descripsit, sed etiam benevole, ut solet, communia mihi fecit. En ipsa igitur Supplementa, quæ nunc demum profero, addenda suis locis, & ejusmodi, ut nec inutile futurum putem edidisse, neque ingratum legisse.*

IOANNIS DE CERMENATE,

Notarii Mediolanensis,

HISTORIA DE SITU, ORIGINE ET CULTORIBUS AMBROSIANÆ URBIS, AC DE MEDIOLANENSIUM GESTIS SUB IMPERIO HENRICI SEPTIMI

Ab Anno MCCCVII. ad Annum MCCCXIII.



PRÆFATIO.



Ultis naturæ dotibus, atque gratiis hominem divina potentia decoratum ceteris animantibus dominari voluit, dum profunda rationis radice humanis solum mentibus insita cunctis sub Sole viventibus nobilior factus est. Cui proprium eloquentiæ beneficium concessum est, quæ dum discreta sit, velut omnium rerum domina efficit, ut uberius ipsius rationis vigor prosit, per quam multa percipiuntur ignota, & præcepta eadem ignorantibus ministrantur. Hujus eloquentiæ beneficio succurrimus persæpe miseris, hortantes, consolantesque territos, & afflictos; pulchra etiam oratione superbos sæpissime refrænantes, & quos sentimus iracundiæ nimis pronos. Hujusmodi tamen miseriæ humanorum vitiorum remedia plus prodesse videmus, si non modo præsentibus, verum etiam posteris, velut ante oculos sculpta, notabilibus mandentur exemplis, utpote per scripturam, quæ unica scientiarum, atque artium liberalium fidelis custos est, ac rerum gestarum memoriam servat. Si præterea corrigere nequit, nec mutare, consulere tamen futuris re-
32 *bus potest. Cum itaque antiquorum præclaris operum studiis usus, multis eorum scrutatis undique libris, prævia gratia Dei, aliquando profecerim, ne digne redargui possim, ac dici alieni semper scrurator operis, nihil reponens, aut posteris perlaborans; quæ occurrerunt præ oculis relatu digna decrevi, prout gesta sunt, describere. Ea quidem Lectoribus multum prodesse suspicor, nam dum rerum, atque hominum eventus examinant, atque cernunt, quid vitent, quidve sequantur, ibidem exemplo capiunt. Verum ne me ignarum modicitatis ingenii mei forte Lectores putent, dum viribus majora promitto, protestor, volui plures ad hoc inducere aptiores, si potuissem. Ne itaque tam monstruosæ rerum moles, quas testis ætas nostra vidit, quasque ipsa horribilis, & nova rerum enormitas mirabiles, ac relatu dignas effecit, pereant imo vivant memoria, rem arduam aggredior, non sine præsumptione tantum opus sumens, onus scilicet viribus impar meis; verum spero, quem inconditus sermo meus à lectione rejiciet, ipsa miranda rerum novitas quadam delectatione aliquando poterit provocare Lectorem. Dignum itaque, atque aptum narrandis rebus principium quærens, diuque hæsitans suspenso mentis calamo, tandem de Serenissimi, ac mirabilis Principis* Henrici *de* Lucimborgo, *quem primum nostra ætate Imperatorem vidimus, in* Italiam *adventu imprimis tractare aptius visum est, qui magnam scribendi causam nobis dedit. Verum priusquam initium narrandi faciam,* Ambrosianæ *Urbis situm, originem, & vicina sibi loca ab initio, & per tempora successiva exponere paucis libet. Cujus Urbis angustias, & labores, saltem quos ipsi vidimus, mandare posteris volumus in exemplum.*

CAP. I.

Ut multis excepimus documentis, *Tubal* nepos *Noe* ex tertio filio ejus *Japhet*, qui *Hispanos*, & *Italos* genuit, natus primus per ora maris *Venetiarum* veniens hanc partem *Europæ*, quam appellamus *Italiam*, intravit, & Urbem constituit, quam à *ratibus*, *vento*, & *navibus*, quibus ministrantibus iter ejus illuc venerat, *Ravennam* dixit. Cujus filius *Subrex* per *Liguriæ* campos veniens hunc sibi gratum situm visitans inter *Ticenum*, & *Addam*, elegit sedem, Urbem ædificans, quam suo nomine *Subriam* ap-
33 pellavit, ut *Papias* meminit. Ab hac *Subriæ* Civitate tota postmodum contrata inter utrumque flumen *Subria* dicta fuit, ut ex dictis *Sycardi*, & *Eutropii* colligitur. Hoc nominis signum per *Ticeni* litora adhuc *Ambrosianus* ager tenet, licet corrupto vocabulo de *Subria* in *Seprium* mutato sæ-

A pius sono linguæ reductum sit illud nomen. Nam *Noe*, qui secundum *Eustodium*, & *Graphiam* aureæ Urbis cum duobus filiis suis post diluvium natis per mare navigans non longe a loco, ubi nunc *Roma* est, *Italiam* intrans Urbem statuit, quam suo nomine dixit. *Noe* Hebraicam, & deinde *Saturnus* Græcam linguam his *Italiæ* partibus attulere. Post modum vero regnante in *Italia* *Latino* ipsius *Saturni* post multa tempora Successore, quem nunc tenemus, *Latinus* sermo nobis datus est, qui à Principe *Latino* ipsum nomen sumsit. Verum ante *Latini* sermonis originem *Tuscos* ex *Asia* in *Italiam* profectos accipio, ut
B ex *T. Livii* dictis, atque aliis antiquis historiis colligi mihi posse videtur. Nam, ut idem testatur *Livius*, *Tuscorum* opes ante *Romanum* imperium adeo latæ, magnificæque fuere, ac terra, marique patuere, ut inter utrumque mare cuncta tenerent, superum scilicet, atque inferum, quibus *Italia* Insulæ modo cingitur. Quantum

etiam *Etrusci* potuerint, utriusque maris nomina argumento sunt. Nam alterum communi vocabulo *Tuscum*, alterum *Atriacum* ab *Atria Tuscorum* Colonia vocaverunt *Italicæ* gentes. Hæc ipsa maria a Græcis *Tyrrhenum*, & *Atriacum* appellata sunt. Hi autem *Tusci* primum quod inter *Appenninum* montem, & inferum mare agri situm est, positis ibi duodenis urbibus occuparunt, deinde totidem Urbes inter *Padum*, & *Alpes*, quarum primordia fuerunt *Tuscorum* Coloniæ illuc missæ, à se conditas possidentes, & *Liguriam*, & cetera loca circumstantia excepto angulo *Venetorum*, qui sinum maris colunt, usque ad *Alpes Gallicas*, atque *Germanicas* tenuere, regnante *Prisco Tarquinio Romæ* inde Gallica gente vi pulsi sunt. Nam ut Livius meminit *lib. 5. primæ Dec.* eo tempore Celtarum, quæ tertia pars est *Galliæ*, penes Bituriges summa imperii erat. Hi *Celtico* Regem dabant; Ex quibus nomine Ambigatus tunc Rex erat virtute, ac fortunâ tum sua, tum publica præpollens, in cujus imperio *Gallia* adeo frugum, atque hominum fertilis fuit, ut abundantem populi multitudinem haud facile regendam videns, eo jam senescente
34 exonerare prægravante turba Regnum voluit. Cujus rei causa impigros juvenes *Bellovesum*, & *Segovesum* sororis filios ad se vocans, eos se missurum dixit, in quas Dii dedissent auguriis sedes; quantum ipsi vellent numerum hominum excirent, ne qua gens arcere advenientes posset. Tunc *Segoveso* sortibus *Hernici* saltus dati, *Belloveso* vero latiorem in *Italiam* sortes dederunt viam. Hic quod populis admodum Regio abundabat, *Bituriges*, *Arnenos*, *Senones*, *Eduos*, *Ambares*, *Carnutes*, & *Aulercos* excivit, profectus ingenti multitudine peditum, equitumque in *Transalpinos* venit. *Alpes* inde oppositæ erant, easque insuperabiles existimabant, quippe nondum ulla inde via fuerat, quod continens memoria foret, nisi, si credere fabulis lubet, *Hercule* jam superatas fuisse dicebantur. Cum itaque ut septos altitudo montium teneret *Gallos*, circumspectarentque quonam per juncta Cœlo juga in alium orbem terrarum transire viderentur, jurasse dicuntur, ut quem primum in terram egressi occuparent locum, patentibus silvis, communirent. Per *Taurinos*, *Juliæque Alpis* saltus transcenderunt, fusisque acie *Tuscis* haud procul a flumine *Ticino*, cum, in quo conscenderant, agrum *Subriam* appellari audissent, cognomine *Insubribus* pago *Eduorum*, ibi omen sequentes loci condidere Urbem *Mediolanum* appellantes. Alia subinde manus *Germanorum* scilicet *Boji Titonio* Duce vestigia priorum secuta, eodem saltu, favente *Belloveso*, cum transcendissent *Alpes*, ubi nunc *Brixia*, & *Verona* Urbes sunt, locos tenuere. Considunt post *Salunii*, quippe antiquam gentem lævos *Ligures* incolentes circa *Ticinum* amnem *Apenninum*, deinde *Boji*, *Liguresque* transgressi, cum jam inter *Padum*, & *Alpes* omnia tenerent, *Pado* ratibus trajecto, non *Etruscos* modo, sed etiam *Umbros* agro pellunt. Intra *Apenninum* tamen sese tenuere.

CAP. II.

POst hos longo temporis intervallo Duce *Brenn. Senones* in *Italiam* venisse comperio, quos dulcedine frugum, & maxime vini, quemdam *Clusinum* nomine *Aruntem* provocasse ferunt ira corruptæ uxoris *Alucumenæ*, cujus ipse *Arons* tutor fuerat, cum ipse juvenis adeo potens foret, nec ipsius injuriæ ultio, neque pœna expeti posset,
35 nisi externa vis quæsita foret. Hic *Arons* transeuntibus *Alpes Gallis* ad expugnandum *Clusium* dux, atque auctor fuit. *Clusini* novo bello territi, cum multitudinem, atque novas formas ho-

A minum cernerent, & genus armorum, audirentque sæpe *Tuscorum* acies inter *Padum*, & *Alpes* ab ipsis fusas, licet nullum fœdus, aut societatis jus cum *Romanis* eis foret, nisi quod *Vejentes* consanguineos adversus populum *Romanum* non defendissent, legatos tamen *Romam*, qui auxilium peterent, misere. De auxilio nihil impetratum est. Legati missi, qui Senatus, ac populi *Romani* nomine agerent cum *Gallis*, ne à quibus nullam injuriam accepissent, socios populi *Romani*, & amicos oppugnarent; *Romanis* eos quoque bello, si res cogat, tuendos esse. Sed melius visum, bellum, si posset, amoveri, & *Gallos* novam
B gentem pace potius quam armis cognosci. Mitis legatio, ni perferoces legatos, barbarisque magis, quam *Romanis* similes habuisset. Quibus postquam mandata ediderunt in consilio *Gallorum* responsum datum fuit: Etsi novum nomen *Romanorum* audiant, tamen credere viros fortes esse, quorum auxilium à *Clusinis* in re trepida imploratum, & quoniam legatione adversus se maluerint, quam armis tueri socios, nec se quidem pacem, quam illi afferant, aspernari, si *Gallis* egentibus agro, quem latius possideant, quem colant, *Clusini* partem finium concedant, aliter pacem im-
C petrari non posse, & responsum coram *Romanis* accipere velle, & si negetur ager coram eisdem *Romanis* dimicaturos, ut nunciare possint domi, quantum *Galli* virtute ceteros mortales præstarent. Quodnam id jus esset agrum a possessoribus petere, aut minari arma *Romanis* quærentibus, & quid in *Etruria Gallis* rei esset, cum *Galli* in armis se jus ferre, & omnia fortium virorum esse ferociter dicerent, accensis utrinque animis ad arma discurritur, & prælium conseritur. Ibi jam urgentibus *Romanam* urbem fatis Legati contra jus gentium arma capiunt. Nec id clam esse potuit, cum ante signa *Tuscorum* tres nobilissimi
D Legati gentis *Fabiæ Romanæ* juventutis fortissimi pugnarent. Tantum eminebat temerarius armorum vigor, plerumque consilii immemor. Quin etiam Q. *Fabius* unus ex *Romanis* Legatis evectus extra aciem equo quendam ex ducibus *Gallorum* ferociter in ipsa signa *Etruscorum* incursantem perlatus transfixum hasta occidit, spoliaque ejus legentem agnovere *Galli*; illico tota acie *Romanum* Legatum esse signum *Gallis* datum est. Omissa inde in *Clusinos* ira receptui canunt, minantes *Romanis*. Erant ex *Gallis*, qui illico *Ro-* 36
mam eundem censerent. Vicere seniores, ut Le-
E gati prius mitterentur questum, postulatumque, ut pro jure gentium violato *Fabii* dederentur. Legati *Gallorum* cum, sicut erant, mandata exposuissent Senatui, nec factum placebat *Fabiorum*, & jus postulare barbari videbantur. Sed ad cernendum quid juris erat in viris tantæ nobilitatis obstabat ambitio. Itaque ne penes Senatores culpa esset, si quid inde sinistrum accideret, cognitionem de postulatis *Gallorum* ad populum rejecerunt, ubi tanto plus gratia, & opes valuere, ut quorum de pœna agebatur, Tribuni militum Consulari potestate in sequentem annum creati sunt. Qui facto haud secus quam dignum erat
F infensi *Galli* bellum propalam nunciantes ad suos redeunt, eosque relatis incitant. Tunc postquam accepere ulterius honore collato violatoribus juris humani legationem suam elisam esse, flagrantes ira, cujus impatiens est illa gens, confestim signis convulsis, citato agmine iter aggrediuntur, ad quorum prætereuntium raptim tumultum cum territæ Urbes ad arma concurrerent, fugaque agrestium fieret, *Romam* se ire magno clamore significabant.

CAP.

CAP. III.

AT *Fabii*, & qui Tribuni militum secum creati erant, qui erant numero sex, ut fit ex pravis initiis, nullo utili consilio capto, nullo sociorum, aut amicorum auxilio expectato, imo nec forte requisito, sic eos præcipites agebat commissi criminis furor, ut non minus temere conductu eorum pugnatum sit, quam sua legatione peractum. Nam extenuantes etiam famam belli, subito, ac tumultuario exercitu in occursum hostium tendunt ad decimum tertium lapidem parum infra viam *Tiberinam*, ubi cum multitudinem hostium cernerent, sua paucitate perculsi, extenuatis in cornua copiis, ne circumveniri multitudine hostium possent, frontem tamen æquare nequeuntibus, contra hostium acies se exponunt. Primo impetu Romanorum acies fusa, quorum cum nihil apud Duces, nec milites soliti ordinis foret, pavor, & fuga animos occuparat, tanta eorum oblivio fuit, ut major pars *Vehios* hostium Urbem, cum *Tiberis* arceret, quin *Romam* recto itinere ad conjuges, ac liberos fuge- 37 rent. Qui autem hostis gladium à tergo insequentis, & fluminis undas evasere, plerique, imo major pars incolumis *Vehios* profugit. Unde non modo præsidii quicquam, sed ne quidem nuncius *Romam* missus est. A dextero cornu quod procul à flumine, & magis sub monte steterant, *Romam* omnes petiere. Et nec clausis etiam portis Urbis, inane *Capitolium* confugerunt. Ubi, capta, & incendio posita reliqua *Roma*, obsidione sola juventus, quæ de conflictu *Romam* evaserat, turpiter clausa fuit, senibus mortem potius eligentibus, quam obsessorum inopiam augere. Gladiis datis hæc juventus consumta foret, ac perditum nomen *Romæ*, nisi postmodum prudentis, & egregii *Camilli*, qui tunc invidia Civium XV. millibus granis æris damnatus exulabat ab Urbe, virtute, confusis barbaris liberata, & ingratis civibus Urbs reddita foret. Tunc cum in Capitolio obsessi adeo fame, ac morbo affecti, & stationibus, ac vigiliis superati, ut obruerent infirmum corpus arma, se auro redimebant, si fortuna sivisset, utpote si fidelis *Camilli* parumper tardasset eventum. Qui superveniens oblatum aurum fœdæ redemptionis pretium in statera jam positum de medio auferri, & *Gallos* summoveri jussit, allegantes sese pactos esse, quibus eam pactionem ratam esse negavit. Quæ postquam ipse Dictator creatus foret (Dictator etenim creatus fuerat exul, & absens in jussu suo ab inferioris juris Magistratu) denunciavit *Gallis*, ut ad prælium se expedirent, & duobus præliis commissis adeo utraque fusos afflixit *Gallos*, ut vix superesset nuncius, ut refert *Livius* memoratus.

CAP. IV.

HI *Galli*, ut ex his æstimo, priusquam *Clusium*, ac *Romam* accederent, *Mediolanum* jam dirutum renovarunt, *Ticinum* civitatem, quæ nunc *Papia* vocatur, fundarunt, *Brixiam* ædificarunt, etenim à *Brenno* dicta fuit *Brixia*. Verum alios scripsisse reperio ipsum *Brennum* à *Romanis* confusum in *Sueviam* rediisse, & post multos annos resumtis viribus in *Italiam* iterum cum maxima armatorum copia veniens *Mediolanum*, & plures urbes *Italiæ*, quas primo ejus adventu, priusquam cum *Romanis* contulisset vires, destruxerat, quasi penitus reparavit, pluresque de 38 novo construxisse ferunt ad impugnandum iterum *Romanos* frustra rediens. Unde *Gothofredus*,

A ...... *Nunc arma tonat Dux Breno, creatque Veronam,*
Nam quasi Veh Roma dicta Verona sonat,
Brixia fundatur, Ticina Papia paratur,
Et Mediolanum Breno satagente novatur.

CAP. V.

EX his autem, quæ recitat *T. Livius* de adventu *Gallorum* in *Italiam* tractans, colligi potest ducentorum annorum fuisse spatium inter adventum *Bellovesi*, qui de *Subria Mediolanum* B fecit, & *Brenni* qui *Mediolanum* renovavit, & *Papiam* fundavit, ut dictum est. Deinde post multa tempora recentissimi advenarum *Longobardi* una cum *Alboyno* Rege suo *Italiam* accessere, qui totam fere *Italiam* primitus occuparunt, sed demum intra fines hujus tractus terræ, quam nunc *Lombardiam* dicimus, sese tenuere, à quibus hæc contrata ipsum *Lombardiæ* nomen sumsit. Hanc gentem *Ybor*, & *Ayones* cum *Gambara* matre sua de *Sratinavia*, quæ est in finibus *Germaniæ* juxta *Oceanum*, eorum primi Duces cum parvulis, & uxoribus attraxere, quibus necessitas exilii ductis sortibus evenerat, ut ceteris mi- C nor inopia victus foret. Nam ipsa regio tunc tanta erat gentis multitudine populata, ut nec terrarum fructus sufficerent alere tantam gentem. Nec mirum, cum ipsa contrata sub *Arcto* sita, à Solis æstu remota, ideoque alendis corporibus hominum apta plus quam ceteris germinans, *Germania* dicta sit. Hi *Germanici* postmodum in itinere a longis bardis, sive à longis barbis *Longobardi* dicti sunt. Nam per multos annos, ac per multas hominum ætates sub pluribus Ducibus, sive Regibus successive incertis sedibus vagabundi, priusquam ad *Italiam* pervenirent, decem de D se Reges successive habuerunt, quorum decimus fuit robustissimus *Alboynus*, de quo dixi. Post quem plures in *Italia* regnaverunt Reges, quorum plerumque fuerunt sedes intra *Ticinum*, & *Addam*, aliquando *Mediolani*, sed plerumque *Papiæ*, cum inter utrumque fluvium eo tempore nullæ aliæ urbes forent. Hæc de Urbis nostræ situ, atque incolis dicta, quæ etiam timeo ne lectori tædium dederint, sufficiant. Scribere enim magnifici Imperatoris *Henrici* gesta promisi. Verum ut debitus honor detur rebus, prius- 39 quam de tanto Principe sermonem teneamus, faciam ne velut illotis manibus ad læta convivia E discumbentes rudicitate nimia redarguamur. Præfari placet in hunc modum.

CAP. VI.

HUmanum genus tanta utriusque parentis vitio fragilitate laborat, ut ejus misera conditio prona naturaliter, & labilis ad peccandum non modo ad conservationem, verum etiam ad esse sui exigat, ut sancto, & justo regimini supponatur, quo correctis vitiis, ac depulsis erroribus salubriter in pace quiescat. Inde duo luminaria mundo divina videntur provisione statuta, F ne qua sui parte destituta regimine titubet compositio tam nobilis creaturæ, Papalis scilicet dignitas, & Imperialis potestas, quibus terrarum orbis universitas tam in spiritualibus, quam temporalibus gubernetur. Neque ullo jure quisquam ab his subtrahere sese putet, cum ceteris animalibus, quibus nullum inest rationis regimen, ad nostrum, ut puto, urgente naturâ solummodo documentum habere principem, & sub ipso timere datum sit, ut aperte videmus. Nonne pecudum tremor Leonem sibi Regem esse demonstrat; Aquilam pavent aves ut Dominam.

In apibus asseritur esse Rector unus, quem etiam vulgo ipsarum esse Principem appellamus. Itaque natura omni arte solertior cuncta animalia præter hominem præesse, ac subesse docet. Solus homo, sicut expedit, imperare, aut parere nesciens requiescere nescit in pace. Verum cujus sit ille defectus, aut unde prodeat tam lethiferi causa mali nescio, sed a Regnante, ut videmus, plerumque procedit, qui ad conservandam justitiam, sine qua nihil recte agitur, eminenti loco locatus plerumque deficiens vitio, vel defectu suo indignus efficitur, & indignitate despicitur. Estne in avibus Aquilà, in bestiis Leone nobilior? Cur inter homines, qui ceteris præesse desiderat, ut veneratione dignus sit, virtute ceteros non excellit? Saltem omni carens iniquitatis aculeo Princeps apum exemplo sit, ut neminem iratus lædat. Procedit etiam a subditis, quos morum discordia nimium turbat, aliquando causa mali. Nam nulla profecto pax, aut concordia erit in populo, quem uniformitas voluntatum vinculo justitiæ colligata non excitat ad studium commu-
40 nis boni, quæ sola exprimitur uniformi motu, & dependet ab unitate voluntatum populi. Hæc vero unitas humani generis bene disposita non nisi per justum Principem, & Monarcham feliciter perducitur in effectum, qui suis sacris legibus subditos ordinet, & disponat, quæ si serventur ad unguem, vincula sunt societatis humanæ. Quis itaque Princeps quovis nomine censeatur, aut quamvis mundi partem inhabitet, si se hominem animal rationale fatetur, negabit se justo *Romanorum* imperio rationabiliter fore subjectum, quorum si gesta revolvo, totius Mundi principatum, quod Imperium appellamus, liquet sibi cœlitus fore concessum, & per duellum utpote justo bello partum.

CAP. VII.

HOc autem imperandi Mundo jus populus *Romanus*, a quo partum diutius fuerat, & possessum, in unum contulit, in personam scilicet *Julii Cæsaris*, & eum Imperatorem nominans Monarcham, & Principem mundi fecit. Unus igitur Creator omnium Deus est, unus Papa, & unicus Imperator, cui ab ore divino præcipitur tributum dari. Hujus dignitatis electio, atque Sedes *Romani* Imperii, tempore *Constantini* Imperatoris ad *Græcos* translatæ sunt, qui gravi morbo lepræ intercessione B. *Silvestri* Pontificis liberatus ad eam partem *Græciæ* accessit, ubi conditam a se urbem *Constantinopolim* appellavit. Inde in *Germaniam* eam electionem legimus auctoritate Sedis Apostolicæ devolutam *Græcorum* ignaviâ, dum eorum subsidia frustra literis, ac legationibus implorantem Ecclesiam sævientem *Astulphum Longobardorum* Regem persequi & opprimere passi sunt. Cujus inimicitiam *Carolus Magnus* ægre ferens, seque ad partes *Italas* transferens propulsare curavit. Qui *Germanorum* primus ob id meritum *Romanorum* suscepit Imperium. Indigne etenim superis visum est gentibus imperare, qui subditorum injurias propulsare non audent, quique dum tyrannorum sævientium monstra mundo regnare sufferunt, ceteros innocentes perdunt. Nonne omnis potestas desuper constituta est, ut ejus potentia, & virtute mutuis inter subditos sublatis injuriis populus conquiescat sub sacris legibus vivens, quas sine Reipub. malo violare nequit ulla subdita potestas? Nec justum puto arbitrium violandi leges dari, cum metu cupiditatis, quæ possunt scriptis le-
41 gibus terminari non sint ullis judicibus relinquenda. Unde autem, aut qua de causa hujus-
A modi dignitatis electio ad septem Principes *Alamaniæ* pervenerit, non cognovi, utpote Archiepiscopos *Maguntinum*, *Coloniensem*, *Trevirensem*, Comitem *Rheni*, Ducem *Saxoniæ*, Marchionem *Brandeburgensem*, & Reges *Bohemiæ*, qui olim Ducis titulum habebat. Hic tamen non est vocandus, ut dicitur, nisi cum ceteri discordant.

CAP. VIII.

CUm itaque post claræ memoriæ obitum Regis *Alberti* vacaret Imperium, & præfati
B Electores hujusmodi prosequendæ electionis causa convenientes in unum inter se dissiderent, *Philippus* Rex *Francorum* in spem Imperialis dignitatis adductus, precibus nec non Pontificis, & quorumlibet amicorum intercessionibus Electores solicitare cœpit, de quorum numero illi erant, quibus tantæ dignitatis jura, & jurisdictionis honorem obtinere animus, & amplior cura fuit. Cæteros, quos precibus aut donis, aut spe illectos curare senserunt favorem Regis, adorti rogitare cœperunt ne qui suimet favoris, honorisve promptiores forent aliis concedant, id-
C que si tantus *Gallorum* Rex obtineat, occupandi deinceps jus Imperii initium *Gallicæ* nationi fore dicentes. Cumque inter ceteros, quos tetigerat favor Regis, Archiepiscopus *Treverensis* tenacior foret propositi, & durior ad placandum, in ipso negotio tanto imminente periculo haud temere provisum est. Nam Electores confestim, ut reprimatur omnino *Gallici* Regis mentio apud Archiepiscopum supradictum, quod, ut creditur, expectabat, *Teutonum* nominant cariorem sibi.

CAP. IX.

D ITaque *Henricum* Comitem de *Lucimborg* Fratrem ipsius Archiepiscopi *Treverensis* non tam strenuitate morum, ac virtute animi dignum, licet fortunæ viribus, & potentia plerisque Principibus *Germaniæ* impar foret, cuncti cognito periculo unanimes elegerunt. Qui ipso anno a Nativitate Domini MCCCVIII. apud *Aquisgranum* solemniter coronatus est. Hic admodum magnanimus quamplurium Prædecessorum suorum vestigia minime secutus est, quorum nostra ætate nullus aureum, neque ferreum diadema su- 42
E scepit, imo sola argentea corona contenti sexaginta, & plurium annorum tempore inter *Teutones* sese tenuerunt, licet plerisque prædecessorum Regum multo major thesauri copia foret atque earum rerum, quibus magna parari possunt.

CAP. X.

VEre igitur *Henricus* iste magnanimus post paucos dies electione suscepta, secum inquirens: Nonne *Romanorum* Rex intitulor, & Augustus; convocatis Principibus, quorum ad hoc assensum habere voluit, Comitem *Sabaudiæ*,
F *Delphinum* de *Viana*, *Guidonem* Comitis *Flandriæ* filium, & cum his Venerabilem Episcopum de *Tuora*, legavit ad Papam, qui ubi almam Curiam accessere, quæ tunc erat in Civitate *Avininono*, illico venerabilis *Hostiensis* Cardinalis, nec non Sancti Patris *Oddonis* de *Graddisono* juvamine freti, a summo Pontifice, qui tunc erat Papa *Clemens*, clementer exauditi, ab eodem liberum in *Italiam*, deinde *Romam* præfati Regis impetrarunt accessum. In cujus comitiva idem Summus Pontifex quatuor Cardinales, qui vice sui eidem *Romæ* coronam darent, destinare promisit. Deinde

de Rex ipse incommutabilis propositi sui constans solemnes Legatos undique per *Italiam* destinavit suum felicem nunciantes adventum : Cujus rei causa Episcopus *Constantiæ Mediolanum* venit, & in pleno Palatio majori , quod *Palatium novum* nos *Mediolanenses* appellamus, præsente *Guidone de la Turre* Capitaneo, & *Bregadino* de S. *Nazario* Potestate Communitatis , & Populi *Mediolani* inde plurimum odiosis , hujus Regis *Henrici* , pulchra admodum, & acceptabili oratione proposita, nunciavit adventum , ipsum asserens *Aquisgrani* corona argentea in præsentia , & de voluntate Principum *Alamaniæ* solemniter coronatum, deinde sumturum ferreum diadema in territorio *Mediolani* ab Archiepiscopo vestro. Quod , inquit, clarissimi cives significat, quod sicut per ferrum , & instrumenta ferrea cetera metalla domantur, sic per salubre consilium, nec non præclaram armorum potentiam, & virtutem *Italicorum* præcipue *Mediolanensium* domare debet Imperator, & subigere ceteras nationes. Vos ne, inquit, *Mediolanenses*, qui immediate subestis Imperio, omni alio servitutis jugo liberi deeritis? vestrumne favorem subtrahetis, quin tam justus,
43 & clementissimus Princeps vester tertium *Romæ* aureum diadema suscipiat, ut eo ipso qui *Romano* more vivimus, & quasi domestici , & familiares Imperii *Romani* sumus, jurisdictionem habeamus in omnes gentes mundi ? Nonne hæc quidem potestas a Deo est? Negabiturne *Romanum* Imperium a Deo stabilitum, ac etiam ore Prophetico nunciatum fore, quod expositio *Danielis* super somnio *Nabuchodonosor* publice manifestat , qui statuæ caput aureum, quam somnians viderat, *Caldæorum* , pectus argenteum *Græcorum*, tibias ferreas *Romanorum* Imperium portendere nunciavit. Inducamini itaque, inquit , recipere Dominum vestrum æquatis passibus, & stratis & refectis pontibus, bonis , ac præambulis factis itineribus parate viam *Domini*. Moneo insuper, inquit, cunctos Comites, & Barones, ac Satellites suos, nec non etiam universos, qui jure tenentur Imperio , ut se præparent , sicut decet, & cum senserint adventum Domini sui , ad pedes montium sibi veniant hilares in occursum.

CAP. XI.

Ad hæc *Bonifacius* de *Fara* Jurista ipsius *Guidonis* præ ceteris familiaris,& domesticus consultor tanti Principis legationem, tum ipsius destinantis reverentia,tum etiam auctoritate Legati,longa præfatione asserens maximam, & verendam esse respondit: Quæ maxima sunt, ea, inquit, maximam deliberationem volunt; ex quo non præsentialiter his, quæ tanti ponderis, & momenti sunt, respondendum esse censeo, verum deliberato consilio responderi. Quid autem postmodum, aut si quid responsum parum mihi constat. Verum cito multis indiciis patuit hujus adventum Principis infestissimum *Guidonis* voluntati fore, nam primo occulte, tacitisque comminationibus Civibus inhibere cœpit , deinde publice per frequentes armatos complices, & satellites suos per vicos, & plateas cunctis civibus minari, ne de adventu *Romanorum* Regis sermonem teneant. Imo plerique civium, ac Nobilium Comitatus *Mediolani* cum paratis equis, & armis , ac nobili juvenum comitiva agendi honoris causa in *Italiæ* finibus occurrere tunc parabant Regi, summo studio honorificare cupientes adventum ejus, quorum iter minantis *Guidonis* superbus, & terribilis furor tenuit.

44

CAP. XII.

Interim Primores *Guelficæ* factionis *Lombardiæ Mediolanum* vocati in aulam *Guidonis* de la *Tur-*
A *re* conveniunt, ut super tanto rerum eventu, si fortuna consentiat, aliqua salubris consilio captetur via. Verum ibi nihil pro re agitur , imo discrepantes in consilio quisquam pro se arguit, plusque jurgiis , quam consiliis pluribus diebus tempus terunt. Cujus rei primus auctor fuit Comes *Philippo* de *Langusco* , qui tunc *Papiæ* regnantis Nobilium factionis primus , & Rector erat. Hic se Satellitem Regis vocat, seque ac dominum ejus multis Imperialibus donis , & gratiis decoratum asserens, minime , inquit , Domino meo rebellis esse volo. Hæc audita vox Comi-
B tis insolens nimium plerisque visa est. Quippe si per se nihil solicitudinis gerere generum ejus *Guidonem* soliciti timoris non modicam causam sibi fore credebant. Cujus obtinendi dominatus in adventu Regis parum spei erat. Stupentibus itaque ceteris *Antonius* de *Fixiraga* , in cujus cura , & potestate *Laudensis* Civitas erat , licet absque titulo privatus viveret civis in Urbe sua : Postquam nihil , inquit, ad id cujus gratia vocati sumus agi video , ipso, de quo minime dubitabam, impediente, per se quisque agat. Quæremus & nos in Aula Regis locum. Tunc vero *Gulielmum Cavalcabovem* , cujus *Cremonæ*
C pollebat auctoritas , nobilitate gentis , nec non divitiarum , & amicorum copia, & cum eo *Simonem* Advocatum de *Collobiano* suæ partis Principem in *Vercellis*, accepimus in eo colloquio ad propositum Comitis summovendum frustra plurimum laborasse, multis inductis causis, periculosum asserentes hujus Regis adventum, cui affirmabat de facili posse resisti , dum ad resistendum unanimes sint, qui ex nobis præesse volunt vicinis suis.

CAP. XIII.

At *Guido* de la *Turre*, quem stimulus ambi-
D tionis exagitat, hac inani, & longa consultorum disceptatione fessus de consilio præceps abit vociferans : Quid hoc video, cur non concorditer quicumque unum capitis consilium? Ad mortem , video , præcipiti saltu nos urget insania. Iratum quidem existimo , atque infestum nobis Deum , qui primum nobis consilium aufert, 45
deinde dubito , ne deteriora sequantur. Itaque more Bacchantis per ampla fertur atria , totam circuiens aulam incerto passu , itque reditque sæpius in communi sermonem referens, deinde interiora ædium repetens , murmurans sibi soli : Quid mihi, inquit, cum *Henrico* illo *Teuto-*
E *nico* , quem asserunt huc accedere turbare quietum statum meum ? contraxitne genitor meus secum? teneorne sibi pacto ? ignoro. Hunc hominem non cognovi , neque umquam vidi. Deinde agitatus diuque hujus furoris verbere fatigatus Collaterales suos , qui pavidi turbatum Dominum dejecto sequuntur vultu , ad se vocat, quibus: dicite , inquit , tenemurne *Henrico* de *Lucimborgh* nescio *Teutonico* , vel *Allobrogo* ? Quid nobis umquam contulit , unde ullo jure vendicet, quæ tenemus ? Non defuit, ut fit in aula Principum , Tyrannici verbi assertor , imo uno
F ore omnes, nihil, inquiunt; cur non igitur jura nostra defendimus?

CAP. XIV.

Tandem hi *Guelphorum Ligurum* Principes nullo, ut fertur, per commune colloquium fundato proposito inconsulti domum redeunt. Sunt qui asserunt Comitem *Philipponem* , *Simonem* Advocatum, *Antonium* de *Fixiraga* , & *Gulielmum Cavalcabovem* , quos supra memoravi, nullis , aut paucis aliis adhibitis , cum præfato *Guidone* priusquam *Mediolano* discederent , alia

captaſſe conſilia, quem velut ſolandi cauſa ægrum curis adierant, ipſumque in cubiculari camera ſolitarium, & inſanientem Comes *Philippo*, cui ceteri negotium dederant, tali ſermone aggreſſus eſt.

CAP. XV.

Tempus eſt, inquit *Guido*, diſcrete agere, ne poſt factum pœnitendum ſit. Itaque quoniam an ſi reſiſtere expediat, an obedire Regi, quidque tutius, aut utilius nobis ſit, adhuc incertum eſt, id prius explorandum eſt, quam executione uti. Satis opportunitatis fortuna in hoc ſaltem fida nobis dedit. Si viri ſumus, neque conſilii, neque facti tempus deerit nobis.
46 Citati ſumus cuncti principes *Lombardorum*, ut occurramus adventum Regis, ſaltem cum ſuperatis *Alpibus Aſtenſem* deſcendat in agrum. Ibimus videre, ac ſapere mores Regis. Si ad eum faciles erunt nobis aditus, brevi perpendemus, an duri, aut molles ſint nobis animi motus ejus, adhæreatne hoſtibus noſtris, an ſentiat quid opportunitatis, & obſequii conferre poſſimus ſibi. Quibus exploratis ſatis opportunum conſilium, ac deliberandi tempus erit nobis. Interim intentis amicorum, atque ſociorum ſubſidiis juxta ea, quæ ſcripſerimus Mediolani, pro re, ac tempore curetur vobis. Nos autem apud Regem curabimus, ne vos abſentia ſuſpectum habeat:

Deſunt folia duo in exemplari.

fieri docet. Hæcque, inquit, ut aſſero, cum tetigeritis *Mediolanenſem* agrum videbitis manifeſte. Itaque vadato *Pado* paucis diebus *Novariam* venit, *Ligurum*, præcipue *Ambroſianæ* gentis explorans mores, ac ſtudia voluntatum, pluribus diebus moram traxit. Deinde trajecto *Ticeno* multis vadis, ſic etenim hyemali frigore contractis aquis cuncta flumina viam dabant Regi, continuo læta ſigna Nobilium Comitatus noſtri, deinde popularium Urbis turmæ læto fremitu venientium in occurſum Regis apparuere, qui inclinatis ſignis ante pedes Regis ſeſe ſibi liberaliter obtulere. Rex itaque promiſſa *Matthæi* non vana, quinimo jam certa eſſe videns, illo die, ſi tempus ſineret, aut dies ſpatium daret, properaſſet ad Urbem. Sed quia propinquantibus jam veſperis aer nimium ſpiſſus nivis jam cœperat obſcurari, in loco *Mazenta*, qui eo ipſo merito factus eſt Burgus, hoſpitium petit. Poſtero die, qui velut tanti Ducis adventum ſentiens clarior præterito longe fuit, proceſſit ad Urbem, cui priuſquam medium iter capiat, innumerabiles Nobilium, nec non antiquæ gentis popularium familiæ magnis turmis in occurſum veniunt. *Guido* de la *Turre* ultimus poſt omnem plebis turmam obviam Regi non ſolum civibus, quinimo cunctis mortalibus iratus venit, heu quam invitus, quamque etiam vitæ ſuæ odioſus jam propinquo Urbi Domino ſuo trahitur in occurſum, qui impediente ſuperbia timore mixta nec Regem, ut hoſtem repulit, nec ut Dominum naturalem, ſicut tenebatur, admiſit. Verumtamen quoad potuit nec ſuperbi faſtus morem oblitus eſt, nam licet à circumſtantibus doceretur, ac etiam, ut æquum erat, cerneret cuncta Procerum ſigna ante Imperiales Aquilas humiliter inclinata po-
47 ni, auſus eſt tamen veniens in occurſum Regi ſupra verticem ejus pati ſua ſigna alte ferri, quæ uſque ad faciem Principis taliter ferebantur, ni non minor ſuo furor *Teutonum* indignantium eadem manu deferentis demta turpiter dejeciſſent in limum. Attamen jam propinquus Regi ad terram equo deſiliens oſculatus eſt pedem ejus, à quo benigno tandem vultu receptus eſt. Cujus temeritati, ac ſuperbiæ Rex ſatis clementer indulgens: Amodo, inquit, *Guido* pacificus, & fidelis ſis, & quem negare nefas eſt, dominum recognoſce.

CAP. XVII.

Itaque *Ambroſianam* Urbem intrat Rex die *Mercurii* XXIII. *Decembris*, qui illius anni à Nativitate *Domini* ſumentis initium penultimus dies fuit. Ibique denuo convocatis undique *Italicis* Baronibus, nec non ſolemnibus nunciis Civitatum quæcumque partium ſtudia ſequerentur, die *Epiphaniæ* in Eccleſia B. *Ambroſii* Confeſſoris noſtri à *Caſtone de la Turre* Archiepiſcopo *Mediolanenſi* in Regem *Italiæ* unctus ferreo diademate coronatus eſt. Deinde multis inter *Italicos* antiquis, atque recentibus ſubito ſedatis odiis, ac inhibente clementia tanti Regis, cujus ſimplex animus totaliter aſpirabat dare pacem Mundo, paucis diebus ut ſibi viſum eſt compoſitis partibus: tota etenim *Lombardia* ſubito abſque ulla armorum vi in Regis deditionem & obedientiam ſponte veniſſe videtur, *Alexandria* & *Alba* dumtaxat exceptis, quarum urbium fides aut ulla deditio ex parte Regis minime requiſita eſt. Credo quod ambæ Regi *Roberto* erant deditæ, qui illum ipſum *Henricum Romanorum* Regem in Dominum recognoſcere, & ſibi ut ſuperiori obedire promiſerat.

CAP. XVIII.

Ultima tamen Urbium *Lombardiæ* non ſine cauſa in compoſitionem, atque in deditionem Regis venit *Brixia*. Nam *Matthæus* de *Madiis*, qui *Gibellinæ* factionis Princeps ipſa regnabat in Urbe non præſentiam Regis, ſed callidi hoſtis ſui *Tebaldi* de *Bruſadis* inſidias timens non ad radices montium *Taurinum*, non *Aſt*, non *Vercellas*, non *Novariam*, verum cunctis ſerior *Mediolanum* ad Regem jam poſt citationes plurimas
expectatione feſſum venit. Hic *Tebaldus* ſubdo- 48
lus, & cum ſibi expedire videat, ſemper ſimulare, ac diſſimulare aptus, & quando ullius fortunæ caſus ſibi magni patrandi ſceleris tempus aptum dederit, nil umquam intentatum liquens, primus tamen *Guelphorum* morantis *Italiam* Regis pedes amplexus eſt, exilii ſui finem ſupplici voce rogans. Hoc ſenſit Rector *Brixiæ*, imo etiam certis exploratoribus ſuis, nec non amicorum literis, atque nunciis perceperat Regem annuiſſe precibus hoſtis ſui, quippe certus erat animus Regis ubique ſine ullo diſcrimine ſuis civibus integras Urbes facere. Cujus rei cauſa non modico pavore percuſſus jam cunctis ſedatis partibus *Lombardiæ* invitus comparuit, & triſtis, ac vultu nubilus ad conſpectum Regis, ibique *Tebaldum* frequentis perfidiæ ac proditionis accuſans, plurima ſæpius rupti fœderis, ac violatæ pacis documenta publica projicit Principis ante pedes. *Fredericos Gibellinos* ad ejus menſam crudeliter cæſos narrat, inter quos novum generum nominans, nec viduare, inquit, filiam ſuam timuit, quam doloſum, ac peſtiferum pignus pacis dederat *Frederico* juveni magiſter iſte ſcelerum, ac peſſimus proditorum, quos terra ſuſtinet. Quis *Ligurum* neſcit, quos machinavit, & fecit tractatus innumeros, ſubitos inſultus, ac patratas vicinorum cædes contra juratæ pacis fœdera, quorum ſcriptura nondum erat ſicca. Cui Rex: & nos injurias, & offenſas tulimus, à quibus poſtmodum in ſuam gratiam redeuntibus beneficiis victi ſumus, & quos ut hoſtes odimus, pia mente colimus velut fratres. Deus tandem, quæſumus ſimiliter & vos mutuis injuriis, & offenſis, & profecto veſtris quoque Deus dabit finem malis.

malis. Ad hæc Principis verba obticuit, ac utcumque sedatus est quilibet *Brixiensis*. Verum compositis Ducibus in vultu varius color fuit. Arrisit itaque fortuna multum Regi tanta quiete *Ligurum*, tam subito prosperans adventum ejus. Verum brevi tempore facta nubila invidit nimium sibi, imo totius *Italicæ* gentis bono, dum plerique nefandi *Ligures*, & *Lombardi*, etiam quos ex proscriptis exulibus suarum terrarum incolas, atque cives fecerat clementia Regis, perjuri, ac rebelles facti sunt; ut, si expectes Lector, tibi suo loco per ordinem diligenter exponam.

49

CAP. XIX.

AT ubi applicuit *Mediolanum* Rex, ut dixi, cujus Urbis cives non graves, neque duri, sed multum (quin imo quasi natura nimium) faciles regendi sunt, quippe cuicumque Imperio etiam injusto parent, illico *Joannem de la Calcea Gallicum* natione nobilem indoctum tamen, atque incultum virum in ipsa Vicarium suum fecit, qui fatuitate, ac vitiis suis vix completo mense velut inhabilis, & indignus a dignitate remotus est, & ut contentus taceat in solutione magni temporis, tamquam gesti regiminis sui, a quo absolvitur, pecunia a Communi nostro sibi persoluta est, quasi dono data. Et sic demtus honor in proprio commodo compensatus est. Sed neque ipsius Rectoris nostri licet rudis abdicatio multum utilis mihi fuisse videtur; imo Civibus alter error priore deterior subsecutus est; nam Rex alium Urbis nostræ Vicarium dedit, qui multo magis pestifer nobis fuit, utpote *Tuscum*, qui *Senensis* Urbis patriæ suæ exul erat. Hic *Nicolaus de Bonsignoribus* nomine cujusdam societatis negotiatorum magister, atque Rector fuerat, in cujus manu, atque custodia illa Communitas deficiens, & penitus dissoluta nulli ex creditoribus respondebat. *Nicolaus* iste pestifer morbus Urbis nostræ, cum in sede dignitatis fuit, non Vicarii more, aut Rectoris cujusvis cives tractare cœpit, imo sæpe velut principalis sine superiore tyrannus pro modica, & levi causa graves, & aliquando capitales pœnas minitans adeo timidos cives fecit, ut cuncta utcumque gravia, cunctis etiam ultra quam fas sit obedientibus, obtineret. Hoc stolido Civium timore, ut mihi videtur, perdita est diu desideratæ libertatis spes. Nam ut fit novo imminente tumultu sæpe Urbis leges fiunt per bonos, & electos viros. Jam scriptis legibus, quas Statuta Communis dicimus, quibus æquo jure viveretur in Urbe, iste *Nicolaus* arrogans, & superbus, jam cuncta quæ gesserant doctus, ipsarum legum Conditores ad se vocans eis velut ignarum rerum inquit: Quid libertatis, & arbitrii vestris legibus auctum est nobis? Deinde ut vidit *Paganum de la Turre Muschæ* filium, cui velut amico neque ipsius ordinis minimo attribuendi sibi liberæ potestatis, & iniquæ jurisdictionis in cives curam commiserat, amplius dissimulare nequit inquiens: *Pagani*ne quæ promiseras
50 facere noluisti. Nullum arbitrium, nullamque potestatem dedistis mihi. Cui in ipsius *Pagani*, atque omnium sociorum excusatione Jurista *Stephanus* de *Vicomercato* respondens dixit: Eget ne libertate, vel arbitrio, cui totius legis terrenæ conditor noster Dominus Rex omnem quam habet jurisdictionem, & vices suas commisit totaliter in urbe nostra, & nos similiter quantam habet in nos libertatem, & arbitrium Dominus Mundi, tantam damus tibi? Neque *Paganus* in hoc negotio, quæ voluit, fecit, cui soli non licuit leges condere. At ille: Intelligo te, inquit, *Stephane*. Certe quid me teneat, rubecule nequam, nescio, quin te acephalum videri faciam, idque tibi accidet sine mora, nisi statim antequam pedem mutes, ut præ-

A cepta mea serves dederis mihi vadem librarum X. mill. Cunctis solido pavore percussis, ac stupentibus velut uno verbo jugulari possint, solus *Paganus de la Turre* socii dictum laudans, ac sævientis iram molliens inquit, socium pro cunctis haud aliter quam juste dixisse, neque quæ dixit plus quam sua, ac sociorum verba esse, & merito si inde periculi quicquam sequatur, quod absurdum est, sua cuique nostrum ejus discriminis portio captanda est. Verum omnis vobis tamquam Domino obedientia exhibenda est, & præsto sodalis vades sum, deinde ceteri sese offerunt. Receptis itaque ob nullam causam vadibus indignatus, seu
B verius iram fingens tumidis naribus in trepidos, ac degeneres tantæ Urbis Cives tonat inquiens: Nisi statueritis cum tanta libertate arbitrium mihi, ut nullis tenear legibus quodcumque volam, ac mandavero, ratum sit, & verba mea vestras rumpant leges, nullumque provocationis remedium habeatis, Cives, contra edicta mea, sentietis quid aliquando recalcitrantes contra stimulum consequuntur. Accingite vos justitiæ vestræ, & obedientiæ penitus vos parate. Sumne, inquit, an vobis videor esse deterior his, qui hactenus hic regnaverunt, quibus semper arbitrium & libertatem in res, & personas vestras ultro velut de consuetudine
C contulistis? Ac licet non quod volebat, tamen plus quam juris tribuere dignum erat, obtinuit, idque paucis subsequentibus diebus effectum est, dum stolidæ & inanes nimium timentur minæ. Quæ jam relinquitur propinquæ libertatis via? Nam ut terribilem minantis vultum fugiant, novum addunt Statutis nostris Capitulum, quo cavetur, quod iste *Nicolaus* nullis nostris legibus teneatur, quod licet perdendæ libertatis initium foret, nihilo tamen animos percussit populi, aut 51
ullius tumultus causa fuit. Verum vilissima res pecunia solicito murmure primo tumultum, & iram
D populi suscitans, tum seditionis, nec non Regi, ac nobis magnæ cladis causa fuit.

CAP. XX.

HIc etenim Rex noster magnanimus erat, & omnium virtutum dives, pecunia, & auro nimium pauper, nihil nisi *Italicis* adjutus opibus propositi agere omnino valebat. Convocatis itaque utriusque factionis *Mediolani* primoribus, & Magnatibus, propositaque eis necessitate Regis subveniri sibi non nisi sua sponte petitum est. Verum ante ora omnium intercessor Regis erat penes se Scriptorem tenens, cui nota, inquit, quid tantæ
E Urbis Cives offerre volunt Regi.

CAP. XXI.

HOc loco, ut antiquus nobis mos est, nec sapienter promissum est Regi, ex qua promissione nec Urbis nostræ, nec Regis conditio, ut mihi videtur, salubriter tractata est, spreta undique honestate, sine qua nusquam erit utilitas, neque salus. Nam ubi hujus gratia rei Principum Urbis Concilium congregatum est, quibus quid dignum dono Regis foret dicere facultas data est, præsente tamen, ac solicitante Regio nuncio, cujus
F præsentiam velut degeneres fortius æquo timent, inter eos diu silentium fuit. Tandem cum expectaretur hujus promissor muneris, nullo quid offerendum sit nunciante, nobilem & honestum Civem *Guillelmum de Pusterla* inter ceteros minus ambitione suspectum spectant, atque quid super hoc dignum sit dictum excitant. Cumque inde se excusaret, hujus rei onus, & civium invidiam fugiens, cuncti uno ore clamantes dixerunt: Dicat *Guillielmus*, cujus dictum nemo corrigat, sed quod dixerit ratum sit. Tandem diu rogatus, nihil præfatus, paucis verbis, ut sui moris erat, florenos L.

L. mill. Regi dono dari dixit. Cuncti aſſentire vi-
debantur, verum *Matthæus* Vicecomes addens di-
xit, & Reginæ donandum eſſe ſatis videtur ido-
neum, cui ſaltem X mille floreni dentur. Cujus
audito ſemone *Guido* de la *Turre* calori nimis pro-
52 nus, cui neque iram occultare umquam animus
aptus fuit, adulationis vitium in tanto cive ſuſpi-
cans, atque inde indignationis cauſam ſumens: hic-
ne, inquit, eſt mos honeſti Civis, eſt ne deco-
rum ultra communem omnium aſſenſum velle ali-
cui æris largitione nomen libertatis ſumere? Dein-
de Concilio abiens: cur non, inquit, C. millia
cunctis dentur? hic numerus completus eſt. Hunc
ſermonem immurmurans, ac ſæpius iterans velut
inde pulſus vadit, paucis ſuæ factionis, quæ tunc
plus popularium quam nobilium multitudine no-
ſtra vigebat in Urbe, de cœtu motis, qui ſecum
abeunt non claro murmure laudantes iram ſuam.
Ceteri *Guillelmi* primum dictum fruſtra laudant, at-
que affirmant. Verum ſtolidi *Guidonis* promiſſio,
utcumque facta quia major, per nuncios Regis ſcri-
pta eſt, deinde ſibi tamquam ſolemnis in ſcriptis
datur. Quæ poſtmodum nullis querelis, nullis
precibus civium apud Regem retractari potuit,
aut ullatenus mitigari, imo tota cum maxima dif-
ficultate ſoluta eſt. Cujus rei cauſa nobilium, atque
popularium, ſed fortius mediæ plebis murmur in
Regem ſurgit, cujus pauperies in conferendo non
modicum gravata eſt. Nam ubi ipſius tanti mune-
ris recuperatio poſtmodum tractabatur in Generali
Concilio cujuſdam vilis & imprudentis civis *Napa-
leoli* more dicto, ſtatutum fuit, ut ultra XXV.
& infra X. florenos auri nemini civium imponi
poſſet.

CAP. XXII.

Tunc primum Rex forte muſſantis populi
murmur timens centum obſides ex primori-
bus civitatis popoſcit nobilis comitivæ gratia ſecum
uſque *Romam* deducere. Quod ubi publicatum eſt,
ipſique obſides nominati primum popularibus, qui
civilis belli tædio feſſi erant, admodum gratum
fuit. Nam tanta pleroſque, qui nominati erant,
urgebat ambitio, ut nimium grave foret eis in Ur-
be ſua æquo jure vivere. Neque, cum ceteris di-
vitiis, & honoribus præſtent, contenti ſunt ut nec
inferant, nec patiantur injuriam, verum eos inju-
riis, atque damnis impune ſemper premunt, qui
ſibi uſui ſunt. Itaque per cunctos Urbis angulos
exultat vulgus, atque omnis popularium cœtus
lætari cœpit, inquiens: Abeant à nobis longe qui
delirant, ac ſemper in Urbe diſſident noſtro dam-
no, cumque in dies magis magiſque hæc obſidium
53 electio, quam nobilem comitivam appellari voluit
Rex, procedere videretur, ipſo inſtante Rege,
eo magis ceteri congratulantur Cives, eorum li-
bertatem, ac concordiam hoc ipſo reſtitutam fore
dicentes: Verum cum plerique ex nominatis ne
tam longi itineris comites Regis fierent, de cœtu,
ac conſpectu hominum ſubtracti, quorum abſentia
in dies magis notabatur in foro, nunciati forent
Regi citatique plurimi minime comparerent, eum
non immerito ſolicitum, atque anxium reddunt.
Duorum tamen juvenum ex eo numero obſidum
ſibi nunciata conſilia ægrius tulit Rex, ſcilicet *Ga-
leaz* Vicecomitis, & *Franciſchini* de la *Turre*,
quorum alter *Matthæi*, alter *Guidonis*, qui in Ur-
be regnaverant, filius erat. Hi neſcio patrum con-
ſenſu, vel diſſenſu extra Portam *Ticinenſem* in pra-
tis non longe à ponte *Credario* una contra Regem
colloquia habuiſſe dicuntur. Verum quia remotis
à ſe arbitris quid dixerint, quidve tractaverint,
referentibus parum fidei abhibitum eſt. Id tamen
neque ſuſpicione caruit, nam cum ab hoc diſcede-
rent colloquio, in ſignum fidei dexteras accepiſſe,
A ac dediſſe feruntur, quodque videri, ac ſatis ma-
niſeſte perpendi potuit. Quid enim tam adverſæ
factionis primorum juvenum ſolitarium collo-
quium? quid tam rebellibus, & hoſtibus junctis
dextris data fides circumſtantium famulorum in-
terpretantibus animis aliud ſignificare poterat, quam
contra nimis odioſam *Germanici* Principis ſibi vim
parantis potentiam nova conſilia ſumi? Verum cui
certa fides adhiberi poſſit tam vulgatæ rei nullus
auctor fuit. Sed fortuna, cujus ordo eſt cuncta
confundere, ſuæ dentur curæ etiam cum prope
diſpoſita videantur, hæc quoque forent conſilia ju-
B venum tecta, manu volvens ab inſidiis ſubito Re-
gem ſalvum fecit; nam *Franciſchinus* de colloquio
rediens, priuſquam genitori, quæ geſſerat cum
novo comite, nunciaret, adeo læto vultu ambi-
gua, & quæ notabantur verba jaciens aperuit ſe,
ut non modo comitum, verum etiam famulorum
inferior turba domus concordiam Principum utriuſ-
que factionis non ſolum in Aula ejus prædicet, ſed
variis ſermonibus cunctos Urbis vicos replet. *Ga-
leaz* vero cuncta ſimulare, & diſſimulare doctior,
quippe moribus, & ætate perfectior nullum inde
ſuis nec linguâ, nec vultu notabile ſignum dedit.
Quod ubi percepit *Guido*, nato quæ cum *Galeaz*
C tractaverat in colloquio ſibi referenti ſæpius dixiſſe
ferunt: Solertior in colloquio, ac rerum peritior
tecum fuit, plus te ſciet.

CAP. XXIII. 54

Interim conſenſu Principum utriuſque partis ple-
rique obſidum Regem adeunt, ſeque affimant,
nec non ceteros collectos æquo animo ſecum iter
facere, dum communi ære digna ſtipendia dentur,
idque ſolum hortari cœperunt, ne ſuis ſtipendiis
contra jus, & æquum ſecum militare cogantur.
At id quod requirebant nec jure negari, nec faci-
le obtineri poſſe ſciebant, nam nec Rex ſtipen-
D dia ſibi conferre volebat, nec populus contributio-
nibus fatigatus, ac pene exhauſtus, ea, niſi coge-
retur, de communi tribui minime conſentiret. At-
tamen inſidias, ut puto, non perpendens Rex:
Juſta, inquit, petitis; verum per Communem ve-
ſtrum id fieri volumus, atque illico *Nicolaum* Vi-
carium ſuum vocans, negotium illud committit ſi-
bi, qui vocato Senatu, quod Conſilium generale
dicitur, rem prout erat exponens executionem ha-
bere poſtulat. Verum ſive Senatorum avaritia,
quibus grave ſtipendium id videbatur, ſive ſuæ
factionis principe quiſque corruptus foret, id fru-
E ſtra petitum eſt, quod ægre nimium tulit Rex,
ſed multo ægrius, quia à mane uſque ad octavam
inde nullum in Senatu reſponſum datum eſt. Nam
Nicolaus perditis in Senatu prius multis in oran-
do verbis, ne Domino ſuo illuderet, dum res
Communis agitur abnegando reſponſum, de
Senatu abiens ad Regem adiit, cui Mutum Se-
natum, inquit, ſedentem in Palatio clau-
ſum teneo. Deinde expoſita, prout erat, re di-
xiſſe ferunt: Jube Domine captivos eſſe, qui ſui
Principis comites eſſe nolunt. Jam utriuſque fa-
ctionis Principes, non te auctore, verum inſcio,
concordes quid ſubditus Domino teneatur neſciunt,
F quinimo in tuæ majeſtatis potentiam ſæviunt. Sen-
ſiſti *Galeaz*, & *Franciſchinum* ad colloquia con-
veniſſe, quorum conſilia non ſcire licet; quæ igi-
tur conſpirationis ſigna, aut argumenta quærenda
ſunt? Quid ingratæ Urbis tuo damno pacem quæ-
ris? Hi, vides, ſtolidi cives ſunt, numquam in-
tegra civitate Principem habere volunt. Eorum
libertas, atque vita in tua manu ſita eſt. Retine-
ri, atque illico dum ſiveris, gladiis dari poſſunt,
qui Principes ſeditionis ſunt. Nonne evidenter pa-
tet malignantium pravum opus, qui undique cri-
minandæ Majeſtatis tuæ occaſionem quærunt? Ad
hæc

non degener, sed alto, ac tanto Principe dignum responsum dedit Rex: Non suspectionis arbitrio,
55 *Nicolae*, judicandum est, non omni spiritu credendum est. Non temere, ne pœniteat, quicquam agere Regem decet. Nec dubitamus, bona fide procedis, sed & nos exploratores per Urbis angulos, atque vicos misimus. Referendarios habemus. Pauci infimæ plebis, qui *Turrianas* domos colunt, de conspiratione loquuntur, ceteri illius rei ignotos sese faciunt. In nobilium parte, quæ *Matthæum* amicum nostrum sequitur, minime suspectionis signa videmus. Alia certiora tuis argumenta in tanto negotio quærenda sunt. Vade, cunctosque licenties. Jejuni sunt. Nemo in Senatu retentus sit. Liberi abeant quisque domum. Utriusque Civis fides brevi nota erit nobis, & separabitur à bono pravus.

CAP. XXIV.

HAc igitur benignitate Regis nulla ad propositum responsione facta, de palatio stolida, & inconsulta discedit turba, ipsamet taciturnitate sese vendens. Inde, ut fit, pluribus ignorantibus casum sub damno crevit temeritas, & audacia; nam paulo post, priusquam ipsius hebdomadæ foret finis, subditâ armandi militis ex industria captâ causâ, magna *Teutonum* turba in *Brolio Mediolani* in armis, & equis fuit, simulans, ut fertur, nescio quem miserum, suisque meritis dignum judicio ignis duci. Hoc autem non temere, imo consulte actum est, ut hi velut firma acies ceteris Urbem discurentibus subsidio pro castris forent. Deinde ad arma discurrere ceteros Regis milites subito per hospitia nunciatum est. Verum in ipso primo tumultu destinantur nuncii Regis armati in equis, qui per Urbem Domos Principum, & Magnorum Civium visitent, haud temere explorantes, qui Civium in armis sint, quive publice, quive occulte arma parent. Hi primum *Matthæi*, deinde *Guidonis* Domum visitant; Verum priusquam *Matthæi* Domum propinquassent, hoc sibi nunciato, *Ludovicum* Vicecomitem cum aliquot juvenibus, qui invito, ac inhibente *Matthæo* paratis in Curia equis arma sumserant, in secreta ædium cum equis claudit, & ipse cum paucis in vacua sede porticus togatus ejus rei ignotum sese gerens, ubi per patentes porticus in spatiosam Curiam exploratores Regis intrantes vidit, velut interruptis circumstantium sermonibus sedato vultu eos quieta sede surgens recepit, vinum afferri clamitans, velut ignarus,
56 quid visitent, quæritentve, rogitat. Qui ubi insidiarum, ac machinamenti nullum signum vident, oculorum potius quam aurium opinioni stantes, *Matthæum*, & complices ejus insontes vocant, atque illico citatis equis ad *Turrianas* Domos ruunt, ubi tumultu, atque armis omnia plena reperiunt. Attamen nondum frequentes suæ factionis turmæ convenerant; nam hoc ipso falluntur perniciose nimium *Turrianæ* partis duces, qui non eam diem, sed posteram, ut dicitur, ordinaverant ad tumultum. Verum tamen, ut subita poscebat res, nihil impigre actum est; nam cognito primi tumultus motu per primos cursus *Teutonum* illi, quos ego in foro promptos lingua videram de primorum juvenum, & *Galeaz*, & *Francischini* conspiratione loquentes, discurrere Urbis vicos visi, illico ad arma suscitant vicinos suos, & quos possunt subdolis, & fictis verbis ad *Turrianas* partes mittunt, dicentes: patine vultis ulterius injurias *Teutonum*, quos Duces nostri, qui unum facti sunt, amplius pati nolunt? Apparebant etiam *Guelphicæ* factionis nuncii, ut instructi erant, falso jurantes, se *Galeaz* Vicecomitem, & *Francischinum* de la *Turre* nunc nunc vidisse armatos in *Turrianis Vastis*, ipsosque datâ, acceptâque osculo pacis fide in *Teutones* una armis ruere. Hæc narrantes dicebant, deinde: quid agitur? non verbis, sed factis opus est: ad arma ad arma, deleantur barbari: concordia civium facta est. Pauci neutrius factionis communem patriæ statum affectantes, decepti secum vadunt, at plerique de parte Nobilium hæsitantes, quid novum audiant, mirantur. Concordia Civium admodum grata est nobis, inquiunt; sed hæc nobis nova res est. Deinde, ut fit, sedato aliquantulum animo secum inquiunt: Nonne hi qui subito pacem nobis nunciant, satellites, ac sequaces *Turrianæ* Domus sunt? Non sunt primi factionis suæ? & nos sequaces sumus? Cur non & nos hæc novimus? Nemo partis nostræ horum concordiam Ducum nunciat. Itaque de parte Nobilium rari sunt, qui tumultum adeant, cum eam rem in *Turrianis Vastis* armis geri sentiant, sed quisque viciniam suam armatus tenet. Verum misera vicinia *Braydæ Quercii* nunc intra fines *Portæ novæ* sita, seu quia *Vastis* affinis, seu nimium studiosa *Turrianæ* partis foret, vicinos suos temere ad tumultum misit. A ceteris etiam ipsius Portæ vicis subito raptis armis ruitur in latis *Vastis*, quorum pauci sine vulnere redierunt domum.

CAP. XXV.

ERant eo tempore in nobili familia *de Petra Sancta* non plures, quam duo, qui *Turrianæ* 57
partis studia sequerentur, *Rizardus* scilicet, & *Philippus* fratres. Cetera totius stirpis multitudo partem Nobilium secuta fuerat ab antiquo, & nunc eamdem in *Gibellinum* nomen mutatam ceteri sequebantur, etiam *Franciscus*, & *Guido* ipsorum *Rizardi*, & *Philippi* ex alia matre fratres. Nam *Bonacosa* plebei divitis quondam *Zarri de Surlaqua* nata *Zarini* fratris successione superba, qui captus in conflictu, quo *Casso de la Turre* cecidit, in carcere morbo sumto sine liberis vita functus hanc germanam suam sui æris divitem fecerat. Horum *Rizardi*, & *Philippi* mater erat. Hæc germanam uterinam solum nobiliori domo natam habuerat, utpote de stirpe antiqua de *Rhaude*, quæ quia utroque parente nobilis, ut sola genitoris hæres, *Napoleonis* nurus, utpote filio ejus *Muschæ* uxor accepta est. Inde *Castonus* nunc Archiepiscopus, & ceteri fratres ejus, quorum mentio facta est, nati sunt. Hi post mortem matris, quæ decessit exul, in patriam reducti nescio quo pacto quave ratione, eos *Rizardum*, & *Philippum* non modo ad dilectionem sui, domusque suæ, verum etiam ad ardentia *Turrianæ* factionis studia mirabiliter attraxere, cunctis agnatis, fratribusque suis veteris Nobilium partis consilia sequentibus more patrum. Hos *Rizardum*, & *Philippum* novam, pestiferamque sibi partem sequi plerique ab imperiosa matre coactos esse ferunt. Quid carius possideri, aut possidendum intolerabilius expectari potest, quam divitis mulieris census, quem ea superstite numquam pacifice possidebis? *Rizardus* præclaræ formæ juvenis multæ virtutis dote florens, quæ juvenili ætate semper gratior fuit, multum vicinis suis, ac Civibus amabatur. Hic etiam, quorum juventute mirabilis Rector, ac Potestas fuerat, *Florentinis*, *Senensibus*, *Lucanis*, *Pergamensibus* ad modum gratus fuerat, ubique magnifice se se gerens celebre nomen fecerat. Ipsos itaque *Rizardum*, & *Philippum* plerique ex agnatis, ac vicinis suis creduli nimium, civili nunciata concordia, armati contra *Teutonos* usque ad *Turriana Vasta* secuti sunt. Verum ubi ibidem nullam biveram, nullaque *Gibellina* signa vident, *Bellinus*, & *Colombinus de Petrasancta* illico se deceptos vocant, ac primi flexis frænis redeunt domum; Idem ceteri *Gibellinæ* factionis fecerunt.

58
CAP. XXVI.

Cum igitur de cunctis partibus *Portæ novæ* illuc tumultuoſe curritur, *Zonfredus de la Turre*, cui cujuſvis quærentis in Urbe dominatum ſemper diſplicuit ambitio, clamore audito excuſſus, quo dormiebat, aut aliqualiter alteratus quieſcebat lecto, ad ſpeculam ſeſe trahit, quanta voce potuit clamitans: Heu quid vos hic coitis inſani? Hinc abite, nec tardetis, abite. Quæ temere ſumſiſtis arma deponite, quibus veſtra urgente inſania, heu, non modo veſtram, quinimo meam, cunctorumque una Civium necem quæritis. Hæc ita fruſtra vociferante *Zonfredo*, dumque inſtantis pavore mali, injuſtique doloris anguſtia ſtimulante, totum ſe dilacerat, & e ſpecula proſpicit *Teutonos* rapido venientes auſu.

CAP. XXVII.

J*Oannes de la Calcea*, quem ſupra memoravi, deinde *Henricus* de *Flandria* Mareſcalcus Regis, primi ad tumultum magna Equitum manu veniunt, & porticum, nec non plateam *S. Fidelis* celeri curſu tranſeunt; Verum in ipſo *Vaſtorum* aditu capientes campum, ſiſtunt gradum, ibique in adverſa *Vaſtorum* parte frequentibus conſpectis hoſtibus in agmine ſeſe cogunt, dum utrinque ſubita venientium expectant ſubſidia. Ex *Teutonis* pauci cum baliſtis tenſis, ſive ſuamet, ſive ſuorum licentia Ducum in medium prodeunt adverſus hoſtium ſagittantes globum. Ut fit in frequenti agmine ſæpe paucis ſagittantibus ſubitus pavor una omnes turbat. Itaque *Turriani* modicum volatilis ferri periculum vitare volentes in extremam bellicæ cladis ſortem ruunt. Nam dum ex aperto, ac nimium patenti ſagittis loco poſt templum *S. Benedicti* ſiniſtro lateri proximum reducere ſeſe volunt, ubi undique ſuccurrentes expectare tutius viſum eſt, *Teutoni* fugere eos rati, citatis equis, ac nudatis enſibus nudatum clypeis incurſant dextrum latus hoſtium, eoſque turbant, & ſubito in veram fugam vertunt. Ibi magna peditum ſtrages fuit. *Franciſchinus*, & *Simoninus Guidonis* filii ſuæ ſalutis magis, quam languentis in lecto patris memores, de tumultu, cujus auctores fuerant, cita-
59 tis equis cum paucis ſeſe ſubtrahunt, & per *Braydum Guerzii*, ubi phalerati vectoris ſui pendentia reſerat, atque jacit ſua quiſque picta terga bovis inutile onus fugæ, per *Puſterlam S. Marci* Urbe exeunt, & montis *Orphani* feſſis equis tutam arcem petunt, ac ceteri equites qua quiſque venerat, aut qua liberior, paratiorque fuga viſa eſt, citatis equis tendunt. Plures tamen equitum, in quorum numero fuit........de *Bernadigio Ottonis* filius nu per ex adverſa factione *Turrianus* factus, in conflictu cæſi ſunt. *Rizardus* etiam, & *Philippus* fratres de *Petraſancta* dum ingruentium impetum fruſtra ſuſtinere conantur, tarde memores fugæ fuiſſe videntur; nam *Philippus* equo ſtratus ſemivivus diu inter cadavera plebis ſpoliatus armis, atque nudus jacuit duro ſolo. *Rizardus* inde tardior ab inſtantium furioſo impetu utcumque ſubtractus, relicto equo hoſtibus, pedes in *Guidonis* Domum evaſit, tutior factus clauſa porta, deinde invalidi *Guidonis* lectum petit, cui haud modicum opportunus venit, nuncians ſibi miſerrimum caſum ſuum. Hinc prorſus, inquit, abeundum eſt, Hoſticus furor poſt tuorum terga gladio ruit. Non plura inquiens invalidum e lecto tollit, quem tranſacto vicino muro per hortalia Monaſterii *Horoni* in Monialium interiora Domus ſecum defert, ubi *Guido* nec ſe nimia vicinitate tutum putat; imo inde per multorum poſteriora ſediminum in Do-
A mum Fratris *Jacobi de Bechaloe* Religioſi militis B. *Virginis* glorioſæ tranſlatus eſt, quæ Domus diſtantia loci quærentibus ipſum minus ſuſpecta erat. Tarda peditum turba latius cæditur, & commune Urbis crimen luit.

CAP. XXVIII.

AT *Matthæum* celeri, atque utili conſilio uſum in tanto rerum turbine multo ſpe felicior fortuna ſecuta eſt. Nam primo armorum fremitu, primiſque horriſonis civium vocibus ad arma cla-
B mantium auditis, non Solitæ calliditatis oblitus, *Galeaz* primogenito ſuo, ne arma capiat mandans, per poſteriora Domus in propinquum Epiſcopi *Tridentini* hoſpitium, qui tunc erat Regis Cancellarius, propere paucis comitantibus inermis tendit, cui: Ad Regem quæſo, inquit, mecum venies, ad cujus nutum vivere, atque mori paratus ſum; nam ſine te furibundos inſultus eorum, qui vota mea neſciunt, timens, nunc meum Dominum non accedo. Itaque comite Cancellario *Matthæus* per frequentem turbam *Teutonum*, trepidam tunc 60
cuſtodiam Regis ad ipſum Regem togatus venit, quo habitu reddita ſpe, cuncti undique gratulan-
C tes *Matthæum* fidelem amicum vocant.

CAP. XXIX.

AT ubi Rex *Matthæum* vidit, quem in ſe conſpiraſſe acceperat aſſertione multorum, ejus præſentia lætatus, cujus horrebat abſentiam, *Matthæe*, inquit, ubinam *Galeaz* filius tuus, quem quidem infeſtum nobis dicunt; Et tu hæſiſti in fide titubans, ſed fortius obloquitur contra te vulgus, nam conſpiraſſe diceris in Dominum, & reconciliatorem tuum, communicando conſilia cum
D his, quos nobis infeſtos fecimus cauſa tui. Cur tam tardus huc veniſti? Nonne dudum armorum fremitus totam Urbem movit? At ille: Summe Regum, inquit, tua clementia ſum quod ſum, &, qui me ſequetur erit tecum, quibus quodcumque juſſeris non exequi nefas eſt. Quod potui, audito tumultu, ut ocius huc accederem tutus fui; ſed ne tuis gentibus neſcientibus vota Civium ad te veniens inſultarer, vicinum hoſpitium Cancellarii prius per poſteriora Domus acceſſi, obſecrans atque inſtans ſibi, ut ſe comitem ad vos mihi tutum iter faceret, quippe præſens audit, & inno-
E cuæ veram cauſam moræ novit. At Cancellarius benigne ſuſcipiens amici cauſam, eum ab initio novitatis ad ſe fuiſſe aſſerit, & opportunam, atque creditam dilationis cauſam dicit utpote Principis moram. Interim *Galeaz* contra mandatum patris arma capiens, ac proximos ſequaces ſuos ad arma provocans cum magna turba ad nobilem Plateam *de la Peſcina* ſeſe tulit; ea namque ceteris partibus Urbis plenior *Gibellinis*, ac etiam armis & equis opulentior ſemper fuit, ibique frequentibus turmis ſequaces partis Nobilium portæ *Ticinenſis* propere glomerantur in unum, quid primum agant ignari; nam ſtolidus furor *Teutonum* paucis placet, quibus
F velut a natura evenit amicitias ſuis pravis moribus, ubique præcipue per *Italiam* confundere, cujus 212
contratæ incolas ſuo damno nimium ſpernunt, quod vacationis Imperii per tot tempora maximam, imo ſolam cauſam puto: heu quod antiqua, & fida Imperialis aulæ hoſpitia pravus ordo *Germanicus* a ſe pellit culpa ſui. Cum itaque de cunctis partibus portarum *Vercellinæ*, & *Ticinenſis* ad *Viperina* ſigna concurritur, dumque jam ibi frequenti agmine facto *Galeaz*, & qui ſecum erant, verſus propinquum vicum, quem vulgo *Curiam Ducis* dicimus, frontem darent, ibi ſolicitam *Germano-*

norum turbam vident, quippe quoſcumque in ar-
mis cives timent. Tunc *Boſchinus Mantegacius*
nuper beneficio Regis de exule factus civis, ut pa-
ventium animos *Germanorum* firmet, de ſuorum
agmine (nullo, quod eum compoſitorem, aut
nuncium eſſe ſignificet, ſigno dato) ad eos ſolus
tendit. Contra quem iratus *Teutonus* hoſtiliter
eum accedere ratus, nudo enſe ſponte venit. Ve-
rum *Boſchinus* illico de vertice galeam tollens ci-
viliter, ac blando vultu ad eum tendens, ſe ſuum
probat amicum: deinde ſecum ad ſociorum tur-
bas pergit, quos omnes per paratos interpretes
illico ſecuros, & multum lætos fecit docens,
Galeaz Matthæi filium, cunctos etiam, quos ar-
matos vident, Regi fideles fore: cujus beneficio
cuncti cum familiis noſtris, inquit, olim diſper-
ſi in dulcem patriam reducti ſumus. Sinite, vo-
lumus, atque parati in armis ſumus, vobis, at-
que nobis, & noſtris rebus dare ſubſidium. Ita-
que his actis illico *Galeaz*, & qui cum eo con-
venerant, congratulantur. Reddita ſibi mente
Teutoni, & junctis fide dextris uno agmine una
equitant per amplam ſtratam S. *Thomæ* uſque ad
latum vicum *veteris pontis* portæ *Cumanæ*. An-
213 teibat *Galeaz* cum Epiſcopo illius agminis *Ger-*
mano duce. Cui, quidnam, inquit *Galeaz*, no-
bis agendum eſt, dicite. At ille: Scitis, inquit,
Ducem *Auſtriæ* cum omni turba ejus, quæ non
modica eſt gentis noſtræ, non intra urbis mœ-
nia, verum etiam extra urbis muros juxta Cœ-
nobium S. *Simpliciani* portæ *Cumanæ* foris ho-
ſpitio fore. Hi clauſis foribus ad nos introire, ac
nobis ſubſidio eſſe nequeunt. Tunc * *Guelforum*
circumſtantium vis *pontis veteris* amplum locum
occupat, ibidem relictis peditibus *Creſone Crivel-*
lo, cujus *Turrianæ* nurus vinculum *Johanni* filio
ejus nupta nunquam ſedavit animum, quippe ni-
mis inſidet alta mente cæſi patris injuria prope
ripam *Guaſæ*. *Galeaz* ad portam *Cumanam* tendit,
& pandita porta quingentos præfati Ducis *Au-*
ſtriæ equites introducit. Qui urbem intrarunt,
dominum ſuum ſolum quærunt: ipſum, ſuamque
ſalutem, aut diſcrimen illico ſcire volunt. Hic
enim Dux primus puber paulo ante tumultus ini-
tium paucis comitatus alumnis, quibus eum ge-
nitrix mandarat alendum in armis, viſitans ho-
ſpitium Regis, & inde rediens (heu miſeræ geni-
trici) pæne a crudeli fato innocens puer ereptus
eſt: nam juxta communem porticum *S. Marcel-*
lini temere volat lancea, inerme pueri crudeliter
latus petens. Sed fidelis bailus, velut ſubito fa-
cto amens, ocius occurrens inermis, & ipſe prono
corpore nimium ſævum capit telum. O præclara,
& utilis modo fides! O grata Deo virtus! Qui fi-
deliter protexit Dominum ſuum, a Domino cun-
cta merito cernente ſervatus eſt, cujus fortis
manus venientem haſtam torquens per ſumma ve-
ſtimentorum fidelis militis, omnem periculoſi cor-
poris locum vitans, innocens rexit ferrum. Plu-
ribus itaque, qui viderant, aſſerentibus ſalvum
Ducem, una omnes læti ad *veteris pontis* locum
veniunt. Ibi *Creſo Crivellus* antiquis, & novis
offenſionibus, & injuriis turbidus, ac patriæ cædis
214 non immemor, quem *Turrianus* gladius percuſſe-
rat ad flumen *Guaſæ*, multis referentibus, con-
fuſos *Guelphos*, atque *Turrianos Vaſtis* victos fore,
percipit. Quod *Galeaz* & *Teutonis* ſecum redeun-
tibus nunciat, alta voce vociferans, delendam
ubique per Urbem *Ghelficam* gentem cenſeo. Cu-
jus vocem laudant *Teutoni*, ac nudos oſtentantes
gladios, ſinite, inquiunt, his gladiis utiliter rem
veſtram geri; ut ſecuri in urbe ſemper ſitis,
provideatis ſemel vobis. Tum *Barbarorum* dictum
cuncti probant etiam ſtolidi cives noſtri. Solus
in ea turba Principum junior *Galeaz*, Dei, atque

A hominum ea die memor fuiſſe videtur. Nam pri-
mum ſermone blando alloquens, *Creſonis* iram
mitigat: deinde cunctis audientibus: locus, in-
quit, certaminis ante omnia viſitandus eſt: ibi
quod periculi, atque ambigui eſt, de medio tol-
lendum, ac ſeditionis Duces, ſicubi reperiantur,
gladio puniendos puto. Omni itaque agmine ad
Turriana Vaſta ruitur: ibi ex *Turrianis* ſequaci-
bus pleriſque cæſis, ac rubicundo ſolo ſtratis,
per fugam cæteros evaſiſſe, reperiunt, per ple-
nas Domos *Teutonis* prædam quærentibus pluſ-
quam cædem. Spoliabantur non modo *Guidonis*
B agnatorum, atque ſequacium ejus, verum etiam
innocentium vicinæ nimium miſeris *Turrianis*
domus juxta *Turriana Vaſta*. Miſerum certaminis
locum habitabat dives, & popularis familia de
Segazonibus, qui conductores, ac ſtudioſi *Galli-*
cæ, & *Britannicæ* lanæ erant negotiatores. Ho-
rum domos adductis de *Gallia*, aut permutata
lana drappis plenas *Teutonum* manus occupat vi,
& violatis famulis cunctas domos: capiunt cla-
ves, & qui intus ſunt jure belli ſua eſſe volunt:
nec ullo *Galeazii* dicto, aut facto illius boni ci-
vis pacificam innocentis familiæ domum teſtantis
inde Prædo barbarus educi voluit, nocentibus
C innocuo rebus ſuis, aut qui ſecum erant, alio-
rumve bonorum civium de horum popularium
domo minime bellicoſa, omnique cauſa ſeditio- 215
nis ignara, divitiis ac rebus ſuis ſibi nocentibus,
deduci valuere hi prædones barbari: imo pluri-
bus diebus non modico rerum damno claves do-
mus tenuit Prædo, donec continuo creſcere ſua
damna videns tam pacificus civis noſter auro re-
dimeret, quæ remanſerant in domo ſua utpote re-
liquias prædæ.

Erat tunc *Mediolani Paganus de la Turre* E-
piſcopus *Paduanus* innocentis *Zonfredi* frater,
qui primi tumultus vocibus ſtupefactus, illico api-
D cem, & baculum paſtoralem ſumens in Eccleſia-
ſtici Paſtoris habitu ante germani ſui portas ædium
verendus ſtetit, aliquot pie circumſtantibus paci-
ficis *Gibellinis*, cui ſacræ Religionis, & circum-
ſtantium reverentia vix ſua * vita, boni fratris
domo penitus ſpoliata. Interea *Matthæus* conſen-
ſu Regis tumultus loca viſitans, tollendi inju-
rias, ac ſedandi prædas gratia, domum dilecti ci-
vis Fratris *Jacobi de Beccaloe* Virginis Glorioſæ
militis petit, ignarus, quid ibi latitet. Ubi nunc
divitis *Guidonis* ſuperbia, qui patria urbe vivere
æquo jure neſciens, nunc dum plebeji civis do-
mi latitans volantium ſtridorem avium timet,
E *Matthæi* Vicecomitis famulis pulſantibus, ſtri-
dentes domus fores ſentit; ad quas currit ille ſe-
dulus, & fidelis Frater *Jacobus*, nullius ſervi
domus fidens: qui patefactis portis *Matthæum*
licet amicum videns, non pro ſe, ſed pro depo-
ſito præſentiam ejus timuit, ac tantum utcum-
que timore preſſo, ſatis claro vultu, inquit:
Quid vultis, quidve quæritis a domo veſtra? At
ille: nihil niſi, ut domus, & quæ in ea ſunt,
dum poſſumus, ſecura ſint. Deinde paratos in ar-
mis famulos oſtentans offert, quos ſecum teneat
præſidii cauſa domus. Cui ille inquit: Nec præ-
F ſidium veſtrum repudio, nam ſcio præſto erit,
nec dubito, ſi neceſſe erit. Verum illico veſtra
opera ſedabitur (exiſtimo) furor iſte, & omnis
innocens civis ſecurus erit. Ite, nullum diſcri-
men cunctos defendentibus cives veſtros, & bonum 216
vobis fuit, erit. Etenim verbum illud ſubitum,
ac cunctis notandum civibus, ſi animus nobis fo-
ret ratus. Nam tunc primum hæc proſpera in
tam periculoſo rerum diſcrimine, aſpirante fortu-
na. *Teutonus* furor effrænis factus, exultat nimis,
& licentius in quoſlibet cives ſævire cœpit. Ita-
que non modo eorum, qui arma ſumpſerant con-

tra Regem, spoliantur domus, verum etiam innocentum, & imo eorum quorum studium *Turriani* nominis, ac suæ factionis extiterat odiosum. Hujus rei non modica causa fuit pestifer invidiæ morbus inter cives tunc nimium perdita caritate laborans: nam ob prava, quæ diutius in urbe fuerant, partium studia multis veteribus, ac novis offensionibus, & injuriis multorum, ut sit, mutuo datis, apto (ut sibi visum est) tempore suscitantur odia; inde neque verso pollice multorum Barbaris signantur domus. Hæc adeo crevit pestis, ut plerique, qui ad suorum civium spolia causam dederant, suscitatis deinde in eos prædonibus spoliarentur. Sic sæpe digna meritis præmia mortalibus reddit Deus. O vilissimi vilium cives, quos canina nimium rabies vexat. Saltem vos moveant ridiculi prædonum risus. Ridet *Teutonus*, & omnis Barbarus amentia vestra, qua utitur, gaudens. Offendere, non tegere potestis vicinos vestros: non *Matthæi*, & qui injuriam ægre ferunt, opera tollitur illa pestis: quippe cum se opponere *Teutonis* non audeant, protectione parum prosunt. Utrum instantia, qua possunt, ad Regem, & ejus Principes, atque humili intercessione proficiunt. Quippe nec ipse *Matthæus*, qui præ ceteris erat civibus, ac *Gibellinæ* partis primus, se in urbe tenere nequit, & innocens vivere domi suæ. Nam post paucos dies *Matthæus* in *Astam*, *Galeaz* filius ejus *Tarvisium* jussu Regis in exilium pergunt. Verum sibi plurimum nocuit invidia, atque plurimorum pavor: nam Magnatibus *Gibellinis* ejus
217 crescens potentia aut odiosa nimis fuit, aut pavoris causa. Nam plerique eorum olim cum ipso *Matthæo* magna vi regnante militantes, facta in castris conspiratione cum hostibus justa *Meltium*, adeo procuraverant casum ejus, ut eorum opera sub specie tractandæ pacis in manus *Alberti Scotti* (quem Comes *Philippo de Langusco*, & *Antonius de Fixiraga* contra eum incitaverant) traditus ex Domino urbis suæ, ac magna partis *Liguriæ*, factus sit exul usque ad hujus Regis adventum. Reliqui vero dum mente recolligunt, & examinant regnantium morem, specialiter in urbe nostra, ne ejus potentia libertatem civium occupet, timent. Sed brevi tempore operosi cura *Francisci de Garbagnate*, omni suspicione Regis prorsus dempta, cum maxima, ac solerti solicitudine, uterque in patriam, ac Regis gratiam revocatus est Nam plerique eorum, qui *Matthæum* ambitionis vitio accusaverant, apud Regem nec sua vitia occultare valuerunt, quin ipsius *Francisci* opera, atque judicio Rex perpenderet, eos etiam neglecto Reipublicæ ac communis boni studio, pro se quemquam, ac pro sua magnitudine laborare. Quo fit, ut ubi sic vivitur, quod vitio civium commune bonum propriæ utilitati postponitur, potentiores, qui etiam præ cæteris vicinis suis molestius servitutis jugum ferunt, tyrannicum imperium in urbe provocent. Nam dum impune more suo proximos inferiores premunt, humiles populares etiam invitos ad creandum Dominum ex primoribus urbis cogunt, de quo licet, ut fit, simulent, non confidunt, ut saltem pravorum civium injuriis sub quoque regimine vivant tuti, unicum potius, quam plures, volentes Dominum.

At *Matthæus* per literas Regis exilii liber factus in patriam rediens *Papiam* venit, quo visendi gratia antiqua Imperialis urbis mœnia venisse Regem senserat: ibique benigno Regis vultu receptus sperare cœpit intentum suum. Nam cum discum-
218 beret ante Regis faciem, oblato sibi primo Regis ferculo, puer *Lupoldus Austriæ* Dux (in quo *Matthæus* magnam spem præsidii gerebat) signum, inquit alta voce clamitans, *Matthæe*, tibi maturæ promotionis nuncio. Quid hic moror? quid

A amplius super his hoc loco disserendum est, nisi quod puer iste, ut apparebit inferius, veridicus, & verus vates fuit? Ad alia tanseundum est, ut hæc aptius nobis occurrant.

Interim fama volax pulsi *Guidonis* nuncia undique variis rumoribus per *Italiam* sparsa multos mortalium solicitos, ac nimium pavoris plenos fecit, quorum plerique varia intentione rebelles fiunt Regi. Verum illa nova seditio (pessima res) non modo Regi, imo etiam cunctis ejus subditis prius tres *Ligurum*, ac proximas urbes nobis monuit, *Laudam* scilicet, *Cremonam*, & *Brixiam*. Sed astu
B callidi *Antonii de Frixiraga*, qui de cœtu Consilii Regii *Laudam* armatus fugerat, ille prius scrutata annona, nec non per *Laudensia* horrea modico bladi reperto, consilium rebellionis temere sumptum ponit, & Comitis spe, ejus literis, ac nunciis, & sub fide data fretus *Mediolanum* veniens præfatæ *Laudensis* urbis claves ad pedes Regis prostratus offert: & non reverentia, neque cupidine pacis motus, sed urbem ad longæ stationis obsidionem minime dispositam, atque paratam sentiens dixit: peccavi, fateor, Domine, miserere mei; urbis dominium cape. Idem *Bassanus* ejus frater, & *Antonius de l' Acqua*, & quamplures, quos ma-
C joris fidei causa secum *Lauda* duxerat, supplici voce ferunt. At Rex indignatus nullam faciem, aut vocem miseris supplicantibus dedit. Tunc Comes *Sabaudiæ* non miserorum causam deserens, ubi *Italiæ* fines tetigit Rex, seu quæstu, ut fit, seu conscientia, consilioque Regis per industriam (hic *Guelfico* semper favit) ad Reginæ Cameram post Regem tendit, *Antonium de Frixiraga* quasi pavore perditum secum trahens. At ubi clemens Regina signo per Comitem cognatum suum dato *An*- 219
tonium vultu confusum vidit, benigno mota spiritu, ac miseris compatiens suo more, inquit Viro: Domine mi, miserere quæso revertentis amici, &
D cunctis mortalibus certum spei signum dabis. Tunc sumpto animo venales preces reparat, ac spe...... opportunus, infestusque nimium *Gibellinis* Comes. Hinc utriusque non una intentione rogantis prece victus Rex, inquit: *Antoni*, tota *Ligurum* in te fallit opinio, dum te partialibus studiis deditum, obstinatumque perverso vocabulo contumacem vocant. Deplorabimus item fidem tuam: attende, si quam hic tam libera voce dedis, atque paratam, apertamque nobis asseris, Civitas de facto detur nobis, non salvus modo, verum etiam in aula nostra electus eris: quod si aliter, certe pro meritis dignam pœnam dabis. Deinde *Henricum* de *Flandria* Ma-
E rescalcum ad se vocari jussit, cui cuncta prius docto negotium dat, commendans sibi *Antonium de l' Acqua*, & *Bassanum* de *Fixiraga*, qui una secum veniant, ac dum pateant *Laudensis* urbis aditus, obsides sint. Itaque cum magno equitatu ad urbem *Laudensem* properans haud longe a portis *Henricus* sistit iter suum, unde portas clausas, muros armatis viris plenos sentit. Tunc electa arbore, qua illico miseri pendeant vades exutis superioris togæ vestibus, festinate, inquit, vadibus, nuncium bonum, & fidum nobis mittite, cui, si qua vobis est in urbe fides, detur qui nunciet, vos, atque alterum
F *Antonium*, & qui cum eo *Mediolani* in aula Regis sunt, ni vestræ urbis mœnia illico patefiant, passuros horridæ mortis casum, nuncientque, *Laudensem* agrum incendio futurum. Nec plura inquiens, jam ad famulos versus, injice Lictor amborum laqueum collo. At *Antonius de l' Acqua* in tam arcto, atque extremo casu nec sui immemor, nec desertor fuit, inquiens: Maresciale, non hac intrabis urbem via: opinione sua fallitur, quicum- 220
que putat intentum Regis exequi morte nostra. Non sic panditur ulla vobis porta: quin imo cuncti civium animi claudentur vobis, cum senserint casum

caſum noſtrum, & ſpe ſalutis ſepoſita, priuſquam A
de deditione loquantur, cuncta extrema pati volent;
armatos etenim per muros cives cernitis: eos
non aſpera, & furioſa crudelitas, ſed magnanima
clementia revocabit ab armis. Credite, inquit,
mihi, licet miſeris minima fides detur: nullo
præter me nuncio in hæc parte opus eſt: profecto
ſine me mittitur quilibet alius fruſtra. Ego autem
ſolus (quiſquis fortunæ caſus ferat, utcumque reſpondeant
cives) in poteſtatem veſtram rediturus
(placeat modo) vadam explere mandatum, ac voluntatem
Regis queo. His itaque, quæ veri ſimilitudinem
continebant, dictis, data fide, dimiſſus
prope, in urbem *Antonius* venit: cunctos B
cives incurſans, amplexanſque, pleriſque ſpem
vultu ſimulans, bonam Regis voluntatem nunciat,
cunctoſque uno, ac generali ſermone lætificans,
eis ſperandi cauſam dabat: alios utpote
domeſticos, & familiares lacrymans, ſuum, &
ſuorum extremum caſum docet. Tandem cunctis
familiaribus, proximis, & amicis precibus oneratus,
ac ſua cuique data cura, in jam frequentis
Senatus pavidam turbam vadit, ibique hujuſmodi
verba habuiſſe dicitur. Poſt peſtiferum, inquit,
Cives, quibus cuncta ſcire licet, *Guidonis de la
Turre*, & filiorum ſuorum caſum, quos, ſi vera
fateri volumus, non Rex, ſed ſua temeritas expulit C
urbe ſua, temere rebellionis arma ſumſimus
contra Regem, more catuli a longe latrantis ad
aprum, quem ſolo ſentit odore, & venientem expectare
non audet. Deinde poſt tam ſtolidam audaciam
veſtram tarde, & forte fruſtra, niſi inveniſſetis
amicos quærentes conſilium rebus veſtris,
examinare voluiſtis, quid intra mœnia victus
erat, & aliarum rerum, quæ hoſtem in ſtatione mi-
221 nantem timere minime patiuntur, quarum rerum
modicum inveniſtis, quo territi ad iratum nobis
Regem nos nuncios deſtinaſtis purgandi criminis D
cauſa. Periculum caute indignationis maximo cum
pavore ſubivimus, & amici noſtri Comitis *Sabaudiæ*
comitiva freti iratum Regis vultum vidimus,
& una cum tanto interceſſore veniam orantes, fruſtra
irato Principi obtulimus urbem, & urbis jura.
Ille præſentia noſtra offenſus, imo eo loco pulſus
indignationem augens, torvo vultu vadit immurmurans
ſæva nobis. Itaque dum in tanto, &
tam triſti diſcrimine laboramus, & dum quiſque
noſtrum ſeſe reputat in extremo vitæ ſitum, fortuna,
quæ nec ſemper miſeros linquit, paulum
aſpirans nobis, ad Reginæ cameram dirigit greſſus
Regis, quo per amicum nobis Comitem introducti, E
iterum miſeriarum, ac lacrymarum pleni
fundimur ante pedes Regis, ubi dum more ſuo
pro nobis ſpargit preces Comes, Regina clemens,
& ſemper pia, miſeros ſedula prece ſuſcepit, &
relevat miſeram, ac prope perditam cauſam noſtram.
Attamen Rex primum gravia, & nimium
horrenda nobis verba jacit, & velut nobis increpans,
ſed fortius *Antonio de Fixiraga* inconſtantiæ
crimen imputat. Deinde ſerenus, ac ſubito placidior
vultu factus, moneo vos, inquit, debitæ fidei memores,
ac deinceps commodo veſtro conſtantes ſitis;
deinde dum promiſſæ fidei idem ſemper ſimus,
multa promiſit nobis bona; & contra multa minatus F
eſt nobis; verum multo fortius *Antonio de Fixiraga*,
cui; Experiemur, inquit, fidem tuam: ni urbem
promiſſam nobis dederint cives, tuique complices,
noſtræ genti, quam hic a longe nobis deditam,
& paratam nobis aſſeris, pro meritis pœnas dignas
dabis. Verum ſi dedita nobis Civitas in te adhuc
fidem ſperari dederit, non modo ſalvus, verum
etiam in aula electus eris. Interea *Henricus* Mareſcalcus
ad ſe vocatus venit, cui *Baſſanum de Fixiraga*,
222 meque ſecum cuſtodiendos tradidit. His tecum vadibus,
inquit, accedas urbem *Laudæ*, & ſi quid

rebellionis invenies, fac ambo pendeant laqueo in
conſpectu rebellium prope portas, deinde captis,
cæſiſque colonis *Laudenſem* agrum undique
incendio ponas; quid de hoc *Antonio*, & reliquis
proditoribus fiat, per hujus incendii ſignum
ſignificans nobis ſtatim. Itaque, Cives, veſtram,
ac noſtram ſcitis conditionem: igitur ſi indigna,
ac miſera veſtrorum legatorum mors, quos non
Regis, verum ſententia veſtra necat, nullius veſtrum
mentes mollit, vos ſaltem moveat proximus,
ac certus caſus famis, quæ vobis obſeſſis jam
prima, & ſubita malorum comes aderit. Eſto quod
multi jam clariſſimi viri, & nos ſimiliter pro populo
moriamur, dum hoc ſine crimine veſtro fieri
poſſit, & ſaltem dum certa maneat vobis aliqua
ſalutis via, dicite quæſo, unde novum apparuit
conſilium tam ſalubre vobis, crevitque hac nocte,
quæ heri vacua reliquimus, in horreis granum?
Redibo, quoniam ita ſedet animo veſtro, aliis Legatis
veſtris certus comes necis. Suſtinebitiſne triſtem
abeuntis faciem ad tam deforme patibulum
more latronis, quod non merui? Sed video, placet
vobis peccato veſtro peream cum cæteris, quos
perdit ſola fraus, veſtra. Credite tamen in extremis
mihi, vaticinor moriens: hæc erit vobis poſt magnam
peſtem fames præambulum veſtræ necis.
An creditis, vos veniam meruiſſe poſt mortem noſtram,
ſi rebellione veſtra moriamur? Nulla cauſa
noſtri, niſi forte pro cauſa ſimplicitas imputetur nobis.
At ſi vobis incredulis nulla Regiæ promiſſionis
boni reſtat ſpes, in ipſius ſaltem Principis conſorte
thori ſperare licet, cujus benigna vox nos in aula ſua
liberavit a nimio Regis furore: deinde ſuaviter nobis
jam ſua interceſſione ſecuris, inquit: Recipite
beneficia Regis, quæ, ſi vultis, vobis parata ſunt,
nuſquam deerit favor noſter. Unde neſcio emergat
amplius vobis timoris cauſa, neque quicquam mo- 223
leſti inferant milites Regii timendum eſt. Nam Edictum
Regis ſciunt, ut omni domo libera, & rebus
hoſpitum ſalvis, mercato vivant, quippe florenorum
Mediolanenſium pleni ad vos veniunt. Exponite
per vicos venalia, quibus egent, & implete burſas
veſtras nummis. Deinde largas fundens lacrymas
(poſt ſtuporem) ultimum verbum dixit: Deliberate,
malitis potius cum tanto diſcrimine veſtro
mortem noſtram, quam vos veſtro commodo nobiſcum
ſalvos eſſe? His lacrymis cives victi pandunt
Teutonis urbis portas. Tum omnes introducuntur
extorres, & antiquorum exulum natorum
nati, quorum plerique neſciunt domos ſuas.

At ubi Rex deditam urbem recepit, exercitum
quem contra *Laudenſes* edixerat, illico atque inſtantius
pacari juſſit, *Cremonenſibus*, ac *Brixienſibus*
publice hoſtibus nunciatis, quorum nova defectio
exagitat nimium mentem ejus. Itaque iterata præconis
voce edicitur in foro juſtitium, tabernas clauſas,
quas ſtationes vocamus, victualia pacata, atque
vehicula intra urbem coram Officialibus ad
hoc deputatis præſentari, cunctoſque, qui per ætatem
arma ferre poſſunt, equis, & armis illico
paratos eſſe. Tunc tanta ex agris in urbem plauſtrorum
copia introducta eſt, ut non modo fora,
& alia loca communia, verum Cœnobiorum, &
aliarum religioſarum domorum ſpatia plauſtris illico
plena fiunt. Quippe ad hoc conferunt Burgorum
atque Oppidorum Communia, quibus obſequio
Regis, quod inſolita, atque nova res eſt,
immunitas, & antiqua privilegia nihil proſunt,
quin vehicularia obſequia, grave ſemper onus ruſticis
villarum, præſtare cogantur. Verum hoc 61
tempore ſolito durius, ac maximo cunctorum
Burgienſium, Oppidanorum, ac ruſticorum damno
illud onus fuit; nam *Teutoni* poſtquam Urbem undique
vehiculis plenam vident, non modo militibus
ferendi victualis cauſa, verum ipſa

plaustra pro usu, & obsequio militantium in castris Civium certo ordine distribui more nostro, nec non Ducibus, & prælectis *Germanicæ* gentis dari singuli viam quæstus nacti, undique per Civitatem prædabundi cum bobus plaustra capiunt, neque more solito ullus ordo dari potuit plaustris, quin rusticorum magna pars priusquam rediret exercitus, *Teutonum* violentia perderet boves suos. Quippe nullus timor, aut reverentia eos tenuit, quin verberatis bubulcis, ac maxime eis imposito pavore magnis minis a se retentos boves venderent, aut edendos mactarent.

CAP. XXX.

ITaque celebrato Paschate *Mediolani*, præmisso equitatu magno, ac mercenariis peditibus Rex processit *Laudem*, ubi contra Cives publicos defectionis crimine reos, quin ipsius criminis Auctores nihil sævitum est aspere. Utinam in vos, miserrimi *Cremonenses* eodem crimine noxii, tam clementer Dominus noster agat, ut ceteris timentibus adventum ejus sperandi detur occasio. Verum *Valeranus* frater Regis in ipsa Urbe *Laude*, ignobili, ac vili facto, nec se digno, nimium Regio detraxit honori. Hic ubi hospitium intravit *Jacobi Dardanoni* pacifici hominis, & honesti, non ut hospitem, verum ipsum tractavit ut hostem. Nam illico reperta est Aquila olim Imperiali, ut puto, reverentia in secretis ædium muro picta, laqueo carbone picto turpiter pendens latronis more, vanum ac stolidum opus, ut fertur, famuli *Cremonensium* legatorum *Guelficæ* partis, qui paulo ante ibidem hospitio fuerant. Hoc garrulus adulator suo nuncians Domino, ac velut sævum, ac periculosum ostendens facinus ille servus nequam: vide, inquit, Domine mi *Guelphici* hospitis nostri perfidiæ magnum signum. Hoc igitur ridiculo crimine apud quemlibet magnanimum ignarus hospes, indigne ac sæve pertrahitur in obscurum, ac turpem carceris locum, ubi hoc crimine innocens Civis asseritur vitæ reus, demum testantibus vicinis suis ipsum honestum virum, nec more agnatorum suorum umquam studiis deditum, mediantibus quingentis florenis, bonæ famæ viri donatur vita.

62

CAP. XXXI.

INterea cum undique deditæ Urbes, atque Oppida festinatum exercitum *Mediolanensem* magnis apparatibus sequerentur versus *Cremonensem* agrum non uno itinere properantes, Rex illico *Cremonam* tendit dimisso *Laude* idoneo subsidio Gentis, ut in Urbe reconciliatos exules, qui longo exilio velut advenæ facti cuncta pavebant, mente confirmet. Verum ut tutiores sint, *Antonium* de *Fixiraga*, & plerosque suæ factionis Principes velut sibi caros, ac consilio suo uti volens, ubilibet secum esse jubet. Quid itaque *Cremonæ* actum sit disseram.

CAP. XXXII.

IN *Cremona* cunctis *Gibellinis* olim pulsis, *Guelphica* potentia adeo senuerat, ut novæ partes, invidia prosperis, ac lætis rebus orta, jam maximis odiis pullularent. Nam cum multæ nationum stirpes in ipsa *Guelfica* parte, nimia exulum patientia securam pacem dante, opibus, atque gloria inter *Ligures* claruissent, duæ ceteris familiæ potentia, & nobilitate præibant, *Cavalcaboves* scilicet, & *Amati*. Quarum principes familiarum diversis moribus viventes in Urbe, odiis ac seditionibus prope laborabant, utpote *Guillelmus Cavalcabos*, & *Supramons* de *Amatis*. Uterque inter nobiles clarus, amabilis, & gloriosus erat. Verum multitudini, & plerisque ex Magnatibus,

A qui commune bonum summo studio curabant *Supramons* carior fuit, quippe a juventute publicola bonis moribus, ac Reipub. utilis habebatur. Contra *Guillelmus*, quem divitiarum copia superbum, ac magni fastus, reddidit, turbatæ justitiæ judicia plerumque confundens, hæc sibi licere, ac se unum in Urbe plus ceteris posse, dum sæva impune suadet, gloriosum, ac decorum stolide reputabat. Cujus rei causa invisus erat popularibus. Verumtamen una cum plerisque sequacibus suis cuncta impune sæva gerentibus, sine titulo, maximo Reipub. damno regnabat in
B Urbe. Sic enim, aut parum dissimilius ejus progenitores velut suo more viventes olim, periculum quandoque turbandæ Reipub. ac seditionis causam dederant. Hujus mali humilis multitudo, ac plerique honesti ordinis populares *Supramontis* adolescentuli olim favore freti, haud temere ali- 63
quando aliquod habuere remedium, legem ferentes, qua maxima moderatione non Urbs velut exulibus, & proscriptis, sed nimia Urbis frequentatio, atque mora Primoribus, imo credo singulis familiæ *Cavalcabovum* interdicta erat. Cujus legis obsequio dum *Cavalcaboves* oppidis, ac dulcibus agris suis, quorum magna eis copia erat,
C magnifice vitam agunt, diu tranquilla pace velut integra floruit *Cremona*. Jam *Gibellinis* extorribus omni in Urbem suam reditus spe posita, oblitaque dulcedine patriæ, quiescentibus alienis terris, donec mutata partium conditione *Mediolani*, & plerarumque vicinarum Urbium, status, ac vivendi mores, turbatis studio partium rebus, mutati sunt, & *Cremonæ* multitudo timere cœpit potentiam hominum plus quam legum. Nam ubi *Matthæus* Vicecomes, qui usque ad eum diem ceteris propior Regi rexerat, cunctis fere *Liguribus*, quorum plerosque maximis bene-
D ficiis placasse debuerat, etiam domesticis, & proximis suis, quos maximis explerat divitiis, temere, sed non impune id procurantibus, *Melzico* campo confusus, nullo commisso Marte, sua nescio virtute, vel ignavia, sine ullo suorum vulnere integer reprocessit. Et *Turriana* Domus illico fortuna volente de exule facta Civis *Ambrosianæ* Urbis dominium cepit, prius quam opinabatur ipsius novitatis stolidus auctor *Petrus* Vicecomes, & cum eo magna pars Nobilium æmula, ac sui impatiens boni, rerum justo, ac Divino judicio accidisse reor, quod stolida pars Nobilium *Mediolani* hunc temerarium secuta Ducem, illico
E quod gesserat recognovit suo damno, quorum quisque post tanti Principis depositionem regere, aut cum maxima licentia regnantibus adhærere credebant. Hi postquam delusos, ac sua spe frustratos se vident, contra *Turrianam* domum, ut fit, ad se redeuntes secundo conspirare cœperunt. Contra vero ut perpenderunt *Turriani* suæ factionis vires, ut sui moris antiqui erat, in unum contrahere, ac fortificare cœperunt. Tunc itaque roborandæ *Guelphicæ* partis causa præfato *Guilielmo Cavalcabovi*, & ceteris ipsius altæ stirpis, ut puto, *Guidonis* de la *Turre* operâ, & conditio
F legis, de qua supradiximus, *Cremonæ* sublata est, quod ipsius Urbis Civium maximæ cladis initium fuit. His *Guillelmus Cavalcabos*, ubi adventum Regis percipit, eorum, quæ cum *Guidone* de la *Turre* eum tractasse creditur, intrinsecus conscientia sæva tactus, ac in se odium Regis metuens, ipsum expectare non audens, 64
ex Urbe profugit, cujus fugam frequens turba sequitur suæ sectæ stolidæ rebellionis, ac patriæ suæ totius causa mali.

CAP.

64 CAP. XXXIII.

AT *Supramons* cum plerisque magnatibus, & magnis popularibus, quorum, licet *Guelficæ* factionis forent, iniquitas, ac dolus satis minor inerat, tanti Principis clementiam suis existimans prævalere delictis per lutum miserando habitu, quippe laqueis ad collum positis, cuncti uno agmine pergentes quæritant præsentiam Regis, ad quem juxta *Padernum*, qui locus decem millibus passuum *Cremona* distabat, procul in agris visum tendunt, & ante pedes sui Rectoris profusi lacrymis vitam petunt, etiam vicinis hostibus miserandi. O fida Regni comes clementia quam cito Regem nostrum deseris! Heu jam sine te non modico damno tardum faciet iter *Romam*. Hi primum miserrimi *Cremonenses* te pulsa Regis mentem sentiunt, nam sese dedentium humiles, ac despectos vultus, & habitum, flexo in lævum vertice videre respuens, precatus humiles, nec non duros motura lapides *Supramontis* verba non audit. Qui illico sævæ *Teutonem* custodiæ dantur, donec per municipia sævis carceribus destinentur, in quibus nobilis, atque innocens *Supramons* cum plerisque hujus miseriæ sociis indignum suis moribus finem fecit.

CAP. XXXIV.

ITaque ad Urbem turbidus procedit Rex, atque obvium pallium, quod honoris causa supra verticem ejus Cives cum maxima reverentiâ ferre voluerunt, respuit, ceteris honoribus per *Cremonenses* reverentiæ causa oblatis omnino spretis, iratus etiam mœnibus Urbis cum magno exercitu *Mediolanensium*, paucis tamen *Cremonæ* exulibus, imo verius exilio natis, comitatus *Cremonam* intrat, quorum *Jacobus de*....... in exilio negotiando factus dives Princeps efficitur, & *Gibellinæ* partis caput, non nobilitate tamen generis, sed defectu hominum factionis suæ, quæ antiqui exilii vetustate consumta erat. Hic in exilio quam in patria Urbe reductus beatior, ac tutior fuit. Tunc pro solis mercimoniis itinerum sola pericula metuebat, nunc Urbe seditionis plena dum frustra renovare nititur oblitum veteris factionis nomen,
65 in dies crescit diffidens solicitudo vitæ. Nondum adventaverant ceteri *Ligures*, & *Lombardi* moniti, quos ibi expectare voluit priusquam *Brixiam* versus tendat. Primum itaque mutilatis etiam innocentium Civium turribus, & mœnibus Urbis dirutis communis rebellionis pœna solvitur. Jam omissis veteribus nova fugitivis *Cremonensibus* allegantur crimina, quæ imperio Regis spreto contra a se reconciliatos exules commissa sunt, quo fit ut facilius impetretur injuriarum licentia, præcipue contra eos, qui apparere non audent; nam *Jacobus de*....... & cum eo pauci, qui patribus, atque avis antiqua seditione *Cremona* olim pulsis in exilio, ut dictum est, nati erant, beneficio Regis nuper recepti, deinde pulso *Guidone de la Turre* in *Lombardia Guelficæ* factionis Principe, iratis inde *Cremonensibus Guelfis* sui *Guidonis* injuriam ulciscentibus, non sine injuria Regis pulsi Regem ipsum ferocius exhortantur in quoslibet, sicut volunt, fiuntque ut sæpe fit, absentia non dolosa plerique innocentes novæ seditionis auctores. Laxatur itaque nimium odiis manus, ac vindictæ nimia libertas datur. Innocentium etiam spoliantur domus, quippe falsas (nec deest occasio) fingit iras prædo. Tandem atque illico quilibet sequens castra miles, natura prædo avidus indifferenter discurrens Urbis domos, cuncta undique replet tumultibus, & lamentis. Vix tardo Regis edicto, ac plurimorum pœna extinguitur ille pessimus ardor prædæ. Male considerasti

A Rex quod omnis terrarum populus nunc examinat acta tua; in conspectu es omnium. Serpere debuerat in mentem tuam primi Cæsaris indefecta clementia, in quem tantum numquam committi potuit, quin ad veniam paratior semper foret. Saltem non immemor esse debueras doctrinæ *Salvatoris* nostri docentis *Petrum*, qui promissis sibi Regni Cælorum clavibus in superbiam elatus, septies peccanti velle præcludere videbatur Regnum Cæli. Cui inquit Dominus: imo si septuagies septies peccaverit (quasi hunc numerum pro infinito ponens) recipias ipsum. Verum quia non doceris *Henrice* prædecessorum monitis,
B nec exemplis, documentum eris posteris, & exemplum, quos instrues tuo damno. Nam brevi perpendes quid confidenter regnantis clementiæ oblivio nocuit tibi, quæve inde tibi, tuisque fidelibus pestis ventura sit agnosces. Discite Principes terræ in subditos, & quoslibet delinquentes aliquando non quod monuerint, sed quod vobis dignum sit statuere.

CAP. XXXV. 66

REx subito exercitu congregato paucis diebus *Cremonæ* moram traxit, deinde versus *Brixiam* tendit, sed in itinere non quos repudiet
C obvios *Brixiensium* honores, aut ulla reverentiæ signa usquam videt. Verum procedens clausas Urbis portas reperit, & *Guelficis* signis, armisque rebellibus plenos muros. Agnoscisne *Henrice* quid egeris, ad te conversum *Supramontem*, & criminis pœnitentem carceris pœna damnans? Tunc contra te clausisti portas, & armasti Cives *Brixiæ*, peremisti militiam tuam. Profecto priusquam potiaris urbe, gentes, quæ tibi serviunt ante muros *Brixiæ*, more diu stantis aquæ longa in statione languebunt morbo. Hoc tibi soli imputes. Certe Civitas ista altis turribus murisque ac fossis vallata inexpugnabilis est, frustra etiam
D expectare possumus, quod *Tebaldus Brusadus* patefactis portis Domino suo veniat humilis in occursum, qui non modo *Cremonenses*, verum etiam cunctos *Italicos*, sceleris ac perfidiæ studio vicit, & nuper ex devio exule, nec reditum in patriam sperans te jubente factus Civis, pulsis qui tibi Urbem dederant, vicinis suis, qui eum receperant tuo jussu, rebellem, ac læsæ Majestatis reum sese fecit. Peccavit in te Dominum suum *Cremonensis Guelfus*, nec non *Brixiensis Tebaldus* utriusque criminis reus est. Verum *Cremonensis* spreto imperio, quem receperat alterum a quo
E beneficio tuo receptus fuerat vicinum suum expulit; sperabitne veniam *Tebaldus* post tantum scelus, audita *Supramonti* data carceris pœna?

CAP. XXXVI.

REx juxta *Brixiam* in statione sex mensibus fuit. Parum ibi memorabilis pugnæ commissum est, verum repentinis incursionibus aliquando etiam a primoribus temere pugnatum est. De mense Majo, quo mortalium horrea plerumque vacuantur, ante muros castra sita sunt, & in Urbe omne per planum iter illico clausum est. Verum quæ radicibus Montium facies Urbis sedet,
F libera obsidione fuit. Inde per occultos tramites famelicæ semper Vallis *Camonicæ* jejunus pastor pecudum relicto grege, victualibus, quibus po- 67
terat, clam Urbem visitans obsessis sperandi causam dedit, ut hostes stationis tædio vincant. Dum itaque *Tebaldus*, cui hujus Vallis iter curæ nimium fuit, vicinum Urbis montem visitat præsidio muniendum, ne inde insultus frequentantibus iter vallis fiat a *Teutonis*, ultra quam credibile fuerat serpentibus equis suis undique per devia montem, subito una cum his, qui secum erant, circumventus modica in defensione accessus peracta

cta pugna pluribus receptis vulneribus, equo prostratus est. Plerique comitum ejus ibi cæsi, pauci ut fortuna sinit per devia montis utcumque fugiunt. Jam incognito *Tebaldo* victor *Teutonus* recedebat, cum qui spoliandi causa remanserant, inter cadavera adhuc vivum cognovere *Tebaldum* frustra sperantem se moribundum fingere, qui illico ad Regem pertractus antiqua crimina, quæ non minus novis publica sibi allegabantur in causa, prodere jussus nobiles *Fredericos* Vallis *Camonicæ* olim ex antiquis hostibus connubiis secum partos convivas in domo ejus post fercula pro fructibus oblatis gladiis peremptos narrat, inter quos novum generum novæ compositionis pignus consilio fidæ conjugis spreto cæcum nominat; etenim more vulgaris famæ narrabat vulgus *Tebaldi* filiam nobili juveni de *Fredericis* nuptam lacrymantem dixisse cum viro, cum ab ea discederet ad lethifera pergens convivia: ne accedas; insidias timeo: patris convivia, inquit, mihi nimium suspecta sunt.

CAP. XXXVII.

ITaque cognitis etiam a se novis, antiquisque sceleribus, quæ tam ore vulgi nota jam erant: Satis est, inquit Rex; Jam cum senescas *Tebalde* indocilem te existimo fidem, fœderaque servare. Hujus antiqui, atque inveterati perfidiæ morbi plenus absque dubio insanabilis es. Nonne sine ulla difficultate, nulla armorum vi, aut comminatione, solo jussu nostro a vicinis tuis non immerito, imo justissime renitentibus te causa tui, in patriam Urbem receptus es jam sine exilio factus senex. Quid tibi profuerat *Guidonis de la Turre*, ac ceterorum tuæ factionis *Ligurum* toties experta, & fatigata potentia, quorum frequenti præsidio frustra usus numquam tua nequitia perditum statum tuum recuperare potuisti,
68 etiam cum *Brixia* nondum vallata foret muro. Nonne *Majones* (sic vocantur adversarii tui) in quorum familia te exule regnabat Clericus, & Laicus utrumque gladium valida manu tenens, nobis suadentibus, atque jubentibus ultro te tuosque sequaces receperunt in socios, atque cives, seque humiliantes æquo jure tecum vivere passi sunt? Nunc itaque pro tam recenti gratia atque beneficio nobis, atque vicinis tuis diabolico more usus retribuere ausus es pro bono malum, & spretis Deo, & Sanctis suis, quos juvasti, Sacramenti literâ nondum siccâ, qui te pio pacis osculo amplexum præ oculis nostris intra se receperunt nefande *Judas* proditor expulisti. Humano tamen generi documento eris, ut promissam fidem teneant; pœna debita insigne posteris exemplum dabis. Deinde jubente Rege, atque inde sententia in scriptis prius lata, turpiter post equi caudam tractus primum castra circuit, dein ut animum inconstantem, inertemque habuerat, atque nusquam integrum, sic fœdo pulvere versatum corpus ejus in frusta divisum est, data cuilibet manuum, atque pedum corporis sua parte. Caput quoque abscissum, & cetera membra viri spectaculo ante muros *Brixiæ* sita sunt. Nec propterea amisso Duce *Brixienses* de deditione eloqui, neque audire volunt. Quippe ad defensionem Urbis nullius operis, aut disciplinæ militaris defuit ordo. Nam magnæ auctoritatis, atque ejusdem velle civium, atque exulum illa Civitas plena erat, qui majore suo, quam Regis damno sese intra muros diutius tenuere, crebris, ac subitis eruptionibus, atque insultibus turbantes sæpe Regis exercitum, contenti cuncta extrema, atque dura pati, dum victoriam hostibus caram vendant, quorum intentum fortuna ad nutum juvit; nam exeuntibus sæpe *Brixiensibus*, & sæpius qui præsidio Urbis erant exu-

A libus, & proscriptis *Mediolani* ad irritamenta certaminum, quæ licet ea gerentibus periculosa, ac sæpe perniciosa sint, parum victoriæ, aut momenti bellicis rebus afferre solent, *Valeranus* frater Regis robustissimus juvenis; & in armis strenuus, ubi ingravescente pugna subito densis hostibus suos nimium premi videt, ut erat non armatus, ut tunc pugnæ ignarus erat, sed forte superveniens a multis *Teutonicæ* juventutis comitatus solatii gratia more suo visitans castra, arrepto repente, qui lateri insidebat, gladio, sociis subsequentibus in frequentem pugnantium hostium turbam ruit, &
B dum hostes in fugam versos temere insequitur, nimium prope muros sagitta de summis mœnibus Urbis missa ipsum periculoso patentis gulæ loco ferit, quo vulnere post paucos dies moritur. 69

CAP. XXXVIII.

ITaque Rex nimiæ tædio moræ quos reconciliarat hostiliter retinentibus iter suum in castris semper odiosus extiterat, nunc aucta injuria nece fratris incitatus infensior factus pugnam mœnibus Urbis inferre parat, atque dispositis pugnacibus turmis, ut quæque suis locis Ur-
C bem aggredi paratæ erant, cunctos in iram exhortans, memoratis offensionibus, & injuriis Imperii, atque suis rogat ut taliter in hostes pugnare velint, quod de proditoribus sua virtute subactis ultio digna fiat: Si digna, inquit finiens, aut debita suis meritis sumi potest, qui nullam etiam suis commodis sponte promissam fidem servare sciunt. Hæc paratas armis circuiens turmas, & plerisque procerum suæ gentis necem fratris memorans, qui, quas ipse tenet, lacrymas immenso rore fundunt.

CAP. XXXIX.

D MOns erat arduus, & rotundus sua altitudine sejectus à reliqua mole montium, qui longo tractu, atque ambitu *Camonicam* vallem circuunt. Hic tumulus in summo spatiosus, vicinus, atque alto vertice supereminens Urbi ab Oriente ipsius defendebat introitum, etiam & accessum, quem si Rex, ut potuerat, occupasset prius quam ipsum armassent hostes vallo atque fossa, ac continuo tractu ipsius vallatæ fossæ ipsum junxissent Urbi montem, procul dubio non diu in rebellione stetissent. Itaque dato pugnandi ordine, paratis ad pugnam tur-
E mis, *Mediolanenses* cum plerisque sagittariis *Januensibus*, aliquot equitibus gentis *Teutonicæ* dimissis procul in campo equis secum tendentibus ad radices dicti montis tendunt, atque inter Urbem, & ipsius summitatem montis medium aggrediuntur vallum, ibique acriter instantes pugna ambiguam rem hostium fecere, qui nullo obice muri, sed solo ligneo vallo, & sicca fossa tuti in extremo necessitatis casu locum ipsum suæ virtuti commissum defendere, aut ibi vitam dare voluerunt. Quippe ibi tamquam loco suspecto juventus delecta ad repellendam vim hostium locata erat. Dum itaque ibi lethalibus sagittis *Ja-* 70
F *nuensium* undique volantibus more grandinis jam pavesceret ad vallum turba defensoribus assiduâ pugnâ fessis, ac prope deficientibus, multis etiam eorum vulneribus jam affectis ab alta turre, ubi media urbe totius speculator pugnæ haud temere deputatus erat, prout res posceret, daturus signa, inclinaturus ad *Orientem* versus, si titubaret vallum, vela, ut illico non modo auxiliares armati in medio Urbis stantes, ubi daretur signum, præsidio currerent, verum ab omni parte Urbis festino gressu ad vallum tendens cujusque generis turba ad ipsius loci defensionem contra hostes jam

jam vallum lacerare conantes glomeratur in unum. Ibi noſtris jam diu victoria mente concepta prope hoſtile vallum, in quo loco pugnantibus dira, atque lethalis committitur pugna maximo utriuſque partis damno.

CAP. XL.

JAmque *Alboinus* de *la Scala*, & *Cangrandis* frater ejus cum ſuis *Veronenſibus*, & mercenariis militibus ab altero montis latere pugnantes, dum locus ille inexpugnabilis ſibi fore videtur, ſigno receptui dato ad ſua caſtra redibant. Et dum qui locum defenderant cedentibus hoſtibus illudentes lætis clamoribus cœlum pulſant, geminatiſque per Echo vocibus vicini Vallibus reſultant montes, frequentes nuncii ad eos veniunt, qui interruptis pavore vocibus in tam vano lætantium tumultu ſignis, ut ſileant, manu datis, vix auditi nunciant, hoſtes ab altera parte montis ſuperatis jam foſſis, ac prope lacerato vallo contra jam feſſos cives ruere, ibique maximo Urbis periculo laborari. Hæc plurimi nunciantes: parum, inquiunt, veſtra proderit hic facta defenſio, ni feſtino greſſu properetis ad vallum, quod modo defenſoribus nimium feſſis titubans vidimus. Properetis itaque, inquit, dum noſter eſt iſte dies, & ut modo quos cedentes cernimus, atque hinc pulſos hoſtes, ſic ipſa virtute alios repellatis. Neu patriæ parentum, conjugum, ac liberorum veſtrorum hodie ſitis immemores. Cunctis itaque tanto diſcrimine trepidantibus dimiſſo ibi idoneo gentis præſidio, ne, ſi hoſtes redintegrare pugnam audent, periculum inferre poſſint. Illico ut ſignat ab alta turre cuſtos, contra *Mediolanenſes*, & reliquos pulſantes vallum rapido curſu tendunt, ubi hoſtes, quos præfato clamore, quem ſuorum
71 proſpero ſucceſſu factum fuiſſe crediderant, lætatos inſtare cœperunt, maximo cum labore rejiciunt, multoque cruoris ſparſo plurimos vallo pellunt, pluresque ad ima foſſæ ruentes ſepeliunt ſaxis. Tunc egregius, atque fidelis *Rebella* de *Grimaldis* licet domi ſuæ *Guelfus* cum ſuis *Januenſibus* ſagittariis, quorum Dux, atque Rector erat, cunctos abeuntes alta voce redarguens, increpanſque, dum paucis fruſtra pugnantibus hoſtile vallum prodeſſe potuit, ſtetit, tandem invitus, dolens, ac præ nimio dolore totum ſe dilacerans, cunctorum ultimus à pugna receſſit, cujus mora atque ſagittantium ſuorum ope noſtrorum plurimi evadunt foſſis.

CAP. XLI.

AT non impune licet fruſtra pugnaverunt *Mediolanenſes* eo die: Nam poſt paucos dies dum *Nellus* de *Maſſa* vetus familiaris, & amicus *Matthæi* Vicecomitis, & propterea tunc inter Coneſtabiles mercenariorum equitum *Mediolani* præelectus, & in bellicis rebus gerendis ſemper primus, commiſſa ſibi quadam nocte cuſtodia ante portam...... ne inde ab hoſtibus irruptio fieret, lecto ſe dediſſet, ſecuro ſomno dormiens, *Brixienſes* uno agmine facto armati ſubito per ipſam portam ruunt, & proxima *Mediolanenſium* caſtra ingredientes, quocumque pergunt, recentis offenſæ memores, ferro, & igne occupant, multoſque ſomno graves cædunt, atque omnia tumultu terrent. Verum plus pavoris, quam periculi faciunt. Namque dum fluentem rivulum per media *Mediolanenſium* caſtra tranſire pauci audent; cum circa tentoria *Matthæi* Vicecomitis pro ſe frequentes armatos currentes utcumque raptis armis ſentiant, pavent, ne ſi adverſæ fortunæ caſus eos retro ferre greſſus cogat, ipſius rivuli lethaliter occupentur in paſſu. Itaque multis partibus incendio poſito citra rivum, his quibus negotium com-
A miſſum erat propere diſcurrentibus ſine ullo ſuorum periculo in Urbem ſeſe recipiunt vociferantes: Accipite *Mediolanenſes* digna præmia pugnæ veſtræ. Nuſquam ſine vobis minime timebamus, pugnando periculum nobis factum eſt.

CAP. XLII. 72

AT poſtquam Rex videt nihil pugna profici, tunc vindictæ ſola fame fidens intra mœnia amplioribus foſſis, ac longo ante caſtra vallo ductis eſurientes hoſtes claudens diuturnæ ſtationis ſignum dedit. Obſeſſos etiam velut hoſtes ju-
B dicatos, etiam ſi extra mœnia fame pulſi comprehendantur, necari juſſit, ne fuga pauperum reliquorum minuatur inopia. Cumque intrinſeci *Brixienſes* quoſcumque exeuntes illico ab hoſtibus retineri, atque laqueo ſuſpenſos in conſpectu ante portas Urbis necari cernerent, non tamen ſuſtinuere famelici expulſione inutilis plebis minuere inopiam ſuam, nam id ſibi nimium crudele, atque inhumanum viſum eſt. Hoc maximum pietatis, & charitatis ſignum fuit, & mutaſſe reor ſententiam ſuperni Judicis, qui neminem compatientem patitur male mori. Nam demum cum ad declivium æſtas foret, ſuperante jam ſpatio noctis diem, &
C utriuſque partis rebus laborantibus, & afflictis mediatorem diligeret obſidens pariter, & obſeſſus, quippe in exercitu quotidie cadit morbo miles, & in Urbe omnium creſcit inopia, & externæ opis minuitur ſpes, undique tam etiam in Urbe, quam in Caſtris pullulat illa peſtis morbi, ſed fortius ubi *Germanicus* miles tendit, dum meridiani durantis æſtus uſque ad medium noctis impatiens, nudus omni rejecto velamine matutinas auras recipit, quas gelidi, ac nivoſi montes Vallis *Camonicæ* illa hora perflant, inde initium morbi fuiſſe ferunt. Itaque in Regis caſtra opportu-
D ni cunctis veniunt Cardinales Legati *Hoſtienſis*, *Albanenſis*, & *Lucas* de *Fliſco*, quos Summus Pontifex deſtinabat *Romam*, ubi a *Franciſco* de *Campo Floris* ſimiliter Cardinali, & Legato expectabantur, impoſituri aureum diadema Regi. Hi pro rebellibus incluſis, velut miſeris compatientes, Oratores illico facti, & tractandæ pacis actores modicam Regis invenere repulſam ſcientes, quod obſeſſam ſemper comes invaſiſſet Urbem fames, exterius tamen dicta alia vigebat peſtis morbi exercitus primores viſitans. His itaque interceſſoribus donatur vita miſeris, & ſalvis rebus Civium, & qui Urbis præſidio erant, in
E rebelles muros fertur pœna, corona Urbis demta. Attamen Rex ad ſedanda Civium odia, & delenda partium ſtudia, ſummopere illico laboravit. Quibus utcumque compoſitis, illico *Papiam* ten- 73
dit, ubi adeo nudatus milite repertus eſt, ut Comitis *Philipponis* de *Languſco*, ac ſuæ factionis Principum ambiguam fidem timuiſſe credatur. Nam *Matthæus* Vicecomes, quem in caſtris Rex exiſtens juxta *Brixiam* Mediolani Vicarium ſuum fecerat, cum equitibus *Mediolani*, & magno conductorum equitum, & peditum numero *Papiam* veniens, non modo comitandi Regis cauſa, ſed ne quis audendi contra eum animum ſumeret, clau-
F ſis foribus adire nequit Regem, contra quem Comes *Philippo* portas Urbis claudi fecit aſſerens Regi, quod non ſui honoris cauſa venit; imo, inquit, laceſſitus eſt hoſtis meus a *Manfredo* de *Beccaria*, ejuſque ſequacibus noviter introductis, qui more ſuo Urbem ſeditionibus turbare volunt. Cui Rex velit, nolitve, annuiſſe dicitur, diſſimulans quod inhibere non audet. Poſtero die abſque ulla conductorum militum Comitiva impetrata licentia in Urbem ad præſentiam Regis *Matthæus* venit. Ibi ipſius Urbis partibus utcumque compoſitis, inanis, ac plena fraudis pax facta fuit, quæ poſt ceſ-

cessum Regis illico violata est. Rex licet tarde cognoscens moram nusquam, præcipue in *Lombardia*, utilem fuisse, subitum iter versus *Januam* cepit, sed prius suadente, ut puto, Comite *Sabaudiæ*, *Philippum* nepotem suum, qui solo titulo *Achajæ* Princeps erat, *Papiæ*, *Vercellarum*, *Novariæ*, ac *Pedemontis* Vicarium fecit. Hic *Philippus* Comiti *Philipponi*, & ceteris adhærens *Guelfis*, quos harum, atque aliarum Urbium potuit, Domino suo Regi rebelles fecit. *Novaria* in fide, ac *Gibellini* nominis constantia spreto sinistrante Vicario semper stetit. Tunc *Papiæ* Brixiensi morbo moritur magnanimus *Guido* Comitis *Flandriæ* filius, qui non primus ætate, licet cunctis fratribus virtute superior, contra sævientem *Philippum* Francorum Regem multa præclara belli facta gesserat, defendens patrium solum non sibi, sed *Roberto* fratri suo, & indigna captivitate patrem post multorum Regis procerum necem liberans, laudabilem pro se, pro superbi Regis parte degenerem obtinuit pacem. Hic non *Papiæ*, ne quibus interdicta erat Civitas illa Ecclesiasticis obsequiis careat, tantæ indolis, ac virtutis Princeps, verum *Terdonæ*, quo decuit honore sepultus est. Post cujus exequias Rex illico *Januam* tendit, ubi summo studio interponentibus favorem suum *Bernabove* de *Auria*, & *Opizino* de *Spinolis*, & ceteris eorum agnatis partis *Gibellinæ* Principibus a cunctis Civibus honorifice susceptus est. Ibique superveniente *Bavariæ* Duce, & de pluribus *Italiæ* partibus, & aliunde in subsidium comitiva, consumptam[1], ac prope perditam militiam reparavit. Verum ibi irrecuperabile damnum passus est, sanctissimæ consortis morte, cujus transitum plorant pauperes, quibus sæpissime
224 suis manibus ministrabat in mensa: lugent Proceres, & Magnates, quibus honores, & dignitates, atque ipsum horum datorem Regem conciliabat: lugent qui intercessione Dominæ reconciliati sunt, & qui reconciliari sperabant suis precibus inimici. Verum ut fit, in tam cunctis amaro Reginæ transitu sua quisque potius (etiam Rex) damna lugent. Neque hic Reginæ transitus pro se, aut sui causa lugendus erat, cum ipsa terrestrem coronam relinquens transierit ad cælestem. Sed a summo ad infimum plerique mortalium cujusque generis nimium pestiferum sentient suæ mortis damnum. Quis amodo tam pie, tam misericorditer, ut hæc, miserorum causas apud Regem suscipiet? quis reos, quis rebelles, quis miseros contumaces tanta confidentia reducet ad Regis fidem? Neque hic loci silere possum ridiculum illud civis nostri *Rizardi* de *Marliano*, qui libros *Sibyllinos* antiquitus servatos habebat in domo, qui affirmabat, Regem moriturum, priusquam *Janua* decederet: ubi inde abiisse, & *Pisas* venisse rescivit, eos ut falsos projecit in ignem, inquiens: amplius non fallar a vobis, non forte Propheticum illud intelligens sana mente, nec considerans, quod tam pia, & clemens Regina decesserat, cujus fons clementiæ roborabat, & conservabat Regnum viri, sine qua moritur omne Regnum. Ego autem vivum Regem sine Regno nunquam vidi.

Dum itaque Rex noster *Januæ* moram trahit simpliciter ambulans, & bona fide pacem appetens cum Rege *Roberto*, ad quam procurandam Summus Pontifex operam suam dabat, dum tanti mediatoris opera, & authoritate confidit, ipsum Regem *Robertum*, sicut jam alios, ad solennia consecrationis suæ amicabiliter convitavit, suscitans canem dormientem. Nam *Robertus* iste susceptis literis Regis nostri, ipsius successus in *Lombardia* nimium ægre ferens, ac videns, quod
225 sibi nihil profuerant in *Lombardia* jacta seditionis

A semina, aut ullius *Guelphicæ* factionis opera, quin ille, quem solo odio, quod in eum occulte gerit, extimat inimicum, jam prope sit, ut aureum diadema suscipiat, ad impediendum ipsius Regis nostri propositum, *Romam* illico destinat *Johannem* fratrem suum cum quatuor centum equitibus, falso tamen testificans Regi, quod ipsum destinat ad solennia coronationis suæ, cum ad id, ut desiderabat, personaliter interesse non posset. *Johannes* iste ubi *Romæ* fuit, illico pecuniam fratris per potentes *Romanos* sparsit, ut potuit; sed primum *Ursinos*, & partem *Guelpham*, in quorum potestate erat *Basilica S. Petri* (ubi
B ab antiquo coronantur Reges) sibi fidos, ac sui consilii participes statim fecit, multis tamen promissionibus solicitans Colonnenses, si eos corrumpere posset ullo modo. Eis tamen intentum suum aperire non audet, ac eisdem proponit, ut non impediant Dominum amicabilem operam dare, ut eos cum *Ursinis* componat. At postquam sensit, *Colonnenses* in fide Regis constantes nullis subdolis verbis, neque promissionibus in propositum suum trahi, illico bellum sumpsit contra eos, cunctis procurans viribus pellere ipsos urbe.

C Hæc ubi sensit Rex, Regi *Roberto* statim scripsit, quod multum mirabatur de hujusmodi fratris sui novitate. Qui rescripsit, quod non miserat fratrem suum in rebellionem, neque ut obstaret coronationi suæ, sed ut ad ipsius coronationis solennia convivia afforet honoris causa, asserens, nullam novitatem fieri *Romæ* causa sui: imo, inquit, suscitata sunt inter Romanos antiquarum seditionum semina more suo. Quodcumque scribitur, *Romanorum* Rex nihil mali suspicans omnino credit, & in pura, ac fida simplicitate constantis animi cuncta ferens, & gerens, nec propterea tractatum *Clementis* Papæ respuit,
D qui matrimonii copula jamdiu ventilata vinculum 226
dilectionis, & pacis proponebat inter Reges: cujus rei causa *Conradus Lanzia* Federici *Siciliæ* Regis Nuncius tunc *Januam* frustra venit eam Regis nostri filiam, cujus per Pontificem tractabatur matrimonium, petens pro *Petro* ipsius *Siculi* Regis filio.

Erat tunc *Januæ* Ludovicus *de Sabaudia*, qui ab initio rerum præcursor, ac Legatus Regis, *Romæ* fuerat, ibique mira alacritate receptus, atque ob reverentiam Regis Senator Urbis factus rexerat per tempus certum: Deinde dimisso, qui populum regeret vice sui *Jacobo* de *Ambalis*, in
E castra Regis venerat juxta *Brixiam*. Hunc (frequentantibus *Colonnensium* nunciis *Januam* venientibus, requirentibus subsidium, ac celerem adventum Regis *Romam*, non ut guerrificet, verum ut civiles motus componat) misit, cui non ultra quinquaginta equitum *Germanorum* comitivam dedit, nil aliud suspicans, nisi quod paucitate lictorum Judices, & Vicarii, quos ibidem *Ludovicus* in urbe dimiserat, hos urbis tumultus sedare non possent. At *Ludovicus* Romæ cuncta rebellionis plena, & suos Vicarios corruptos reperit, qui nullius divini, aut humani juris, aut
F fidei memores, neque juramenti, quod præstiterant, gerentes animum rebellionis contra Regem, nec Vicariatum, nec Capitolium *Ludovico* reddere voluerunt.

Interim Rex de *Janua* Pisas venit, maris iter tenens, cunctis itineribus terrestribus opera *Guelphorum* clausis. Jamque erat annus Domini MCCCXII. ibique *Pisano* populo admodum gratus duorum mensium spatio moram traxit, nulla contra rebelles *Tuscos* novitate suscepta belli, salvo quod voluntate Regis per Marchiones *Malaspinas* bellum *Lucanis* indictum, atque susceptum est. Ibi-

A Ibique frequentibus nunciis referentibus, publicus famæ rumor *Pisanam* urbem replet, dictum *Johannem* fratrem Regis *Roberti* sedere hostiliter cum
227 exercitu ante *Pontem Mollem*, quem sub ponte .... *Tiberis* tenebant *Colonnenses*, atque unicum in urbe transitum servabant Regi. Nunciatus etiam, ipsum pontem multis insultibus, multis machinis, & bellicis instrumentis continue tentari. Attamen Rex noster adversus Regem *Robertum* nihil suspicatur, & simulantem hostem sentit, quodcumque sibi significatum fuerat, credit. Verum *Stephanus de la Colonna* vicinorum suorum artis & operum non ignarus sponte (non tamen dis-
B sentiente Rege) properavit ad urbem, ut si viam viderit, prava *Guelphorum* conamina reprimat, & tumultus urbis tollat. Insuper Rex non spernens tractatum pacis, imo ipsius pacis authori complacere cupiens Papæ, priusquam de Civitate *Pisana* decederet, ex Secretariis suis contrahendi dicti matrimonii causa ad *Robertum* Regem misit, eum *Siculo* Regi præferens pacis causa. Misit etiam duos Episcopos, qui *Romæ* significent adventum ejus, præcipue dicto *Johanni*, quique regratientur eidem, quod *Romam* venerit ad solennia coronationis suæ. Verum amicabiliter requirentes ab eo,
C ut ob reverentiam, & amorem sui à *Colonnensium* obsidione recedat, & omnis animus seditionis deponatur, & pestiferum opus belli deleat, indictis treguis saltem usque ad diem coronationis suæ, significans, quod nullum ibi Romæ, aut alibi animum partialem habebat, intendens, sumpto ibi Imperiali Diademate, de consilio, & benevolentia fratris sui ibidem operam pacis dare.

Interea Rex fideles *Pisas* linquens, ipsius urbis civium opibus fretus, multumque *Italico* milite roboratus, celeri, ac continuo itinere die primo Maji *Viterbium* venit, multos *Guelphorum* passus
D incustoditos transiens, multo tamen mortalium labore frustra munitos. *Grosetinus* enim *Guelphus* ad vicini fluminis ripam adventanti Regi, quem plusquam mortem timet, non audet, ut minabatur,
228 obviare, ubi quinquaginta retinere potuissent plusquam millevos ....

Hæc ubi (præsentibus Cardinalibus, qui secum erant) nunciata sunt Regi, illico in plano campo castra locari jussit: deinde proxima aurora diei, signis canentibus, in acies vocat, atque instruit gentem suam. Cardinales vero ubi *Germanicam* gentem raptis confestim signis, & armis citato agmine iter aggredi versus urbem vident,
E Regem tractatibus, atque suis intercessionibus fatigatum, atque ira fortiter mutatum de campo abeuntes linquunt. At Rex properans ad pontem, hostem non invenit, cum quo ibi manus pugnæ avidas conferat: verum nec ab hoste transitus relictus est totus liber. Nam ante Regis transitum faciendum locus *Colonnensium* erat, quem natura satis, & antiquorum arce munitum vulgus *Erupitionem* nominat, & *Saracenorum* opus esse dicebat. Hunc locum hostes, durante obsidione pontis, proximum occuparant, ac præsidio armatorum præcipue sagittariorum plenum, cum recederent ab ob-
F sidione, dimiserant, ne saltem volatili ferro Regis transitum impedirent. At dum Rex examinat in transitu per certam viam nimium sagittis hostium proximum periculum, & detrimentum gentis suæ, excitat ad passum ægro animo..

74

CAP. XLIII.

Interea Comes *Philippo de Langusco*, spreta pace Regis, quam jusjurandi religione firmaverat, *Manfredum de Beccaria* adversæ sibi factionis Principem cepit, dum perfidiæ studio vincere, quam vinci mavult; Deinde quemque suspectum aut carcere, aut exilio velut novis semper criminibus reum faciens damnat. Quibus præfati *Philippi de Sabaudia* auctoritas, ac concessa sibi a Rege potestas parum profuit, qui nullius violentiæ, aut cujusvis malitiæ studio partium in *Gibellinos* factæ turbator fuit, imo etiam eum tanti sceleris, spreto honore regiminis, conscium fuisse ferunt. Hic namque *Philippus* post recessum Regis, prius etiam quam Rex *Januam* attingeret, illico *Papiæ*, *Vercellarum*, & *Novariæ*, quas Urbes Rex suæ curæ commiserat, *Guelfos* attollere, *Gibellinos* opprimere totis viribus cœpit. Cujus rei causa, ubi Rex *Januæ* fuit, frequentes nuncii ad eum veniunt ipsum *Philippum* magnis querimoniis accusantes, ejusque opera asserunt in *Liguria*, ac tota *Lombardia* summo studio rebelles *Guelforum* partes surgere. Verum his nunciis Rex primum parum fidei dedit, dum Comes *Sabaudiæ* eum *Philippum* nepotem suum protegit, & dignitatis honorem favore sui datum conciliare nititur. Nam ipse Comes more suo *Guelforum* causam fovens in auribus Regis subdit inquiens: Domine mi *Mattheum* quemdam in *Mediolano* præesse voluisti, non immerito vicinis Urbibus odiosum: Hujus *Matthæi*, non vestri nominis odio in *Lombardia* rebellicæ novitates fiunt. His, aut parum dissimilibus jactis sermonibus per aulam Regis, Comes *Sabaudiæ* non sine magna *Lombardorum* clade aliquandiu in ambiguum Regem tenuit. Nam post paucos dies priusquam Rex *Janua* discederet, *Gullielmus Cavalcabos*, quem prædixi exilium potius elegisse, quam *Supramontis* concivis sui in deditione socium esse, dum crebris excursionibus in agrum *Cremonensem* populationibus, & incendiis bellum gerit, dumque circa exitum mensis *Januarii* forte non procul ab Urbe cum paucis equitibus prædatum venit, suæ factionis civis cognitis signis ad eum securus currit, inquiens; *Gullielme*, exilium tuum plerique Civium non minus te ipso ægre ferimus. Vere ægrius, quam temere, ac frustra incendiis, populationibus agrorum, ac rusticana prædia, te, tuosque fatigas, & qui te desiderant, *Cremonensium* invidiam quæris. His verbis eum increpans: Convoca, deinde inquit, *Gullielme* socios tuos, & sine 75
mora per propinquam nobis portam illico, si volueris, patentem ingredere Urbem tutus, ac patriam tuam percipe. Qui ad portam stationem faciunt custodiæ causa amici sunt: Neminem resistentem invenies: Ne timeas: Conductam militum turbam, equitum, atque peditum *Galeaz* Vicecomes in expeditionem Urbe procul misit, qui Urbe nostra magna regnat invidia, invisus cunctis civibus. Timesne qui in exilio nati, quique *Germanico* Rege suadente nisi partis nostræ Principibus prius captis, aut expulsis Urbem intrare timebant, quorum in Urbe nulla factio est; quippe diversis locis nati, nutritique vix inter se noti sunt, hique pro Duce *Jacobum* de ...... divitem mercatorem habent, qui ubilibet quam *Cremonæ* notior est? quos ultra hos cives hujus Ducis sequaces existimas, præcipue cum te intra muros Urbis senserint? At *Gullielmus* nominatis custodibus portæ Urbis, in quorum fide fidit, unum ex eis eligens, atque sibi nominans, huic, inquit, audacter negotium prodas, & secum perficiendæ rei celerem curam habeas. Propera, dic, venio, nec in hujus rei deliberatione, si ulla adsit mora, prosperum, securumve nobis aliquid esse potest. Heic pro consilio celeritas, & in sola celeritate nostræ salutis via sita est. Deinde signo dato sociis circa se positis: sequimini me, inquit, quinimo, fortunam, quæ hodie multum propitia nobis facta est. Itaque cum paucis non numero centum, non clam, sed palam, clara luce Urbem intravit. Eum, ut cognitus est, illico multitudo populi captis armis sequi-

quitur. Pauci Jacobum de....... sequuntur armati, cum quibus audito tumultu ad publicam plateam Urbis pergit, ibique cum plerisque locum ipsum retinere conantibus equo strato occiditur. *Galeaz* Vicecomes ibi pro Rege Vicarius tumultum audiens, ejus rei causam nunciantes arguit, eosque timidos vocans, adeo capere arma distulit, quod jam propinquas minantis vulgi voces intelligit. Tunc sed tarde dissimulationis oblitus repente arma capit, & modica stipatus equitum manu ad clamantium voces tendens undique hostilibus armis plenas Urbis stratas videt, statimque inter minantia tela clausus sensit frustra sese niti. Itaque celeri consilio capto inde utcumque B divellitur, & per minantes Civium turmas vadens integer per portas *Cremonam* linquit, cui *Ughettus de la Campana* Conestabilis, & socii, quibus nemo impune ob viam venit, ferro viam faciunt.

76 CAP. XLIV.

TUnc quæcumque in *Lombardia* Urbes Regi deditæ fuerant, in quibus pars *Guelforum* potentior erat, spretis Vicariis omnique Magistratu Regis, aut violenter pulsis una cum Civibus *Gibellinis*, & quos suspectos habebant, *Guelfi* cœpere contra Regem surgere sese dantes *Ugoni de Bauserno*, qui pro Rege *Roberto* in *Lombardia* C *Guelficas* fovebat partes. Pulso *Galeaz* Vicecomite *Cremona* illico *Turrianis*, aliisque dispersis exulibus, & cujusque Civitatis *Lombardiæ* profugis plena fuit, & *Passarinus de la Turre* ibidem Rector efficitur.

CAP. XLV.

HÆc ubi Rex *Henricus* sensit, mutato consilio in *Lombardiam* Comitem *Varnerium Teutonicum* misit, Virum in armis expertum, cui in tota *Lombardia* titulum generalis Vicariatus dedit, D non propterea tamen *Philippum de Sabaudia* sua potestate minuens, nec reliquos, quos Urbibus constituerat, revocans. Hic Comes primum applicuit *Laude*, ibique sedem eligens *Gibellinorum* consilium vocat, cunctis mandans, ut Legatos, & Syndicum ad se mandent tractaturos secum negotium agendi belli contra hostes. Ad quem legantur per Commune *Mediolani* *Franciscus* de *Garbagnate*, & *Adoardus* de *Pirovano*, & Ego, ut Syndicus. Ceteros taceo, ne nimium morer. Qui postquam convenere, postulant ab eo quisque ut rebellibus suis bellum ferat. Exules vero, a quibus exulant, Urbes expugnari, aut obsideri volunt. Quorum *Fredericus* de *Archidiaconis* manda- E ta coexulum *Cremonæ* ferens, præsentibus aliis Ambaxatoribus, & Syndicis, multis rationibus, & argumentis docet de facili *Cremonam* recuperari posse, & ad Regis mandata trahi. Sic *Papienses*, sic alii exules Urbes, quibus exulant, sola agrorum populatione, imo etiam dummodo id minetur, recuperari posse asserunt. His contentionibus pluribus, & diversis consiliis tempus tenent, nec dum quid agendum sit, terminatum est, dum quisque Legatorum præcipue exulum attentive pro se arguit, non communi sed propria utilitate laborans. F Tandem *Franciscus de Garbagnate* huic contentioni finem dedit, inquiens.

77 CAP. XLVI.

VIdeo equidem vos, ac quorum mandata fertis promtos animos habere contra hostes, qui *Lombardiæ*, ac totius *Italiæ* statum turbare nituntur, quique impedire satagunt nostri Regis jura. Verum omnis conditio belli præsertim nostra, quæ inter partes pendet, postulat, ut non modo semel, imo continua deliberatio fiat. Nec quid agendum sit heic terminari securum puto, cum

A nova quotidie pullulent jure belli, quæ paucis arbitris determinanda sunt; Raro etenim, quæ in negotiis bellicis diu deliberata manent, suum sortiuntur effectum, quibus multa maxime temporis intervalla nocere possunt. Fiat itaque censeo frequens deliberatio in factis nostris, ubi in dies pullulat frequens, & subitus casus belli. Præterea cum quo hic nostri Dux belli consilium habeat, saltem unum ex primoribus nostris sibi dandum puto, cui maxima cura sit hostium conditiones, & acta scire. Hi duo plenam exequendi potestatem habeant. Nunc itaque vobis non modo utilem, imo necessarium nomino, quoniam quin & vos mecum in sententia sitis non dubito, *Matthæum* scilicet Vicecomitem. Quis alius hostium facta novit? Quis insidias hostibus tendere studium ponit? Hic Speculatores, ac Referendarios per hostium domos tenet, hic tractatuum tempora executionis expectat. Demum suis vivimus oculis, quicumque *Gibellinæ* factionis sumus. Cuncti *Francisci* dictis obmutescunt, & quæ dixerat vera esse fatentur; quippe eo tempore *Matthæus* cunctorum exulum *Gibellinorum* unicus reconciliator erat, qui unus cunctas amicorum, ac sociorum factiones, & impensas pro parte *Gibellina* in partibus *Lombardiæ* tunc ferebat. Hæc itaque cuncti laudamus Syndici. Comes *Varnerius* illico venit ad *Cœnobium* Fratrum Humiliatorum de *Viboldono*, ibique colloquium habuit cum *Matthæo* secum deliberans quid agendum sit. Verum & hostibus sua consilia sunt; nam *Passarinus de la Turre* Potestas *Cremonæ*, ac *Guillelmus Cavalcabos* cum parte de *Fondutis* tractatu habito post paucos dies *Soncinum* oppidum multum dives occupant.

CAP. XLVII. 78

ANgulus in extremo oppidi muro surgebat in arcem, hic nempe locus natura, & arte munitus modico præsidio tutus erat, *Gibellinis*que subsidiis aditum servabat in oppidum, quod proditoribus oppidanis, & *Guelficis* invasoribus maxima pavoris causa erat, ideoque immensi, ac lati operis una nocte construunt murum siccum, hostilis impetus obstaculum nimis vile. Hinc nuncius ad *Matthæum Mediolanum* venit, ibidem ut res erant, nec non per ceteras *Gibellinorum* Urbes nuncians. Itaque Comes *Varnerius*, qui tunc *Brixiæ* erat cum modica suorum *Germanorum*, ac *Brixiensium* equitum comitiva, & a *Mediolano Cresso de Crivellis*, qui mercenarios equites *Mediolani* secum ducit, absque mora illuc tendunt, & ante portas oppidi per burgos exteriores in varias stationes sparsi nullo vallo, neque ulla fossa tuti temere sese locant. Nam sunt qui asserunt *Passarinum de la Turre*, ut distantibus castris dispersos hostes vidit, contra eos erumpere voluisse, erupissetque, ni *Gullielmus Cavalcabos* sidera, & Geomantiæ suas figuras scrutatus sortes, illa die suspecta timuisset casum suum, & milites jam exire paratos intra mœnia tenuisset, inquiens: Propinqua nobis subsidia sunt, quibus tutius pugnare possitis.

CAP. XLVIII.

AT *Gullielmus* vitare nequit, quem casum dabant fata. Nam dum utraque pars expectat subsidia, *Cremona*, quam *Mediolanum* propinquior, & quæ præcognita, ac deliberata noverat paratior subsidia suis Ducibus quasi ultima posse destinare parabat, non modo pro obtinendo, quod occupaverant oppido, verum etiam ut æquo campo cum hostibus esse possent, ac secum pugnare, si fortuna sinat, totius Civitatis effortium tam peditum quam equitum sociorum etiam expectans undique requisita subsidia tunc præmittebat expeditorum peditum quantas conducere potuerat multis diebus

bus turmas. Interim unus ex nunciis, qui destinati fuerant explorare quid *Cremonæ* pararet hostica gens *Guelforum* peditum, quos *Cremona* conduxerat, temere venientium in itinere strepitum, ac tumultum sentit, & cognitis a longe hostium
79 signis, ad Comitem *Varnerium*, & *Cressonem Crivellum* redit referens ea hostium subsidia jam prope esse. Dum autem consulitur, quid agendum sit, *Cressò* indomitus armis senex vociferat alta voce: Quid inertes moram trahimus? ad eos, ad eos, versus venientium hostium iter dextera manu minitans. Tunc Comes *Varnerius*, nostræ linguæ rudis, *Cressonis* vocem, & actum non intelligens quid ferat interrogat, & ab interprete intentum *Cressonis* intelligens, probitatem ejus laudat, & maxima exultatione: per fidem meam & factum erit, inquiens, signum tubis dari jussit. Itaque cum omni equitatu adversus tam propinquos hostes in *Gullielmi* subsidium venientes celeri passu tenditur, quos improviso de subito impetu fusos ad libitum victor cædit. Paucos fuga salvos fecit, nam nulla parte fuga eis tuta est latis campis. Captis itaque & ad libitum deletis hostibus, signo deinde receptui dato Comes rursus *Soncinum* tendit, cujus muros frequentium hostium jam tamen percepta novitate paventium plenos vidit. At illi ut nota suorum signa, ut captivos videre turpiter per terram trahi, deinde confusos vulneribus captivorum civium vultus ante exultantium hostium acies duci, illico suæ pestis certi, gelatis pavore animis confusi sunt, & perdito pavore consilio nullum pugnandi, aut fugiendi ordinem habuere, imo quisque sibi consulit. Porta oppidi, quæ versus *Cremonam* respicit, patebat subsidium expectans, quam medium stagni spatium a subito hostium impetu defendebat. Hinc *Passarinus de la Turre* inter pugnam, atque fugam dubius exit. Exeuntem plerique secuti sunt. Ille autem ut imparem hostibus militum numero, atque animo videt, timensque ne in offensi *Cressonis* manus cadat, qua tutior fuga visa est, viam tenet. Eum minime persequuntur nostri equites, sed potius ad patefactam oppidi portam, per quam frequentes hostes fugiunt, rapido cursu tendunt, & quibus possunt viam fugæ claudunt. Qui vero tardi contra hostium occursum fugam minime tutam putant, versis equorum frænis iterum castrum petunt. Hos insequentes nostri dum cedentium terga cædunt, per eamdem portam mixti secum vadunt. Jam qui in arce tam opportuni insultus, quam præsidii causa erant, percepto rumore victoriæ, subito medium muri sicci obstaculum ad solum fundunt. Tunc cunctis sequacibus *Gullielmi Cavalcabovis*, qui equo armatus hostibus introitum inhibere parabat, adeo crevit pavor, ut ne qui-
80 dem animum ad pugnam liberum, neque fugæ memorem caperent. *Gullielmus* pristinæ virtutis, ac suæ dignitatis memor, ut comitem *Varnerium* ac sua signa intra muros videt, paucis eum sequentibus occurrit sibi, quem jam frequens turba *Teutonum* receptum gladiis sternunt. Ceteri per domos fugiunt, ubi quisque dejectis armis vita securus fuit, exceptis qui proditionis actores fuerant; nullus quippe locus proditori tutus est. *Venturinus Fondutus* in *Soncino Guelficæ* partis Princeps, qui ipsius novitatis actor fuerat, duorum filiorum patrium crimen luentium medius laqueo pendens tristem vitam dedit. Hi intra mœnia, ceteri sequaces sui extra pomeria necati sunt. In alios oppidanos minor sævitia fuit; nam aut precibus, aut pecunia de manibus *Teutonum* liberati sunt.

CAP. XLIX.

AT *Gullielmi* nece *Guelfica* pars *Cremonæ* adeo domita est, ut Urbem, ac se intra Urbis muros vix tutos putent. Dum subito *Guidonis de la Turre* obitu stupet omnis *Guelfus*. Hic *Guido* exilii sui finem imponere saltem post mortem ratus *Cremonæ* moriens, frustra tamen dixit: Si Fratres Ordinis Minorum *Mediolani* corpus meum posuerint in Ecclesia suo in marmoreo loco, ubi proposui requiescere, habeant Florenos mille. Cui ut vivo, sic & mortuo in patriam accessus minime concessus est; nam Fratribus *Minoribus* id petentibus *Matthæo* negatum est, qui eos Fratres increpans: Vultisne, inquit, excommunicati corpus *Mediolanum* ferre?

CAP. L.

INterea *Vercellis* seditio inter Cives mota illuc suscitat *Philippum de Sabaudia*, qui ut ipsius Urbis Communisque Rector eo venisse ferens compositionis causa, non talis a *Tizonibus*, eorumque sequacibus creditus est, sed suspectus. Qui illuc Comitem *Varnerium* illico sequentibus literis, atque nunciis provocarunt. In cujus adventu non Urbis seditio tollitur sed novatur; nam, ut creditur ex proposito, orta rixa inter familiares utriusque Ducis, utrinque subito cum tumultu captis armis *Varnerii* familia potentior fuit, & spoliato hospitio *Philippi*, ipse relictis equis, & armis, 81
ac prope nudus milite in castrum *Advocatorum*, quod tumultus tempore a suo Urbis latere situm tutum receptaculum cunctis suæ factionis erat, vitæ consulens fugit. Hic *Philippus* Comiti viribus imparem sentiens se, dum paratas contra se magnas *Mediolanensium* armatorum copias sentit, *Vercellas* linquit, & *Padiam* redit. Deinde post paucos dies *Taurinum* ivit, quam Urbem *Amadeus* patruus ejus pro usurpato a se Comitatu *Sabaudiæ* ipsi *Philippo* pertinente successionis jure eidem dederat possidendam cum aliquot oppidis in *Pedemontio* sitis; relictus etenim erat *Philippus* iste pupillus ipsius patrui tutelæ, qui sibimet Comitatus jura tutatus est. Hic *Philippus* sentiens *Gibellinos Ligures*, ac totius fere *Lombardiæ* contra eos ejus prava consilia, atque machinamenta percepisse, ac ipsum Comitem *Varnerium* horum omnium instructum esse, deinceps omni spe in suis partibus dominandi posita, solo salario suo percipiendo saltem a *Papiensibus* curam dedit, & celebrandi nuptias gratia contracto matrimonio filii, quorumdam nobilium *Papiensium* comitivam petiit, habuitque usque *Taurinum*, quos ibi retinuit velut obsides, donec pecunia sui salarii sibi destinata fuit. In quibus obsidibus fuit *Ricardinus*.

Heic desunt aliquot folia.

similis fuit. Invalidi senes trementi manu cujusque generis tela ministrant natis. Tandem oppidani ultima illa necessitate totius etiam utriusque sexus gentis viribus resistentes, primo hostium impetu sese, murosque defendunt; pugnam tamen non audent expectare secundam, sed oppidum Imperatori dedunt. Postero die ad oppidum *S. Joannis* venit, quod captivatis XL. *Catellanis* equitibus mercenariis, quorum Conestabilis cæsus est, salvis incolis in deditionem receptum est. At *Florentini* cum sociis, & amicis, quorum supra facta est mentio, ad ripas fluminis *Arni* celeri gressu tendunt, ad *Ancisam* XII. mill. passuum *Florentia* distantem, ibique hostium transitum inhibere conantur ad passus. Exercitus Imperatoris *Figinum* tendit, ubi non amplius una nocte moram eo traxit. Mane inde iter rapiens ad *Arnum* venit, quo in-

integrum hostem frequens nuncius jam venisse nunciat, ut iter Imperatoris, quem *Florentiam* properare sentiunt, ad iniquos angustosque passus auferant. At ubi Marescalchus Regis *Roberti*, quo tunc *Guelficum* regebat exercitum, gentem Imperatoris appropinquare sentit, signo dato cunctos
82 ordines in acies ducit haud longe a fluminis ripa, ubi hostium transitum aptius impedire queat. Verum ubi hostes spreto flumine undique facto vado per anfractus viarum iniquos transeuntes passus vident, *Tusci* primo expeditorum impetu concussi, deinde modica pugna turbati, laceratique in fuga salutem quærunt, ac propinquum oppidum *Ancisam* multis per campos cæsis petunt, nec se primis mœnibus tutos putant, imo in summam arcem oppidi continua fuga tendunt. *Guelforum* plures in fuga, quam in acie cecidere, multi capti sunt, licet *Gibellini* parum fugientes persecuti sint. Imo positis hostibus in conflictu castra ponunt prope ripam *Arni*. Sunt qui asserunt Imperatorem *Tuscorum* rebellioni eo die finem dedisse, si usque *Ancisam* persecutus fuisset hostium fugam, aut si iter properasset ad Urbem illico post conflictum.

CAP. LI.

AT *Florentini* ubi exercitum hostium ad ripam fluminis pernoctare sentiunt, nullo ordine, imo potius fugæ modo *Florentiam* tendunt. Sequenti die Imperator versus *Florentiam* tendens cum exercitu ante muros ipsius Urbis sedit juxta Ecclesiam *S. Salvi* supra *Arnum*, in quo exercitu computatis *Aretinis*, aliisque *Tuscis* suæ factionis, & aliquot nobilibus *Italicis* erant non ultra equites MCC, & cujusque generis pedites VIII. mil. qui tamen Urbem *Florentiam* cum tot prænominatorum *Guelforum* præsidio obsidione premebat. Nulla etiam tempore noctis quasi custodia in castris facta; imo etiam tanto in despectu habebantur *Guelfi*, quod magna pars equitum, & expeditorum peditum per agrum *Florentinum* longinqua pace plenum, ac diu antea bellicæ populationis ignarum quotidie discurrebat ad prædam, dum præcipue exercitui necessaria victualia quærunt. Cujus rei causa tanta jumentorum, & cujusque generis pecorum in exercitu copia erat, ut pro floreno uno venderet prædo bovem, nec reperiebat emptorem. Nec mirum; quis enim in exercitu mercator esse velit, ubi ad prædam tam libera patet via? Quo fit ut pro minimis etiam pro duobus calceamentis corii bovem in permutatione daret prædo. Neque in exercitu serica vestimenta desunt scortis alteriusve generis ornamenta *Etruriæ* puellis rapta. Vinum, bladum,
83 & oleum, tanta horum erat copia pro minimis prout prædoni opportuna sunt in exercitu ad libitum cuique dabantur. Hæc omnia *Florentinorum* damna, & quæ ante oculos volitabant miseriæ, oppidis, villis, ac magnis vicis fumantibus, populatisque viridariis, eos tantis præsidiis stipatos ad conferendum in acie manus minime provocarunt. Quippe intra mœnia trepidantium tumultus civium magnus erat, dum maxime timent, ne insultet hostis muros.

CAP. LII.

DUm sic exultat *Germanicus* miles, totusque exercitus *Gibellinus* hostica præda gaudens, fortuna in prosperis sæpe minax mutati vultus signum dedit subita corporis infirmitate Imperatorem visitans. Cujus lectum illico stipant Medici, nec ullus tam *Hippocras*, aut *Galenus* ipsum salutis certum reddit. Verum fortuna ipsa ambiguos semper ac cœcos gressus, subitosque regressus faciens nimium fallaciter in humanos casus ludit, ecce dum sperare facit *Guelfos* plus in morte Principis, quam in pugna, cito blanda *Gibellinis* re-

diens sibi parumper aspirare visa est, insperata scintilla vigoris jam fere perditos infirmi corporis mirabiliter sensus reddens. At ubi sedatis morbi viribus proceres restitutum sibi Principem sentiunt, ad ipsum conveniunt Archiepiscopus *Trevirensis* frater ejus, Comes *Sabaudiæ*, & *Henricus* de *Flandria* Mareschalcus, quibus Imperatoris casus pensatis periculis exercitus solicitam mentem fecerat. Hi pro re pauca ferunt Domino supplicantes, ut mutari campum sineret, ac sese cum exercitu reduceret in agrum *Aretinum*, ubi cuncta pro se, & gentibus suis salva, atque opportuna fore dicebant. At ille hic nimium incaluit verbis, ac tandem: Fallimur, inquit, & dum in vos confidimus, spes nostra nimium vana fuit. Hucusque credidimus, nobis deficientibus vos obtinuisse victoriam contra hostes, & dum vivimus, a proposito desistitis pecorum more vilium quæque pericula metientes. Hæc velut increpitans accensus ira inquit, se adeo turbans, ut recidivam faciens iterum dubius fuerit vitæ. Tandem post paucos dies sumta valetudine victualium penuria, quorum paulo ante castra undique plena erant, campum mutare coactus est, nam consumtis undique viribus *Arni* tanta aquarum inundatio superatis undique fluvialibus ripis fuit, ut per campos prope cuncta natarent. Cujus rei causa nullum frumentariis præcipue *Aretinis*, quorum ope sustentabatur exercitus, ad castra liberum iter erat. Igitur per iniquos passus districtus Comitum *Guidorum* exercitus redivit ad flumen *Arnum*, ibique dum vadabile fiat, castra metatus est. Post paucos dies trajecto flumine in justum alveum jam contracto securus, atque liber exercitus versus *S. Miniatum* tendit, licet in transitu *Florentinus* amicorum, sociorumque præsidio integer haud procul in acies dispositus pugnam transeuntibus minatus est. Illa itaque die Imperatoris castra juxta ripam fluminis, quod vocatur *Evia*, sita sunt. At *Florentini* locorum gnari cum equitibus MD. & X. mill. peditum repente Montem *S. Mariæ* occupant, qui supereminet castra exercitus *Gibellini*. Unde more grandinis sagittantes castra turbare nituntur. Hæc sentiens Imperator jussit *Fredericum* Comitem Montis *Feltri*, qui præerat *Italicis* in exercitu, ut captis armis infestum montem liberet. Deinde *Teutonis* circumstantibus velut secum murmurans, & signa questus vultu gerens, inquit: Si, ut fui, forem Comes de *Lucimborgh*, non eminens hoc monte supra caput staret hostis. Qui audiunt, reliquis signo dato, illico captis armis sequuntur Comitem, & *Italicam* gentem suam. Itaque nulla mora facta *Germani* Comite prævio armati per ardui montis devia undique facta via serpunt, quos ejicere poterat modica etiam mulierum turba. At *Florentini* ubi serpentes montem hostes vident stupefacti lacero agmine fugam capiunt, quorum terga cædunt *Teutoni*, & *Italici Gibellini*. Multi cæsi, multique *Guelforum* capti sunt. Ignominia tamen major clade fuit.

CAP. LIII.

POstero die Imperatoris castra haud procul ab oppido *S. Bassiani*, qui locus non amplius quinque millibus passuum *Florentia* distat, sita sunt. Tunc miles relictis fere castris undique per hostilem agrum prædabundus currit, villæ & oppida in circuitu late fumant, nullis circumstantium immunibus hujus cladis, nisi qui celeriter sese dedunt pleni victualium occurrentes, quibus imperatur, ut eorum, quæ exercitui opportuna sunt, continuum mercatum ferant. Imperator positis castris gentem suam in plures partes partitus, partem Archiepiscopum *Trevirensem* sequi jussit, cui inquit: Perge ad castrum *S. Mariæ Novellæ*. Dein-

85 Deinde aliam militum copiam Mareſchalco dedit, qui abſque mora Paſſignanum tendit. Verum neuter introitum fecit portas reperiens clauſas, & muros rebellibus armis denſos. Uterque hoſtiliter quod potuit fecit populationibus, & incendiis hoſtibus iram ſuam vendens. Tandem vaſtatis agris ad expugnanda oppida redeunt, quæ æque alia armorum vi capiunt. Interim Imperator exercitum gentibus fortificare volens Comitem Montis *Feltri* Piſas miſit ſtatuens eum ipſius Civitatis Vicarium, qui ſtatim cum *Piſanis* ad exercitum veniens, quingentos equites, & decem millia peditum ſecum duxit, quibus longior quam exiſtimabatur in caſtris ſtatio adeo tædium fecit, præcipue quibus vacuis burſis pecunia etiam neceſſario ſumtui deerat, ut plerique, ſua non alicujus ſuperioris licentia caſtris abeuntes domum, ab hoſtibus in itinere capti ſunt. Ea captivorum multitudo plus ruſticorum, quam civium *Piſanorum* fuit, & ſunt qui aſſerant hujuſmodi captivos fuiſſe plus quam mille.

CAP. LIV.

EO tempore *Robertus* Comitis *Flandriæ* filius in exercitu Imperatoris erat, qui impetrata repatriandi licentia cum XL. armatis abiens *Piſas* inſultum hoſtium, qui cum *Carrocio* duce ſuo in caſtro *Florentino* præſidii cauſa erant, maximo labore ſuſtulit, quos etiam numero CL. equites cum quingentis peditibus tandem acriter reſiſtendo fudit, dicto *Carrocio* graviter vulnerato, & pluribus inſultantium in campo cæſis. Eo die *Robertus* iſte iter ſuum faciens, priuſquam perveniret *Piſas*, in alias quamplures hoſtium turmas incidiſſe fertur, quibus acriter reſiſtens pluſquam honoris, ignominiæ atque cladis liquit. Dum itaque, ut prædixi, vaſtantur *Guelforum* agri populationibus, incendiis *Caſale* oppidum frequentibus incolis cultum multum *Florentinis* carum in deditionem venit: Introductis Mareſchalco, & *Frederico* Comite Montis *Feltri*, quos patefactis portis oppidani cum ſeptingentis equitibus ſponte recipiunt. Diſtat autem locus ille *Florentia* XV. mill. paſſuum ſpatio, quod ubi ſenſere *Guelfi*, quorum ſupra facta eſt mentio, illico ad partes collis, & S. *Geminiani* cum exercitu celeri greſſum tendunt, quæ duo oppida inter *Caſale*, & exercitum Imperatoris fere medio
86 itinere ſita ſunt, ne *Caſalenſes* cum victualibus ad exercitum inde iter faciant, inhibere volentes, ibique Mareſchalco, & Comiti *Frederico*, quique cum eis *Caſale* oppidum ceperant, ne ad exercitum redeant, obſidere iter credunt. At illi tracta ad libitum *Caſali* mora dandi ordinem rebus cauſa, cum ſolis equitibus DCC. cum quibus venerant, redeuntes equitant, quo hoſtes veniſſe ſibi nunciatum eſt. Non contenti pro caſtris ſeſe in aciem explicare, quinimo etiam illatis ſignis procedentes ad portas collis multitudinem hoſtium obſeſſæ gentis more clauſam ad pugnam fruſtra vocant. Tandem feſſis cantu tubis, nulliſque hoſtium egredientibus, ad exercitum æquo paſſu tendunt. Poſtero die odioſum nimia mora campum linquit ad burgum *Podii Bonizi* feſtinus tendens.

CAP. LV.

LOcus autem ille, dum in *Italia* Imperii celebre nomen fuit, dumque in *Tuſcia* valuit factio *Gibellina* nobilium incolarum frequens erat. Verum æquatis dudum ſolo mœnibus nunc ſola reſtat tranſeuntibus rupes nota, quam etſi tenaci fronde tectam viator ſæpe digito, ut ſignum antiquæ arcis, monſtrat. Nam vacante Imperio,
A quod ſæpe accidit longo temporis intervallo, ex quo in pauperem *Germaniam* Imperii jus receſſit, dum electus *Teutonus* imperare mundo neſciens ad ſolemnia coronationis ſuæ nequit, imo vere neſcit accedere, non modo vicus iſte, verum etiam pleraque oppida, dum antiquam Imperii fidem ſervare volunt, quas ſtolidus miles *Teutonus*, aliuſve Principis Curiam ſequens vicinis urbibus regnante Imperio injurias tulit, luunt. Diris itaque belli cladibus, aut longa obſidione ſubacta non modo iſtud, verum plura alia oppida tumidis poſt receptas injurias *Guelfis* diruta
B ſunt. Imperator illico hujus vici mœnia refici ſtatuit, primumque lapidem operi Procerum aſtante corona impoſuit, & novo oppido novum nomen dedit, inquiens: *Mons Imperialis* à modo vocetur iſte locus.

CAP. LVI.

INterea dum expeditorum equitum ingens turba à quadam ſcorta redeunt, ad quam præſidii cauſa Imperator eos miſerat, quibus duces dede-
rat Comitem de *S. Flore*, *Aymonem* de *Biamont*, 87
& *Bindum* de *Baſchis*, *Guelfi*, qui una cum Comite *Romandiolæ* in oppido *Colle* præſidio poſiti
C erant, ubi eos inde tranſeuntes vident, dimiſſis intra mœnia ad portas terricolis armatis, qui præſto ſubſidio ſibi forent, verſus eos velut impetum facturi tendunt. Contra quos *Teutoni* pugnæ avidi temere citatis equis rapido curſu ruunt, venientium verſus ſe hoſtium paſſim incurſum expectare nolentes. At ipſi dolo, non metu paulatim pugnæ cedunt, atque inter fugam, pugnamque dubios ſeſe monſtrantes pedem retulere, donec hoſtes temere inſequentes in declives foſſas traxere, quæ haud procul muris oppidi, ubi latebant, inſidiæ erant. Tunc patefactis portis erupit recens miles, & ſigno dato in ho-
D ſtes una cum his qui ſimulata fuga ceſſerant, integrant pugnam. Haud mora: *Teutoni* iniquo pugnantes loco conflicti ſunt, & ex eis circa XL. cæſi. Captus cum paucis *Aymo* de *Biamont* unus ex Ducibus ſupradictis, qui plurimum Imperatori carus erat tum virtute animi, quæ hominem Deo, atque hominibus gratum reddit, tum ſanguinis proximitate.

CAP. LVII.

HÆc ubi in exercitu nunciata ſunt, mœſto murmure undique fremuerunt caſtra. Impe-
E rator illico cunctos Proceres ſuos ad ſe vocat, atque hujus rei cauſa turbatus cunctis iratum ſeſe fecit, inquiens: Meritis noſtris, non alia cauſa ruimus, & pericula in dies majora timere cogimur, quæ digne debita ſunt nobis, ſi ulla mortalium cura Deum tangit, aut ſi nos reſpicit de cœlo juſtitia. Nec nos qui nimia diſſimulationis patientia injuſta geri patimur, immunes, imo noſtri criminis rei ſumus. Nonne innocentes lædi? injuſtas, atque crudeles prædas agi ſenſimus? eoque animo, atque modo in *Chriſticolas*, quemadmodum in *Saracenos* bellum agi? Quinimo pacatos, ac data fide nobis deditos ſpoliaſtis, &
F quod inhumanius eſt, plerique veſtrum ſedulos, atque blandos hoſpites tractaſtis ut hoſtes. Nonne confuſione digni ſumus, qui tanta patimur injuſte geri? Vere Deus ex alto quos crudeliter, & injuſte premitis, miſerarum voces audiens, eorumque querulam cauſam, quam relinquimus, ſuſcipiens, brevi præcludet viam factis noſtris: ſic enim vaticinari nobis licet, quippe ſi abjeci-
mus arma juſtitiæ, quæ amplius nobis tuta erunt? 88
Quam aliam eſſe cauſam creditis, cur tot temporum intervallis, ex quo nobis *Germanicis* conceſſum eſt, vacavit Imperium, niſi quod *Italos*, qui

qui dum justum regnet Imperium, ab omni tributo liberi sunt rationabiliter, & immunes, antecessores nostri pressere durius quam Tyranni? Injurias etiam ipsas castra nostra sequentes inferunt; ut tenebantur, minime propulsantes. Et ideo qui pressuras, & injurias passi sunt, & quibus postmodum narrantur injuriæ, nati, atque natorum nati *Germanicum* vacare, quam regnare malunt. Quiescite igitur, quæsumus, ab injuriis, & clementer agite, & nihil malignum aderit factis vestris, sed cuncta prospera nobis cedent. Post paucos dies dictus *Aymo* tribus millibus florenis redemtus est.

CAP. LVIII.

EO tempore dum fortuna probat vires suas, mirabilis pugna in partibus illis commissa est, ubi paucitas multitudinem militum superavit. Trecenti namque *Florentini* cum peditibus prope DCCC. de *Vulterris* venientes *Gibellinorum* equitum parvam turbam versus S. *Cassianum* tendentem cernunt, quos haud temere non ultra LX. existimarunt. Erant enim *Teutonici* XL. & XII. exules *Florentini* quos, ubi propinquarunt, in eos paucitate spretos maximo clamore laxatis frænis currunt. Exules tribus dumtaxat exceptis incursantium multitudine pavefacti, timentes etiam proscriptionis pœnam, citatis equis illico terga dantes, socios in discrimine Martis linquunt. At illi in dexteris, & sola armorum spe fisi, non modo incursantes hostes sustinere parant; verum etiam stricto agmine facto una in hostes fulminis more ruunt, eosque dirimunt, atque fundunt. Ignominiosa *Guelforum* equitum turba primo impetu turbata in fugam ruit, quorum quinque nobiles *Florentiæ* Cives hostium impetum sustinere volentes hostilibus gladiis cæsi sunt. Alter nomine *Zampoglone* de *Cornaquino* hostibus sese dedens dejectis armis capitur. Ceteri citatis equis fugiunt. Onerantes *Teutoni* captivos, equos, & arma, atque alia cæsorum spolia ostentantes in castra redeunt.

89 ## CAP. LIX.

NAm stolida gens *Germaniæ* natura nimium prædæ avida, ac disciplinæ militaris ignara ulli hominum parcere nescia, dum vicinas villas, atque magnos vicos, quos superabiles pugna reperit, etiam pacatos, atque deditos spoliat, & quod prædæ superest incendio ponit, late vacuos undique cultoribus agros fecit. Cujus rei causa victualis penuria adeo in exercitu Imperatoris crevit, quod locum castris mutare coactus est. Itaque montis *Bonizi* nomine, ac mœnibus renovatis circa initium veris inde *Pisas* tendit. Ibi retribuens militibus, quam potuit recuperare pecuniam secum partitus est. Deinde *Pisanum*, ac *Januensem* portus armatæ classis plenos esse jubet. Nuncios in *Alamaniam* misit ad Feudatarios, cunctosque fideles suos, filium quoque *Bohemiæ* Regem solicitans, ut accitis undique gentibus una in *Italia* ad se celeres armati veniant. Amicos, atque deditos undique per *Lombardiam* suscitans literis, atque nunciis, ut equitum subsidium omni conamine citius ferant sibi, *Fredericum* Siciliæ Regem solicitat, significans intentum suum ut armatæ classis, ac militum celerem faciat apparatum, ut quæ intra se consilia conceperant exequantur. Nam cunctis viribus terra marique Regem *Robertum* aggredi, *Apuliam*que hostiliter occupare decreverant. Ipsum namque *Robertum*, priusquam discederet *Pisis*, omni regno, omnique jure, atque privilegio honoris & dignitatis privans contra ipsum velut rebellem, & proditorem Imperii, extre-

A mi supplicii sententiam tulit, si quo tempore in manus ejus inciderit, ipsumque hostem publicum nunciavit. Urbem quoque *Papiam*, & cives ejus hostes, ac rebelles Imperii nuncians severam in eos sententiam in scriptis tulit in præsentia suorum Procerum, & copiosæ multitudinis populi *Pisani*, Pronuncians multa crudeliter contra eos, & inter alia Civitatis muros, murorum turres, & portas dirui, ac destrui funditus ipsius Civitatis sumtibus; fossata quoque & valla in ambitu ipsius Civitatis facta explanari, & impleri. Urbis quoque solum aratrum pati, hæc etiam numquam refici absque Cæsarea licentia
B speciali. Ipsam quoque Civitatem privilegiis, libertatibus, & immunitatibus ab eo, & antecessoribus ejus concessis, nec non statutis, aut consuetudinibus, mero etiam & mixto imperio, omnique jurisdictione privans, pedagia, telo- 90
nea, gabellas, quoscumque reditus, ac proventus, & cetera bona ipsius Universitatis suæ Cameræ confiscavit. Juristas, Advocatos, & Tabelliones suis quemque privavit officiis, ac cunctos pronunciavit infames, ac plerosque quorum nomina inferius scripta sunt, sæviore sententia damnat, quos secessionis, ac rebellionis Principes,
C & Auctores, nec non læsæ Majestatis reos vocans de toto *Romano* Imperio nulla interposita conditione, & absque ullius remedii termino exbannivit, & diffidavit. Eorum bona, & jura, ac jurium, rerumque quorumlibet actiones, quæ modo aliquo alicui bannitorum competant, annotavit Fisco. Ipsos quibuslibet privilegiis, ac libertatibus privatos perpetua damnavit infamia, ita quod intestabiles semper essent, nec ad ullum legitimum actum admitterentur, & si quis eorum in manus Imperii devenerit, sibi extremum furcis supplicium inferendum esse decrevit. Horum damnatorum nomina sunt hæc: Comes *Philippo* de *Languscо*, *Ricardinus Girrardinus* de *Sparavaria*, *Albertinus Formagiarius*, *Fredericus Guillelmus* de *Sparavaria*, *Petrus de Nicorbo*, *Ubertus Salvarisius* de *Petra*, *Guizardinus* de *Insimbardis*, *Jacobinus Guizardi Zazii*, *Marcellus Insimbardus*, *Lombardus* de *Zimpresso*, *Salimbene* de *Botigeriis*, *Guillelmus* de *Caneva nova*, *Albore* de *Coetia* dictus Judex, *Joannes Insimbarbus*, *Jacobinus* ejus frater, *Rossinus* de *Strata*, *Philippinus Beccarius*, *Curradus Guasconus*, *Odoardus Botigiarius*, *Curradus* de *S. Michaele*, *Galvaneus Brusa Mantica* dictus Judex, *Bordinus* de *Georgiis*, *Salvus* de *Canero*, *Piccus* de *Giandulphis*, *Comeynus Insimbardus*, & fratres, *Tadinus*, *Bregadinus*,
E *Jacobinus*, *Francionus*, fratres de *S. Nazario*, *Rigatius Petrus* de *la Viluta*, *Guidarius* de *Strata*, *Nicolinus Toscanus*, *Ubertus* de *Cario*, & filii, *Simonellus Tritus*, *Barvellus Busticoja*, & fratres, *Guasparonus* de *Cario*, *Ribaldus Canis rubens*, *Guillelmus Biscossa*, *Bonifacius* de *Certo*. Multosque alios condemnavit *Italicos* eo die, quorum multi criminis expertes erant. Nam, ut fit, sequentes Curiam sæpe invidia, aut speciali odio quemque ad libitum authorem rebellionis faciunt, licet forte defectionem suarum Urbium
F doleant. Verum processum istum non magni commodi fuisse arbitror, nam quisque etiam infestus infestior proscriptione est factus, imo etiam aliam antiquam Imperii cladem suscitatam esse creditur.

CAP. LX.

NAm Rex *Robertus* nunc condemnatus, & 91
publice nunciatus hostis, *Gallica* Regia ortus *Philippo Francorum* Regi natione propinquus erat; Amborum nempe proavus idem fuit, de quo una mater duos produxit natos, multum tamen natu-

tura, & moribus varios, humilem scilicet ac Catholicum *Ludovicum* sola innocentia in Regno tutum, nec non *Carolum* superbum, qui ferocitate animi reliquos mortales vicit. Attamen reverentia ætatis *Gallicum* diadema, & omnes patrias dignitates dimisit fratri, nec inde, velut vulgo creditur, quæstionem movit. His *Ludovico*, & *Carolo* nupserunt duæ Provincialis Comitis filiæ, quibus paternum jus Provinciæ defectu virilis prolis cessit, cumque ambæ die magni Festi sublimes una sederent sede, quæ uxor Regis erat sorori inquit: Tu cum non Regina sis, cur æqua sede mecum sedes? Pulsa igitur, & confusa questibus atque ira implet virum, quem respondisse ferunt: Nec nos semper immunes Regni erimus, cujus Regina & tu coronam feres. Ea res non modo eum diem Festum, verum totam turbavit *Europam*, nam non longum interea tempus fuit, *Carolus* iste *Romano* Pontifice, velut quod sui juris erat conferente, *Gallico* milite armatus terra marique *Apulios* invasit fines, & domito, ac Marte perempto Rege *Manfredo Frederici* Imperatoris filio, quem damnarat Ecclesia, *Apuliam*, & *Siciliam* occupavit, deinde adolescentulum Regem *Conradinum* secundum ipsius *Frederici* nepotem aviti regni jura recuperare volentem Marte confusum, & in fuga multis diebus post pugnam captum occidit feroci sententia condemnatum. Verum hic *Carolus* suo tempore, suoque ac suorum militum crimine, quibus nimiâ licentiâ datâ parum fuerat regnicolarum divitias omnibus modis rapere, quinimo eo regnante in *Sicilia* pudicitia mulierum minime tuta fuit, ipso regno *Siciliæ*, ac cunctis militibus, quos præsidio regni posuerat non sine miraculo, non modo una die, verum prope una hora spoliatus fuit, quos regnicolæ injuriarum memores cum omni eorum semine trucidarunt, *Petrum* Regem *Aragonum* in suum Protectorem, & Dominum antea, ut creditur, provocatum in ipsa gerendæ rei hora opportunum habentes. Iste *Petrus Arago* tunc magna classe armata inferre bellum minitans *Saracenis*, ut ad instantiam *Caroli*,
92 quod parabatur, suspicantis *Romano* Pontifici juris jurandi religione promiserat, versus *Siciliam* navibus iter tenens in ipso novitatis puncto *Siciliæ* Regnum adeptus est, quod *Carolus* nullique successores ejus post modum recuperare valuerunt. Imo *Fredericus* ipsius *Petri Aragonis* filius ipsum *Siciliæ* regnum tenet, cujus subsidio Imperator nititur Regem *Robertum* memorati *Caroli* nepotem *Apuliæ* Regno pellere. Nec huic *Frederico Roberti* soror nupta pacis validum pignus fuit.

CAP. LXI.

Itaque *Philippus* Rex *Francorum* ubi contra Regem *Robertum* consanguineum suum hujus Imperatoris *Henrici*, ac *Frederici Siciliæ* Regis, qui *Aragonum* stirpe natus nulla sanguinis affinitate placatus numquam remisit odium in *Gallicam* gentem semel sumtum, arma terra marique parata esse, non modo rumoribus famæ, verum etiam certis nunciis, ac literis intellexit, eosdem quos olim *Ananiam Bonifacio* Papæ vim facturos miserat, ad *Papam Clementem*, qui Imperatori favere videbatur, mittit, qui ubi hos Regios Legatos ante se vidit, illico stupefactus sese perditum credit, *Bonifacii* Papæ casus memor, quibus ait: Quid quæritis? At illi superbia pleni, videre volumus, inquiunt, quæ in Cancellaria literæ, in quorum favorem, quorumve perniciem eas destinare conaris. Neque amplius in sermone morati ad Cancellariam Legati Regis tendunt. Ibi *Conversus* Ordinis *Cisterciensis* barbatus illiteratus penes se magnum acervum literarum tenet,

A quas antiqui moris Curiæ observantia forte *Papali Bulla* tecta manu signat, ne literatus munere, aut personarum acceptione corruptus posteriores prioribus postpositis literis aliquando præsignet. Ibi utrique *Gallicæ* stirpis Regum invisas reperiunt, atque legunt literas, quibus Imperatorem *Henricum*, suosque processus cunctis Fidelibus Papalis favor recommendare velle videbatur, suadendo ut eidem fideliter obedirent. Harum pars jam, pars nondum sigillatæ erant; omnes tamen ad Pontificis præsentiam ferunt, easque cum indignatione ad pedes ejus spargunt. Cui ejus legationis Princeps horrenda voce tonat: Hæcne pro
B meritis reddere beneficia didicistis eorum hostes armantes, quorum prædecessores non modica Sanguinis effusione Ecclesiæ pericula, & injurias propulsarunt? Credebatne *Carolus* olim contra *Manfredum Tarentinum*, aliosque persecutores Ecclesiæ se opponens, nepotes ejus Rectoribus ipsius quam sæpius liberavit, Ecclesiæ sic tractari? 93
Cur non in quem protervia sua traxit *Bonifacii* Papæ casus te docuit? Certe si alieno doceri nescis exemplo, alios docebis tuo. His aliisque duris sermonibus omnis *Germanici* Principis extinctus favor favorisque literæ rejectæ sunt, neque earum
C ulterius mentio fuit. Imo in contrarium mandatum Apostolicum obtentum est, per quod Imperatori inhibitum est, ne Regem *Robertum* invadat, atque armis instet, præcipue in Regno *Apuliæ*, quod Ecclesiæ patrimonium est.

CAP. LXII.



Imperator ubi tam durum, ac spe alienum Apostolicum mandatum accepit, hoc, secum inquit, *Philippi Gallorum* Regis opus est, qui nullum superiorem cognoscens, ut asserit, Regnum suum tenet. Certe sciet. Deinde convocato suorum Procerum consilio juxta domum Fratrum
D *Prædicatorum* astante magna *Pisani* populi multitudine protestatus est, quod galearum, equitumque, quod parabat, effortium minime præjudicare intendebat Ecclesiæ *Romanæ* juribus, quæ per omnia defendere, & conservare volebat, intendens solummodo honorem, atque jura Imperii persequi. Nihilominus Legatos ad Papam mittit, scilicet Episcopum *Tridentinum* Cancellarium suum, Episcopum *Borentinum*, & Comitem *Sabaudiæ*, qui hujusmodi mandatum revocandi operam dent. Interim *Henricum* de *Flandria* Mareschalcum suum cum octingentis equitibus, & populo *Pisano* expugnare *Petram sanctam* mit-
E tit, oppidum licet dives novum; ipsum namque construxerant quodam *Guiscardus* de *Petrasancta* nobilis Civis *Mediolani* Urbe sua exulans, prima *Turrianorum* regnante Tyrannide, in districtu, aut prope confinia *Lucanæ* Urbis, cujus Rector erat, oppido sui cognominis imponens nomen. Dives vi captum spoliant oppidum, centum equitum, mille peditum *Guelfico* præsidio frustra munitum. Inde *Gibellinus* exercitus præda onustus *Lucanum* agrum visitans hostiliter *Sarsanam*, & plures alias *Guelforum* terras occupat. Unde ad arma conciti socios, & amicos vocant, ac magno
F exercitu congregato ad Castrum de *Camajore* duobus millibus passuum *Petrasancta* distans veniunt, iterumque ad reditum *Pisanos* obsident, 94
qui numero equitum, atque peditum nimium impares, qua venerant, *Pisas* redire non audent; Erant enim in exercitu *Lucano* duo millia equitum, & XX. millia peditum, aliud iter *Pisanis* tutum est. Nam, qui solus restat, passum maris Regis *Roberti* quatuordecim galearum classis obsessum tenet. *Pisani* tamen vadantes ripam ante ora hostium, qui *Mucronem* propinquum ripæ maris castrum obstandi causa ve-

nerant, transierunt periculosum & nimis altum maris vadum quam hostium insultum minus timentes.

CAP. LXIII.

EO tempore militabat *Pisis* nobilis, & egregius miles *Struffa* Brambancia gente, cujus nomen in castris juxta *Brixiam* clarum, ac Regi carum videram. Hunc cum LX. *Teutonicis* ad castrum *Vico Pasanum* pergentem hostes, qui numero erant CCCC. pedites IV. millia in itinere aggressi sunt. Ibi insignis pugna, ac memoriæ digna fuit, quoniam nullo unquam prælio fortuna ita paucis propitia fuit; Ea namque *Lucanorum* multitudo *Germanorum* parvitate superata, & in conflictu posita est, multis ex Magnatibus cæsis, multisque captis, pluribusque signis militaribus reportatis *Pisas*. In honorem B. Martyris *Georgii*, cujus numen imploraverant, ac nomen ejus in bello dixerant, victores novum templum fundarunt in Urbe *Pisana* juxta stratam *S. Mariæ*, ipsamque Ecclesiam magnifice decorarunt.

CAP. LXIV.

DUm in partibus *Tusciæ* Imperator moram trahit, *Placentia*, cujus custodia, & jurisdictio *Galeaz* Vicecomiti commissa erat, prope perdita fuit. Nam Comes *Philippo* de *Langusco* Papiæ, & *Gibertus* de *Corrigia* Parmæ, & partium circumstantium *Guelforum* Principes, communicato consilio, excitis exulibus *Laude*, aliarumque terrrarum, quibus ante exilium domi suæ maximum nomen erat, *Malcum* atque alia plura castra ceperunt, quibus tam *Placentia* quam *Laude* crebris incursionibus, ... ad ipsam occu-
95 pandam; in quo nihil dubii ponunt, diem certam statuunt. Eam nempe urbem mediam utriusque Ducis fines, viresque dirimere, ac sæpe mutuis inter se subsidiis obstare dolent. Utrique igiter dicta die, collectis equitum, peditumque viribus, quibus quisque hostium Urbe potiri posse solus putat, discedunt domo. Fortuna autem, cui studium est vertere ordinem rebus datum, alium ac rati sunt, *Guelficis* rebus dedit eventum. Nam *Galeaz*, qui hæc contra se agi consilia senserat, prius quam hostes iter arriperent, aut ulla veniendi *Placentiam* signa darent, quid agendum sit sæpius deliberat cum Conestabilibus, ac Primoribus eorum, qui præsidio Urbis venerant. Nullum in re tam ardua consilium certum capit, dum in fortunæ magis arbitrio, quam in ullius deliberatione consilii hujus rei eventum existimant. Uno tamen consilio certo, atque immutabili capto, scilicet cum his, qui primo hostes apparent, pugnandum, & cum singulis suo tempore potius, quam cum omnibus temere expectatis rem geri. Hæc una omnes laudant, quibus modica spes erat urbem tunc nullo muro, sed ligneo vallo, & humili fossa septam defendere, si hostis impetum expectent clausi. Erat tunc præsidio *Placentiæ* Yvanus *de Cornu Laudensis* ex antiquo exule Imperatoris beneficio factus civis, ante cujus adventum in *Italiam* Yvanus iste domo pulsus in castris sæpius vitam degens bellicis artibus clarum nomen habuerat. Hic in pluribus hujus rei colloquiis *Galeaz*, & ceteros de consilio inducere conatus est, ut exules Urbis suæ, qui per *Padum* venire nunciabantur, cunctis armatis navibus incursarentur, se offerens ipsius insultus Ducem, dum veteris offensæ ultionem quærit. Itaque multis frustra in consilio ventilatis, dum magna jam parte noctis consumta hostium expectatione fatigati, ut poterant, non armis demtis se dedissent stratis, ante lucis ortum vigilans altæ turris custos vociferat: Ardet ebrius ignibus *Padus*. Arma citi; Jam nobis propinqui sunt, capite arma. Itaque quibus ea nocte Urbis custodia commissa erat, quique quieti dati erant, in unum sese coeunt. *Galeaz* his stipatus, primores suorum, reliquis seorsum esse jussis, consulit. Tunc *Yvanus* invadendi, quos volebat, occasionem nactus inquit: Cur non hos, quos primo sensimus, occupamus? Armatam classem & nos habemus. Dum hæc *Yvani*, atque alia consulentium aliorum examinantur dicta qui in turribus speculabantur jam lucescente vociferant, haud procul plenos hostibus 96
campos esse, deinde *Papiensium* signa cernere. Tunc *Galeaz* Vassallum de *Desio* collateralem suum, quid agant, quove ordine hostes veniant speculatum mittit. Ille hostes plus opinione propinquos reperiens illico rediit, quo pedites, quove equites ordine veniant referens. Acceleremus, inquit; Ad nos velut ad prædam tumultuario agmine veniunt. Nulla nobis mora tuta est. Præmissis igitur peditibus *Galeaz* cum omni equitatu per portam de strata alta contra jam propinquos erumpit hostes. Primo autem utriusque partis peditum sese incursant acies. *Gibellini* temere venientes *Guelfos* non suorum equitum acie subsequente illico turbatos fundunt, qui nihil minus, quam ut contra se hostes erumperent metuentes adeo processerant, ut erumpentium impetum vitare non possent, absente imo ignorante Comite duce suo, quem *Simon* de *la Turre* Guidonis filius exul *Mediolani* Princeps secum in solitarium locum traxerat ad colloquium cum *Simone Malvecino* auctore proditionis, quem in Urbe esse asserebat uterque *Simon*. Quibus Comes incursantium tumultum armorumque audiens Sonitum: Fortuna, inquit, quæ irrita hæc consilia nostra fecit, suo nos consilio nunc uti volet. Indeque se subtrahens, dum vociferantium conspectum petit, suos cedentes, ac prope terga dantes videt. Ita confusus, ac prope perditus nullum ad suorum aciem equitum nuncium, ut veniant, mittit; immemor, quod modo discedens jusserat, ne donec rediret procederent. Imo paucis, qui secum, ut Secretarii venerant, cum sequentibus celeri gressu ad suos pedites, quorum magna pars hostibus terga dabat, ipsosque adventu illius illico animatos in hostes jam impetu conspecto Comite tardiores vertit. Qui vero cum *Galeaz* cujusque generis erant equites non numerum ducentorum attingebant. Hi expeditum agmen peditum in fronte positum sequebantur. Ante omne equitum agmen erat una cum Vassallo de *Desio* Comes *Serapontis* nescio *Gallicus*, an *Germanus*, utriusque enim erat linguæ gnarus, qui tunc in *Tusciam* ad Imperatorem transiens pluribus diebus fidelis hospitii gratia *Placentiæ* moram traxerat. Deinde precibus, atque donis illectus, nec non gloriæ Martis cupidus hujus *Guelficæ* novitatis, quam nunciabat ambiguus vulgi rumor, expectarat eventum. Cui Vassallus de *Desio*: Ecce, inquit Comitem *Philipponem*, qui in his partibus totius rebellionis primus Auctor, atque causa fuit, quem nostrorum agmen peditum clava sternentem cer- 97
nitis. Hic modo suos fugientes retro vertit, ac nostros fugantes sistit. Qui si sua equi tum acies, cujus moram miror, venerit, quorum equitatui noster nimium impar numero est? Hæc nec temere dicta, neque Comiti audita sunt; nam illico sociis signum voce dedit, ac signa de cœtu in dextrum latus aliquanto seorsum vertit, ne dum occurrat hostibus frequens *Gibellinorum* agmen peditum, aquis pulsum, à tergo turbet. Jam utriusque partis expediti pedites, deinde qui

qui armis graviores erant ſeſe undique incurſantes increbreſcebant late pugnam. Cujus rei cauſa hi, qui tenſis haſtis Comitem *Philipponem*, alioſque hoſtiles equites incurſare volebant, ad hoc liberum ſpatium non habentes haſtas objiciunt. Deinde evaginatis gladiis horriſona voce miſſa verſus Comitem *Philipponem* per frequentem pugnantium turbam tendunt, & illico ejus, ac cunctorum, qui ſecum erant, equitum pugnam in ſe vertunt. Tunc pedites *Gibellini* ſe liberos ſentientes hoſtilium equitum pugna, quos jam prius fuderant, hoſtium pedites acrius aggreſſi ſunt, qui dum impetum ſuſtinere conantur ſuorum fruſtra equitum expectantes ſubſidium, ab equitibus *Gibellinis* jam periculum in mora cernentibus, ne hoſtilium equitum acies perveniat, laxis frænis in eos impetum facientibus diſſipantur. Erat tunc in *Gibellinorum* peditum agmine plebejus civis *Papiæ* domo pulſus. Hic ut Comitem *Philipponem* in Comitem *Serapontis* ſævientem clava, nec non in *Joannem* filium ejus, qui pugnæ hoſtili pro Genitore ſucceſſerat, videt, ad eum tendit ſecum inquiens: Tunc exilii mei auctor hic evades Comes? *Lancea* non ipſum *Philipponem*, quem ſtrenuis armis tutum exiſtimat, imo intentior ad nocendum equum ejus petit, atque forat, neque illo lethali vulnere equus tardior, imo aſperior Comitem in frequentiores hoſtes ſævientem tulit, cujus rei cauſa neque ſuos poſt terga relictos fugientes videt, nec niſi tarde ſuorum fugam, & ſe relictum ſenſit. Nam equo vulnere jam affecto, in gyrum flexo, dum retro lumina flectit, nullum ſuorum niſi fugientem videt. Tunc fruſtra fugæ memor equum ſoliti ſaltus immemorem, ut humilem foſſam in latum campum tranſeat, ferrata calce vulnerat. At ille in ulteriore ripa moribundus ruens Comitem in diſcrimine prope infenſos hoſtes liquit, vix à Vaſſallo defenſum, dum *Galeaz*, cui ſe dedat, vocatus veniat. Nam *Jacobinus* de *Landriano* peditum Coneſtabilis ſocios exhor-
98 tans in eum: Hic, inquit, proterve Comes extinguendus erat tuæ ſuperbiæ furor. Jam Incenſi *Landriani* pœnas dabis. Eo tandem, ſociiſque rejectis invitus quaſi, & cupio mori vociferans, vixque *Galeaz* ſeſe dedens, equo impoſitus in Urbem fertur. Jam hoſtis in fugam ſparſus undique per devia quærebat ſalutis viam. Plerique verſus *Padum* tutius naves petunt, reliqui peditum ex magna parte aut capti, aut gladio cæſi ſunt, pluresque cecidiſſent, ni timor *Parmenſis Gilberti*, ac *Laudenſium* exulum, quos venturos noverant, victorem militem revocaſſet, qui etiam prope tardus ad defendendam hoſtibus Urbem fuit, quorum jam multos, lacerato vallo, intrantes Urbem invenit, qua nondum muro munita erat. Nonnulli etiam hoſtium ad interiora Urbis mœnia propinquabant. Hi primum *Papienſium* perpendunt cladem, dum per Urbem vagantes onuſtos præda milites cernunt, & quam vulgo vociferanti increduli ſpreverant, receptam ſociis cladem cruentis occurrentium gladiis credunt, audiuntque illico, & credunt Comitem *Philipponem* captum; Nam ipſius cladis fama, aut ullus nuncius ad eos nondum venerat. Itaque omni ſpe perdita ſubito pavore percuſſi qui primi intraverant rapidos ſiſtunt gradus, deinde dum retro pedem ferunt qui dejecti paſſus valli ſervabant ad ſe vocantes ſocios ſubito de aggeris tumulo ſeſe præcipitant. Exteri itaque pavore percuſſi, qui Urbem quam prope captam putabant jam facto agmine intrare parabant. Sed non multum dubitare ſinuntur, nam illico patefactis portis erumpunt tres *Gibellinorum* equitum turmæ, qui neglectis, quos paſſim vagantes cernunt, hoſtibus, in frequentem hoſtium aciem, quæ pro ſtatione erat, ruunt. Eoſque pri-
A mo impetu in fugam vertunt. Tunc multa peditum ſtrage facta evaſit eques, tota cædis clades peditum fuit, quos quia effuſa fuga ſparſos neque multum longe perſequitur *Gibellinus*, imo ſervatæ Urbis periculo contentus, ſigno receptui dato Urbem intrat. Comes *Philippo* ubi, prout res proceſſerat, ſenſit ſecum, quid ulterius te, inquit, dilacerandum ſervas? Expectabiſne qualiter te tractet *Henricus*, qui *Tebaldum* amicum noſtrum ante muros *Brixiæ* viliter more canis dilaceravit, dilaceratumque in conſpectu gentium, ſpectaculum horridum, atque vile cunctis gentibus dedit? Itaque horrenda voce tonans ferrum, quo in ſe ſæ-
B viat, quærit, quod ubi per cuſtodes nunciatum eſt *Galeaz*, Vaſſallum ſolandi, ac ſervandi Comitis cauſa ad eum ire jubet, cui hos furioſos mores 99
amicis ſermonibus increpanti inquit Comes: Cur fruſtra ſolari ægrum animum meum conaris amice? Quid mihi uſquam ſpei eſt? Epiſcopus *Papienſis* frater meus, cujus omnia, quæ vere non ſua, ſed filiis meis dedita uſui meo erant, vita ceſſit. *Ricardinus* filius meus, in quo ſi quid uſquam ſpei miſero mihi reſtat, ſperare liceret, perfidia *Philippi* de *Sabaudia*, dum ſecum nuptias celebrare debebat, in *Taurino* captivus moram trahit. Quid
C autem ulterius fortunæ novercanti in me reſtat agendum, niſi ut æqualia *Tebaldi* fata præſtet mihi? O quam pietas tua hodie, cum hoſtibus gladiis, heu nimium tardis peterer, peſtifera fuit mihi! Hoc fide feciſti; cui me crudeliter lacerandum ſervares non vidiſti. Tandem ut in hoſtibus nonquam timebat ſævitiam, ſed humanæ compaſſionis certa ſigna videt, aliquantulum ad ſe rediens vulnus, quod per utramque aciarinam laminam tranſiens hoſtilis gladius fecerat, mederi paſſus eſt. Verum aliter quam timebat evenit, aliumque fati caſum habuit; Nam Imperator eo tempore con-
D ſpirantibus aliquibus *Senenſibus* intrinſecis cum extrinſecis ſpem occupandæ per deditionem Civitatis cepit. Et quingentis de *Alemania* equitibus ſibi miſſis, iter arripuit verſus *Senas* per agrum *S. Miniati* tranſitum faciens, & hoſtiles villas incendio ponens. Sed Urbis mœnibus accedens ſua ſpe invenit ſe deceptum, ejectis enim fautoribus armatos muros *Guelficis* ſignis videt, & cum ad ſe vocatis *Aretinis*, & Comite Montis *Feltri*, & Comitibus de *Santaflore*, & de diſtrictu *Senarum* fidelibus ſuis, ante Urbis portas ſita ſtatione, *Senenſem* undique agrum depopulans tenet exercitum, triduana febre implicitus ad tumultum ſuorum in
E pugna levibus certaminibus cœpta laborantium equitavit armatus. Inde iram animi, & immodicus corporis ægri labor ipſius febris igniculum in continuam traxit, qua continua comite die XXIV. Auguſti anno MCCCXIII. migravit ad *Dominum* in loco, quem incolæ *Bonconventum* dicunt diſtante *Senis* XV. millibus paſſuum. Amiſſo Duce ſpargitur exercitus, nam Comes *Fredericus* de Monte *Feltro* cum *Aretinis* Aretium reverſus eſt, diuque *Senenſis* cum ceteris *Guelfis* Tuſciæ ſecurus fuit. Mareſchalcus cum cetero exercitu corpus Domini ſui ſecum ferens per maritimam *Piſas* venit, & *Piſanis* id cum inſtantia requirentibus corpus ſepe-
F liendum datur in Eccleſia majori obſequio tanti Principis, ut decuit, celebrato honorifice ſitum. *Piſani* omni theſauro carius tenent.

CAP. LXV. 116

ITaque Comes *Philippo* cruciatam, ac trucem mortem, præventa morte Principis, non habuit, quam timebat: Attamen perpetuo carcere miſeram deinceps vitam egit. Nam *Matthæus Vicecomes* pater *Galeaz*, cui vinctus deſtinatus fuit, carcere eum clauſit, in quo perpetuo vitam egit non immemor quod Comes iſte una cum *Simone* de *Colo-*

biano, & *Antonio* de *Fixiraga*, & *Alberto Scotto*, quem contra ipsum instigaverant ipsi falsi Comites *Simon*, & *Antonius*, ejus exilium procurarat, & de Domino ipsum *Mediolani* exulem fecerant, corrupto precibus, & falsis rationibus ipso *Alberto* mutato hostilibus aciebus stantibus in campo *Melzi*, ubi *Matthæus* ipsius *Alberti* nimium fidens, sibi clavam in signum remissionis dominii Urbis *Mediolani*, & plurium Civitatum, quas tenebat dedit, contentus in Urbe sua privatus vivere, quod ipse *Albertus* compositor pacis, quæ tunc tractabatur inter *Turrianos* & Ipsum, promiserat utrique parti. Verum instantibus, imo ut multi mortalium asserunt, cogentibus ipsis Comite *Antonio*, & *Simone*, introductis *Turrianis*, *Matthæus* extrinsecus mansit exul: & *Guido* de *la Turre* suæ factionis Princeps deluso temerariæ intentionis suæ *Alberto*, qui *Mediolani* regnare posse credebat, regnavit non modo *Mediolani*, imo etiam *Placentiæ*, ipso reconciliatore suo inde pulso. Et exulem fecit, qui ipsum, & agnatos, & sequaces ejus exules absque spe subito fecerat desideratæ Urbis suæ Cives. Itaque *Matthæus* iste, qui in prima dominatione junior regnans nullam injuriarum suarum ultionem sumserat, quasi indifferenter pro malis reddens bona, postquam ab ingratis sceptro pulsus, exiliumque eisdem procurantibus, a quibus non id meruisse credebat, ægre nimium passus est; aliquantulum inclementior factus erat, credens nimis facile ignoscendo periculum incurrisse, & propterea multos ad experiendum fortunam belli in se audacius surrexisse. Heic se instruat humanum genus, & in Cœlo sciat esse, qui mortalium curam habeat, & aliquando heic præmia pro meritis inique agentibus, præcipue ingratis, reddat. In hos ingratos, imo Retributores diabolicos, *Matthæus* sævire potuit, ut voluit. Tamen eos in ejus potestate captivos habens, *Albertum*, quia aliorum astutia seductus fuerat libere relaxavit, re-
101 tinens seductores in carceribus, qui perpetuum domicilium fuerunt sibi.

CAP. LXVI.

Post hujus *Henrici* Principis nostri mortem in cunctis partibus *Italiæ* exultat *Guelfus* non modo *Tuscus*, verum etiam *Lombardus*. Et licet ex Primoribus *Guelficæ* factionis in *Lombardia* multi, & plerique Domi suæ Principes aut cæsi, aut capti forent, *Franciscus*, & *Simon de la Turre* Guidonis, de quo superius pluribus locis mentio facta est, filii exulum *Mediolani* Principes, collectis undique amicorum viribus in *Papia*, tantum gentis effortium maxime equitum subito collegerunt, ut *Gibellinæ* gentis, specialiter equitum nulla parte timerent occursum. Sentientes *Mediolanum* conductorum equitum vacuum, nimia, & crebra contributione promissi auri *Henrico* facta vacuato nimium Fisco; magnam etenim *Matthæus*, ut fertur, dederat sibi pecuniæ summam, & nimiam conferre promiserat, cum juxta *Brixiam* eundem *Matthæum Turrianis* id tunc requirentibus præferens sibi contulit regimen *Mediolani*. Itaque exules *Mediolani* una cum *Thoma* de *Martiano* Comite de *Squilatio* in partibus istis Mareschalco Regis *Roberti*, vadato *Ticinello* haud longe à loco *Gazano* fusis, ac pro magna parte captis agrestibus *Seprii*, ac *Marthesanæ*, quibus ipsius aquæ transitus custodia commissa erat, *Mediolanensem* agrum hostiliter occuparunt...... Erant in *Marthesana*....... quæ tertia pars *Mediolanensis* agri est, adversantium ab antiquo partium studia, quæ olim in Burgo *Vicomercato* duarum invicem adversantium agnationum, Rusticorum scilicet, & *Melosorum* discordia initium sumserant. Et licet utriusque fere agnationis virilis sexus genus foret antiquitate consumtum, unico de Domo Rusticorum superstite, quem tamen nomine *Philippum* cuncti suæ factionis colebant ut Dominum naturalem. In *Melosis* autem, qui plures erant, nemo præ aliis cognitæ auctoritatis, ut taliter honoratus apud suos erat. Hujus *Melosæ* factionis quæ semper inimica *Turrianis* fuerat, Nobilis, ac domi dives *Marthesanus Obizo* de *Bernardigio* tunc cum *Turrianis* exulans amicus ac præcipuus fautor, ac defensor extiterat, regnantibus *Turrianis*, nunc etiam domo patriis bonis secum pulsus, ipsis etiam invitis, quos sequebatur ut Duces, cursitans undique per 102
exercitum quoscunque suæ partis *Melosæ* captos reperit aut precibus, aut pretiis redemit, ut potuit. Plerosque quos crudelis spoliaverat prædo, suis, suorumque famulorum ejectis de dorso vestibus nudos cooperuit. Hujus viri mores silere nequeo: Nullus in *Marthesana*, ipso non exule, terram pluribus vertebat aratris; non tamen delicatis, sed grossis vivebat cibis. Amicus, quem casu aliquo visitasset, si ipsum lauta, & pingui mensa cibasset, non reprehensione carebat. Eidem visitanti possessiones suas nullus colonus ejus capones, aut alias pingues carnes præsentare audebat in mensa. Qui rapas macras modico sale conditas dabat sibi, admodum sibi carus erat. Sed ad tutandos, sublevandosque amicos totus deditus, prodigus semper fuit, nullis parcens expensis, aut laboribus personarum. Sæpe etenim oneratis victualibus plaustris non modo amicos amore sequaces, verum etiam mercede conductos secum ducens nullam sui Communis pœnam metuens, ad propulsandas amicorum injurias, & offensas, aut eorum hostibus inferendas celer tendebat agmine nunquam parvo. Interea frequentes in Urbem nuncii veniunt nocturnum iter versus *Ticinum* hostes clam facere nunciantes. Ad arma primum stipendiarios, qui auxilio venerant, equites suscitat, deinde, præmissa per Urbis vicos præconis voce, Communis campana fori Cives capere arma, & signa sequi jubet. Tunc Comes *Serapontis*, qui Imperatoris morte *Italiam* linquens *Mediolani* primum donis, deinde stipendio magno collato moram trahens subito conductam cohortem fecerat, nimium festinus ad hunc tumultum fuit; Nam *Janarius* Civis *Placentinus*, cujus *Salimbene* cognomen erat, Potestas *Mediolani*, & Comes *Aymo* de *Ticinensi* Capitaneus belli nuper factus, nullis præmissis exploratoribus una cum hoc Comite *Serapontis*, paucisque equitibus *Mediolani* versus *Gazianum* celeri gressu tendunt, fluminis transitum hostibus inhibere volentes, quos transisse reperiunt. Et licet de eorum transitu, & multitudine certiorati occurrentibus Contadinis commisso fluminis loco pulsis, qui cruentis vultibus hostium multitudinem nunciabant, adeo temere processerunt, ut eodem campo cum hostibus, nullo mediante obstaculo, stupefacti sese videant. Tunc Potestas *Mediolani*: Erravimus, inquit, errori autem nostro unicum remedium est. Aliquantulum retrocedendum est; scitis etenim, quam fecimus, via fluvii collateralis est. Huc veniens 103
haud procul hinc hujus stratæ locum vidi, cujus utrumque latus plaustri stagno junctum velut vallo muri nos tutos faciet, nec hostium multitudine nos circumveniri sinet, ibique solam hostium timentes frontem sine periculo expectare poterimus gentes nostras, quæ plenis veniunt stratis. Cuncti assentiunt, excepto Comite *Serapontis*. Ille vana quadam, temerariaque superbia: signa mea, inquit, hostibus visa cedere nesciunt. Maluit itaque vinci, quam defensionis, imo forte victoriæ viam sequi, ut plerumque accidit, qui disciplinam militarem nesciunt, aut nescire volunt. Murmur ita-

itaque toto inſurgit agmine, quorum major pars occurrere hoſtibus, eorumve incurſum ibidem expectare ſummam dementiam eſſe dicunt. Pauci Comitis dictum laudant. Nec mora, appropinquante hoſtium denſa acie quiſque opinionem ſuam ſecutus eſt. Nam Comes, & pauci ultra banniæ ſuæ comitivam ſecum inclinatis haſtis, citatis equis, nullo ducis ſigno dato in hoſtes ruunt. Ceteri per devia ſalutis viam quærunt. Comes, quique eum ſecuti ſunt, totam hoſtilem aciem tranſeunt; ac pleriſque eorum abſque ignominia per medios hoſtes facta via evadere, ac tutum ſibi locum petere licuit, ſed revertentes occidi potius, aut capi hoſtibus maluerunt, quorum inſuperabilem multitudinem eſſe cernebant. Hodie etiam in Urbe noſtra ſæpe hujus quæſtio ventilatur. Nam ſunt qui aſſerunt: ſi cuncti dictum, factumque Comitis ſecuti forent, aut hoſtes in diſcrimine poſuiſſent, aut cruentam victoriam eis dediſſent. Hi neque id Comitis actum temerarium, ſed potius laude dignum eſſe ferunt. In Urbe ingens pavor, velut intra muros hoſtes forent, undique circumeuntes occupat exiſtimantes hoſtes poſt terga fugientium ruentes una ſecum Urbis portas accedere, ſed aliter quam timent evenit. Nam qui fugientium *Ticinelli* ſtratam, ipſo fluvio, paludibuſque de ſe factis ſeptam tenuere, quos ob id hoſtes inſequi non audebant, ut frequentes Cives in occurſum venientes vident, gradum ſiſtunt, & tuto ſe locant loco, ubi *Ticinellus* tranſiens ſtratam, ripas mutat meridianum latus ſtratæ linquens. Ibi antiquus pons ligneus amplectens fluvium interruptam ſtratam jungit. Ille locus ad reſiſtendum hoſtibus aptus eligitur. Eo erumpentes Urbe Cives ſubito glomerantur in unum, jam perſequentium optantes adventum. Verum ipſi aliam viam capiunt, & juxta Albayrate gradum ſiſtunt. Inde per apertos campos ad
104 portam Urbis, quæ *Vercellina* vocatur, accedere commodius poſſe rati, adeo equos, ſeque itinere fatigatos reperiunt, ut ibi morari illa nocte neceſſitate coacti ſunt. Quod ubi perceptum eſt, revocato exercitu in Burgum exteriorem Portæ *Vercellinæ* undique Urbis clauduntur portæ, ne quam moram in Urbe faciat miles, & hoſtibus occurrere paratior ſit. Cujus rei cauſa hoſtes, ſpe poſita tam ſubito, ut ſperaverant, occupandæ Urbis, per aliam viam *Legnanum* tendunt. Heic inter ceteros Comitatus *Mediolani* ad colligendum *Turrianæ* factionis vires aptior ſedes viſa eſt, XVI. millibus paſſuum ab Urbe diſtans, qua primum ac ſequenti die alii metu, alii favore partis *Turrianæ* frequentibus turmis, maxime ex propinquis *Seprii* villis *Franciſco* de *la Turre*, & aliis Primoribus exulum oſtentantes temere illuc ruunt. A quibus docti, inductique Regio exercitus Duci Urbem accedere ſuadent, quam dedi paratam aſſerunt. Pauci autem horum in exercitu moram trahunt, imo ſemper Sole cadente quiſque domum tendit, neque ob id eos detrectare militiam dicitur, quibus, dum non extra *Mediolanenſem* agrum militent, antiquus mos eſt, in caſtris tubis, aliiſque ſoniferis inſtrumentis ſub ſignis ſeſe exercituum Ducibus oſtentare, & ad............ſe devotos, promptoſque offerre. Deinde iter domum faciunt plerique ſæpius non redituri. Hoc ſentiens exercitus Dux, quem ſpeciali titulo Mareſchalcum appellabat, ad id per *Turrianos* exules pertrahi nequit, ut verſus Urbem accederet, ut inſtabant. Præmiſſis etiam pleriſque exulum, ac nonuullis, qui prædæ magis ſtudio quam partium favore exercitum ſequebantur, uſque *Rhaude*, qui locus VI. millibus paſſuum ab Urbe diſtat, incolis, utpote *Canzianis*, *Brugoricolis*, & aliis qui in ea Contrata ſecum *Turrianæ* factionis

A erant, cunctos, quos prædæ avidos eſſe credebat, provocantibus, ut primitus injuriarum ſuarum ultionem ſumant, & ſecurum verſus Urbem acceſſum toti exercitui eſſe probent. His primis auctoribus, ac viæ Ducibus magna prædonum multitudo ſubito *Rhaude* fuit, quibus (ita eos trahebat prædæ cupiditas) non magno hortamine opus erat. Itaque pluſquam mille illico diſcurrunt *Rhaude*, ibique & circumſtantium partium ſpoliantur non modo adverſariorum ſuorum domus, verum etiam nonnullorum, qui ab initio hujuſmodi novitate gaudebant. Erat enim tunc Dux exercitus hoſpitio penes Religio-
B ſum militem Fratrem *Singibaldum* de *Lampugnano*, Ordinis Militiæ *B. Mariæ Virginis* glo- 105
rioſæ, cui non ſine cauſa exercitus tædio erat, quippe ſuas, ſuorumque poſſeſſiones vaſtari cernebat. Imo etiam nec ſibi, nec agnatis ſuis *Turriana* Potentia umquam grata fuerat. Hic cum ipſius Ducis ægrum animum, & ipſius rei cauſam perpenderet, jam magna ciborum copia conſumta, opportunaque mutui ſermonis hora capta, in modico ſermone Mareſchalcum ſuæ ſolicitudinis, & ægræ mentis cauſam manifeſtare coegit. Qui velut in arctis, & periculoſis rebus conſilium quærens: Quid agendum, inquit, ignarus omnium neſcio;
C frequentantium etiam caſtra mea ambiguam fidem tenet. Non enim, ut fertur, omnes, qui ad nos magnis promiſſionibus veniunt, *Turrianæ* domus amici ſunt, imo plerique votis diſcordant ſecum. Cui Frater *Singibaldus*, ut poſtea eum referentem audivi: Exulibus, inquit, quos dulcis amor patriæ incitat, mos eſt cuncta ardua, atque aſpera ſuadere, attenuando etiam adverſariorum ſuorum vires, quæ imminent pericula reticere, ubi aliqua eis recuperandæ patriæ fuerit ſpes. At vobis æquiori animo conſiderandum eſt, ſi æquis viribus, atque locis, vobis, atque hoſtibus geritur
D res: Nihil in mora vobis tutum video: Aut illico vincendum, aut adeundum eſt. Quippe nullo firmo munimento, nullo continuo neque certo commeatu freti, hoſtili agro poſiti, cujus incolæ potentioris exercitus fortunam ſemper ſequi parati ſunt. Non ſine magna veſtri, ac gentis veſtræ periculo *Mediolanenſium* amicorum quotidie creſcens expectatis effortium, quod ubi congregatum fuerit, ſcitote vos tunc omni gentis ac victualis ſubſidio penitus derelictos. Imo ſi plerique qui nunc vobiſcum ſunt, hoſtes veſtros viderint meliores, illico ſecum erunt. Hoc non impune multi hactenus Principes experti ſunt. Sed *Ezelini* de *Romano* ca-
E ſus non nimium antiquum documenti exemplum vobis eſt, qui ſuperba dominatione Urbium *Brixiæ*, *Veronæ*, *Terviſii*, *Vincentiæ*, ac totius fere Marchiæ *Terviſinæ* adeo fretus, cum aliquot & ipſe exulibus *Mediolani* trajecto flumine *Addæ* Ambroſianum agrum invadere auſus non per pontem, ut venerat, ſed per inexpertum fluminis vadum graviter vulneratus terga dare conatus eſt, & priuſquam diſtrictum noſtrum evaderet, cæcus in *Soncino* non multum magnifice ſepultus eſt. His, atque aliis, quibus multipliciter periculum ſibi nunciabatur in mora, adeo percuſſus metu creditur, ut abſque ullius exulum deliberatione proponeret
F verſus *Papiam* iter arripere ſummo mane, neque 106
ſibi, quorumque conſilio regebatur, curæ fuit nunciari receſſum illis, qui *Rhaude* iverant. Id non oblivione, ſed induſtria ejus, provincialiumque omiſſum fuiſſe creditur, ut potius verſus Urbem totius exercitus minarentur acceſſum, & hoſtium animos ad ſe converterent, qui ſi *Guelfici* fugam exercitus aliqualiter præſumſiſſent, ut pluribus locis poterant, fugientes ſaltem ad vada fluminis occupaſſent. Itaque Mareſchalcus ſequenti mane, ut abeundi idoneam occaſionem quæreret,

quasi objurgans his verbis *Francischinum* de *la Turre* subito multis audientibus (etenim audiri volebat) aggreditur inquiens: *Francisce* tua vana promissa secutus sum, quibus me nimium credulum perdidisti. Cui cum, absit me neminem perdidisse, responderet, Marelchalcus ostentans cedulam, quam sibi *Francischinus* Papiæ dederat: Ubi nunc, inquit, promissa amicorum subsidia heic notata, quæ nobis intrantibus *Ambrosianum* agrum occurrere debuerunt? Ubi Nobiles de *Birago* cum duobus millibus armatorum? Ubi illi de *Castilliono*, quos *Sepriensi* pago, in quo sumus, dominari dicitis? Ubi confluentes amici vestri, quorum multitudine Urbis mœnia superatis civibus occupentur? Tunc *Francischinus* Mareschalco inquit: multos amicorum ad vos venientes vidistis, pluresque promissionis numero venient, si proceditis, ut cupiunt, versus Urbem. Nec capit hospitio vicus iste eos, qui venerunt, licet plurimum amplus sit. Huc venerunt *Litti de Arluno*, & alii multi Nobiles cum armata multitudine agrestium, qui, postquam inopinatam, & inutilem senserunt moram nostram, domum reversi sunt. Præsto ergo procedatis saltem usque *Rhaude*, ubi jam multitudo nostræ gentis, pulsis inde qui adversæ nobis factionis sunt, nos expectant, ibique spero videbitis manifeste nullam vobis factam promissionem fuisse vanam. Tunc Mareschalcus ficte ex industria: & *Rhaude* eatur, inquit. Hæc Mareschalci vox audita subito per *Legnanum* sparsa multos peniciose fefellit, qui non expectatis signis tumultuose rapido cursu versus *Rhaude* tendunt. Illi vero, quos ante lucem Mareschalcus suæ intentionis conscios fecerat, prælatis signis, non segnius versus *Papiam* simile iter fugæ capiunt, nec alicubi moram trahunt citra passus fluminis *Ticinelli*. Qui vero *Rhaude* pervenerant, quique eo nimium festinatum iter arripuerant, ut dictum est, capti, aut spoliati, aliqui cæsi. Multos servavit pia caritas
107 amicorum. Pauci ex captivis *Mediolani* consignati sunt; nam fere omnes celeri, & modica redemtione dimissi sunt. At ubi *Papiam* ventum est, exules *Mediolani* tanta repatriandi spe frustrati questibus Urbem replent, seque proditos Mareschalco vocant, ipsumque auro corruptum dicunt: qui cum victoria in manu ejus esset, nullius periculi metusve causam habens procedere noluit contra hostes, qui Urbis burgos exire non audebant, imo per ignavum scelus simulans metum, nos & exercitum, honorêmque Regis, a quo huc solo infortunio nostro missus est, perdidit, sine quo ipse Dominus noster Rex, & omnis ejus factio *Lombardiæ* jam suum habuisset intentum. Ex *Papiensibus*, quæ gens natura prædæ avida est, multi dum exercitus *Legnani* foret, de castris prædandi causa *Rhaude* processerant, quorum plerique viam prædantium exulum *Mediolani* temere per villas secuti, ab offensis rusticis *Guelfici* exercitus fugam sentientibus crudeliter cæsi sunt, & in eos propter recentem offensam a Contadinis, per quorum territorium fugientes errabant, sævius sævitum est. Quorum casus ubi *Papiæ* nunciatus est, illico miserabilis mulierum insurgit questus filiorum cædem plorantium. Id adeo multitudinem subito stimulavit ad fremitum, ut inde orto clamore vociferantium Mareschalci mortem statim hospitium tumultuoso insultant agmine. Plerique ipsum per hospitii latebras quærunt, qui suorum cædes ipsius cæde ulcisci volunt. Alii hospitium spoliare satagunt. Forte iste multitudinis furor oppressisset eum, ni *Francischinus* de *la Turre* audito tumultu se suique honoris dignum opus faciens cum ejus familia celeri gressu illuc properans ab hospitio jam tamen pluribus rebus spoliato furentem multitudinem alios precibus, alios scilicet

A cœxules suos, comminationibus repulisset. Certe ex promta nimium suspectione hæc insonti ignominia Duci illata est, & falsa de ipso, sed non diu tamen credita, processit infamia.

CAP. LXVII.

EO, sequentique anno quod dignum sit memoria parum actum est. *Guelfi* tamen magno equitum *Dalfini* de *Viana* subsidio freti, qui eadem, qua *Turriani*, stirpe ortum se ferebat, congregati *Papiæ* undique suæ factionis viribus *Placentiam* invadere conati sunt. Ipsius Civitatis *Galeaz* Vicecomes *Matthæi* filius Rector erat, modico equi- 108
B tum, ac peditum præsidio fretus. Ideo dubiam civium fidem timens frequentibus nunciis, non modo Genitorem, imo vero sæpius qui ejus frequentabant Aulam solicitat, ut sibi destinent saltem equitum subsidium petens. Itaque magna equitum turba, quibus *Franciscus* de *Garbagnate*, & *Paxius Hermenzanus* Duces dati sunt, in ipsius Urbis subsidium missa prope tarda fuit, dum ab hostibus retinentur ad flumen *Padi* equites nostri, quorum abeuntium vestigiis insistebant *Guelfi* persequentes ab alta ripa *Padi*. Verum *Francisci* solertia fallitur hostis, qui ante occasum solis pone-
C re castra simulans, signis in hostis conspectu canentibus, & micantibus undique crebris focis tota nocte, interim cum omni equitum robore per *Campaniam* semotum, ac aliquantulum a ripa distans, iter faciens longe ab illusis hostibus transeundum flumen repetit. Ubi obscuræ noctis beneficio vix ante odiosam, ac sibi nimium præcipitem visam lucem non sine inopinato pavore paucis navibus transeunt *Padum*. Quoniam dum veram ulteriorem ripam attigisse credunt, in longam, & latam fluminis insulam se descendisse reperiunt. Oportuit itaque reperto errore circumduci naves, & alterum ramum fluminis superare.
D Attamen prius supervenit manifestans illusum hostem clara dies, quam omnes e navibus equites in solidam, ac tutam exirent ripam. At ubi senserunt *Guelfi* siubsidium equitum a *Mediolano* missum repertis abeuntium vestigiis in suam ripam fluminis evasisse, hoc, necnon ut Urbem intraverant, nunciato in exercitu, timentes ne recenti succursu equitum sumto animo iratus obsidione hostis erumperet, illico recessere. Ut sensit *Galeaz* abeuntes, an temerarii, audacisve, an sani consilii *Franciscus* foret scire volens inquit sibi: Erumpendum est, ne nobis torpentibus abeant
E tam securi. Verum tamen laudante *Francisco*, servata Urbe contentus fuit. Simulans tamen ægre ferre hostes tam liberos, & sine ullo periculo abire, inquit: *Francisce* ego credere minime potuissem sub umbra salubris consilii ullum te Martis evitasse periculum. Hæc vox audacis viri præcipitem animum movit. Et illico: pandantur, inquit, portæ Urbis, & insultentur hostes, post quam utilius hoc vobis esse videtur. Risit *Galeaz*: sufficit, inquiens, quod quærebam habeo.

CAP. LXVIII. 109

F TUnc Fessis *Guelforum*, præcipue *Papiensium*, qui tunc in *Liguria* Principes ipsius factionis erant amicorum subsidiis, aliquandiu utriusque factionis languit vigor. Et velut nulla occasio belli, imo omnis causa pacis foret, undique rusticis arantibus, quietis agris, toto ipso anno cessasset omnis furor belli, ni domestici Consultores *Matthæi* de se graviter questi forent, ejus negligentiam accusantes. In camera ejus, inquiunt, non ut expedit, sed segnius opinione civicum hostibus bellum geri, nec propterea eorum bursis requiem dari. Non nos modo, sed hæc per Urbis

bis compita mussant Cives, quibus mercenariorum militum minime cessare videntur expensæ, nec ut habeant honestum optatumque finem belli, ullos bellicos actus ulla parte fieri vident. Itaque hujus querelæ causa ex ipsis domesticis Consultoribus eliguntur sex, quibus gerendi belli onus, atque auctoritas, & omnis cura commissa est. Hi *Homellinam*, annonæ fertilem, quæ non modica, nec deterior pars *Papiensis* agri est, occupandam esse decernunt. Hæc *Homellina* inter *Padum*, *Ticinum*que more Insulæ sita est. Itaque *Luchinus* Matthæi filius cum exercitu *Ticinum* transiens in *Homellinam* tendit, cui qui ætatem ejus regant, & gerendorum curam habeant, dati sunt *Guillelmus* de *Casate*, *Simon Crivellus*, & *Franciscus* de *Garbagnate* vir impiger, in quo tanta erat audacia, ut potius moderandus, quam hortandus foret ad pericula capessenda, nullo labore corporis, aut animi fractus, incœptum negotium quantumcumque arduum vix liquit umquam infectum, cujus audaciæ fortuna sæpe plus, quam cuiquam credibile fuisset, arrisit. In hujus exercitus adventu in deditionem veniunt *Oghiablanum*, utraque *Ferraria Homellinæ*, aliudque castrum, quod *Præpositi* castrum vocant incolæ, pluresque aliæ villæ............ populationis agrorum, pleræque quarum incolis, si ab hostibus oppugnarentur modica spes defensionis erat. Duo autem nobilia oppida *Rodopium*, & *Nicornum* pugna frustra tentata sunt. *Rodopium* defensorum multitudine, *Nicornum* vicina palude defensa sunt. Castrum quoque Comitis *Guidetti* de *Langusco*, cui *Herbonesium* nomen erat, uno die continuo usque vesperas frustra pugna
110 tentatum est, imo etiam quod extra murorum mœnia receptum vocant, solo valli, ac fossæ ambitu defensum est. Tunc vero dato receptui signo a pugna cessatum est. Profuit, ut puto, defensioni, quod cum scalæ prope portam castri erectæ forent, & instantiori pugna urgerentur extrinseci, dejecti sunt denarii à dextris, atque sinistris plenis manibus sparsi, ut hostis, quem nimis avidum pugnandi vident, ad oblatam sibi pecuniam curreret, & ut sperabant intrinseci, sic accidit, nam *Gibellinus* miles, illico pugnam linquens incertæ prædæ prætulit certum lucrum; erat enim castrum illud undique inexpugnabile, non tamen ulla hominum, sed solius naturæ arte munitum, laci scilicet, & profundi stagni præsidio tutum præter ejus latus unum, ubi unica totius castri porta erat, ante cujus lateris faciem receptus vallo, ac profunda fossa tutus obstabat, ne primus hostium impetus ad portam murumque interiora castri fieret. Dumque stipendiarii nostri illam solam partem recepti pugnant, quæ opposita ad portam castri defendit accessum, ibique ex omnibus partibus concurrentibus totius recepti defensoribus magna vi resistitur ita quod expugnatione modica pugnantibus erat spes, *Arnaldus* quidam non modo armis, imo laneis vestibus nudus ubi defensoribus desertum vallum videt, spretis pungentibus vepribus vallum ascendit, ibique militare signum, omni custode relictum à vallo revulsum supra caput ejus per aerem volitat alta voce vociferans captam terram. Hac voce territi qui ante portam castri defendebant vallum, in arcem per ipsam portam fu-

A giunt, & antequam persequens trajecto deserto vallo hostis accedat portam, catenis sublatum pontem invenit nondum levato ponticulo, quem occupant nostri, & statim inhibent cæso retinaculo ne levetur. Deinde cæsis catenis magni pontis, dum frangere portam putant, frustrati sunt, quoniam ferreis laminis tota cooperta erat. Itaque duabus junctis simul, ac firmiter colligatis scalis, cum nullæ singulæ altitudinem muri superare possent, equites duo scandere tentant murum, dum sagittarii, quorum plerique *Januenses* erant, vulneratos de muris defensores pellunt. Itaque ambo cum cura capite armato, ut minus lapidum ictus sen-
B tiant, alter post primum, quem manibus, ac brachiis subsequens retinet, ut à lancearum, lapidumque ictibus ambabus manibus se defendat usque prope merlos ascendunt murum. Ibique dum qui superior tendit hostilem murum à se captum putat, securis dorso in summitate galeæ fortiter 112
ictus prope mactatus est, tamen de scalis præcipitans semivivus a subsequente socio retentus est. Illico respersus vultum, interiusque refectus vino, acrius se erigit contra securis auctorem, qui tunc securi voluit scire utrum aptior incidere sit, quam mactare, si fortuna sinat. Verum *Januensis*
C subito verettonus volat oculos transiens caput ejus, quo vulnere cum securi de muro rejectus est. Tunc linquens scalas ascendit murum, & socios vocans dum castrum captum putat, positis ad pectus hostilibus lanceis pellitur, & ad ima fossæ volvitur. Non propterea ullus defensor apparet muris. Turris proxima hostilibus scalis vacua non modo telis, imo etiam lapidibus erat, nullaque in defensione intrinsecus erat spes. Hoc extrinsecus miles pugnans senserat, sed sola scalarum inopia morabatur captionem castri. At Comes, qui priusquam hostes senserat pestem
D suam, ultimus defensorum muri scutum mille sagittis fixum ad terram projicit, equum validum, & curracem armatus, ut erat, ascendit, portamque aperiri jubet. Hoc videns fida uxor ejus: quid paras? inquit, visne Comes te hostibus afferre mille vulneribus trucidandum? At ille: postquam video, inquit, quod nec ullus vir, nec ullum telorum genus, aut quicquam aliud defendit muros, per hostium tela erumpens, si quis fidelis casus fortunæ affuerit, evadam, aut hunc dolorem aperta cæde finiam. Ast illa vociferans: estne tibi aliqua in deditione vitæ spes? *Mediolanensis* sanguis placabilis, atque mitis, cum vice-
E rit, hucusque fuisse fertur. Diffidisne in clementia *Matthæi* Vicecomitis, qui necem patris oblitus *Turrianis* totiens à septis vicariam necem nunquam voluit? Frequens mercenarius miles ante portam castri te statim mille plagis opprimet. Cum vivere possis, scelus est velle mori. Hic fidæ Comitis vocibus acquiescens, illico equo descendit, & murum ascendit vociferans se deditum, si cui se dedat dignus nominetur. Tunc quidam per scalas ascendens: dede te, inquit, *Ughetto* de *la Campana* Conestabili meo. Vocatus, atque inde appellatus, inquit: Recipiamne te Comes mihi deditum, qui mercenarius miles sum? Dede te *Luchino* Vice-Comiti *Matthæi* filio, deinde subjungit: Et *Francisco* de *Garbagnate* qui nos regit.

FINIS.

IN-

INDEX
VERBORUM ET RERUM MEMORABILIUM.

Fre-

FINIS.

ARNULPHI,

Mediolanensis Historici,

HISTORIA MEDIOLANENSIS,

Qua continentur

GESTA QUORUNDAM ITALIÆ REGUM,

Ab anno DCCCCXXV. usque ad MLXXVI.

LIBRI QUATUOR.

Editio Novissima, accuratissime edita, & Indice aucta.



LUGDUNI BATAVORUM,
Sumptibus PETRI VANDER Aa,
Bibliopolæ, Academiæ atque Civitatis Typographi.

PRÆFATIO
IN NOVAM HANC EDITIONEM.
LECTORI SALUTEM.

Exhibemus tibi (studiose Lector) Historiam, de quorundam Italiæ *Regum Gestis præprimis agentem, ab* Arnulpho *sui temporis satis Docto Viro conscriptam, & in quatuor libros distinctam.*

Auctorem ipsum quod attinet; stylo & Methodo utitur sat eleganti & facili: ut adeo forsan, si pauca ejus seculo propria excipias, cum melioris ævi Scriptoribus certare queat.

Tempus Historiæ ab anno Christi Nongentesimo Vigesimo Quinto *usque ad* Millesimum Septuagesimum Sextum *pertingit: sic ut in compendio, sine multis verborum ambagibus, Memorabilia, quæ spatio centum & quinquaginta annorum, præprimis in* Italia, *sub diversis Regibus, contigerunt, conspicienda proponat.*

Ut vero in ampliorem nostri Historiographi notitiam Lector deveniat, consultum duximus ea apponere, quæ de nostro hoc Arnulpho *Doctissimus ac Celeberrimus Godefridus Guilielmus Leibnitius, in sua* Collectione Scriptorum Brunsvicensia Illustrantium, *memoriæ prodidit. Sunt vero sequentia:* „*Arnulfus* iste, cujus opus nunc „primum edimus, autor ob antiquitatem & res, quas „scripsit, minime spernendus, ait lib. I. cap. 7. se fuis„se pronepotem fratris *Arnulfi* Archiepiscopi, qui tem„pore *Ottonis Magni* in Cathedra *Mediolanensi* sedit. „Opus in *Ambrosiana Bibliotheca*, repertum est. Pri„mam ejus notitiam dedit Illustrissimus ex *Gallia* vir, „qui magnis militiæ honoribus clarus, historiam ta„men mirificè amat & intelligit. Postea apographum

„ejus

„ejus nactus sum beneficio *Johannis de Sitonis*, JCti „*Mediolanensis* egregii, cujus majores ex nobili *Setoniorum Scotiæ* familia in *Italiam* venêre. Cur autem „collectioni Scriptorum, *Brunsvicensia* illustrantium, „inseram, causa est, quod hic autor confirmat, quæ „de antiquis *Estensibus* Principibus à *Sigonio* primum „publicata sunt lib. VIII. de Regno *Italiæ* ad A. D. 1013. „*Ardoino*, inquit, (Regem *Italiæ* se ferenti) *præter cæteros Italiæ Principes*, *Hugonem Marchionem*, *de quo* „*diximus*, *Atestinum... affuisse atque ipsum cum Azone* „*& Opizone filiis ad Papiam prælio superatum invenio.* „*Arnulfus* autem tempori vicinus lib. I. c. 16. *Henricus* (Sanctus) *quid de reliquo gesserit*, *quomodo Trojam*, *nobilem Apuliæ civitatem obsederit*, *qualiter Marchiones Italiæ quatuor* Ugonem, Azonem, Adelbertum & Obizonem *captione una constrinxerit*, *recitare* „*non expedit.* Expedisset utique, & magnam Historiæ *Estensi* lucem attulisset. Et suspicor, tres illos „Germanos fratres Longobardos, *Hug. Hezil & Ecelin*, quos ab eodem *Henrico* captos scribit *Ditmarus*, „ab his diversos non fuisse, solo *Obizzone* omisso. „Nam *Adalbertus* & *Azo* idem est vocabulum, ut „*Conradus* & *Cunzo.* Ita ætate major fratrum *Azo*, „fuerit *Hezil*, & junior *Adalbertus* fuerit *Azolinus* seu „*Ecelinus*. Vereor autem, ne ex ingenio sit *Sigonii*, „quod *Hugonem* patrem facit, & quæ de prælio ad *Papiam* narrat. Multa alia memorabilia habet *Arnulfus* noster ad illustrandam *Italiæ* historiam, quæ nunc „memorare nihil attinet. Non tamen prætereundum „est, quod ex eo discimus quædam de fatis filiorum „*Berengarii* & de tractato connubio inter *Ottonem III.* „& *Principem Constantinopolitanam*, quod ob imma-

 „turam

„ turam Imperatoris mortem exitum non habuit. Obiit „ is juvenis nondum maritus; & vana sunt, quæ de uxo- „ re ejus *Maria Aragonia*, & meditato ab ea adulterio „ vulgo feruntur." *Utrum hic Noster* Arnulphus *insuper alia scripta reliquerit; an vero unus aut alter eodem nomine præditus Auctor, idem cum Nostro, vel plane diversus, censeri debeat, aliis dijudicandum relinquimus.*

Interim quum ille, cujus Editionem adornavimus, in animo habuerit, præprimis Italiæ, *& quidem simul in specie* Mediolanensium *Gesta enarrare: nostro scopo in continuandis* Italicarum *rerum Scriptoribus quam maxime ejus Editio inservire poterit. De qua etiam pauca pro more addemus.*

Numeri paginarum, Tomo *III. prædictæ* Collectionis *reperti, margini etiam sunt adjecti: & ut nihil alibi inveniatur, quod nostræ Editioni desit; etiam pauculas illas D.* Leibnitii *notulas in inferiore loco paginæ collocavimus.*

Nomina propria diverso a reliquis charactere insigniri procuravimus: adeo ut in omnibus consuetam diligentiam adhibuerimus. Indicem præterea locupletem subjunximus.

Si Deus vitam ulterius largiatur, similes aliosque Scriptores vix aut raro obvios, prælo committere pergemus.

Vale interim studiose Lector, & animum Historiarum deliciis pasce.



ARNULPHI GESTA MEDIOLANENSIUM.

Incipit liber gestorum recentium, ab *Arnulpho* compositus.

In *hoc libro continentur gesta quorundam* Italiæ *Regum ac* Mediolanensium *Antistitum, à tempore* Hugonis *Regis &* Arderici *Præsulis, usque ad tempus Scriptoris, &, si quæ sunt præter hæc alia, illis inserta temporibus, prout occurrerunt memoriæ Scriptoris ejusdem. Quæ qui scire desiderat, legat per singula, & procul dubio inveniet, unde pascat animum, non cibis lautioribus & copiosis, sed sanis ac digestibilibus. Regum vero ac Pontificum nomina scripta sunt ante oculos subjacenti in pagina.*

Hugo *Rex* Burgundio.
Lotharius *filius ejus.*
Berengarius Longobardus.
Otto *primus* Teutonicus.
Otto *secundus primi filius.*
Otto *tertius secundi filius.*
Ardoinus Longobardus.
Henricus Teutonicus.
Huo *non similiter* [*legendum puto:* Chuonradus similiter.]
Henricus *filius ut pater.*
Henricus *ejus filius.*

Ardericus *sedit annos* XXII. *menses* II.
Manasses & Adelmanus *simul quinque fuerunt annis, non in cathedra, sed in arcu & pharetra.*
Wulpertus *sedit annis* XVIII.
Arnulphus *sedit annis* III. *mensibus* IV.
Gothofredus *sedit annos* V. *menses* I. *dies* XXIV.
Landulphus *sedit annos* XVIII. *menses* III.
Arnulphus *sedit annos* XIX *menses* IX. *dies* VI.
Eribertus *sedit annos* XXVI. *menses* VIII. *dies* IX.
Wido *sedit annis* XXVII.

728

ARNULPHI LIBER I. HISTORIÆ MEDIOLANENSIS.

CAP. I.

Multorum varios affectus multaque varia delectant studia, nec omnibus omnia, nec singulis satisfaciunt. Nimirum dispares mores ac non idem omnium animus ad non eadem sæpe distrahitur, naturæ unius multiplici conditione: de quibus in communi disserere vel singulatim discernere, non est præsentis negotii; sed nec humanæ potentiæ. Valet ille solus, qui diversa largitur charismata bonus. Unde sic ait Apostolus: *divisiones gratiarum sunt, idem autem Deus, qui operatur omnia in omnibus, dividens singulis prout vult.* Item alibi: *Unusquisque proprium habet donum ex Deo, alius quidem sic, alius vero sic.* Verbi gratia: Litteralis scientiæ munus multis modis datur Deo distribuente, mortalibus. Spirituales mysteria interpretantur, spiritualibus spiritualia comparantes. Et adhæc quis idoneus? Utique non ego, qui non aliter quam venerando credere, Jota unum aut unum ex his apicem præsumo discutere. Animales vero forensia multifarie perscrutantur, carnalibus carnalia conferentes. Inter quos, velut densas ac frondosas tenebrosi nemoris arbores, verecundissime latitans, fidei tamen servus catholicæ, videri erubesco: scientia utpotè nudus, paucis admodum litteris, velut tenuissimis araneæ filis, leviter superindutus. Præterea cum jam in dicto præsentis ævi tam diversa novarum quotidie rerum erumpant folia; miror, tot ac tam disertos vel uni eorum non insufflare scriptores. Nullis enim retro temporibus talis ac tanta scribendi fuit occasio, doctis pariter & indoctis. Hæc animo revolvens, non mihimet ipse confido; quem exilis ingenii adeo paupertas angustat, ut difficilis videatur *Aristotelici* labyrinthi ingressus, Laboriosus valde *Tulliani* Palatii accessus. Fateor, me nunquam conscendisse curules quadrivii rotas. Nihil à me igitur carissime, quisquis es præter quod polliceor, exigas, videlicet verbis prolatam communibus simplicem ge- A storum narrationem, *quæ nostri Reges, nostrique gessere Pontifices, nostri quoque concives, in Urbe Mediolano vel extra; compatriotæ vero nostri in Regno Italico:* quæ ipse vidi, vel quemadmodum à videntibus aut paulo ulterius audivi, prout etiam de thesauris prodeunt memoriæ; cum nihil sit, quod à me ultra sperare debeas. Si forte recitantis claudicat animus in auditis, saliet profecto confidentius in visis, nullius indigens testimonio. Quodsi in præsentiarum scientes tædet lectionis hujusce, non invideant saltem posteris ac scire fortasse volentibus; præsertim, cum solis illis ista providerim. Nisi enim prisca veterum ge- B sta stylus commendaret utcumque, nulla prorsus præteritorum nobis superesset memoria. Recondatur ergo interim sub modio nostrum hoc qualecunque negotium, tempore proferendum suo; cujus privatum ac singulare volumen suæ limina Civitatis, rogo, nullatenus excedat. Quod si videtur hoc parum, extendatur ad Arcum usque *Romanum.*

CAP. II.

Legitimus narrationis ordo à superioribus ad inferiora descendit. Sed quia ex præteritis pendent præsentia ab illis ad ea, quæ sunt in manibus, C gestorum decurrat oratio: ita tamen, ut relictâ vetustate, ex recenti memoria sumatur exordium.

CAP. III.

Anno à Nativitate *Christi* nongentesimo XXV. regnavit in *Italia* ex *Burgundionibus* Ugo, qui, ut tutius ageret in Regno, egregiam inter cæteras Urbem *Mediolanum* sibi vindicare prævidit. Priscam namque noverat loci consuetudinem, ut decedente Metropolitano, unus ex majoris Ecclesiæ præcipuis Cardinalibus, quos vocant *ordinarios*, succedere debeat; quod a *Romanis* Præsulibus, ab ipsis quoque Imperatoribus concessum, sub auctoritate quidem canonum, testantur schedulæ *in secretario* reconditæ. Hujus rei gratia ju-

niorem filium in eadem ecclesia tonsurari decrevit. Sed quia in puerili ætate ad Episcopatum minime videbatur idoneus, grandævum senem interim subrogavit Antistitem, sperans, eum subito casurum. Quoniam vero sæpenumero cogitantem fallit opinio; prolixius vixit sacerdos; annis XXII. mensibus II. in sæculo. Quod ubi persensit, necem illico meditatur occultam. Statuto autem generali *Papiæ* colloquio cunctorum Regni Principum, Palatini . . . jubente ex industia Cæsare, cum Mediolanensibus litigabant; ut accepta occasione trucidaretur senex ille. Quibus rixantibus gravis pugna committitur, qua feruntur interfecti *Mediolanenses* nonaginta viri prudentes. Sed propitiâ Divinitate liberatus, evasit Antistes. Cumque diutius non posset latere dolus, vehementer erubuit criminis tanti reus; veritus etiam Beatum *Ambrosium*, cujus fuerat ille Vicarius.

CAP. IV.

FActum est autem, ut, conventione dignæ satisfactionis, concederet Ecclesiæ pro nonaginta interfectis Abbatiam *Nonantulæ*, quæ propter nonaginta suis juris curtes sic vocata perhibetur;
729 Insuper & Capellam auream cum Cruce, quæ super altare in hyemalis Ecclesiæ sunt collocata tugurio. De reliquo cum nimis insolenter ageret, ignorans sibi pictum: *Principem te fecerunt; noli extolli, sed esto in illis, quasi unus ex ipsis*; intolerabilis factus est universis. Prælecto itaque filio ejus ab omnibus *Lothario*, admodum [f. juvene] communi consensu Regni totius compulsus est ipse remeare *Burgundiam*, de cætero minime regnaturus.

Per idem tempus orta est *Mediolani* perniciosa seditio. *Arderico* enim Archiepiscopo ad superna vocato, eruperunt duo adversarii, *Ambrosianæ* dignitatis ambitione succensi, *Manasses* videlicet, *Arelatensis* Episcopus & *Adelmanus* Presbyter *Mediolanensis* revera immemores Apostolici oraculi: *Non efficiamur inanis gloriæ cupidi, invicem provocantes, invicem invidentes.* Cumque diu contenderent, ille ex datione Regis, scilicet *Burgundio*; hic ex factione plebis & de *Mediolano*; quinquennio contra se invicem pertinaciter altercati sunt, factis partibus ex alterutro. Quorum exsecrabili jurgio jacturam prægrandem sustinuit Ecclesia, præcipue in thesauris & cimiliis omnibus, quibus incomparabiliter affluebat. Inter hos fluctus natabat caute *Walpertus*, contrahens suo lateri quasi undas consilii, usque adeo, ut, utrisque sponte vel invito cedentibus, sedem teneret ipse solus. Demum, mortuo *Lothario* regnavit *Berengarius Longobardus* ipse, quem *Wulpertus*, tunc Archiepiscopus, suspectum habebat, conscius ipse sibi. Cujus iram præcavens, ne regiis præveniretur insidiis; legerat enim: *indignatio Regis nuncius mortis*; fugam paravit, *Ottonemque Theutonicorum* adiit Regem, suffragium postulans, moxque illi regnum, se instante, pollicetur *Italicum*. Qua erectus Rex *Otto* fiducia, adscita sibi conjuge *Adeleida*, Italiæ quondam Regina, uxore videlicet *Lotharii*, illico meditatur Regnum subripere *Berengario*.

CAP. V.

PRæmissis igitur pro *Walperto* Legatis, pacem [1] implorat; quam cum non impetraret, direxit *Lithulphum* cum exercitu, suum ex altera conjuge filium. Oderant autem Compatriotæ Regem *Berengarium* propter nimiam uxoris tenaciam, quæ *Willa* dicebatur, & suam ex parte sævitiam. Ideoque destitutus à suis, properanti hosti minime valuit congredi; sed ingressus, quod dicitur *Insula Sancti Julii*, municipium, resedit invalidus. Cum vero exploraret universa *Lithulphus* quidam familiares *Berengarii* milites, fidem debitam simulantes, promissa securitate foras eductum, hostium manibus tradiderunt. Revera *inimici hominis domestici ejus.* Intuitus autem eum *Lithulphus* ait: Consule tibi Rex, & humiliare Magno *Ottoni* Augusto. Si non feceris, ipsum lædis. Cumque humiliter responderet, rursus infit: Absit à fide mea, ut vincam perfidia, qui viribus superare contendo. Cave Rex a modo ab hujusmodi pseudomilitibus. Sic fatus absolvit eum, deinceps strenue cuncta ministrans. O pia hostilitas, & hostilis pietas! Postea vero pius ille perfidia *Longobardorum* fertur veneno necatus.

CAP. VI.

OTto autem, licet privatus filio, conjugis tamen Augustæ *Adelheidæ* fretus consilio; *Walperti* quoque aliorumque Regni Principum in manu: brachio extento venit *Italiam*, *Primus ex Teutonibus Imperator dictus Italicus.* Cumque illi subjecta fierent omnia, *Berengarium* ipsum, arce quadam robusta munitum diuturna vallans obsidione subegit, filiis circumquaque dispersis, *Widone*, *Adelberto*, & *Conone*. Illum vero cum filiabus & Conjuge captum, secum devexit in *Sueviam*, ubi non multo post in amaritudine animæ diem clausit extremum.

CAP. VII.

EOdem tempore, obeunte *Walperto*, cathedram suscepit *Arnulphus*, vere declinans à malo & faciens bonum; cujus æquivocus existo, gestorum Scriptor ego præsentium, fratris vero illius pronepos verus. Hujus in Episcopatu vita fuit triennis, factus nunc pro cætero dignitate perennis. Cui successit *Gothefredus*, primo quidem à Clero reprobatus & Populo, eo quod sacerdotalem vel Leviticum nondum ascenderat gradum Subdiaconus tantum: extrema vero pace receptus, Regiæ fidelitatis gratia, contra filios *Berengarii* dimicavit. Quorum *Widone* interfecto, *Conone* pactione quieto; *Adelbertus* cæteris animosior, diebus vitæ omnibus factus est in diversa profugus.

CAP. VIII.

DEinde *Ottone* mortuo, regnavit pro eo ejusdem nominis filius, acer in armis, sagax ingenio; qui *Græcæ* mulieris adeptus contubernium, industria sapientis *Adeleida* matris, *Romanum* feliciter solidavit Imperium. Exiens vero a *Germania*, *Romæ* præsedit, *Apuliam*, *Calabriam* possedit, multaque gessit insignia; Imperatoria Majestate condigna. Hujus tempore transfretantes *Saraceni* mare, conati sunt *Calabros fines* invadere. 730
Quibus ex adverso congressus est Imperator, parvo licet suorum suffultus collegio. Quoniam vero parvorum ad plures impar solet esse congressio, cum pugnasset multum, defecit ad ultimum. Quid plura? pugnando captus, ad classes usque protrahitur; occupaverant enim hostes vicina maris littora. Sentiens vero se, nollet vellet, transvehendum, simulatis precibus postulabat, ut saltem unicam conjugem cum exiguo famularum obsequio, simul cum eo exulare permitterent, delaturam secum immensa auri & argenti pondera, promittens. Cumque foret permissum, viros adolescentes muliebriter superindutos, subtus autem accinctos mucronibus, cautissime venire mandavit. Ubi vero ingressi sunt navem, illico irruentes in hostes, evaginatis ensibus indifferenter quoscunque trucidant. Interim saltu cito prosiliens Imperator, in pelagus natando evasit ad littus, liber & lætus. Unde terrefacti, transiverunt hostes ad propria. De cætero disponens æquo-

1 Otto Walpertum Berengario reconciliare studet.

quoreas undas potestative cum omni transmeare *Italia*, per universum Regnum dilatat militandi præceptum. Sed Deo aliter providente, rebus excessit humanis, juxta illud: *Cor hominis disponit viam suam, Domini autem est dirigere gressus ejus.* Cui in *Alamaniæ* partibus superfuit puer sui nominis filius, Rex mortuo patre creatus.

CAP. IX.

JAm etiam successerat *Gothofredo* Landulphus Archiepiscopus, qui, propter nimiam patris ac fratrum insolentiam, gravem populi perpessus est invidentiam. Instabat enim præ solito Civitatis abuti Dominio. Unde Cives indignati, una sese conjurati strinxerunt. Inde civilis seditio, ac partium est facta divisio. Quibus assidue rixantibus, grande commissum est in urbe certamen. Videns autem, se prægravari undique Præsul, nec posse sufficere, discessit ab urbe cum fratribus, relicto Patre, qui fuerat jam senex & viribus imbecillis. Quamobrem Ecclesiæ facultates, & multa Clericorum distribuit militibus beneficia. Iterum autem, collecto ex diversis partibus agmine, conflixit eisdem cum civibus in *campo Carbonariæ*, ubi facta est plurima cædes utrinque. A quo bello ægre divertit hac etiam vice. In civitate autem quidam vernula, audita Domini sui nece, accurrens, Patrem Præsulis lecto jacentem cultro transfixit. Post hæc & alia multa, inspirante Deo, & interveniente consultu sapientum partis utriusque, nova pax vetera dissolvit odia. Archiepiscopus enim, memor pastoralis diligentiæ; Populus vero, recordatus ovilis obedientiæ, donantes præterita, fœderati sunt pace perpetua. Præterea sentiens Præsul., se, dispersis facultatibus, offendisse Ecclesiam, ut Clerum leniret ac populum, *S.* Martyris *Celsi* fundavit Monasterium, multisque ditavit opibus; ubi completo dierum numero moriens, suo quievit in tumulo. Cui alter successit *Arnulphus*, de quo dicetur posterius. Interim regnante *Ottone tertio* cum matre *Græca*, quidam *Græcus*, *Græcæ* Dominæ Capellanus, factus est *Placentinus* Episcopus. De quo dictum est, quod *Romani* decus Imperii astute in *Græcos* transferre tentasset. Siquidem consultu & ope quorundam *Romanorum* præcipue *Crescentii* cujusdam prædivitis, Apostolicam sedem jam violenter invaserat, dejecto eo, qui tunc insederat, Venerabili Papa. Quo audito, palam relicta *Suevia* venit *Otto* festinus *Italiam*.

CAP. X.

NEc mora; consilio habito cum Optimatibus Regni, *Romanum* arripuit iter cum Legionibus *Latinorum* ac *Teutonicorum*, terrefaciens cuncta in circuitu loca. Ad cujus introitum, *Roma* concutitur universa, *Græcus* ipse misericordiam clamat: *Crescentius* vero rebellionem parat, *Tyberina S. Angeli* munitus in arce. Hunc Imperator undique obsidione circumdat, omnibus belli machinis quotidie oppugnans; donec pacto utcunque composito, illius se tradidit potestati. Qui statim in *Prato Neroniano* jussus est decollari: *Stephania* autem uxor ejus traditur adulteranda *Teutonibus*. Pseudopapa vero *Græcus* effossis oculis, abscissis naso & auribus, dorso asinæ retroversus, manutenens caudam, totam distrahitur per urbem. Sic *Roma* ante mobilis, Regis quievit in oculis.

CAP. XI.

TEmpore præterito decreverat Imperator maternæ gentis sociari conjugio. Hujus causa consilii, præfatus *Arnulphus* venerabilis Archiepiscopus, Regia jussione præmonitus, mare transiens, *Constantinopolim* proficiscitur. Qui ab ipso admirabili Monarcha, magna susceptus honorificentia, satis Episcopaliter conversatus est in Urbe regia, ita, carus, ut quidquid poposcerat facile impetraret. Composito tandem, propter quod venerat negotio, ab eodem *Basileo* decenter absolutus, reversionem accelerat.

CAP. XII.

INterea Imperator primo juventutis in flore defungitur *Otto*, in quo omnis *Ottonum* est consumpta propago. Tunc *Ardoinus* quidam, nobilis *Ipporegiæ* Marchio, a *Longobardis* Papiæ eligitur, & vocatur Cæsar ab omnibus. Regnum perambulat universum, Regio jure cuncta pertractans. Cognito autem dicti Præsulis reditu, occurrit ei in 731
itinere obvius, securitate, quanta valuit, sibi illum applicare procurans.

CAP. XIII.

EOdem tempore *Henricus* creatus est Rex *Alemaniæ*. Inter hos de sceptro *Italico* ingens oritur contentio. In medio Principes Regni fraudulentur incedentes, *Ardoino* palam militabant, *Henrico* latenter favebant; avaritiæ lucra scrutantes. Sic dictum est ad *Hierusalem* per Prophetam, *Principes tui infideles, socii furum omnes, diligunt munera, sequuntur retributiones.* Quorum consilio *Henricus* direxit in *Italiam* suum cum exercitu Ducem. Cui occurrens viriliter *Ardoinus*, facta congressione in *Campo Fabricæ*, quamplures stravit; cæteros extra fines Regni fugavit.

CAP. XIV.

TEmpore non longo cum valida *Teutonicorum* militia properavit *Henricus* a *Germania*, ipso *Italiæ* castra metatus in limine. Ex adverso *Ardoinus*, fidens viribus, nec minus armis instructus, non tantum defendere, quantum in eum paratus insurgere, occurrit illi *Veronæ*. Sed deceptus perfidia Principum, majori militum parte destituitur. Cumque cessisset invitus, Regnum *Henricus* ingreditur, Rex statim electus; suoque post tempore *Romanus* Imperator effectus. Veniens vero *Papiam*, cum non ad votum sibi obtemperasset, uno totam concremavit incendio. Unde horruit omnis *Italia*, simile pertimescens. Abhinc, illius exinanita confidentia, hujus prævaluit ubique potentia. Veruntamen reassumptis interim viribus, *Ardoinus* juxta posse ultionem exercet in perfidos. Siquidem postea *Vercellensium* Urbem cæpit, *Novariam* obsedit, *Cumas* invasit, multaque alia demolitus est loca sibi contraria. Ad ultimum labore confectus & morbo, privatus Regno, solo contentus est Monasterio, nomine *Fructeria*, ibique, depositis Regalibus super altare, sumptoque habitu paupere, suo dormivit in tempore.

CAP. XV.

ILlis in diebus primus in *Apuliam* Normannorum fuit eventus Principum terræ consultu vocatus, cum *Græci* eam innumeris gravarent oppressionibus. Quibus subactis & æquore sulcato fugatis, considerantes *Normanni* Apulorum inertiam, regionis quoque in omnibus opulentiam, etsi pauci, invadunt ex parte Provinciam. Remissis etiam Legatis in patriam ad hoc hortantibus cæteros, crescente paulatim numero, totam repleverunt *Apuliam*. Jure quasi proprio deinde possidentes, atrociores facti *Græcis*, *Sarracenis* ferociores; immo dejectis prioribus, surrexerunt Principes ipsi.

CAP. XVI.

HEnricus vero quid de reliquo gesserit, quomodo *Trojam*, nobilem *Apuliæ* Civitatem, obse-

A obsederit, qualiter Marchiones *Italiæ* quatuor, *Ugonem*, *Azonem*, *Adelbertum*, *& Obizonem*, captione una constrinxerit; recitare non expedit. In fortitudine ejus omnis terra contremuit usque adeo, ut si qui reperti fuerint *Ardoini* favisse partibus, aut fugerent, aut deditionem facerent. E quibus *Astensis Episcopus*, propria relicta sede, *Mediolani* usque ad obitum latuit. Dederat enim Imperator, vivente ipso & abjecto, Episcopatum cuidam *Olderico* fratri *Manfredi* Marchionis eximii. Quod factum Archipræsul *Arnulphus* vehementer exhorrens, consecrationem, quæ sibi competebat, omni modo vetuit. *Oldericus* autem ille,
B sua fretus ac fratris potentia *Romam* proficiscens, subreptione quadam se consecrari fecit a Pontifice. Quod ubi innotuit *Arnulpho*, justa satis accenditur iracundia; non tantum Regia institutione, quantum *Romana*, quod deterius videbatur, indignatus consecratione. Veniens ergo in conventu *Mediolanensis* Ecclesiæ anathematis jaculo Consecrati transfixit audaciam: Deinde collecto undique exercitu copioso, cum suffraganeis simul Episcopis *Civitatem* aggressus *Astensem*, clausis in Urbe Marchione cum Episcopo, densissima obsidione vallavit: nec a populatione belloque destitit, donec pace composita, illius satisfactum est voluntati. Hæc au-
C tem fuit pacis conditio, quod, venientes *Mediolanum*, tertio ab Urbe milliario nudis incedendo vestigiis, Episcopus codicem, Marchio canem bajulans, ante fores Ecclesiæ B. *Ambrosii* reatus proprios devotissime sunt confessi. Præterea Episcopus virgam & annulum suscepti Pontificatus super S. Confessoris altare deposuit: quæ postea, largiente Episcopo, pie resumpsit. Frater vero illius *Manfredus* Marchio donavit Ecclesiæ auri talenta quam plurima, unde producta est *Crux illa pulcherrima*, quæ usque hodie præcipuis tantum geritur in diebus. Deinde nudis, sicut venerant, pedibus per medium Civitatis ad Ecclesiam majorem *Sanctæ Theotocos* usque deveniunt, ab Archiepiscopo & Clero, cunctoque recepti in pace populo.

CAP. XVII.

DE reliquo *Arnulphus* sacerdotaliter suam re- 732
gebat Ecclesiam, Clerum fovens ac populum, suisque plane vacans negotiis. Hujus beatitudinem plura Ecclesiis tradita commendant beneficia. Illius tempore S. Confessoris *Monæ* revelatæ sunt reliquiæ in Ecclesia S. *Vitalis* juxta S. *Naborem*. Hic etiam fundavit Cœnobium S. *Victoris* Martyris, in magno honore & copia frugum, in quo requiescit in pace sepultus. In cujus laude reddenda, quoniam dies non sufficit hodierna, præsens claudatur [1] pagina, cum sit altera deinceps aperienda.

1 Liber in MSto cum ipsa pagina finiens.

ARNULPHI LIBER II.

HISTORIÆ MEDIOLANENSIS.

CAP. I.

SUperiori volumine audita tantum utcunque exsufflare tentavimus; nunc autem ea, quæ ipsi videndo cognovimus, ex abundanti eructare studeamus. Cœlitus igitur vocato divæ memoriæ *Arnulpho*, consultu majorum Civitatis ac dono Imperatoriæ Majestatis, inthronizatur *Heribertus*. Qui ex quo prælatus est, suis & aliorum vacavit negotiis, pluribus intentus, grandia expertus; quæ quidem narranda, non judicanda suscepimus. Cujus in diebus, *Henrici* consummatur imperium, prole nulla superstite. Tunc *Papienses* in ultionem incensæ urbis, Regium, quod apud ipsos erat, destruxere Palatium. Factum est autem, ut simul convenientes in commune, tentarent de constituendo Rege Primates. Diversis itaque in diversa trahentibus, non omnium idem fuerit animus.

CAP. II.

INter quæ talia fluctuante *Italia*, suorum comparium declinans *Heribertus* consortium, invitis illis ac repugnantibus, adiit *Germaniam*, solus ipse Regem electurus *Teutonicum*. Cumque *Teutones* sibi *Conradum* eligerent, eundem ipsum laudavit, omniumque in oculis coronavit, accipiens ab eo, præter dona quamplurima, *Laudensem* Episcopatum; ut sicut consecraverat, similiter investiret Episcopum. Rediens vero securus in omnibus, totam suis legationibus evertit *Italiam*, alios aliosque benevolos faciens; donec suum electum fere omnes laudavere suscipiendum. Tali suffultus remigio veniens *Conradus* Italiam, ab eo ut moris est, coronatur in Regno; deinde *Romam* Duce commigrat eodem. In cujus adventu factus est ingens *Romæ* conventus diversarum undique gentium; Episcoporum quoque ac sæcularium Principum, præsidente D. Papa *Johanne*.

CAP. III.

IMminente itaque Paschali solemnitate, cum Rex *Conradus* in Basilica Apostolorum ad culmen Imperii, Apostolica foret consecratione sublimandus; *Heribertus* Ravennas Archiepiscopus temerare dextram Regis invasit ac tenuit, faciens, quod *Mediolanensi* competebat Antistiti. Quod cum omnium displiceret in oculis, commonebant eum Præsules cæteri, quatenus à non suo desisteret. Nihilominus ille pertinaciter tenebat. *Heribertus* vero *Mediolanensis* Antistes, ne in die festo tumultus fieret in populo, sapienter multum popularem declinavit tumultum, cunctos suos, adversari volentes, ab omni contradictione coërcens.

CAP. IV.

REx igitur tumultuantium strepitu attonitus, cognita tandem rei veritate, gradum figens taliter est concionatus: Certum est quidem, Reverendi Patres, quia, sicut Privilegium est Apostolicæ sedis consecratio Imperialis, ita *Ambrosianæ* sedis privilegium est *electio & consecratio Regalis*. Unde ratum videtur, ut manus, quæ benedicit & prius coronam imponit Regi, si præsens affuerit, repræsentet Regem ad Imperium promovendum S. *Petro* & ejus Vicario; quatenus *Ambrosiano* testimonio jure possit imperare, qui *Ambrosiana* consecratione didicit & cœpit regnare.

Cumque hæc Regis omnibus placeret sententia, dexteram *Ravennati* auferens, *Ambrosianum* jubet accersiri Pontificem: qui prædicta vitandi tumultus causa venire distulit. Igitur consulente Domino Apostolico & universis Episcopis, dexteram dedit *Vercellensi* Episcopo illius suffraganeo, ut pater in filio, magister videretur in discipulo; qui in Imperiali consecratione *Mediolanensis* Archiepiscopi vicem tenuit. Post dies aliquos indicta est Syno-

Synodus *Romæ* auctoritate Apostolica, in qua constitutum est, ut in omnibus negotiis Pontificalibus *Ravennas* nullo modo in æternum se *Mediolanensi* præferat Antistiti: &, si forte præsumserit, canonicæ legi subjaceat. Insuper placuit omnibus, in hac re conscribi *Tomum* [1] in sempiternum testimonium; de quo pauca, de pluribus ista decerpsimus.

733 CAP. V.

DUm hæc agerentur, *Mediolanenses* cum *Ravennatibus* altercabantur ad invicem. Igitur crescente jurgio, congressi sunt adversus sese mutuo. Sed prævalente impetu & fortitudine *Mediolanensium*, *Ravennates* terga dederunt, magna ex parte vulnerati; quos persecuti sunt adversarii usque ad hospitia, sarcinas & omnem diripientes supellectilem. Ipse etiam *Ravennas Heribertus* vix aufugit, de manibus insequentium ereptus. Attamen postea illa omnis quievit controversia. Imperator vero à *Romanis* rediens partibus, commoratus est in *Italia*, donec subegit, si quos habuit adversarios, patrocinante in omnibus *Eriberto*; & siluit terra in conspectu ejus.

CAP. VI.

COntigit autem tunc temporis, *Laudensem* mori Pontificem; cumque sua investitura, quemadmodum ab Imperatore susceperat, alium subrogare decerneret, indignati *Laudenses*, insolitam sui Episcopatus constitutionem audacter despiciunt. Quorum parvipendens *Eribertus* audaciam, elegit *Ambrosium* de suorum numero Cardinalium, Sacerdotem satis idoneum. Cui primo tradens virgam & annulum: deinde, ut moris fuerat, consecravit Episcopum. Quo peracto, cuncta *Laudensium* violenter aggreditur oppida. Quibus subactis, protestative tandem pervenit ad Urbem, suum secum deducens Pontificem: quam undique obsidione circumdans, perseveranter oppugnat. Cumque cives viderent, se frustra resistere; proposita pacis conventione demum in commune deliberant, suscipiendum Episcopum. Ante portam enim Civitatis facta sunt palam juramenta promissæ fidelitatis; & sic jam dictus receptus est Episcopus, omnibus postea carus, doctrina scilicet & operatione præclarus. Ab illo autem tempore inter *Mediolanenses* atque *Laudenses* implacabile viguit odium; unde postea per multa annorum curricula prædas & incendia, cædesque alternant innumeras. *Mediolanenses* quidem, multitudine, divitiis ac brachii virtute confisi, frequenter illos bello aggrediuntur, obsidione circumsepiunt, agros & vineas ac suburbia cuncta demolientes. *Laudenses* vero, exigui numero, sed truces animo, opibus angusti, viribus onusti; nunc suo nunc alieno se damno defendunt. Quæ si scriberentur per singula, plura fierent inde volumina.

CAP. VII.

HIs denique diebus mortuo *Burgundionum* Rege, proponit *Conradus* Burgundiam invadere; ad quam invadendam *Longobardorum* jubet properare militiam. Ipse vero ex contigua sibi parte obstructos irrumpens aditus, municipia quæque præoccupat. E vicino autem *Italiæ* cum optimatibus cæteris electi Duces incedunt; scilicet Præsul *Heribertus* & egregius *Marchio BONIFACIUS*, duo lumina Regni, explorantes accessus illos, reddunt meabiles præcisa Saxa inexpugnabilis Oppidi *Bardi*. Per hos ducentes *Longobardorum* exercitum, *Jovii montis* ardua juga transcendunt; sicque vehementi irruptione terram ingredientes, ad Cæsarem usque perveniunt. Cum-

1 Tabulas.

A que nequirent *Burgundiones* resistere, deditionem accelerant perpetua subjectionis conditione *Conrado* substrati. Et factum est, ut in magna gloria reverterentur omnes ad propria.

CAP. VIII.

PEr idem tempus mense *Junio* in die SS. *Petri* & *Pauli* fervente meridie, Ecclipsis solis apparuit, tribus horis mundo inducens tenebras. Tempore post alio visa est noctu Luna, colore fuscata sanguineo.

CAP. IX.

B MUltis igitur prosperatus successibus Præsul *Heribertus*, immoderate paululum dominabatur omnibus, suum considerans non aliorum animum. Unde factum est, ut quidam Urbis Milites, vulgo *Vualvassores* nominati, illius insidiarentur opibus, adversus ipsum assidue conspirantes. Comperta autem occasione cujusdam potentis beneficio privati, subito proruunt in apertam rebellandi audaciam, plures jam facti. Quod ubi innotuit Præsuli, parat multis consiliis obsistere illorum insidiis. Ubi vero nihil proficit, virtute superare contendit. Ac primum quidem bello victi atque pugnando vehementer attriti, exeuntes
C ab Urbe discedunt mœrentes. Quibus mox subveniunt *Martiani* atque *Seprienses*, pluresque Regni commilitones, simul mori simul parati vivere; præcipue *Laudenses*, recentis injuriæ memores. Archiepiscopus autem collecto, undecumque potuit, agmine non tamen absque suis fidelibus, nititur insequi & universos opprimere. Cumque reniti præsumerent: conveniunt in campo, qui dicebatur *malus ab ævo*, recteque malus, quoniam fuerat cruore rigandus. Ibi commisso campestri certamine, facta est strages magna interfectorum partis utriusque. Inter quos dum incede-
D ret medius, jam dictus configitur *Estensis* Episcopus, pars denique maxima belli. Cujus interitus certaminis factus est terminus. Hic amisso tanta fratre confusus; illi autem, occiso tanto hoste, 734
securi recedentes à pugna, diverterunt ad propria. Igitur imminente tanto discrimine, providit Archiepiscopus vocare suum a *Germania* Cæsarem, sperans illum futurum auxiliatorem. Veniens autem *Veronam* Imperator, indeque *Mediolanum*, honorabiliter die primo suscipitur. In crastinum, tumultuante ac vociferante in eum populo, graviter offenditur. Audierat enim, Regem *Laudensi*
E jure defraudasse *Heribertum*. Quod *Augustus* dissimulans, *Papiam* adiit; ubi cum *generale* statuisset *colloquium*, concinnato dolo, cepit ac tenuit Archiepiscopum, *Aquilegiensi* tradens Patriarchæ custodiendum. Ecce *Mediolanensis* attonita inhorruit Civitas, proprio viduata Pastore, dolens ac gemens à puero usque ad senem. O quæ Domino preces, quantæ funduntur & lachrymæ. Cumque proclamarent assidue Clerus, populus atque miles; facta est de absolutione conventio, datis obsidibus Augusto. Quibus receptis, nihilominus tenuit, tentans perpetuo damnare illum exilio. Qui etiam tres alios una die comprehendit Episcopos,
F *Vercellensem*, *Placentinum & Cremonensem*. Archiepiscopus vero post menses duos fugam arripuit. Cui venienti tota occurrit civitas, ita hilaris, ut servus Domino, mulier non cederet viro præ gaudio, cursitantes. Ecce vespertinus Urbis fletus conversus est in matutinam lætitiam. Videns autem se *Conradus* delusum, suum & Reipublicæ palam *Heribertum* denunciat inimicum. Igitur exiit edictum à Cæsare *Augusto*, ut cuncta suæ potestatis Regna ad *Mediolanum* concurrerent impugnandum. Factum est autem, ut omnis *Italia*, universa *Germania*, convenirent simul, ab angulo

usque ad angulum. Ac primo quidem impetu quoddam firmum aggreditur municipium, nomine *Landrianum*; quod oppugnans, in modico demolitur. Inde applicuit *Mediolanum*, tertio ab Urbe milliario fixis tentoriis castrametatus. *Mediolanenses* autem prompti resistere, quæque proxima Civitatis muniunt loca: e quibus electi juvenes, armis compti, bella edocti, volantes equis, proludunt telis, Cæsarianis insultando militibus; & gyrantes castra, clypeo minantur & hasta, proximos quosque cædentes. Cumque per dies aliquot hæc exercerent præludia, factum est in die Sancto *Dominicæ Ascensionis*, Cæsariani omnes suo cum Cæsare castris erumpunt; *Teutotones* in dextro, *Itali* in sinistro bella cientes. Civibus vero occurrentibus ex adverso, ingravatum est undique bellum, diversis in diversa pugnantibus. In prima fronte nobilis quidam *Teutonicus*, statura procerus; & *Wido*, *Italicus* Marchio, signifer Regius; inter media tela confixi sunt. Quibus cadentibus multisque aliis in proprio cruore jacentibus, paulatim belli tepescit amor. Demum Cæsariani collecto agmine ad castra commigrant: Urbani quoque, relictis campis, propria tecta requirunt. Igitur recedens ab Urbe Cæsar, jubet cuncta in circuitu, prope longeque, vastari loca. Cumque flammis cuncta consumerent, crebris fulminum ictibus & grandinea tempestate correptus, à cœpto desistens, recessit mœrens. Quin etiam *Bertaldus*, Regi à secretis, cujus cuncta fiebant consilio, insanæ mox mentis efficitur. De quo cum Rex leniri debuerat, magis intumuit, in tantum ut *Heribertum* adjudicaret propria dignitate privandum. Stabilita igitur deliberatione, Præsulatum tradidit *Ambrosianum Mediolanensis* Ecclesiæ Cardinali Presbytero suoque Capellano, etsi videntibus, non tamen volentibus Episcopis. Quo *Heribertus* audito, de Rege similiter tractat honore privando. Secreta igitur legatione suggerit *Oddoni*, potenti *Francorum* Comiti, ut, se favente, arripiat Regnum *Italiæ*. Qui nihil moratus, utpote regnandi avidus, primo quidem aliquas *Alamaniæ* partes violenter invadit. Hunc impugnans viriliter Dux *Gothefredus*, vehementi facta congressione, in momento prostravit, ejusque caput avulsum humeris, fertur Augusto in *Italiam* direxisse. De cætero Imperator annuam *Mediolani* vastationem universos Regni primates jurare præcipiens, obstinato animo repatriavit in *Sueviam*, æger pedibus, & cunctis debilis artubus. Interea *Pseudo-Ambrosius* palam gerens virgam & annulum, ut lupus in abdito clam insidiabatur omnibus modis *Heriberto*, multis multa quotidie jurando pollicitus Clericis atque Laicis, in Urbe & extra factione concepta. Ubi autem fidelium dignitas perfidorum sensit insidias, deprehensos in crimine puniunt in personis & propriis facultatibus; & sic, prævalente *Heriberti* potentia, evanuit omnis illa fraudulenta præsumtio. Per idem tempus factum est, ut cuncti Principes Regni simul undique convenirent ad devastandos sicuti Regi promiserant, *Mediolanensium* fines. Prævidens autem Archiepiscopus futuram oppressionem, jubet illico convenire ad Urbem omnes *Ambrosianæ* Parochiæ incolas armis instructos, a rustico usque ad militem, ab inope usque ad divitem, ut in tanta cohorte patriam tuerentur ab hoste. Signum autem, quod dimicaturos suos debebat præcedere, tale constituit. Procera trabs, instar mali navis, robusto confixa plaustro, erigitur in sublime, aureum gestans in cacumine pomum cum pendentibus duobus candidissimi veli limbis. Ad medium veneranda crux, depicta Salvatoris imagine extensis latè brachiis, superspectabat circumfusa agmina, ut, qualiscumque

A foret belli eventus, hoc signo confortarentur inspecto. Fuisset gravis inter urbem Regnumque conflictus, nisi novus *de morte Cæsaris rumor* concuteret animos hostium, adeo ut, solutis castris, certatim resurgerent ita confuse, ut colliderentur ad invicem. Inter quos *Parmensis* corruens signifer, turpiter occubuit.

CAP. X.

Defuncto autem *Conrado*, *Henricus* adolescens, ejus filius, Rex vivente patre creatus, 735 Augustus ab omnibus appellatur; Vir Reipublicæ gerendæ satis idoneus. Qui paterni animi non imitatus affectum, suorum consultu fidelium, cum (B) Archiepiscopo pacis fœdera stabilivit, ab illo deinde fideliter honoratus. Pacatis igitur rebus omnibus, intestinum jurgium bellumque civile succedit, adeo exsecrandum & lachrymabile, ut præter innumeras bellorum clades immutatus sit status Urbis & Ecclesiæ. Verissime enim *otio civiles nutriuntur discordiæ*, *& sæpe velut ex adipe prodit iniquitas*. Nullis itaque exterius adversantibus, in semetipsos exercent odia Cives. Factum est autem, ut, privato inter se jurgio, plebejus quidam graviter cæderetur a milite. Unde plebs dedignatur, commotaque repente adversum milites, (C) in arma consurgit. Ipsi autem velut incauti, juxta posse resistunt. Inde fomes pullulat odiorum, & partium fiunt juramenta quam plurima. *Lanzo* quidam ingenuus Civitatis miles, plebejæ turbæ favebat instantius; cujus fota juvamine, plurimum convalescebat. Hoc indignata cætera Nobilitas, partim tamen amore suorum fidelium militibus sese consociat. Eodem tempore multa somnia, multa narrantur in Urbe prodigia. Cumque Civitas tali penderet in dubio, repentinus auditur in ea clamor, modica occasione conceptus. Fit ingens concursus omnium; atrox pugna committitur; per plateas & angulos diu certatur utrinque, tectis & culminibus. (D) Demum militum paucitas, multitudine circumventa plebeja undique flammis urgetur & ferro. Unde factum est, ut cum natis & uxoribus propria tecta irati desererent. Quorum ut consuleret rebus Archiepiscopus, paucis interjectis diebus, ab Urbe discessit & ipse. Quibus etiam statim fiunt in auxilium *Martiani* cum *Seprienfibus*. Tali ergo confortati suffragio, consulte provident sex propinqua Urbi munire præsidia: in quibus cum omni cohabitantes familia, firmissimam circumquaque obsidionem constituunt, die noctuque cæde grassantes. Sex enim (E) exeuntes ab Oppidis, totidem oppugnant Urbem assidue partibus. Nec minus civilis turba sæpe portis erumpens, nunc se pugnando defendit, nunc ultra illos aggredi furibunda contendit. Rara namque transit absque sanguine dies. Cumque triennio partes sic baccharentur, utræque vicissitudine quadam, quid contra se invicem possent frequenter expertæ: veniunt ab *Augusto* Legati, treugam inviolabilem indicentes, quam totius Regni virtute & consilio, jurejurando confirmant.

CAP. XI

Eodem tempore Archiepiscopus *Modoëtiæ* degens graviter infirmatur. (F) Cumque ægrotaret ad mortem disposita domo ac bonis omnibus, deferri se jubet ad urbem; ubi cum aliquantis langueret diebus, vitæ præsenti subtrahitur. Sepultus est autem ad *S. Dionysium*, ubi elegans fundaverat ipse Monasterium. Providit etiam vivens universis Ecclesiæ ordinibus, plures conferens facultates ad præsentiumque futurorumque subsidia. Hujus in diebus cuidam *Genuensis* Urbis incolæ revelatæ sunt *Johannis* Archiepiscopi Sacrosanctæ Reliquiæ. De eo cum sufficienter sit dictum, cesset a modo noster ab illo stylus, cote jam tertia subtiliter acuendus.

AR-

ARNULPHI LIBER III. HISTORIÆ MEDIOLANENSIS.

CAP. I.

NEmini dixisse me nuper, propter civile jurgium mutatum Urbis & Ecclesiæ statum. Utrum vero in melius an in deterius, dicere non opportuit, cum facta collatione præteritorum ad præsentia facilis fiet inde cognitio. Atque utinam nescirem; quæ tamen omnia melius scribendo patebunt. Defuncto autem *Heriberto*, varie tentatur a multis de restituendo Pontifice. *Henricus* vero Augustus, jam dictum habens præ oculis *Mediolanense* dissidium, neglecto nobili ac sapienti primi ordinis Clero, idiotam & a rure venientem elegit Antistitem, cui nomen fuerat *Vido.* Revera sustulit eum de gregibus ovium,' & de post fœtantes accepit eum. Huic facto parum repugnant *Mediolanenses*, sive timore Regio, seu inter se odio, partim avaritia: quæ, ut sapiens quidam ait Hagiographus, omne malum primo invexit *Italiæ.* Et exinde omnia vertuntur in pejus. Factum est autem postea, ut in sese conversi, unusquisque alter alterum conveniret, suum conferendo opprobrium nec non Civitatis incommodum. Demum post multa consilia, mediis Sacrosanctis Evangeliis, conjungunt fœdera pacis, facientes quidem *amnistiam*, id est, abolitionem malorum, quam *Athenienses* primi fecisse & sic vocasse leguntur, *Orosio* teste.

CAP. II.

TEmpore illo Cæsar *Henricus* Italiam veniens, celebrato *Papiæ* Synodali Concilio, *Romam* tendit; cui Papa obviavit, *Placentiæ* vivente altero, ac concedente inthronizatus. Facto autem *Romæ* generali conventu Præsulum, visum est
736 Regi & Episcopis omnibus, Papam ipsum injuste tenere Cathedram. Quo statim abjecto, unum ex *Teutonibus* Præsulem illius loco substituit, quem mutato nomine *Clementem* vocavit, a quo etiam coronam suscepit Imperii. Tertius ab eo *sanctus* claruit *Leo*, cujus industria *Romanæ* status reparatur Ecclesiæ. Qui geminam in *Italia* Synodum devotissime celebravit; *Papiæ* scilicet atque *Mantuæ*, absente Cæsare. Cui cum misericorditer displiceret oppressio illa vehemens, qua impiissimi *Normanni* miseram affligunt *Apuliam*, prædicatione mixta precibus tentat illos a tantis revocare flagitiis. Cumque nihil proficeret, armis aggreditur ipsam compescere feritatem: licet illi adversus belli fuerit exitus. *Judicia* enim *Dei abyssus multa.*

CAP. III.

HIs diebus Marchio *Montisferrati Bonifacius*, dum nemus transiret opacum, insidiis ex obliquo latentibus venenato figitur jaculo. Heu senex ac plenus dierum, maturam mortem exiguo præoccupavit.

CAP. IV.

ILlo autem tempore placitatur Imperator in pratis *Ronchaliæ.* Discussis vero querelis pluribus, legaliter multa examinat. Ubi Marchionem *Adelbertum*, de quo nimia fuerat proclamatio, cum aliis flagitiosis captum, ferreis jubet vinciri nexibus. Equidem digne satis! Deinde diebus multis, modo cum *Ungaris*, modo cum *Leuticiis* pro modo confligebat. De quibus omnibus
A nobiliter triumphavit, victos tributo coarctans. Cujus unum insigne trophæum aurata indicat *Lancea*, *Ungarorum* Regi violenter extorta, & *Romæ* in Apostolorum templo suspensa. Qui cum insigni floreret Imperio, carus omnibus migravit a seculo, relinquens sui nominis puerum, Augustæ *Agnetis* materno gremio confovendum.

CAP. V.

HUjus regnante infantia, *Papienses* ab eo, ut moris est, datum aspernantur audacter Episcopum, nec Regiæ institutioni, nec Aposto-
B licæ deferentes factæ consecratione; usquead obitum spreti perseverando Pontificis.

CAP. VI.

HIs itaque diebus inter ipsos & *Mediolanenses* de causis civilibus emergit dissensio. Fuerat enim Civitas utraque populosa, & super Regni cæteras inclyta: Veruntamen in notitia omnium præstabat *Mediolanum.* Cumque essent contiguæ pudebat alteram alteri cedere. Inde erat, quod sibi rependebant ad invicem cædes, prædas & incendia, nec non & Latrocinia. Factum est autem, ut *Pa-*
C *pienses*, dum inferiores essent, conductis aliunde pretio legionibus, ad devastandos *Mediolanensium* fines accederent: *Mediolanenses* vero confœderatis sibi *Laudensibus* in illos insurgerent; licet pars eorum non minima; Archiepiscopo Duce aliis dimicaret in partibus. Conveniunt utræque in campis acies, ordinatis agminibus vexilla in sublime ferentes: fit vehemens partium in se concursus; bacchantur certando diutius. Tandem divertunt *Papienses* a bello, adversariis insequentibus illos a tergo. Quibus mox viriliter succurrit conducta extraneorum Legio; licet paulo post cessere, relicto *Mediolanensibus* campo. Fit
D strages immensa Nobilium Equitum, & duarum Urbium lachrymabile detrimentum. Implevit denique dies illa veteris idioma vocabuli. Dicebatut enim antiquitus *campus*, in quo conflixerant, *mortuus.*

CAP. VII.

PEr idem tempus, ad instar *Papiensium*, *Astenses* quoque datum sibi reprobarunt Episcopum. Sed prudentia Comitissæ *Adeleidæ*, militaris admodum Ducis, post longi temporis conflictus incensa tandem Urbe, contempto altero, quem
E elegerant, priorem suscipiunt.

CAP. VIII.

HAc eadem tempestate horror nimius *Ambrosianum* invadit Clerum, insurgente populo noviter in eum, insurgentibus undique peccatis. *Omnes enim peccaverunt & egent gloria Dei.* Verum talis hic *horror*, mutata cum aspiratione Littera, multorum concepit *errorem.* Cujus initium & seriem, cum res nostris adhuc versetur in oculis, prout possumus, enarremus. Finem ipse provideat, qui, cum sit *Alpha* & *Omega*, mirabiliter cuncta dispensat. Quidam igitur ex Decu-
F manis Diaconus, nomine *Arialdus*, penes *Widonem* Antistitem multis fotus deliciis multisque cumulatus honoribus, dum litterarum vacaret studio, severissimus est divinæ Legis factus interpres, dura exercens in Clericos solos judicia. Qui cum modicæ foret auctoritatis, humiliter utpote

utpote natus, prævidit applicare ſibi *Landulphum*
737 quaſi generoſiorem & ad hoc idoneum familiaris ejus factus aſſecla. *Landulphus* vero cum eſſet expeditioris linguæ ac vocis, minuſque favoris amator, repente Dux verbi efficitur, uſurpato ſibi contra morem Eccleſiæ prædicationis officio. Hic cum nullis eſſet gradibus eccleſiaſticis alteratus, grave jugum ſacratorum imponebat cervicibus; cum *Chriſti* jugum ſuave, & ejus leve ſit onus.

CAP. IX.

IGitur inter alia, quæ quotidie plebis auribus inculcabat, die una taliter concionatur in populo:

Cariſſimi Seniores, conceptum in corde ſermonem ultra retinere non valeo. Nolite Domini mei, nolite adoleſcentis & imperiti verba contemnere. Revelat enim Deus ſæpe minori, quod denegat majori. Dicite mihi, creditis in Deum Trinum & unum? Reſpondent omnes: credimus: & adjecit: munite frontes ſigno Crucis. Et factum eſt. Poſt hæc ait: Condelector veſtræ devotioni: compatior tamen imminenti magnæ perditioni. Multis enim retro temporibus non eſt agnitus in hac Urbe *Salvator*. Diu eſt, quod erratis, cum nulla ſint vobis veſtigia veritatis. Pro luce palpatis tenebras, cæci omnes effecti; quoniam cæci ſunt Duces veſtri. Sed numquid poteſt cæcus cæcum ducere? nonne ambo in foveam cadunt? Abundant enim ſtupra multimoda: hæreſis quoque illa *Simoniaca* in Sacerdotibus & *Levitis*, ac reliquis ſacrorum miniſtris; qui cum *Nicolaitæ* ſint & *Simoniaci*, merito debent abjici: à quibus, ſi ſalutem à *Salvatore* ſperatis, deinceps omnino cavete, nulla eorum venerantes officia. Quorum ſacrificia idem eſt, ac ſi canina ſint ſtercora, eorumque Baſilicæ jumentorum præſepia. Quamobrem, ipſis à modo reprobatis, bona eorum omnia publicentur. Sit facultas omnibus, univerſa diripiendi, ubi fuerint, in urbe vel extra. Nam & ego plectenda plura commiſi; ſed quod pejus omnium fuit, indignis uſque modo communicando, Regem cœlorum offendi. Nunc autem propitiâ Divinitate ago pœnitentiam, talia proviſurus inpoſterum. Igitur imitatores mei eſtote, cariſſimi & ita ambulate, ſicut habetis formam noſtram.

CAP. X.

HIs ita decurſis, & pluribus aliis, quæ humana non capit memoria, ſemper avidus novorum, in nimium zelum excitatur adverſus Deum; aliis ſe deferre Deo putantibus, aliis avaritiæ lucris inhiantibus. Ad hæc *Landulphus* idem, ſimul cum complice *Arialdo*, per dies multos multorum incitat animos gratia favorabilis auræ, nova ſemper & inaudita concionando proponens, prout noverat vulgi morem. Ad cujus compeſcendam temeritatem majores Eccleſiæ ſæpe conveniunt, ſacras illi ſcripturas & ſanctiones opponentes canonicas. Quæ deſpiciens omnia, nihilominus inſtat. Immo die una ſolemni ad Eccleſiam veniens cum turbis, pſallentes omnes violenter projecit à Choro, inſequens per angulos & diverſoria. Deinde providet callidè ſcribi pittacium *de caſtitate ſervanda*, neglecto canone mundanis extortum à legibus, cui omnes ſacri ordines *Ambroſianæ* Diœceſis inviti ſubſcribunt, angariante ipſo cum Laicis. Interim prædones Civitatis, præter ædes aliquas in Urbe dirutas, luſtrabant Parochiam, domos Clericorum ſcrutantes, eorumque diripientes ſubſtantiam. Clerus igitur multipliciter affectus, legatione humili conqueſtus eſt primo comprovincialibus Epiſcopis; deinde *Romano* Pontifici. Præerat tunc *Romæ Stephanus*: qui audita perpendens, populum quieſcere, & Archiepiſcopum ſuper hac re ſynodum congregare, Apoſtolicis jubet apicibus. Qua fretus auctoritate *Wido* Præſul, diligenter ſtudet cœtum congregare Pontificum, mandans *Landulfo* & *Arialdo* rationabiliter, intereſſe tractandis.

CAP. XI.

FActus eſt autem Synodalis Præſulum conventus in loco, qui dicebatur *Fontanetum*. Ubi cum triduo ſpiritualibus vacarent negotiis, illorum præſtolantes adventum; viſum eſt omnibus temeritatem tantam anathemate juſto fore mulctandam; factumque eſt ita. Quæ omnia floccipendens *Landulphus*, cum vereri debuerat, magis extollitur. Ex hinc conviciatur Epiſcopis, præcipue Metropolitano: furens ſolos ſævit in Clericos, arguens illos ſuæ ſuorumque perditionis; Laicos vero fovebat ut fratres. Cumque foret ſimulandi ac diſſimulandi gnarus per omnia, pluribus dilectus, cuncta ſuum retorquebat ad libitum, factus ipſe mirabile mundo ſpectaculum. Unde poteſtate acccepta, commune indicit omnibus Laicis juramentum, quaſi impugnanda proponens ſacrorum ordinum ſtupra, venales conſecrationes; quod non multo poſt Clericos etiam jurare compellit. Ab illo autem tempore innumerabilis virorum ac mulierum caterva illum comitatur; euntem ſtantemque diu noctuque cuſtodiunt. Qui unanimes facti Eccleſias contemnunt, & divina ſpernunt cum Miniſtris officia aſſerentes omnia *Simoniaca*. Hos tales cætera[1] vulgalitas ironice[2] *Patarinos* appellat. Præterea *Romam* proficiſcitur *Arialdus*, apologeticas ferens 738
litteras. Ubi cum *Ambroſianum* accuſaret Clerum, affirmans, omnes *Nicolaitas, Simoniacos*, ac prorſus inobedientes *Romanæ* Eccleſiæ: ſe autem cum *Landulpho* devotum, & pro ſola veritate certantem; *Romanorum* celeriter adeptus eſt gratiam. Qui cum principari appetant jure apoſtolico, videntur velle dominari omnibus, & cuncta ſuæ ſubdere ditioni; cum tamen Doctor evangelicus ſuos doceat humilitatem Apoſtolos, dicens: *Reges gentium dominantur eorum, & qui poteſtatem habent, benefici vocantur. Vos autem non ſic; ſed qui major eſt in vobis, fiat ſicut minor, & qui præceſſor eſt, ſicut Miniſter.*

CAP. XII.

TUrbinis igitur cauſa præfati, ſæpenumero veniunt *Mediolanum* à *Roma* Legati, videlicet *Hildebrandus* ex monacho Cardinalis Archidiaconus, *Petrus Hoſtienſis*, *Anſelmus Lucenſis* Epiſcopus, & reliqui plures, vice quiſque ſua. Qui ſi in conveniendo populum diligenter attenderent dicentem Apoſtolum: *Si adhuc hominibus placerem, Chriſti ſervus non eſſem*; profecto ſibi & Clero opportune conſulerent. Veruntamen *Hoſtienſis* ille *Petrus*, congregata tunc *Mediolani* Ambroſiana ſynodo, ut vidit clericorum nobilium ordinem, perſonarum ſtatum cultumque veſtium; perpendit etiam morum probitates ac diſpartita ſingulis competenter officia: teſtatus eſt ad verum, nuſquam ſe talem vidiſſe Clerum. Tamen in præſenti cœtu, quia *Romanus* erat, Archiepiſcopo præſidere contendit. Unde ſubito factus eſt popularis in Urbe tumultus; & niſi ceſſiſſet

1 Vulgus. 2 Hæreſis Paterinorum dicitur *Patarea*, exorta apud *Mediolanum*. Du Cange. De derivatione vocis *Pattarinum* videantur cogitationes *Arnulphi* noſtri libr. 3. cap. 33. ex quo loco apparet, ipſum autorem neſciviſſe veram vocis etymologiam.

cessisset illius humilitas, quod suum erat, fecisset impetus, non quidem gratia *Widonis*, sed *Ambrosiani* causa honoris. Præterea cum perciperet quorundam ex Clero reatus, servata sibi super omnibus potestate, prout sibi complacuit, culpas dijudicavit. Ut enim caveatur mendacium; non ex toto fuerant omnes ab objectis immunes. Deinde *rude constitutum* abolito veteri, *Mediolanensi* Ecclesiæ à se factis indidit litteris. Cui Archiepiscopus cum ordinariis, cogente ac vociferante populo, subscripsit invitus.

O insensati *Mediolanenses*, quis vos fascinavit? heri clamastis unius sellæ primatum; hodie confunditis totius Ecclesiæ statum: vere culicem liquantes & camelum glutientes. Nonne satius vester hoc procuraret Episcopus? Forte dicitis: veneranda est *Roma* in Apostolo; est utique. Sed nec spernendum in *Ambrosio* Mediolanum. Certe, certe, non absque re scripta sunt hæc in *Romanis* Annalibus. Dicetur enim in posterum subjectum *Romæ* Mediolanum. Ecce Metropolitanus vester præ solito *Romanam* vocatur ad synodum. Abiit: sed contra vestros affectus prosper fit illi ad cuncta successus. Decibiliter[1] quidem tractatur ab Apostolico tunc *Nicolao*, cujus dextro positus est in præsenti synodo latere. Ad quem accusandum cum *Arialdus* ille delator assurgeret, protinus ex adverso stantes *Astensis*, *Novariensis & Taurinensis*, & alii suffraganei Præsules; coram omni cœtu falsidicum illum scripturarum auctoritate refellunt. Sicque confutatus ab omnibus, resedit in terra confusus. Proinde cum Archiepiscopus promitteret D. Papæ deinceps obedientiam, accepto ab eo annulo Apostolicæ gratiæ ac totius potestatis Ecclesiasticæ, rediit gloriosus in omnibus. Interim, dum hæc fierent, *Landulphus* Romam adire proponens, à *Placentinis* graviter cæsus & vulneratus revertitur, ultra properare non valens. Post hæc non cessat persequi gravius solito cum Clero Pontificem.

CAP. XIII.

CUm vero placuit *Altissimo*, qui renes scrutatur & corda: ille, qui alienam diu meditatus fuerat lassitudinem, inopinam subito doluit suam ipsius ægritudinem: cumque langueret biennio pulmonis vitio, vocis privatur officio, ut, in quo multos affecerat, in eo quoque deficeret; dicente scriptura: *Per quæ quisque peccat, per hæc & torquetur.* Sed ne mortuos accusare videamur, de illo penitus taceamus, cujus vitæ morisque ratio divino est relinquenda judicio. *Arialdus* itaque tali destitutus Collega, instigat *Arlembaldum* assidue, defuncti fratris vicem suscipere. Qui cum esset laicus, quasi fraternæ gratia pietatis, opus sibi præsumsit indebitum; *Arialdi* verbis adeo credulus, ut, quos frater flagellis ceciderat, ipse percutiat scorpionibus, & residuum locustæ comedat bruchus[1] ad placitum, si quæ sunt, Clericorum peccata dijudicans. Dum ergo laicus judicat, Clericus tantum vapulat.

CAP. XIV.

INterea *Arialdus* inter plures alias, quas induxerat in Ecclesiam novitates, *Letanias* illas, quas *Ambrosiani* post Ascensionem Dominicam antiquitus devotissime celebrant, suis prædicabat auditoribus exsecrandas. Unde ipso instante, triduo diffi-
739 dentibus inter se turbis, factus est in Urbe conflictus: in quo est, Deo operante, fugatus & victus, cæsis suis, & interfectis aliquibus. Cujus tamen consultu *Arlembaldus* præter innumeras, quas irrogaverat Clero injurias, cum Archiepiscopus defuncto Abbate *S. Celsi*, alterum ex more provideret ordinandum, penitus interdicit spreto illo; alterum jam consecratum omnino contemnit, armans contra illum Monachorum cum famulis conspirationem. Alium vero à cœnobio *S. Vincentii* modo repellit eodem, *Simoniacæ* ordinationis arguens illos. Quid plura? cuncta simul usurpat Ecclesiastica jura, expulso ab urbe Pontifice, cujus fuerat à progenitoribus miles ipse.

Mirabile prodigium, nec auditum neque visum à seculo: sed mirabilius, quod *Romanus* fuerat assensus: Quod quidem multis probatur indiciis; cum sæpenumero mittantur ei Legationes & litteræ, Apostolicis prænotatæ sigillis; quibus fatetur, se in suis gestis *Romanis* obtemperare præceptis. Qua velut auctoritate suffulta vulgalitas, *Simoniaca* occasione divina exsecratur officia, cum quid sit inter dextram & sinistram, penitus ignoret. Præterea gloriabatur *Arlembaldus* idem, ab ipsa *Roma* bellicum S. *Petri* se accepisse vexillum contra omnes sibi adversantes, quod appensum lance, homicidiorum videtur indicium: cum profecto nefas sit tale aliquid suspicari de S. *Petro*, aut aliud habuisse vexillum, præter quod datum est in Evangelio: *qui vult venire post me, abneneget semet-ipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me*, dicit Dominus. Fideliter & ideo confidenter loquimur. Cavenda est Doctoribus absolute prolata *Pauli* sententia: *si quis vobis evangelizaverit præter id, quod accepistis, anathema sit.* Hæc dicentes, non adversamur vobis, ô seniores *Romani*, cum Magister noster dicat *Ambrosius*: Cupio in omnibus *Romanam* sequi Ecclesiam. Vobiscum enim credimus, vobiscum cunctas hæreses abdicamus. Sed videtur nobis ratum, ut jus Ecclesiasticum Doctor exhibeat Ecclesiasticus, non idiota Laicus.

CAP. XV.

HIs diebus, declinante jam vere, mensis unius spatio, dirum sparsere jubar ardentes in cœlo cometæ. Frequentes quoque terræ motus mundo fuere, adeo, ut die ipso Resurrectionis Dominicæ bis fieret, mane scilicet & vespere.

CAP. XVI.

PRæerat tunc temporis *Romæ* Alexander Apostolicus, ex *Mediolanensi* Clero Ecclesiæ *Lucensis* primo factus Episcopus. Cumque satis foret idoneus, Apostolicam deinde promeruit dignitatem, *Alexander* de *Anselmo* vocatus. Huic statim surrexit adversarius *Cadalous* Parmensis Episcopus, institutione Regis ac matris Augustæ Papa nuncupatus: qui hostiliter *Romam* adiit, post multam interfectorum stragem usque ad muros urbis *Alexandri* persecutus exercitum. Tempore post alio quorundam ex urbe ope & consilio *Romam*, quam novam perhibent, ingressus, conscendit arcem *Crescentii*. Factis igitur in urbe partibus, quotidie bella succedunt. Ad ultimum post diuturnos variosque conflictus recessit, mœrens, confusus & victus, concessa *Alexandro* victoria. Ad quem de præsenti negotio consulendum *Romam* profectus est *Arlembaldus*; *Arialdo* interim furente in Præsulem, concitando turbam civilem & agrestem.

CAP. XVII.

DEfinito tandem consilio rediens, excommunicationis literas detulit Archiepiscopo. Quod pluribus grande visum est civitatis opprobrium. Unde factum est, ut in die Sancto Pentecostes procedens Antistes ad publicum, conscenderet Ecclesiæ pulpitum, questurus, quod acciderat incommodum. Cumque staret ex adverso *Arlembaldus* cum *Arialdo*, responsurus auditis: fit vehemens in plebe tumultus, diversis diversa clamantibus. Ad ultimum facto in medio Ecclesiæ cla-

1 ut decet.

moso impetu, vicissim in sese consurgunt. Cumque per diversa confligerent, remansit pene solus Antistes. Quem pars aggrediens inimica, fustibus crudeliter cæsum & quasi semivivum reliquit. Deinde ipsam invadens Episcopi aulam, pretiosa quæque decerpit. In crastinum visa tanta crudelitate, cives horrescunt mente confusi. Communiter igitur statuunt, aut tantum punire facinus aut vivere nolle amplius. Unde factum est, ut fugiens *Arialdus* ab urbe, diebus lateret aliquot. Cumque diversas erraret per latebras, solis gradiens noctibus: proditus à commeantibus, incidit in manus petentium animam ejus. Quem tenentes, & nocte tota illa secum ducentes, facto mane præcisis auribus, & in gutture lingua cum naribus, geminoque suffosso lumine, penitus interficiunt. Quo peremto, dissimulat *Arlembaldus* modicum, reservans iram in posterum. Favebat enim tunc Pontifici pene Civitas universa. Sed more suo populus non diu statu permansit eodem. Mox enim, ut Præsul ab urbe discedit, ad insequendum illum resumtis viribus impatienter *Arlembaldus* accedit, fautorem asserens perpetrati flagitii. Iterum ergo ad juramenta convertitur, invitis tamen civibus; & siquos habebat suspectos, acrius jurare compellit. Agrestes turbas, & civiles cogit assidue turmas, ad *Widonem* persequendum Antistitem, omnemque suam delendam progeniem: & fecisset utique, nisi generosa suorum fidelium restitisset audacia. Sæpe etenim convenerunt, parati subire pro seniore certamen. Nulla interim requies erat prædonum in diripiendis substantiis Clericorum.

740 CAP. XVIII.

AD quod sedandum litigium contigit tunc temporis, *Maginardum* Episcopum *Silvæ Candidæ*, & *Minutum* Cardinalem Presbyterum *Romananos* Legatos, venisse *Mediolanum.* Qui dum Apostolico præcepto pacem evangelizarent omnibus, consultè satis provident de nece *Arialdi* fœdus componere. Deinde inter Clerum judicantes & populum, eleganti scripto constituunt, quid fieri debeat inposterum. Nec tamen his contentus *Arlembaldus*, *Romam* pergens, iterum novum iniit cum *Romanis* consilium. Vetus quippe fuit *Italici* Regni conditio, perseverans usque in hodiernum, ut defunctis Ecclesiarum Præsulibus, Rex provideat successores *Italicus*, à Clero & populo decibiliter invitatus. Hoc *Romani* Canonicum esse negant; sed instantius Archidiaconus ille *Hildeprandus.* Qui cum abolito veteri, novum tentaret indicere *constitutum*, palam fatebatur, haud secus sedari posse *Mediolanense* dissidium, quam Canonicum habendo Pastorem; ad quem eligendum necessarium dicebat *Romanum* fore consensum. His instructus assertionibus *Arlembaldus* Mediolanum rediens, quod audierat, festinanter exsequitur. Prius ergo secreto paucos convenit ex amicis; à quibus cum exigeret sponsionem celandi credita, cautè subintulit juramento causam futuri eligendi Pastoris post discessum præsentis: Deinde die noctuque laborans, Laicos quosque & Clericos eidem juramento reddit obnoxios. Interim tamen à persequendo Præsulem non desistebat *Widonem* omnisque suæ consanguinitatis affines.

CAP. XIX.

ARchiepiscopus autem, cum tot nequiret imminentes tolerare pressuras, ævo jam maturus, & diuturno languore membris omnibus dissolutus; arbitratus est fore conveniens, ut, quod ille faciendum præviderat, ipse quoque destruendo præveniret: scilicet, ut dignitatem propriam alteri se vivente concederet. Per idem tempus fuerat quidem ex Ordinariis Ecclesiæ Subdiaconis, nomine *Gothefredus*, illius à secretis præ omnibus junctus; qui, ex quo Domini sui penetraverat mentem, in se transferendum omnimodè satagebat honorem. Secreta igitur facta conventione cum eo, Præsul, datis communis pacti ex alterutro Sacramentis, dignitatem deponit ad præsens, virga cum annulo Cæsari per Legatos directa. *Gothefredus* autem cum jam pridem labore sibi Regis conciliasset affectum, recenti tamen pacto ab eodem Augusto gaudens adeptus est Præsulatum. Veruntamen, juxta scripturæ veritatem, mixtus est dolore risus, & extrema gaudii occupavit luctus. Reprobatus enim à civibus, nullis in locis Episcopii vel ad hospitandum recipitur, ipsis etiam factus invisus agricolis. Hunc *Romani*, Domino cum Apostolico, jure statim condemnant Canonico, judicii sui literas *Mediolanensibus* super illo mittentes. Qua elatus *Arlembaldus* fiducia, acrius insurgit non solum in illum, verum etiam fautores in omnes, universa flammis ac ferro demoliens; contra quem etiam per vicos & castella multorum exaggerat sacramenta. Unde fit, ut, si quando de facultatibus Ecclesiæ aliquid præsumere nititur, ab omnibus penitus interdicatur. Ubi vero *Sanctæ Mariæ* conscendit *montem*, circumveniente ab urbe exercitu, noctu vix fuga lapsus evasit. Interea *Wido* fatebatur, se *Gothefredi* delusum insidiis; communis pacti transgressorem illum appellans, Qui cum amissum resumere vellet honorem, cum *Arlembaldo* pacis fœdera sociavit. O mens cæca mortalium! Veniens enim illo duce *Mediolanum*, non ad Urbem, ut voluit, sed ad *S. Celsi* ducitur *Monasterium*, de privato factus privatior. Ibi commendatus custodibus, diebus multis resedit inglorius, hac etiam vice delusus.

CAP. XX.

GOthefredus autem pluribus jam coarctatus obstaculis, cum parte suorum aliqua suo se collegit in oppido, quod vulgo *Castillio* dicebatur, inexpugnabile revera præsidium, mœnibus ac loci natura munitum. Ex eo sæpius erumpentes cum supra modum prædis inhiarent ac cædibus: indignati *Mediolanenses*, proponunt arcem illam protinus expugnare turritam. Nec mora; instructo exercitu, & his, quæ ad usum militis fuerant necessaria, paratis; procedunt omnes, castra metati ad radicem montis. Aberat enim ab urbe vigesimo paulo plus milliario. Mox undique circumvallantes, incessanter oppugnant. Ad hoc etiam cunctos regionis illius instant aggregare ruriculas, diuturnam jurantes obsidionem. Construunt ergo petrarias & omnis generis bellici machinas; fundas quoque & balistas, milleque mortis parant insidias. Obsessis vero ad posse repugnantibus, multa quotidie fiebat cruoris effusio, adeo, ut in ipsa quadragesimæ venerabilis observantia nulla fuerit humanæ cædis abstinentia.

CAP. XXI.

HAc itaque tempestate, cum rarus in urbe populus, sua frueretur securitate; repentina calamitas improvidam invasit urbem. Horresco referens! Primo nempe quadragesimæ sabbato magno civitas conflagravit incendio. Cumque tunc vehemens flaret turbo ventorum, arreptis ignium globis, longe lateque multas combussit ædes, ousque, ut ligna & lapides vorax flamma consumeret. Aurum quoque & argentum, ac metalla cætera, 741
calore nimio liquefacta sunt universa. O quæ & qualia domorum ædificia; quamque decora combusta sunt mœnia, de quibus omnibus vix superfuit, præter parietinas quaslibet vel titio minimus. Sed quod

quod est omni damno deterius, plures Sanctorum (A) sunt crematæ Basilicæ in urbe & extra. Sanctus ipse *Laurentius*, vivæ carnis olim cruciatus incendio, iterum se flammis permisit exuri: cujus speciosissima omnium adeo fuit Ecclesia, ut relatu difficile videatur, quæ fuerint lignorum lapidumque sculpturæ, eorumque extrinsecus compaginatæ juncturæ; quæ suis columnæ cum basibus; tribunalia quoque per gyrum ac desuper tegens universa Musivum. O templum, cui nullum in mundo simile, &, O civitas, cujus contemplatione villæ fuerant reliquæ! Heu, heu! Threnes illæ propheticæ in te fere translatæ videntur. (B) Ubi autem rumor tam dirus castris insonuit, quamplures illico relicta obsidione eunt, tenues ab igne reliquias & miseram visitare familiam. *Arlembaldus* vero, cum aliis retenta parte castrorum, perseverat obnixius, quotidie belligerare non desinens. *Gothefredus* autem tribus jam obsessus mensibus, ubi vidit tenuem castrorum exercitum, clam vocare suos, & caute satis, procurat amicos. Cumque *Paschales* instarent feriæ, convenientes in unum, instructa acie protinus in castra consurgunt, impetu & clamore non modico: nec minus obsessi ruptis claustris omni ex parte prosiliunt. *Arlembaldus* autem tanto positus in discrimine, (C) arreptis armis audet cum suis paucis juxta vires obsistere, signifer ipse factus. Et nisi sua suorumque pugnasset audacia, dies illa sibi fuisset extrema. Videntes autem multi paucorum constantiam, ultro recedunt, educentes secum ab oppido *Gothofredum*. Hos longe prosecuti sunt *Mediolanenses*, conglobati repente simul & qui in castris fuerunt; & qui in urbe remanserant. Nec a persequendo diebus aliquot cessarunt ac noctibus; donec in summa constrictos necessitate coëgerunt illos iterum *Castillionem* intrare.

CAP. XXII.

(D) PEr hæc redeuntes ad Urbem, jurejurando definiunt, *Gothofredum* nunquam recipiendum; imo alterum de Catalogo majoris Ecclesiæ communiter eligendum. Jam enim migraverat a seculo Archiepiscopus ille *Wido*, sepultus in loco, qui nominatur vulgo *Berguli*, ubi post urbis incendium in amaritudine animæ diem clausit extremum. Ab illo etenim die *Arlembaldus* omni instat conamine, modo cum Clero, modo cum populo, de eligendo agens Episcopo; nova à *Romanis* accepta licentia, spreta vero Regum veteri providentia. (E) Verumtamen major civitatis portio ex clero ac sapiente populo priscæ consuetudini & Regio intendebat honori. Ipse autem, neglectis omnibus & juramento communi, solum Romani illius *Hildeprandi* auscultabat consultum. Jamque dies illa appropinquabat, quam ad hoc agendum ipse providerat; sancta scilicet Theophaniæ solemnitas. Studet ergo solicitare præsentes, vocare absentes, Clericos & Laicos, Abbates & Monachos, amicam sibi non omittens turbam agrestium. Cumque dies instaret festus, factus est multorum in Ecclesia hyemali conventus; illis tamen absentibus, cum quibus istam se facturum juraverat electionem. (F) Celebratis itaque Missarum solemniis, primo concionatus ad libitum, ac multa de justo Pastore memorans, adstante quodam *Bernardo* Legato Romano, eligit *Attonem*, adhuc tantummodo Clericum ac tenera ætate juvenculum, invito Clero & multis è populo; adeo, ut stomachati recederent ab Ecclesia. Proh dolor! altare Sacrosanctum Ecclesiæ visum est concuti tunc & suo moveri de loco, dum nimia plebis undique comprimeretur instantia. Cumque cum suis *Atto* ad convivandum Pontificalem conscenderet Aulam (fuerant enim jam in mensis ampla parata convivia) inflammati Cives invadunt repente domum, interiora & exteriora scrutantes. Ipse autem electus noviter, cum cameræ unius lateret in angulo, inventus capitur & misere laniatur: demum per suras & brachia à summo ad ima protrahitur. Qui cum staret in Ecclesia; metu mortis Altari prostratus; clamante populo adscendit in pulpitum, ibique facto sacramento, in auribus omnium abrenunciavit sedi *Ambrosianæ*, in præsens & in perpetuum. Interea fautores quique sui diversas fugere per latebras. Ipse etiam *Romanus* Legatus vix, discerptis vestibus laceratus, evasit. Cæterum *Gothefredus & Atto* diebus postea multis remanserunt privati pariter ambo, propriis tantum contenti laribus atque substantiis.

CAP. XXIII.

FIxum manebat in corde propositum in gestis præsentibus à modo servare silentium; quoniam, nullis audita hæc retro temporibus, multorum offendunt graviter animum, sed & dilata modum diutius videntur excedere: cum Dei sapientia Patris, juxta scripturæ veritatem, in numero, mensura & pondere universa disponat. Veruntamen in me conversus, denuo ad liquidum cœpta describere commodius judicavi, ut, factorum agnita qualitate, certius fieret inde judicium. Omnis laus enim atque blasphemia termino cujusque deputatur negotii. Cum tamen incertum sit, utrum dies nostros, qui Omnipotens est, finem dilatet ad illum: fiat voluntas tua sicuti in cœlo & in terra, Pater Altissime.

CAP. XXIV.

IGitur auditis his, quæ *Attoni* contingebant: 742
præfatus ille Archidiaconus *Hildeprandus*, cum Cardinalis esset auctoritate, illicò [1] *juramentum* illud *violentiæ* omnimodis judicavit habendum invalidum. Hunc *Romanus* adeo verebatur Antistes, ut eo inconsulto nihil omnino præsumeret; cum [tamen] patenter sanctum prædicet Evangelium, *super magistrum non esse discipulum*. Unde factum est, ut collecto *Romæ* cœtu Pontificum, instante ipso, *Attonem* juste prædicavit electum, prostrato anathemate *Gothofredo*. Quæ omnia *Hildeprandus* suis litteris sæpe jam dicto retulit *Arlembaldo*: cui etiam ex suo, quod opulentissimum habebat, ærario, copiosam auri atque argenti fertur misisse pecuniam, ut distributo quibuscunque indifferenter pretio, fautores aggregaret quamplurimos. Non enim latebat illum prophetice dicta sententia: *A majore ad minorem omnes avaritiæ student*.

CAP. XXV.

INterea suffraganei sedis *Ambrosianæ* Pontifices, accepto à Rege mandato, apud urbem convenientes *Novariam*, *Gothefredo* manum consecrationis imponunt, illum, prout quiverant, roborantes; licet præceptio Regia multis dicatur impetrata muneribus. Constat tamen, Regem postea pœnituisse, atque interventorem penitus odisse Legatum. Exinde *Gothefredus* aliqua Ecclesiæ studet occupare castella, uni eorum præsidens, quod nominatur *Brebia*. Qui cum paulo ante *Leucum* invaderet, irruentibus ad urbe militibus, violenter ejicitur, amisso Marchione illo, strenuissimo milite; quem loci incolæ rupe præcipitantes ab alta, crudeliter trucidant. Dum hæc taliter agerentur, defungitur Apostolicus.

CAP.

1 Quo scilicet *Atto* abrenunciaverat sedi *Ambrosianæ*, ut dicitur supra Cap. 22.

CAP. XXVI.

CUi parvo dierum intervallo succedit *Hildeprandus*, mutato nomine dictus *Gregorius*; in quo revixit *Attonis* illico spiritus adeo, ut *Romam* pergens, illius sese subderet contubernio. Ipse autem cum priori radicitus inhæreret proposito, indicta *Romæ* generali synodo, cum suis damnavit Consecratoribus *Gothefredum*. Cumque ad libitum consuevisset multa disponere; coram omni cœtu præsentem laudavit *Attonem* absque nutu Regio, absente quoque *Ambrosiano* Clero ac populo. Unde inter ipsum & Cæsarem videtur ortum, hac lite manente, dissidium; non illius quidem damnatione, sed novo hujus & absque dato Regis, conceptum electione.

CAP. XXVII.

PRæterea dum *Gothefredus* Brebiæ solius immoraretur præsidio, *Atto*, propria neglecta domo ac patria, *Romæ* degebat tantummodo, assiduis Papæ mancipatus obsequiis. Cui *Arlembaldus* apud *Mediolanum* totis favebat viribus, die noctuque laborans, datis etiam ac promissis muneribus. Insuper omne *Gothefredi* collegium flammis ac ferro persequebatur interdum, nihil intentatum juxta posse relinquens; præsertim, cum nec Regiæ potestati, nec suorum parium aliorumque multorum cederet ullo modo voluntati, *Romana* tantum fretus atque contentus fiducia; ad hoc etiam prorumpens, ut *Ambrosianæ* consecrationis Episcopos blasphemaret, asserens, Apostolice excommunicatos, quorum omne reprobabat officium. Unde fuit, quod sancto Paschatis Sabbato fieri prohibuit in urbe baptisma.

CAP. XXVIII.

POstea vero Chrisma sacrum, quod unus illorum Dominicæ cœnæ mysterio, metropolitanæ direxit Ecclesiæ, (sicut mos est, deficiente Pontifice) profusum humi coram omni populo calcibus proculcavit, suum producens in medium, à quo confectum, vel unde venerit, incognitum; ac sic postposita Sabbati illius authentici a Patribus tradita prærogativa, sexta in Albis feria, suum fecit celebrari baptisma; cum scriptura prohibeat transgrediendos, quos posuere patres, terminos. Unde contigit, ut *Paschale* gaudium suum nesciret lavacrum, ac multo post tempore plures Catechumeni baptismi carerent gratia. Quo errore plurima involvitur multitudo, partim simplici oculo, partim seducta pretio, partim impunitate, quæ patraverat, scelerum. Ab ipso enim excidio quicunque scelestus illius adhærebat consortio, carus & insons habebatur ab illo. Quamobrem *Patarinorum* in tantum excrevit numerus atque virtus, in pagis & oppidis, ac quibusdam, duce ipso, in urbibus, ut suorum omnium videretur dominari concivium.

CAP. XXIX.

PRæterea Cæsar *Henricus* adolescens jam factus, ut vidit, suæ florem potentiæ hoc modo paulatim arescere; inito cum suis consilio, studet hujus ac *Romani* Præsulis obstare conatibus. Dominabatur tunc temporis *Apuliæ* Princeps magnus *Robertus* ille *Normannus*. Inter hunc & Regem
743 dum super hac re discurrerent nuncii: præfatus Papa habita *Romæ* synodo, *palam interdicit Regi, jus deinde habere aliquod in dandis Episcopatibus, omnesque Laicas ab investituris Ecclesiarum summovet personas.* Insuper facto anathemate, cunctos Regis [1] clamat consiliarios, id ipsum Regi comminatus, nisi in proximo huic obediat constituto.

1 Forte: damnat.

A His diebus quam lugubre excidium sit passa *Mediolanum*, mœrens dico, dicens ingemisco, factus mihimet ipsi gravis adeo, ut recedat ab animo sensus.

CAP. XXX.

ANno Humanitatis Dominicæ *millesimo septuagesimo quinto*, indictione *tertia decima*, transactis *quatuor* a memorato superius Incendio annis, propinquante sanctissimæ *Paschæ* festo, secunda videlicet hebdomadis authenticæ feria, miseranda civitas divinam persensit iracundiam; experta, quam sit horrendum incidere in manus Dei viventis. Ce-
B lebratis namque Missarum solemniis, vergente jam sole, in urbis apparuit medio densæ fumus caliginis, flante ventorum violentia nimia per aërem volitans: quem sequebatur vapor flammivomus, inter cœlum & terram universa consumens. Siquidem plures velut fulmina faces, ab illo maximo & inexstinguibili erumpentes igneo globo, totam subito micuerunt per urbem, ut, quod civitatis residuum jam dictum illud evaserat incendium, totum pene flammis adureretur præsentibus, solotenus conquassatum. Nec tamen ex toto illis ardor iste pepercit ædibus, quæ prius incensæ, multis jam fuerant reparatæ sudoribus. Quid enim di-
C ci valet ulterius, quam quod ignis hic instar fuit per omnia suprataxati alterius: hoc tamen crudelior, quod multo plures ac majores combussit Ecclesias, illam scilicet æstivam & mirabilem Sanctæ Virginis *Theclæ*; B. quoque *Nazarii*, nec non Protomartyris *Stephani*, cæterasque quamplures, quarum parietinæ annis apparebunt, ut reor, plus mille. Inter quas aliarum mater S. *Dei Genetricis* hyemalis Basilica, ô dolor iterumque dolor! exuri permittitur, collapsis funditus parietibus: cujus Sacrosanctum altare non apparet quantum fuerit aut quale; laminæ vero aureæ liquefactæ sunt nimio præ casmate. Sed mille talenta auri librorum
D damno nequeunt comparari. Hanc quidem peccata nostra merentur ærumnam, quoniam Sancti Spiritus offendimus in nostro felle columbam. Contra divinum namque mandatum Sanctum est canibus in nostro tempore datum, & spiritualis margarita porcorum jacet pedibus indecenter attrita. Reliquorum non est numerus delictorum.

CAP. XXXI.

IGitur inter tot angustias tantosque dolores, cum tota foret in urbe luctus omnis ordinis atque ætatis utriusque sexus; solius *Arlembaldi* intrepidus
E perseverabat & inflexibilis animus; siquidem, instantibus *Paschalibus* Albis, baptismi satagebat, sicut in præterito fecerat anno, ignoto Chrismate inchoare mysterium. Cumque Cardinales Ecclesiæ, quorum intererat sacrare fontes, nollent contra solitum agere: adstat illico *Luitprandus* quidam Presbyter, nuncupatus à progenitoribus, Ecclesiæ vernula, qui jussu ac virtute illius, ordinariorum usurpavit officium, venientes inconsulte baptizans. Et hæc quidem violentia, recenti juncta civitatis incensæ memoriæ, quamplurimos offendit graviter cives, præcipue milites, præ ocu-
F lis habentes, quod quidam *Romanus* ait tironibus: *Servi emti ære, dura non possunt ferre Dominorum imperia; nedum vos, Quirites.*

CAP. XXXII.

UNde factum est, ut simul diebus aliquot extra urbem exeuntes, suam sibi jurarent magna plebis cum parte, justitiam, & S. *Ambrosii* honorem, ac dono Regis accepturos sese pastorem. Cumque ingrederentur communiter urbem, *Arlembaldus*, ut semper consortis impatiens, adstantibus sibi concionabatur more suo. Ut vero cohi-

cohibere furorem ultra non valuit, facto cum suis impetu & clamore, festinanter arripit arma, *vexillum, quod S. Petri dicebat*, dextera gerens; & contra cives, dum parte surgunt ab omni, armatus prorupit in medium. Quem in momento ac prima fronte belli tanta adversariorum oppressit incursio, ut nihil memorabile posset ab illo fieri. Ubi vero circumventus est undique, illico crebris configitur ictibus, dictoque citius moriens corruit, comitatu ejus exiguo circumquave disperso. Cujus cadaver exanime prostratum humi, dispersis prorsus exuitur indumentis, nudatumque fustibus undique tunditur atque petris; ut, qui vivens multis terrori fuerat, multorum subjaceret lusibus moriens: & cum gestaretur humandus, nulla illum exsequiarum est prosecuta devotio. Post hæc *Luitprandus* ille jam dictus Presbyter, dum fugeret, inventus, auribus truncatur & naso; ut, qui alienum præsumsit officium, quod habere videbatur, amitteret. Apparet ergo liquido vera esse dicentis assertio: *difficile est, ut bono peragantur exitu, quæ malo sunt inchoata principio.* Eadem hora post hoc insigne trophæum, cives omnes triumphales personant hymnos Deo ac patrono suo *Ambrosio*, armati adeuntes ipsius Ecclesiam. In crastinum simul cum Clero Laici in letaniis & lau-
744 dibus ad Sanctum denuo procedentes *Ambrosium*, reatus præteritos confitentur. Absolutione vero à sacerdotibus, qui præsto aderant, celebrata, reversus est in pace populus universus ad propria.

CAP. XXXIII.

HIc jam apparet schismatis hujusce terminus, decem novemque per annos semper ab ipsa radice pullulando protensi; Unde *Patarinum* primo processit vocabulum, non quidem industria sed casu prolatum. Cujus idioma nominis, dum in quodam Etymologiarum tomo nuper plura revolverem, ita scriptum reperio: Pathos Græce, Latine dicitur Perturbatio. Unde juxta meæ parvitatis ingeniolum statim conjicio, quo *Patarini* possunt Perturbatores rite nuncupari; quod plane rerum probat effectus. Veruntamen siquando quis probatiori fuerit interpretatus sententia, concedo equidem tota mentis tranquillæ convenientia; dummodo nomen concordet operi, opus vero respondeat nomini: quoniam à primo hujus sono vocabuli error populorum, impetusque bellorum? turbo quoque ventorum, ac vehementius solito turbavit mundum frequentia combustionum. Quod multarum calamitatum experimento, omniumque malorum probatur omnimodis incremento.

CAP. XXXIV.

PRæterea, quoquo modo se habeat Etymologia vocabuli, quæcunque tamen sunt à nobis, re super hac in præteritis recitata, nemo sanæ mentis arbitretur, impugnando veritatem aut repugnando justitiæ fore [esse] prolata, cum neutrum liceat. Si quæ enim sunt aliorum benedicta
A vel acta, non improbamus; nec ullo modo dissentimus ab illis omnibus, qui venales reprobant consecrationes & sacrorum incontinentiam ordinum: ea tamen ratione, ut à *Paulo* non discrepemus auctore. Ait enim: *omnia honeste & secundum ordinem fiant.* Cui & consonat lex illa *Mosaica: Juste, quod justum est, prosequeris.* Quod nequit aliter compleri, nisi sua singulis quibusque serventur jura ordinibus ac personis. Dispertita enim sunt Clericorum & Laicorum, eorumque inter semet ipsos officia; quemadmodum in uno corpore multa quidem sunt membra, non autem eundem actum
B possident omnia; quæ si impediantur alterutro, corrumpitur omne corpus. In sancta igitur Ecclesia, hoc est in *Christi* corpore, necesse est, ut justo pensentur omnia moderamine. Clerus atque populus suo quisque fungatur officio, præfixo sibi contentus limite, dicente Domino: *Circumdedi mare terminis & dixi: huc usque venies & ultra non procedes.* Cor humanum est mare. Ipsi vero Episcopi suis plane vacent negotiis, providentes bona non tantum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus, ne dicatur de illis: *ruina populi sacerdotes mali.* Quod si negligentes exstiterint, scandalizatur populus: *Væ autem illi, per quem*
C *scandalum venit.* Certissime enim væ erit illis, væ omni crudelius, si eorum culpa plebs, in Clerum zelans insurget ulterius.

CAP. XXXV.

HÆc talia persequendo paulatim, velut quasdam per rimulas aliter quam usque modo viderim, à longe prospicio; cumque præteritis præsentia, scriptis scribenda, confero: rubore perfusus fideliter erubesco nec barbarismos in verbis egisse, sed aliorum quælibet dicta vel facta temere judicasse confundor; cum soli Deo cordium revelentur occulta. Beatus tamen trepidanti mihi
D *Paulus* occurrit, qui primo blasphemus ac persecutor fidelium, plus cæteris postea laboravit Apostolis, cæcatus, ut videret. *Petrus* vero negavit, ut crederet; *Thomas* dubitavit, ut certior fieret. *Victorinus* quoque Rhetor & ætatis provectæ, *Simpliciano* est conversus auctore. *Augustinus* autem philosophus *Ambrosio* doctore salvatur; pluresque alios de malo in bonum, de bono in melius, nunc cito nunc sero, novimus esse mutatos. Hæc est enim mutatio dexteræ Excelsi. *Spiritus* Domini ubi vult spirat, & cui vult, miseretur, & quem vult, indurat *Altissimus*: quoniam neque volen-
E tis neque currentis, sed miserentis est Dei. Tibi igitur, *Christe*, delictum meum cognitum feci & injustitias meas non abscondi. Dixi: eloquar adversum me injustitias meas Domino, & tu remisisti impietatem cordis mei. De cætero, cogitationes, locutiones, actiones nostras, quæsumus, Domine, & adspirando præveni & adjuvando prosequere, ut cuncta nostra operatio & à te semper incipiat; & per te cœpta finiatur: cui sit honor & gloria nunc & semper, & per omnia seculorum secula.

ARNULPHI LIBER IV.

HISTORIÆ MEDIOLANENSIS.

CAP. I.

QUoniam in prima fronte præsentis opusculi, nostri temporis gesta sum narrare pollicitus, absque mendacii nota silere non valeo; præsertim cum sciam, lege cautum esse *Mosaica*: si nolueris polliceri, absque peccato eris.
F Ut autem recto narrationis incedam tramite, necesse est, res gestas, prout sunt, ordinate describere.

CAP. II. 745

PRædictis igitur rebus non plane compositis sed involutis utcumque, sæpe jam dicti *Medio-*

diolanenses pro petendo Episcopo ultra montes *Henrico* Regi legationem dirigunt, mandantes *Arlembaldi* interfectionis triumphum. Quo cognito lætatus est Rex ille supra modum, quemcunque vellent, se daturum promittens Episcopum.

CAP. III.

ERat tunc temporis inter Regem & *Saxones* lis accerrima valde, cujus ratio non est nostro discutienda judicio. Veruntamen gens illa admodum ferocissima, in rebellionem prorumpit apertam sub *Ottone* duce: adeo, ut facta congressione partis utriusque, plusquam viginti millia hominum referantur occisa. Arrisit tamen *Henrico* victoria.

CAP. IV.

POst dies hos ad secessum residens Dux *Gothefredus*, *Gothefredi* filius, gladio confossus interiit, conjuge relicta *Mathilda*, *Bonifacii* ac *Beatricis* admodum clarissima filia.

CAP. V.

INterea Legatis *Mediolanensium* ex Clero & populo, re præfata Regem adeuntibus, *Thebaldus* quidam *Mediolanensis* Ecclesiæ Subdiaconus, capella militabat in Regia: cui Rex multa volvens & revolvens consilia, proprio tandem indulgens arbitrio, *Ambrosianum* contulit Præsulatum; posthabita *Gothefredi* illius, adhuc viventis investitura & unctione, *Attonis* quoque *Romæ* degentis electione. Quid plura? susceptus est Præsul ille à Clero & populo, utpote novarum rerum avido; cui etiam suffraganei ii ipsi, qui *Gothefredum* consecraverant, manum benedictionis imponunt. Res quidem mira & cunctis retro temporibus inaudita, ut urbis unius uno electo Antistite, facto altero, uno eodemque tempore tertius erumpat.

CAP. VI.

ERat tunc temporis *Romæ* vir quidam nomine *Centius*, qui propter injuste possessas Ecclesiæ facultates Papæ *Gregorio* semper fuerat infestus. Hic autem pravo usus consilio, nocte ipsa nativitatis Dominicæ, cum in Basilica Sanctæ *Theotocos* Pater ille Sanctus, Matutino juxta morem peracto, nocturnæ Missæ celebraret officium: cum gladiis & fustibus & conjuratione magna suorum, ense nudo ad capiendum Papam violenter intravit Ecclesiam instar *Judæ* Dominum nocte tradentis. Cumque per diversa quæsisset, invenit juxta Altare Domini sacerdotem, mysteriis salutaribus intentum; in quem violenter irruens, distraxit & dilaniavit quamplurimum, impositumque equo suam usque perduxit ad turrim, clausum custodiens. Facto autem diluculo, cum tam detestabile displiceret omnibus facinus, consurgunt omnes in arma *Romani*, gyrantes turrim; nec à bello desistunt, donec agnum lupi faucibus eripiunt, turri dirupta & omni facultate direpta. Verumtamen humanæ divina successit ultio: siquidem anno illo mortuus est *Centius*, faucium ulcere suffocatus, quemadmodum *Judas* proditor nexu laquei strangulatus.

CAP. VII.

PEr idem tempus quorundam suorum hortatu contra Papam Rex erexit se *Gregorium*, adeo, ut nullam ei deferret obedientiam. Præsul vero *Romanus* sæpenumero paratus ignoscere, clementer universa tentabat, Regiam diu præstolando ac multis modis invitando conversionem. Cumque nihil omnino proficeret, illum cum suis fautoribus à S. *Matris* Ecclesia segregavit communicando luminibus; tenore tamen futuræ dignæque conversionis proposito. O infelicia tempora, in quibus, nostris exigentibus culpis, contra se ipsam pugnare Sancta videtur Ecclesia; quam Veritas, sic ipsam laudando, commendat: *Una est columba mea, amica mea.* Quæ si una est & amica, quomodo scissa sibimet debeat inimicari, non invenio. *Jesus Christus* duo sunt unius personæ vocabula. Unde liquido comprobatur Reges ac Sacerdotes, Christos scilicet, Christo uniri uno debere consensu. Quid ergo? numquid errat uterque? absit. *Romana* certe nunquam errasse perhibetur Ecclesia, ex quo divina voce dictum est Petro: *Simon, ecce Satanas expetivit vos, ut cribraret, sicut triticum. Ego autem pro te rogavi, ut non deficiat fides tua.* A *Romana* ergo Ecclesia quicunque dissentit, non est revera Catholicus, quemadmodum Beatus ait *Ambrosius*. Nonne ipsi hæc ista legerunt Episcopi? & si legerunt, cur contra *Romanum* Præsulem adunati, *Placentiæ* de ore proprio conjuraverunt? Cur postea *Papiæ* convenientes, injustum anathema, imo invalidum sibi [ei, Papæ scilicet] conclamaverunt, justa prophetia, non injustitia, scilicet! clamores facientes: unde justissime Apostolico sunt mucrone perfossi. Respondeant, ut solent, Regio se obedisse mandato: Sed quid dicit scriptura? *obedire oportet Deo magis quam hominibus*; item, *reddite, quæ* 746
Cæsaris sunt, Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo. Et alibi: *Deum timete, Regem honorificate.*

CAP. VIII.

NOn ergo debetur honor Regi, nisi præcedente justo timore Dei. Eodem tempore gens *Teutonum* illa barbarica, præcipue Duces BERTALDUS, RODULPHUS & WELPHO, cum Comitibus & Episcopis, cognita excommunicatione *Romana* à Regio prorsus se subtraxere consortio, in nullo communicantes. Insuper in multis accusantes eum criminibus, infamia denotabant. Interim consilio Sanctissimi *Clunensis*[1] Abbatis; *Agnetis* quoque Reginæ matris; nec non sapientissimæ jam dictæ *Mathildæ* statuitur generale colloquium inter ipsos, Regem & Apostolicum, pacis & justitiæ causa. Cumque exiret ab urbe Papa, profecturus *Alamaniam*, *Mathildæ* fretus juvamine venit *Italiam*. Cumque moraretur ibidem, multis ab ea cumulatur honoribus ac hominibus. Cui festinanter occurrit *Henricus*, declinans statutum in patria sua colloquium. Fuerat Comitissæ oppidum, *Canossa* nomine; multis mœnibus ac loci natura circumquaque munitum, inexpugnabile revera præsidium; ubi præsidente Apostolico, Rex nudis incedens pedibus, humi prostratus, post multas lachrymas promeruit veniam, suorum juramenta fidelium pacta confirmans, sub conditione justitiæ faciendæ. Sic *Mathildæ* magna prudentia consolidata sunt pacis eorum fœdera, invitis Episcopis ac in lite manentibus.

CAP. IX.

CUm autem se sentiret *Mediolanensium* populus *Thedaldi* Præsulis societate culpabilem, divina prohibente lege communicare excommunicato: missis Domino Papæ Legatis, solutionem implorant. Cui Legationi IPSE EGO INTERFUI, præteritis satisfaciens, de futuro castigari promittens. Papa vero sapienti usus consilio, Venerabiles Viros, *Lucensem & Ostiensem* Episcopos direxit *Mediolanum*, daturos veniam quibuscunque poscentibus. Ubi vero ingressi sunt urbem, lætata est civitas universa: qui toto illo triduo, confluen-

1 *Hugonis Cluniacensis* Abbatis. Vid. Tom. I. scriptorum Brunsvicensia illustrantium pag. 660.

confluentibus ad eos civibus divina prædicantes eloquia, cunctos absolventes, benedicunt universos. Quod *Thebaldus* indigne satis ac moleste tulit adeo, ut seditionem in populo bellumque conaretur inferre: sed minime valuit. Interea præfati Duces *Teutonici*, Comites & Episcopi illis in partibus, de sua inter se ipsos concordia ac statu Regni, novi quoque Regis electione, quotidie tractare non cessant, asserentes, *Henricum* multis ex causis Diademate indignum.

CAP. X.

AD ultimum vero convenientes *Maguntiæ*, omnium consensu *Rodulpho* Duci Regni jura committunt, jurejurando cuncta corroborantes. Quo audito Rex *Henricus* (degebat enim *Papiæ*) congregans omnes, quos habere poterat *Longobardos*, *Veronam* proficiscitur, ibique valefaciens omnibus; reversus est in partiam, pro tuendo Regno usque ad mortem pugnaturus. Papa vero diebus aliquot moratus in *Italia*, Romam rediit, ingenti *Romanorum* susceptus lætitia.

CAP. XI.

PRimus pontifex *Mediolanensis* Ecclesiæ exstitit Beatus *Barnabas* Apostolus *Jesu* Christi, sic-
A ut B. *Hieronymus* inter ea, quæ scripsit *Cromatio* & *Eliodoro*, testatur, dicens: *Barnabas*, qui cum *Paulo* verbum ministravit, primum in *Roma* Christum prædicavit, & post *Mediolani* Episcopus factus est. Quod etiam B. *Barnabas* fuerit primus Pontifex Mediolanensis Ecclesiæ, B. *Dorotheus*, B. *Dionysii Areogragitæ* discipulus in libro, quem composuit de *Apostolorum actibus*, asseruit manifeste. In ipso namque Apostolo *Mediolanensis* Ecclesia est fundata. Legitur etiam in antiquissimis Historiis, quæ hodie habentur in civitate *Mediolanensi*, quod ipse B. *Barnabas* de *Romana* civitate ad urbem *Mediolanensem* transtulit se;
B & in ea verbum vitæ prædicans, cives *Mediolanenses* ad cultum *Christi* convertit; & fide & moribus informavit. Et *Brixienses* cives per *Anathalonem* suum socium, ab ipso Apostolo ad eos missum, similiter convertit. Qui quidem B. *Barnabas*, *Mediolanensium* Metropolitanam ordinans, sanxit, ut ipsa principalis culminis sedes, & aliarum in sua provincia Ecclesiarum Metropolis perpetualiter haberetur. Ac primum post ipsum, præfatum *Anathalonem* præfecit & consecravit in Archiepiscopum *Mediolanensis* Ecclesiæ, primum Episcopum Ecclesiæ *Brixiensis*, committens sibi curam simul utriusque Ecclesiæ.

Explicit Historia rerum Mediolanensium, ab Arnulpho composita.

I N D E X

VERBORUM ET RERUM MEMORABILIUM.

A.



Hen-

P.

R.

S.

T.

V.

W.

FINIS.



JOANNIS PETRI PURICELLI,

Sacræ Theologiæ Doctoris, Laurentianæ Archipresbyteri,

AMBROSIANÆ MEDIOLANI BASILICÆ, AC MONASTERII, HODIE CISTERTIENSIS MONUMENTORUM

Singularis Deſcriptio:

Quâ Hiſtoria Mediolanenſis valde illuſtrata, multis ab erroribus vindicatur.

Editio Noviſſima, quæ & Figuris æneis adornata, ac priori Auctior, Emendatior Nitidiorque.





LUGDUNI BATAVORUM,
Sumptibus PETRI VANDER Aa,
Bibliopolæ & Typographi Academiæ & Urbis.



TYPOGRAPHUS
hujus Novæ Editionis
LECTORI.

Prodit hæc nova *Ambrosianæ Mediolani* Basilicæ & Monasterii hodie *Cisterciensis* Monumentorum, quibus Historia *Mediolanensis* illustratur a *Joanne Petro Puricello* conscriptorum, & *Mediolani* typis *Joannis Petri Ramelatii* impressorum in 4°. A°. 1645, Editio; in qua nihil quod ad ornatum & elegantiam pertinet prætermissum invenies, nec istos etiam errores, qui in priori fuere commissi. Aucta est hæc Editio Indice Auctorum & Rerum præcipuarum hoc in Opere contentarum, præterea omnia Diplomata, Nomina propria, Allegationesque diverso a textu charactere inprimi curavimus, ut & Tabulam, quæ & veteris & novæ hujus Editionis paginas indicat, adjecimus. Auctor pollicitus est se huic Operi supplementum daturum, sed illud nunquam (ni fallor) lucem aspexit. De eodem Auctore adhuc edimus ejus *Residua Tristani Calchi Mediolanensis Historiographi*, aliaque Opuscula de Nuptiis Principum, è Bibliotheca Patricii Nobilissimi *Lucii Hadriani Cottæ* in lucem prolata & Mediolani apud *Joannem Baptistam* & *Julium Cæsarem* fratres *Malatestas* 1644. in folio impressa. Quæ omnia in Tomo secundo partis primæ *Antiquitatum Italicarum* atque *Historiarum Thesauri*, cura & studio *Joannis Georgii Grævii* inveniuntur.

Idem Auctor etiam edidit; *Laurentii Littæ Civis & Archiepiscopi Mediolanensis Vitam*, Mediolani in 4°. 1653. *De S. S. Martyribus Nazario & Celso, Protasio & Gervasio Mediolani sub Nerone Cæsis historicam dissertationem*, Mediolani typis Malatestæ 1656. in fol. Ut & *Tractatum*, *quo S. S. Martyres Arialdus*, *Alciatus* & *Herlembaldus Cotta Mediolanenses veritati ac luci restituuntur*. ibidem 1657. in folio.

ADMONITIO AD LECTOREM.

Propterea quod iſte *Joannis Petri Puricelli*, perdoctus tractatus in quarto, primum *Mediolani* 1645. per *Joannem Petrum Ramellatum* impreſſus, apud multos Authores, ſecundum Veteris Editionis paginas allegatus inveniatur, quæ Paginæ huic novæ Editioni non congruunt, Nos, ad Lectorum commoditatem, qui iſta nova utentur Editione, hic ſequentem adjecimus tabulam, quâ, in Columna priori Veteris reperiuntur Paginæ, ſicuti in Columna poſteriori Paginæ hujus novæ Editionis: quapropter qui hunc Authorem in aliis libris allegatum inveniet, jam primô aſpectu, quâ hujus Novæ Editionis paginâ iſtius Veteris Editionis paginæ ſunt reperiendæ, invenire hîc poterit.

Paginæ Editionis Mediolanenſis.	Paginæ hujus Novæ Editionis.
1	1
2	ibid.
3	2
4	3
5	ibid.
6	4
7	ibid.
8	5
9	ibid.
10	ibid.
11	6
12	ibid.
13	7
14	ibid.
15	8
16	ibid.
17	ibid.
18	9
19	ibid.
20	10
21	ibid.
22	11
23	ibid.
24	ibid.
25	12
26	14
27	16
28	18
29	20
30	22
31	24
32	26
33	28
34	ibid.
35	29
36	ibid.
37	30
38	ibid.
39	31
40	ibid.
41	ibid.
42	32
43	ibid.
44	33
45	ibid.
46	34
47	ibid.
48	ibid.
49	35
50	ibid.
53	ibid.
54	36
55	ibid.
56	37
57	ibid.
58	ibid.
59	38
60	ibid.
61	39
62	ibid.
63	40
64	ibid.
65	ibid.
66	41
67	ibid.

Paginæ Editionis Mediolanenſis.	Paginæ hujus Novæ Editionis.
68	42
69	ibid.
70	ibid.
71	43
72	ibid.
73	44
74	ibid.
75	45
76	ibid.
77	ibid.
78	46
79	ibid.
80	47
81	ibid.
82	48
83	ibid.
84	ibid.
85	49
86	ibid.
87	50
88	ibid.
89	51
90	ibid.
91	ibid.
92	52
93	ibid.
94	53
95	ibid.
96	54
97	ibid.
98	ibid.
99	55
100	ibid.
101	56
102	ibid.
103	57
104	ibid.
105	ibid.
106	58
107	ibid.
108	59
109	ibid.
110	60
111	ibid.
112	ibid.
113	61
114	ibid.
115	62
116	ibid.
117	63
118	ibid.
119	ibid.
120	64
121	ibid.
122	65
123	ibid.
124	66
125	ibid.
126	ibid.
131	67
132	ibid.
135	68
136	ibid.
137	69
138	ibid.

Paginæ Editionis Mediolanenſis.	Paginæ hujus Novæ Editionis.
139	70
140	ibid.
141	ibid.
142	71
143	ibid.
144	72
145	ibid.
146	73
147	ibid.
148	ibid.
149	74
150	ibid.
151	75
152	ibid.
153	76
154	ibid.
155	ibid.
156	77
157	ibid.
158	78
159	ibid.
160	79
161	ibid.
162	ibid.
163	80
164	ibid.
165	81
166	ibid.
167	82
168	ibid.
169	ibid.
170	83
171	ibid.
172	84
173	ibid.
174	85
175	ibid.
176	86
177	ibid.
178	87
179	ibid.
180	ibid.
181	88
182	ibid.
183	89
184	ibid.
185	90
186	ibid.
187	ibid.
188	91
189	ibid.
190	92
191	ibid.
192	ibid.
193	93
194	ibid.
195	94
196	ibid.
197	95
198	ibid.
199	ibid.
200	96
201	ibid.
202	97
203	ibid.

Paginæ Editionis Mediolanenſis.	Paginæ hujus Novæ Editionis.
204	98
205	ibid.
206	99
207	ibid.
208	ibid.
209	100
210	ibid.
211	101
212	ibid.
213	102
214	ibid.
215	ibid.
216	103
217	ibid.
218	104
219	ibid.
220	105
221	ibid.
222	ibid.
223	106
224	ibid.
225	107
226	ibid.
227	108
228	ibid.
229	ibid.
230	109
231	ibid.
232	110
233	ibid.
234	111
235	ibid.
236	ibid.
237	112
238	ibid.
239	113
240	ibid.
241	114
242	ibid.
243	ibid.
244	115
245	ibid.
246	116
247	ibid.
248	117
249	ibid.
250	ibid.
251	118
252	ibid.
253	119
254	ibid.
255	120
256	ibid.
257	ibid.
258	121
259	ibid.
260	122
261	ibid.
262	123
263	ibid.
264	ibid.
265	124
266	ibid.
267	125
268	ibid.

Pa-

Paginæ Editionis Mediolanensis.	Paginæ hujus Novæ Editionis.	Paginæ Editionis Mediolanensis.	Paginæ hujus Novæ Editionis.	Paginæ Editionis Mediolanensis.	Paginæ hujus Novæ Editionis.	Paginæ Editionis Mediolanensis.	Paginæ hujus Novæ Editionis.
269	125	333	153	397	181	461	ibid.
270	126	334	154	398	182	462	209
271	ibid.	335	ibid.	399	ibid.	463	210
272	127	336	ibid.	400	ibid.	464	211
273	ibid.	337	155	401	183	465	212
274	128	338	ibid.	402	ibid.	466	213
275	ibid.	339	156	403	184	467	214
276	ibid.	340	ibid.	404	ibid.	468	215
277	129	341	ibid.	405	ibid.	469	ibid.
278	ibid.	342	157	406	185	470	ibid.
279	130	343	ibid.	407	ibid.	471	216
280	ibid.	344	158	408	186	472	ibid.
281	131	345	ibid.	409	ibid.	473	217
282	ibid.	346	159	410	187	474	ibid.
283	ibid.	347	ibid.	411	ibid.	475	ibid.
284	132	348	ibid.	412	188	476	218
285	ibid.	349	160	413	ibid.	477	ibid.
286	133	350	ibid.	414	ibid.	478	219
287	ibid.	351	161	415	189	479	ibid.
288	134	352	ibid.	416	ibid.	480	220
289	ibid.	353	162	417	190	481	ibid.
290	135	354	ibid.	418	ibid.	482	ibid.
291	ibid.	355	ibid.	419	ibid.	483	221
292	ibid.	356	163	420	191	484	ibid.
293	136	357	ibid.	421	ibid.	485	222
294	ibid.	358	164	422	192	486	ibid.
295	137	359	ibid.	423	ibid.	487	223
296	ibid.	360	165	424	193	488	ibid.
297	138	361	ibid.	425	ibid.	489	ibid.
298	ibid.	362	166	426	ibid.	490	224
299	ibid.	363	ibid.	427	194	491	ibid.
300	139	364	ibid.	428	ibid.	492	225
301	ibid.	365	167	429	195	493	ibid.
302	140	366	ibid.	430	ibid.	494	226
303	ibid.	367	168	431	196	495	ibid.
304	141	368	ibid.	432	ibid.	496	ibid.
305	ibid.	369	169	433	ibid.	497	227
306	ibid.	370	ibid.	434	197	498	ibid.
307	142	371	ibid.	435	ibid.	499	228
308	ibid.	372	170	436	ibid.	500	ibid.
309	143	373	ibid.	437	198	501	229
310	ibid.	374	171	438	ibid.	502	ibid.
311	144	375	ibid.	439	199	503	ibid.
312	ibid.	376	172	440	ibid.	504	230
313	ibid.	377	ibid.	441	200	505	ibid.
314	145	378	173	442	ibid.	506	231
315	ibid.	379	ibid.	443	ibid.	507	ibid.
316	146	380	ibid.	444	202	508	232
317	ibid.	381	174	445	ibid.	509	ibid.
318	147	382	ibid.	446	202	510	ibid.
319	ibid.	383	175	447	ibid.	511	233
320	ibid.	384	ibid.	448	203	512	ibid.
321	148	385	176	449	ibid.	513	234
322	ibid.	386	ibid.	450	ibid.	514	ibid.
323	149	387	177	451	204	515	ibid.
324	ibid.	388	ibid.	452	ibid.	516	235
325	150	389	178	453	205	517	ibid.
326	ibid.	390	ibid.	454	ibid.	518	236
327	151	391	ibid.	455	206	519	ibid.
328	ibid.	392	179	456	ibid.	520	237
329	ibid.	393	ibid.	457	ibid.	521	ibid.
330	152	394	180	458	207	522	ibid.
331	ibid.	395	ibid.	459	ibid.	523	238
332	153	396	181	460	208	524	ibid.

Paginæ Editionis Mediolanensis.	Paginæ hujus Novæ Editionis.	Paginæ Editionis Mediolanensis.	Paginæ hujus Novæ Editionis.	Paginæ Editionis Mediolanensis.	Paginæ hujus Novæ Editionis.	Paginæ Editionis. Mediolanensis.	Paginæ hujus Novæ Editionis.
525	239	589	266	653	292	727	320
526	ibid.	590	ibid.	654	293	728	ibid.
527	240	591	267	655	ibid.	729	ibid.
528	ibid.	592	ibid.	656	294	730	321
529	ibid.	593	ibid.	667	ibid.	731	ibid.
530	241	594	268	668	ibid.	732	322
531	ibid.	595	ibid.	669	295	733	ibid.
532	242	596	269	670	ibid.	734	323
533	ibid.	597	ibid.	671	296	735	ibid.
534	ibid.	598	ibid.	672	ibid.	736	ibid.
535	243	599	270	673	297	737	324
536	ibid.	600	ibid.	674	ibid.	738	ibid.
537	244	601	271	675	ibid.	739	325
538	ibid.	602	ibid.	676	298	740	ibid.
539	245	603	272	677	ibid.	741	ibid.
540	ibid.	604	ibid.	678	299	742	326
541	ibid.	605	ibid.	679	ibid.	743	ibid.
542	246	606	273	680	ibid.	744	327
543	ibid.	607	ibid.	681	300	745	ibid.
544	247	608	274	682	301	746	328
545	ibid.	609	ibid.	683	ibid.	747	ibid.
546	248	610	275	684	ibid.	748	ibid.
547	ibid.	611	ibid.	685	302	749	329
548	ibid.	612	ibid.	686	ibid.	750	ibid.
549	249	613	276	687	303	751	330
550	ibid.	614	ibid.	688	ibid.	752	ibid.
551	250	615	277	689	ibid.	753	331
552	ibid.	616	ibid.	690	304	754	ibid.
553	251	617	278	691	ibid.	755	ibid.
554	ibid.	618	ibid.	692	305	756	332
555	ibid.	619	ibid.	693	ibid.	757	ibid.
556	252	620	279	694	306	758	333
557	ibid.	621	ibid.	695	ibid.	759	ibid.
558	253	622	280	696	ibid.	760	ibid.
559	ibid.	623	ibid.	697	307	761	334
560	ibid.	624	ibid.	698	ibid.	762	ibid.
561	254	625	281	699	308	763	335
562	ibid.	626	ibid.	700	ibid.	764	ibid.
563	255	627	ibid.	701	309	765	336
564	ibid.	628	282	702	ibid.	766	ibid.
565	256	629	ibid.	703	ibid.	767	ibid.
566	ibid.	630	283	704	310	768	337
567	ibid.	631	ibid.	705	ibid.	769	ibid.
568	257	632	284	706	311	770	338
569	ibid.	633	ibid.	707	ibid.	771	ibid.
570	258	634	ibid.	708	312	772	339
571	ibid.	635	285	709	ibid.	773	ibid.
572	259	636	ibid.	710	ibid.	774	ibid.
573	ibid.	637	286	711	313	775	340
574	ibid.	638	ibid.	712	ibid.	776	ibid.
575	260	639	ibid.	713	314	777	341
576	ibid.	640	287	714	ibid.	778	ibid.
577	261	641	ibid.	715	ibid.	779	342
578	ibid.	642	288	716	315	780	ibid.
579	262	643	ibid.	717	ibid.	781	ibid.
580	ibid.	644	289	718	316	782	343
581	ibid.	645	ibid.	719	ibid.	783	ibid.
582	263	646	ibid.	720	317	784	344
583	ibid.	647	290	721	ibid.	786	ibid.
584	264	648	ibid.	722	ibid.	788	ibid.
585	ibid.	649	291	723	318	789	345
586	ibid.	650	ibid.	724	ibid.	790	ibid.
587	265	651	ibid.	725	319	791	346
588	ibid.	652	292	726	ibid.	792	ibid.

Paginæ Editionis Mediolanensis.	Paginæ hujus Novæ Editionis.	Paginæ Editionis Mediolanensis.	Paginæ hujus Novæ Editionis.	Paginæ Editionis Mediolanensis.	Paginæ hujus Novæ Editionis.	Paginæ Editionis. Mediolanensis.	Paginæ hujus Novæ Editionis.
793	347	857	375	921	402	985	429
794	ibid.	858	ibid.	922	ibid.	986	ibid.
795	ibid.	859	376	923	403	987	430
796	348	860	ibid.	924	ibid.	988	ibid.
797	ibid.	861	377	925	ibid.	989	431
798	349	862	ibid.	926	404	990	ibid.
799	ibid.	863	ibid.	927	ibid.	991	ibid.
800	350	864	378	928	405	992	432
801	ibid.	865	ibid.	929	ibid.	993	ibid.
802	ibid.	866	379	930	406	994	433
803	351	867	ibid.	931	ibid.	995	ibid.
804	352	868	ibid.	932	ibid.	996	434
805	353	869	380	933	407	997	ibid.
806	ibid.	870	ibid.	934	ibid.	998	ibid.
807	ibid.	871	381	935	408	999	435
808	354	872	ibid.	936	ibid.	1000	ibid.
809	ibid.	873	382	937	409	1001	436
810	355	874	ibid.	938	ibid.	1002	ibid.
811	ibid.	875	ibid.	939	ibid.	1003	437
812	356	876	383	940	410	1004	ibid.
813	ibid.	877	ibid.	941	ibid.	1005	ibid.
814	ibid.	878	384	942	411	1006	438
815	357	879	ibid.	943	ibid.	1007	ibid.
816	ibid.	880	385	944	412	1008	439
817	358	881	ibid.	945	ibid.	1009	ibid.
818	ibid.	882	ibid.	946	ibid.	1010	ibid.
819	359	883	386	947	413	1011	440
820	ibid.	884	ibid.	948	ibid.	1012	ibid.
821	ibid.	885	387	949	414	1013	441
822	360	886	ibid.	950	ibid.	1014	ibid.
823	ibid.	887	388	951	ibid.	1015	442
824	361	888	ibid.	952	415	1016	ibid.
825	ibid.	889	ibid.	953	ibid.	1017	ibid.
826	ibid.	890	389	954	416	1018	443
827	362	891	ibid.	955	ibid.	1019	ibid.
828	ibid.	892	390	956	417	1020	444
829	363	893	ibid.	957	ibid.	1021	ibid.
830	ibid.	894	ibid.	958	ibid.	1022	445
831	364	895	391	959	418	1023	ibid.
832	ibid.	896	ibid.	960	ibid.	1024	ibid.
833	ibid.	897	392	961	419	1025	446
834	365	898	ibid.	962	ibid.	1026	ibid.
835	ibid.	899	393	963	420	1027	447
836	366	900	ibid.	964	ibid.	1028	ibid.
837	ibid.	901	ibid.	965	ibid.	1029	ibid.
838	367	902	394	966	421	1030	448
839	ibid.	903	ibid.	967	ibid.	1031	ibid.
840	ibid.	904	395	968	422	1032	449
841	368	905	ibid.	969	ibid.	1033	ibid.
842	ibid.	906	306	970	423	1034	450
843	369	907	ibid.	971	ibid.	1035	ibid.
844	ibid.	908	ibid.	972	ibid.	1036	ibid.
845	370	909	397	973	424	1037	451
846	ibid.	910	ibid.	974	ibid.	1038	ibid.
847	ibid.	911	398	975	425	1039	452
848	371	912	ibid.	976	ibid.	1040	ibid.
849	ibid.	913	ibid.	977	426	1041	453
850	372	914	399	978	ibid.	1042	ibid.
851	ibid.	915	ibid.	979	ibid.	1043	ibid.
852	373	916	400	980	427	1044	454
853	ibid.	917	ibid.	981	ibid.	1045	ibid.
854	ibid.	918	401	982	428	1046	455
855	374	919	ibid.	983	ibid.	1047	ibid.
856	ibid.	920	ibid.	984	ibid.	1048	456

Pa-

Paginæ Editionis Mediolanensis.	Paginæ hujus Novæ Editionis.	Paginæ Editionis Mediolanensis.	Paginæ hujus Novæ Editionis.	Paginæ Editionis Mediolanensis.	Paginæ hujus Novæ Editionis.	Paginæ Editionis Mediolanensis.	Paginæ hujus Novæ Editionis.
1049	456	1079	470	1111	483	1143	497
1050	ibid.	1080	470	1112	484	1144	498
1051	457	1081	471	1113	ibid.	1145	ibid.
1052	ibid.	1082	ibid.	1114	485	1146	499
1053	458	1083	ibid.	1115	ibid.	1147	ibid.
1054	ibid.	1084	472	1116	486	1148	ibid.
1055	459	1085	ibid.	1117	ibid.	1149	500
1056	ibid.	1086	473	1118	ibid.	1150	ibid.
1057	ibid.	8087	ibid.	1119	487	1151	501
1058	460	1088	474	1120	ibid.	1152	ibid.
1059	ibid.	1089	ibid.	1121	488	1153	ibid.
1060	461	1090	ibid.	1122	ibid.	1154	502
1061	ibid.	1091	475	1123	489	1155	ibid.
1062	462	1092	ibid.	1124	ibid.	1156	503
1063	ibid.	1093	476	1125	ibid.	1157	ibid.
1064	ibid.	1094	ibid.	1126	490	1158	504
1065	463	1095	477	1127	ibid.	1159	ibid.
1066	ibid.	1096	ibid.	1128	491	1160	ibid.
1067	464	1097	ibid.	1129	ibid.	1161	505
1068	ibid	1098	478	1130	492	1162	ibid.
1069	465	1099	ibid.	1131	ibid.	1163	506
1070	ibid.	1100	479	1132	ibid.	1164	ibid.
1071	ibid.	1101	ibid.	1133	493	1165	507
1072	466	1102	480	1134	ibid.	1166	ibid.
1073	ibid.	1103	ibid.	1135	494	1167	ibid.
1074	467	1104	ibid.	1136	ibid.	1168	508
1073	ibid.	1105	481	1137	495	1169	ibid.
1074	468	1106	ibid.	1138	ibid.	1170	509
1075	ibid.	1107	482	1139	ibid.	1171	ibid.
1076	ibid.	1108	ibid.	1140	496	1172	510
1077	469	1109	483	1141	ibid.		
1078	ibid.	1110	ibid.	1142	497		

AUTHORIS DEDICATIO.

DEO OPT. MAX.
AC BEATISSIMÆ VIRGINI MARIÆ,
SANCTISQVE BASILICÆ ISTIVS AC MONASTERII
QVINETIAM MEDIOLANENSIS HVIVS METROPOLEOS
TVTELARIBVS,
AMBROSIO ARCHIEPISCOPO,
AC PROTASIO GERVASIOQVE MARTYRIBVS.
QVOS VTIQVE PRÆSERTIM OMNES AC SINGVLOS
LABORIBVS HISCE NOSTRIS FAVERE,
QVIBVSQVE PRÆSERTIM HOS VICISSIM PLACERE
SEMPER AC SVPPLICITER OPTAVIMVS.
IPSOS PROFECTO MANIFESTOS ADHVC EXPERTI
SVMVS FAVTORES:
SPERAMVSQVE SIC ETIAM IN POSTERVM
PERENNITER AFFVTVROS.



AUCT.

AUCTORIS PRÆFATIO
AD LECTOREM.

I. LEctorem nostrum ante omnia precamur, *ut veritatem amanter inquirat, inventamque amet.* Hoc utique studium nobis etiam unicum fuit. Præclarè ac verissimè Tullius *de Oratore* Lib. 2. *quis nescit, primam esse Historiæ legem? Ne quid falsi dicere audeat, deinde ne quid veri non audeat; ne qua suspicio gratiæ sit in scribendo, ne qua simultatis. Hæc scilicet fundamenta nota sunt omnibus.* Inde igitur nobis quoque *Amicus Socrates, & Amicus Plato; sed magis Amica veritas.*

2. Quocirca per sinceræ itidem veritatis studium nos quidem ante omnia placere Deo superisque omnibus, ac nominatim *Ambrosio* nostro ceterisque nostris Tutelaribus, optavimus: *Quibus ultra citraque veritatis ac virtutis fines placere velle, hominis est absque dubio insanientis.* Subinde vero, salva semper & incolumi veritate, nos fatemur hoc in votis habuisse, ut nemini displiceremus, juxta illud Apostoli ad Romanos XV. *unusquisque vestrum proximo suo placeat in bonum, ad ædificationem.* Quamobrem, si quid aliquando narramus, vel disserendo contendimus, quod alicui non placeat; certè quidem, non carpendi quempiam, non detrahendi, non vincendi cupiditate, sed unius assequendæ, proferendæ tuendæque veritatis studio factum, ex animo candide ac sincere iterum protestamur.

3. Quæ vero in re præsenti Monachorum erant, ea ex instituto prosecuti sumus; quippe quorum Documenta publica, ex ipsorum Archivo deprompta, ad manus commode domi nostræ habuerimus. Sed neque ea profecto reticuimus, quæ Canonicorum sunt, & diligentiæ nostræ occurrerunt; ne alieni ab ipsis (quibus utique re vera sumus addictissimi) videremur: sicut etiam nec ita fuse explicuimus, aut omnia præripuimus, quin ipsi reliqua in publicum è suo Archivo, sane perquam copioso, producere possint, publicoque Litteratorum desiderio satisfacere, nec non pro parte virili Basilicæ istius (nedum Canonicæ Collegiique sui) Monumenta locupletare, atque adeo liberare veritatem, ac Mediolanensem Historiam illustrare.

4. Tametsi autem veritati, quam profitemur, asserendæ pares Eloquentiæ vires adhibere non potuimus; æquo tamen animo ferat hoc Lector; ac mediocritate nostra contentus illud meminerit Augustini, Lib. IV. *de Doctrina Christiana*; Cap. II. sapientissime pronunciantis: *Bonorum ingeniorum insignis est indoles, in verbis verum amare, non verba. Quid enim prodest clavis aurea; si aperire, quod volumus, non potest? aut quid obest lignea; si hoc potest? Quando nihil quærimus, nisi patere, quod clausum est.* Cui quidem similitudini satis & illæ congruunt, quibus *Anastasius*, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Bibliothecarius, *Nicolaum* alloquebatur Papam, cum in Vitam Sancti *Joannis* Eleëmosynarii, Latine à se redditam, præfaretur. *Neque enim propter fistulam plumbeam* (inquiebat) *aquam limpidissimam despicis: Neque propter spinas, quæ producunt, Rosam, quæ producitur, spernis.* Prudentissimus videlicet ille Studiorum meorum (quo gloriari liceat) Moderator, *Federicus Cardinalis & Archiepiscopus Borromæus, Restaurandæ atque ornandæ virtuti vere natus*, jam inde à primo juventutis meæ flore, cum florentissimi Clericorum hac in Urbe Seminarii Alumnus essem, mihi præcepit, ut vera potius, quam verba, profiterer. Quocirca Divinæ potius Humanæque Philosophiæ Quæstionibus, atque etiam Controversiis adversus Ævi nostri Hæreticos, Scholastice tractandis me totum addixit: meque tandem illic multos per annos, ac multo plures quam quempiam retro alium, in Præfectura Studiorum exercuit. Quo quidem factum est, ut cursim tantum & obiter ad conscribendas Historias me transtulerim; neque tam sponte mea volensque, quam obviis occasionibus abreptus, nedum abductus, ejusmodi provinciam susceperim; sicut etiam certe quidem in re præsenti factum est.

5. Ceterum in hoc Opere inchoando & producendo sedulas nobis & indefessas manus pro colligendis hujusmodi Monumentis adhibuit *Ambrosiani* hujus Monasterii Religiosus, Archivo Præfectus, & ad stuporem versatissimus in ejus membranis: quas non ita pridem singulas & universas cognoverat accurate, suisque locis collocatas in ordinem redegerat.

6. Neque tamen ab initio nobis animus hic fuit, ut tam multa colligeremus, ac verbatim exscriberemus. Unico siquidem nec ita grandi Volumine Monumenta Basilicæ ac Monasterii hujus omnia nobis comperta, sed pleraque summatim, ad præsens usque tempus perducere meditabamur: & in eum præsertim scopum, ut Sanctorum *Ambrosii* ac *Protasii Gervasiique* Corpora non alibi, quam in hac Basilica, ostenderemus condita esse. Verumtamen fidei plenius ac planius faciendæ cupiditas hinc, inde vero multiplex & exquisita rerum aliarum copia, per varios præsertim Codices Manuscriptos nobis identidem oblata, id nobis sensim ac pene sine sensu eblanditæ sunt, ut & longe plura verbatim exscriberemus, & simul etiam multum Patriæ gratificaremur, ac denique *Mediolanensis* hujus præsertim Ecclesiæ Urbisque Histo-

Historiam illustrare, multisque ab erroribus vindicare studeremus: immo vero non pauca item alia majoris momenti pro Ecclesiæ itidem *Romanæ* honore assereremus. Pene enim apud Scriptores præjudicata hactenus à Sæculis fuit opinio, *Mediolanensem* Ecclesiam aliquando à *Romana* fœdo Schismate dissensisse, eoque ad ducentos, si non ultra, annos protracto Religionem insigni vulnere laborasse. Id tandem quam longe absit à vero, ex hisce nostris Lucubrationibus (singulari, opinor, totius Ecclesiæ bono) manifestum fiet; ut vel hanc solam ob caussam operæ pretium fuisset hos Labores maturare. Plura hoc genus, quæ Lectori breviter subinde insinuamus, suo loco & tempore fusius tractanda recipimus.

7. Quanta ingenuitate ac modestia, quantoque studio & labore, adhuc vero quali quantoque profectu id à nobis præstitum fuerit, nihil opus est in præsenti memorare; ne forte quispiam nos credat aliena deprimere, nostra jactanter venditare, ac veris majora polliceri. Lector ipse, facta cum aliis Rerum *Mediolanensium* Historiis comparatione, pleno isthæc jure dijudicet: ac si carptim prægustare velit; subsequentem Numerorum Capitalium Indicem percurrat.

8. E tanta profecto tamque rerum exquisitarum copia & ubertate factum est, ut Primum istud Volumen nonnisi ad Millesimum ducentesimum primum Christi Annum pertingat. Reliqua porro, si Deus annuat, ac veritatis Amatoribus Labor placeat hic noster, secundo deinceps, vel etiam tertio Volumine (videlicet ad illud usque tempus, quod cum re ipsa excurret) complectemur [1]. Hoc interim Lector primo benevolus fruatur. Quod ipsum tamen si, dum vita superest, recudi contigerit, pollicemur, longe uberius & ad seriem temporum accommodatius futurum. In eam enim occasionem ac spem reservata consulto sunt multa, dum pro re nata à Sanctorum *Protasii* ac *Gervasii Ambrosii*que Tumulo, in hac Basilica condito, & à nobis indicato, ad Archivi Monachorum Documenta anhelando properaremus, & hæc præcipue publici facere juris cuperemus. Multa vero interim, non tempori, sed aliarum rerum à nobis narratarum occasioni accommodavimus. Tum igitur per omnes ubique partes sibi magis fuerit cohærens & consentaneum: nec subinde in progressu necesse discere, quod ab initio ignoraverimus. Non enim tota sua mole Volumen istud constabat, quando subjici prælo cœpit; ut extremis coaptari prima certo possent. Sed sicut per partes & succisivis horis utcumque coaluit; sic etiam festinato exceptum à Typographo est.

9. Sacrosanctæ autem Matris Ecclesiæ Catholicæ Romanæ, infallibilis morum ac veritatis Magistræ, judicio nostra omnia Scripta Scribendaque reverenter ac religiose subjecta sunto.

1 Nec Secundum, nec Tertium Volumen unquam (ni fallor) edidit.

PROTESTATIO AUCTORIS.



Sincerum & candidum nostrum conatum eruendæ ex imis ruderibus abditisque Monumentis veritatis circa originem cultum majestatemque Basilicæ Ambrosianæ, *non solum apud Insubres verum etiam apud universos* Europæos *celeberrimæ, quidam sibi & aliis suaserunt renovaturum facile esse molestam illam de dominio ejusdem Ecclesiæ controversiam, quam longo tempore gliscentem inter duo Venerabilia Collegia, Canonicorum videlicet Sæcularium & Monachorum* Cistertiensium, *qui Cultum Divinum ibidem alternantes ex utroque Templi latere suas habent Mansiones*, Urbanus *Octavus fælicis recordationis Anno Millesimo sexcentesimo trigesimo gravissima Constitutione diremit, atque utrinque contendentibus perpetuum silentium indixit.*

Hinc utique commotum Nobilissimum & Gravissimum Canonicorum Capitulum judicavit, aliquod sibi præjudicium inferri, vulnusque denuo refricari, dum Monachorum dumtaxat producuntur Monumenta, & in eorum favorem universa Historia propendet. Atqui sacrosancte obtestamur, & religiose profitemur, nos simplici & puro corde isthæc collegisse ac produxisse Monumenta, eo solo intuitu, ut ne, his pereuntibus, simul etiam lux illa, quam possent Rebus Mediolanensibus *afferre, deperiret. Et quidem nimium reputo timorem illorum, qui decretæ inter utramque Partem Concordiæ verentur hinc posse advehi præjudicium. Etenim postquam studiose omnes collectæ, objectæ, & in publico judicio allatæ sunt rationes, adversaque Pars universa sua produxit fundamenta; utrumque Collogium penitus suo juri, qualecumque posset subesse, renunciavit, totumque Ecclesiæ dominium transtulit in Archiepiscoum, quod profecto amplius repetere non licet, perpetuo per irrefragabilem Summi Pontificis auctoritatem silentio jam indicto.*

Ne vero quispiam putet, se posse nostri Libri rationibus & argumentis contra Canonicorum Venerandum Collegium in posterum uti: sciatque, controversiam omnem jam firmiter sopitam, & initam Concordiam sua firmitate inconcussam persistere; in hoc ipso Libri limine Bullam præfigimus Pontificiam; cujus etiam partem Numero DCXLIX. *pag.* 502. *recitabamus.*

D I-

DIPLOMA.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad perpetuam rei memoriam.



REGIS Dominici cura, à Salvatore & Domino nostro, qui Charitas est & Deus pacis, humilitati nostræ, nullo licet meritorum nostrum suffragio, commissa postulat, ut inter gravissimas multiplicesque Apostolicæ Servitutis curas, in eam peculiari sollicitudine incumbamus, qua litibus & controversiis, inter *Christi* fideles quoslibet, præsertim Ecclesiarum Præsules & Cardinalatus honore fulgentes ac personas Ecclesiasticas Sæculares & Regulares exortis, opportunæ Translactionis remedio obviam itur; ut personæ ipsæ Ecclesiasticæ, quæ in sortem Domini vocatæ sunt, divinis ejus obsequiis commodius deserviant in sanctitate & justitia coram ipso; eique, semotis litium impedimentis, tranquilliori spiritu reddant abundanter fructus suos. Unde his, quæ propterea facta fuisse dicuntur, ut perpetua roboris validitate subsistant, & à partibus ipsis inviolabiliter observentur; Apostolici muniminis adjicimus firmitatem; prout, rebus omnibus matura consultatione pensatis conspicimus salubriter in Domino expedire. Cum itaque, sicut accepimus, à quingentis annis & amplius inter Ecclesiæ *Mediolanensis* Præsules seu Administratores ex una, nec non Præpositos & Canonicos ex alia, ac Abbatem & Monachos Ecclesiæ Sancti *Ambrosii Mediolanensis Cistertiensis* Ordinis ex reliqua partibus, qui pro tempore respective fuerunt, lis & causa seu quæstionis materia, ratione dictæ Ecclesiæ Sancti *Ambrosii*, ac illius dominii & usus, necnon administratione tam in spiritualibus quam in temporalibus, intentata, & ad hæc usque tempora magno earumdem Partium dispendio protracta fuerit: Cumque nuper dilectus Filius noster *Federicus*, Sanctæ *Mariæ* Angelorum Presbyter Cardinalis *Borromæus*, prædictæ Ecclesiæ *Mediolanensis* ex concessione & dispensatione Apostolica Præsul, liti & causæ prædictis finem aliquando amicabiliter imponi desideraret: & dilectus etiam Filius *Cosmus Reynonus*, ejusdem Ecclesiæ Sancti *Ambrosii* Abbas, & in *Italia* Congregationis *Cistertiensis* Præses, pio dilecti Filii nostri *Francisci* Sanctæ *Agathæ* Diaconi Cardinalis, *Barberini* nuncupati, nostri secundum carnem ex fratre germano nepotis, hortatu inductus, propensam ejus ad hujusmodi concordiam voluntatem ostendisset: dilecti similiter Filii nostri, *Robertus*, Tituli Sanctæ *Praxedis* Presbyter *Ubaldinus*, Ordinis *Cistertiensis* apud Nos & hanc Sanctam Sedem Protector, & *Theodorus* Sancti *Cæsarei* Diaconus Cardinalis *Trivultius* nuncupatus, à Nobis super hoc specialiter deputati, Nobis & eodem *Francisco* Cardinale annuentibus, totum hujusmodi negotium dilectis Filiis Magistris, *Martino Alifero* & *Antonio Torniello*, in utraque Signatura nostra Referendariis, discutiendum commiserint: præfati verò *Martinus* & *Antonius* plures super negotio hujusmodi tractatus, præsentibus eodem *Cosmo*, ac dilectis pariter Filiis *Joanne Baptista Besutio* Canonico *Mediolanensi*, nec non *Hieronymo Rampono*, nostro & Sedis Apostolicæ Notario, uti præfati *Federici* Cardinalis ac dilectorum etiam Filiorum Præpositi & Canonicorum ejusdem Ecclesiæ Sancti *Ambrosii* Procuratoribus respective, nec non *Matthæo Moretto* ejusdem *Theodori* Cardinalis Auditore, de illius mandato habuerint: negotioque ipso mature discusso, ac visis omnibus & singulis juribus & Processibus per *Martinum* & *Antonium* nec non *Matthæum* præfatos, & nomine ejusdem *Roberti* Cardinalis dilectum similiter Filium *Franciscum Nerlium* ejus Auditorem: & facta per eos omnes dictis *Roberto* & *Theodoro* Cardinalibus relatione: habitisque primo coram ipso *Theodoro*, & successive coram eo & prædicto *Roberto* Cardinalibus super nonnullis capitibus, quorum resolutio illorum prudentiæ & judicio relicta fuerat, diversis Congregationibus; tandem auctoritate eorumdem *Roberti* & *Theodori* Cardinalium, & in eorum præsentia fuerunt inter dictas Partes sub die vigesima prima mensis Septembris proximè præteriti firmata & subscripta Transactionis sive Concordiæ Capitula tenoris subsequentis. Videlicet: Capitula Concordiæ inter Eminentissimum & Reverendissimum D.D. *Federicum* Cardinalem *Borromæum Mediolani* Archiepiscopum, & Capitulum Præpositi & Canonicorum Ecclesiæ Collegiatæ & insignis Sancti *Ambrosii Mediolani*, ac Abbatem & Monachos ejusdem Ecclesiæ ac Monasterii: quæ infra scripti eorum Deputati inviolabiliter & bona fide observare promittunt vigesima prima Septembris, Millesimo sexcentesimo trigesimo. Canonici tam horis diurnis quam vespertinis teneantur ingredi Chorum per dimidium horæ antequam ingrediatur Capitulum Metropolitanæ, servata semper ordinaria Tabella Illustrissimi D. Archiepiscopi. In diebus solemnioribus, & præcipuè Sancti *Ambrosii* & Sanctorum *Gervasii* & *Protasii*, caveat Capitulum Canonicorum, ne diutius immoretur in Choro, quam par sit; ita ut Monachis remaneat tantum temporis, quo possint congruè eorum Vesperas celebrare. Ritu *Ambrosiano*, quo Clerus utitur Monachi utantur in solemnioribus diebus, videlicet à die Dominico in Ramis Palmarum usque ad Dominicam in Albis, & in primis Vesperis Sancti *Ambrosii* & Sanctorum *Gervasii* & *Protasii*; reliquis verò suo *Ambrosiano* Monastico, quem vocant, juxta solitum utantur: & in musicis possint etiam adhibere Instrumenta ad symphoniam pertinentia. Unica Missa Sabbathi Sancti, quæ in quælibet Ecclesia celebrari solet, juxta solitum alternis vicibus ab unoquoque Collegio celebretur. Monachi numquam Divina celebrare incipiant, donec Capitulum Canonicorum è Choro discesserit. Tam Canonici quam Monachi sub quovis prætextu tempore celebrationis Divinorum nullum actum faciant, per quem possit ad invicem celebratio impediri. Liber usus Pontificalium Abbati Monachorum non controvertatur in quibuscumque ejus functionibus Ecclesiasticis. Sedes Abbatis ad usum Pontificalium exercendorum diebus, quibus Illustrissimus Archiepiscopus solet in Ecclesia Sancti *Ambrosii* solemniter celebrare, in latere Epistolæ apponatur: cæteris vero diebus Abbas in utroque latere, prout sibi magis libuerit, Pontificalia exerceat. Super Sede solita arcuata Abbatis Baldacchinum non apponatur. Decreta Sacræ Congregationis Rituum, tam quoad numerum ministrorum quam quoad alia, in solemni Abbatis celebratione seu functione (quæ tamen sunt in usu) observentur. Illustrissimus D. Archiepisco-

piſcopus à latere Monachorum non poſſit viſitare, niſi ad limites quatuor Viſitationum tantum, ut infra, & non alias, &c. duarum ſcilicet factarum per Sanctum *Carolum* de Annis Milleſimo quingenteſimo ſexageſimo ſexto, & Milleſimo ſeptuageſimo octavo, tenoris, ut in eorum Authenticis, integre ac de verbo ad verbum, & non alias, inſerendis in Inſtrumento deſuper inter ipſas Partes celebrando: & aliarum duarum factarum per Eminentiſſimum D. Cardinalem Archiepiſcopum modernum, de Anno Milleſimo ſexcenteſimo ſeptimo, prout tamen in particulis inſerendis, ut ſupra, in dicto Inſtrumento celebrando; ita quod præſens Concordia, dictarum Viſitationum reſpectu, ſit reſtricta ad dictas particulas dumtaxat, & non ad totas & integras Viſitationes, ac reliquum eorum tenorem; etiamſi quid amplius ad favorem Archiepiſcopi in illis poſſit contineri; quia ſic &c. & non alias &c. omni &c. Oblationes publicæ, & præcipue Altaris Majoris, ad Canonicos ſpectent: privatas unaquæque Pars in ſuo latere percipiat: quæ abſque alio impedimento aut dubitatione percipientium fiant. Hæreditates, legata, & cæteræ diſpoſitiones factæ ad favorem Eccleſiæ Sancti *Ambroſii* in genere, præterquam ſupradictas oblationes, quæ hîc non comprehendantur, neutri Collegio cenſeantur acquiſitæ; ſed debeantur Fabricæ ipſius Eccleſiæ. Claves portarum Eccleſiæ lateralium, tres conſuetas teneat Capitulum Canonicorum, inter quas clavis portæ majoris connumeratur; tres alias Monachi, prout hucuſque conſueverunt. Cuſtodia Altaris aurei ad Capitulum Canonicorum ſpectet: ejuſque claves ab eodem, ſeu à deputando ab eo, cuſtodiantur. Habeant Canonici curam theſauri dictæ Eccleſiæ, ac ſacræ ſupellectilis, etiam communis, ſi quæ &c. & in ſpecie candelabrorum argenteorum. Cuſtodia Sanctiſſimi Sacramenti, in Altari Majori exiſtentis, ad Capitulum Canonicorum pertineat: quoad illius tam publicam quam privatam expoſitionem ſervetur, ut infra. Videlicet, quando exponendum eſt proceſſionaliter, prout in feſtivitatibus quadraginta horarum, vel ſimilium; fiat alternis vicibus à Capitulo Canonicorum & Monachorum; itaut primus turnus in executionem Concordiæ ſit Canonicorum. Clavem igitur Tabernaculi, quando ſolemnitas fiet per Monachos, durante duntaxat ſolemnitate, Monachi per Canonicos traditam cuſtodiant; finita ſolemnitate, eiſdem Canonicis abſque mora reſtituendam. Ubi verò ex privatorum precibus erit exponendum: ſi recurſus piorum erit ad Monachos; teneantur illico Canonici, eiſdem Monachis inſtantibus, Sanctuarium aperire, & ad eandem pariter inſtantiam claudere. Capitulum Canonicorum ſemper Altare Majus & Eccleſiam apparari faciat, & ejus ſit peculiare. Superſtantiarius, à Capitulo Canonicorum juxta conſuetum nominandus, pro tempore liberam habens Superſtantiariæ ejuſdemque introituum adminiſtrationem, ſarta tectum & Eccleſiam manutenere debet. In acceſſu Legatorum, Archiepiſcopi, Eccleſiaſticarum Perſonarum, & Principum, ubi recipere opus eſt ad Ianuam majorem; tam Capitulum Canonicorum quam Monachi obviam eant, & ab ambobus Collegiis recipiantur; Abbas tamen & Monachi cucullati incedant; nec obviam eant, niſi præſente Capitulo Canonicorum. Vicarius, quem vocant, Proviſionum cum ſuo Tribunali, ejuſque publicæ oblationes à ſolo Capitulo Canonicorum excipiantur. Unica Crux, in Eccleſia adoranda Populo die Veneris Majoris Hebdomadæ, ad Altare Majus, nec alibi, exponatur, alternis vicibus ab utroque Collegio; prout in Proceſſione & expoſitione ſolemni Sanctiſſimi Sacramenti; eodemque turno ſervato. Eleëmoſyna, ejuſdem occaſione adorationis populi, miniſtris exponentium pro tempore relinquatur. Adoratio ſolemnis ejuſdem Crucis juxta ſolitum fiat in Eccleſia Sancti *Ambroſii* per Monachos tantum: quæ actio intelligatur prorſus ab expoſitione Crucis ſeparata. Sepulchrum Domini, quod in Majori Hebdomada in qualibet Eccleſia fieri ſolet, unicum pariter in Eccleſia Sancti *Ambroſii* fiat alternis vicibus à Capitulo Canonicorum & Monachis quolibet anno, ſervata forma turni, prout in ſolemni expoſitione Sacramenti, & Crucis die Veneris Sancti: Canonici quidem in Navi dexteri lateris, Monachi autem in ſiniſtri. Quando ob ſupplicationes ſummo mane faciendas, vel aliud ſimile impedimentum, binæ Miſſæ Capitulares celebrari non poſſunt; Canonici celebrent ad Altare Majus, & Monachi in Cappella Sancti *Satyri*, vel alia verſus Monaſterium; rogationibus exceptis, quas Litanias vocant. Feſtivitas Baptiſmi Sancti *Ambroſii*, in die Sancti *Andreæ* ſolemniter à Capitulo Canonicorum celebretur: Monachi verò eadem die celebrent, prout in aliis feſtivis diebus ordinariis ſolent. Canonici & Monachi, quilibet in Labello verſus navem ſui lateris exiſtenti aquam ad aſpergendum populum benedicant. In navi media Eccleſiæ, ſive majori, relicto loco medio ad uſum ſepulchri pro Archiepiſcopis *Mediolani*, duo ſepulchra fiant: à dextero ſcilicet pro ſepultura Præpoſitorum & Canonicorum; alterum a ſiniſtro latere ad uſum Abbatum & Monachorum: neque alia ſepulchra in dicta Navi media fieri aut concedi valeant. Funeralibus Præpoſitorum & Canonicorum Monachi interveniant: & pariter Abbatum & Monachorum Canonici. Quoad ordinem: quando Præpoſiti aut Canonici erit funus; Abbas, vel dignior poſt ipſum, Abbate impedito, in ejus locum Officium celebret Mortuorum; & cadaver deferatur à Monachis ipſis à latere dextero cum Canonicis à ſiniſtro, binis binis procedentibus: cum verò Abbatis vel Monachi funus ſit peragendum; obſervetur ordine converſo; Præpoſitus ſcilicet, vel, eo impedito, dignior primus ex Capitulo Officium celebret; cadaver à Presbyteris deferatur, Canonicis latus dexterum, & Monachis ſiniſtrum tenentibus, bini bini, prout in funere Canonici, procedant. Circa qualitatem & ſumptum funerum, ſolitum ſervetur, ſicut in hanc uſque diem fuit ſervatum. Quoad ſepulturas extraneorum, Laicorum vel Eccleſiaſticorum, quilibet in ſuo latere concedant, & ſepeliant. Nullum ducatur in Eccleſiam funus abſque interventu Canonicorum. Funeralia cadaverum in media Navi Eccleſiæ fiant. Emolumenta funerum, in quocumque latere ſepeliantur mortui, æqualiter inter Capitulum Canonicorum & Monachos dividantur. Officiorum verò integraliter emolumenta ſint eorum, in quorum latere celebratur Officium. Capitulum Canonicorum provideat Eccleſiæ de ſubſelliis, menſis, & aliis hujuſmodi, ad uſum Eccleſiæ communem ſpectantibus. Dignior locus ſemper in quacunque functione ſit Capituli Canonicorum; excepto tamen caſu funeris Præpoſiti vel Canonicorum in Eccleſia Sancti *Ambroſii*. In recitatione Completorii ſervetur decretum Sancti *Caroli* in viſitatione ſub die vigeſima ſeptima Februarii, Milleſimi quingenteſimi ſeptuageſimi octavi. Organum, Pulpitum, ſeu vulgo Lettorino, utrique Collegio, Canonicorum ſcilicet & Monachorum, tam quoad uſum, quam quoad reparationes, quamvis in diverſis lateribus reperiantur, ſint communia. Pollutâ Eccleſiâ, ſi quando contigerit; facultas reconciliandi ab Illuſtriſſimo Archiepiſcopo impetretur; eoque nolente per ſeipſum, alternis vicibus à Præpoſito Eccleſiæ & Abbate Monachorum reconcilietur; itaut primus turnus ſit Præpoſiti. Teneatur Cimiliarcha abſque ulla contradictione utrique Collegio neceſſaria, communia tamen, pro ſervitio Divinorum tradere. Reditus ſuperſtantiariæ, in ornatum, reparationem & alios neceſſarios uſus Eccleſiæ erogandi, diligenter per Canonicos eorumque Cimiliarcham miniſtrentur. In ſolemnibus Eccleſiam decenter ornari pro utroque Collegio

gio curet, & ornatam pariter in priſtinum redigi: idque etiam pro Miſſis prima vice, tam à Canonicis quam à Monachis, ſive Præpoſitis, aut Abbatibus pro tempore: item in funeribus eorumdem, ſeu aliarum Illuſtrium perſonarum; expenſis tamen Monachorum, ubi ad eorum inſtantiam fiat. Benedictio ſolemnis Cerei Paſchalis librarum ſexaginta in die Sabbathi Sancti alternis vicibus per Capitulum Canonicorum & Collegium Monachorum fiat; itaut illud, ad quod ſpectabit onus ſacræ functionis, expenſas Cerei faciat; & quod remanebit, finito uſu, retineat. Ordo Benedictionis antedictæ ſit, ut à Collegio celebrante Miſſam Sabbathi Sancti fiat. Ad poſtulationem Abbatis, Canonici, ſeu ab eis deputandi, Altare aureum in adventu Illuſtrium Perſonarum oſtendant. Caſtrum doloris, quod vulgo Tomba vocant, & candelabra pro eodem ſervitio deſtinata, ſerventur in loco ſolito ſubtus Organum, ad uſum communem utriuſque Collegii. Poſſint Monachi diebus feſtivis Sanctorum particularium Cappellas in ſuo latere exiſtentes, in eorumdem Sanctorum honorem erectas, arbitrio ſuo tam intus quam foris, una cum columnis è regione Cappellæ exiſtentibus, in honorem feſtivitatum eorundem ornare. Ut commodius Officiis Divinis Monachi incumbere poſſint, Capitulum Canonicorum, in gratiam Eminentiſſimorum Dominorum Cardinalium *Ubaldini* & *Trivultii*, concedit clavem unam eiſdem Monachis tenendam perpetuo, donec præſens Concordia durabit, qua Cancellos ferreos Altaris majoris aperire poſſint; his tamen adjectis conditionibus, & non aliter &c. quod ab Abbate dicti Monaſterii Monachus eligatur, cui dicta clavis conſignetur; qui tamen cavere debebit, ne cancelli aperti remaneant extra horas Divinorum Officiorum: ulterius, ut cuſtodiæ Altaris quanto minus fieri poteſt præjudicetur, quotieſcumque aperiri contigerit Altare aureum, idque apertum remanere, teneatur dictus Monachus hora præambula, ad monitionem ſimplicem Superſtantiarii Canonicorum, dictam Clavem ei conſignare, ab eo tenendam, donec dictum Altare aureum apertum remanebit; eo tamen ſtatim clauſo, ſuperſtantiarius eandem clavem reddat Monachò ſic, ut ſupra, deputato. In feſtivitatibus Sanctorum juxta ſtylum Calendarii Monaſtici-*Ambroſiani* (quæ tamen in diebus feſtivis ex communi præcepto contigerint) ſi apparatus ad uſum Canonicorum, Monachorum feſtivitati non reſpondebit; teneantur Canonici ſtatim, eorum Divinis peractis, proportionabiliter Pallium Altaris majoris, & conopeum Ciborii immutare. Idem particulariter fiat in feſto Sancti *Benedicti*; etiamſi in die non feſtivo communi occurrat. Abbas pro ſuo arbitrio propria Monachorum candelabra argentea, & Sanctorum Reliquias in ſuis vaſis exiſtentes, ad ampliorem Altaris majoris ornatum (candelabris tamen argenteis communibus non amotis) exponere valeat. Lampades, numero undecim, circa Altare majus, pro Sanctiſſimo Sacramento ſupra idem exiſtente, quinque ad Capitulum Canonicorum, quinque ad Monachos, & una ad Societatem, quam vocant Scuroli, ſpectant: & eorum manutentio ad ſingulos proportionabiliter pertineat. Clavis Confeſſionis, ſeu Scuroli, cuique Collegio conſignetur, ad uſum communem. Altare privilegiatum pro Defunctis Fidelibus, à Sanctiſſimo D. N. in Scurolo impetrandum, ad uſum utriuſque Collegii, tam Canonicorum quam Monachorum, petatur: cum generali pariter prohibitione, ne quicquam per Confratres dicti Scuroli, neque pro Miſſarum celebratione, aut ſub alio quovis prætextu, nomine eleemoſynarum à quoquam percipiatur. Quoad eleemoſynas pro Miſſis Mortuorum ibidem celebrandis, nullus in dicta Eccleſia aut Scurolo ad hunc effectum deputetur, aut pro eiſdem recipiendis à Fidelibus aſſiſtat; ſed utrumque Collegium in ſua Sacriſtia à ſponte conſignantibus recipiat. Ne ulla confuſio quoad modum celebrandi in Scurolo gignatur, modus infra dicendus ſervetur. Quotidianæ, & ex perpetuis obligationibus hinc inde celebrandæ, ſtatutis diebus juxta præciſam formam obligationis & & conſueti celebrentur. Extraordinariæ, quæ dietim occurrunt pro defunctis, alternis diebus ab utroque Collegio adimpleantur. Quilibet è ſua Sacriſtia exteros Sacerdotes ad Altare privilegiatum dirigere poſſit, diſcreto tamen modo, ita ut alter ab altero non impediatur: quod a prudentia hinc inde utenda ſperatur. Clavis Organi utrique Collegio conſignetur; ita ut quilibet pro ſuo arbitrio & uſu ex ſe aperire poſſit; & Organiſta, quandocumque pro ſervitio utriuſque ſit paratus. In ſolemni Proceſſione Corporis *Chriſti*, & Rogationum ad Ritum *Ambroſianum*, quilibet in ſuo latere Eccleſiam in Navi majori viridibus frondibus & ſimilibus ornet. Lampades aliaque luminaria Sanctorum Imaginibus, tam in Navi majori quam minori è ſuo latere exiſtentibus Monachi abſque contradictione accendant. Antiphona, SUB TUUM PRÆSIDIUM, per Monachos proceſſionaliter diebus feſtivis procedendo per Navem Canonicorum, & inde per medium Eccleſiæ, ad eorum libitum, cantari poſſit. Item eodem modo in feſtivitatibus Purificationis, Olivarum, & Dedicationis Eccleſiæ, egredi à janua laterali Canonicorum, procedere per Cortinam, & Portam majorem ingredi eiſdem liceat; quemadmodum à Capitulo Canonicorum viceverſa fieri ſolet. In Vigiliis Sancti *Ambroſii* ac Sanctorum *Gervaſii* & *Protaſii*, Abbas celebrans cum Monachis ad Altare Sancti *Michaëlis*, à latere Canonicorum exiſtens, antelatis Inſignibus Abbatialibus procedat, ibique pro ſolita ſtatione immoretur: & inde diſcedens, Portamque majorem Eccleſiæ egrediens, per plateam proximam ad Eccleſiam Divi *Franciſci* pergat: redeundo, per portam Canonicalem ingrediatur Eccleſiam Sancti *Ambroſii*: & omnes eaſdem Eccleſiaſticas cæremonias, præcedenti die per Capitulum Canonicorum factas, ipſe Abbas cum ſuis proportionabiliter adimpleat. Monachi in ſuo latere ſubſellia ad uſum Confeſſariorum, quæ vulgo Confeſſionalia nuncupantur, habeant; quæ tamen ſint conformia cum aliis à latere Canonicorum exiſtentibus. Finito munere in medio Eccleſiæ cum aſſiſtentia Claeri Sæcularis, ſecundum determinationem ſuperius factam, eorum, qui debent ſepeliri in latere Monachorum, poſſint Monachi abſque ullo interventu ejuſdem Cleri aſportare cadavera ad ſepulturam deſtinatam propria auctoritate. Cerei, ſeu candelæ, quæ ſolent ſuſtineri per binos Angelos hinc & hinc ſuper Altari majori exiſtentes, & per Canonicos celebrantes ſolent accendi, eodem modo per Monachos celebrantes, propriis tamen ſumptibus, apponantur, & accendantur. Monachos, Religionem *Ciſtertienſem* ingredientes, Abbas ad Altare majus novis veſtibus pro libitu induat: ibique Profeſſionem ſuorum Monachorum & Equitum ſui Ordinis recipiat. Officia Mortuorum etiam cum ſolitis ornamentis ab utroque Collegio in medio Eccleſiæ juxta ſolitum fiant. Ubi Corpora, vel Reliquiæ Sanctorum, vel alii Theſauri, in Eccleſia Sancti *Ambroſii* reperiantur: ſi in Navi majori; libere Archiepiſcopi diſpoſitioni remaneant; ſi vero in latere dextero; Collegio Canonicorum; ſicuti in latere ſiniſtro Monachorum Collegio cedant: non tamen Corpora vel Reliquiæ Sanctorum ex eadem Navi, ſeu latere, extrahantur; ſed in eo, vel ea, debita veneratione ſerventur: ea tamen inquirere nemini liceat abſque expreſſa Archiepiſcopi licentia. In Eccleſia Sancti *Ambroſii* non intelligantur comprehenſæ Eccleſia Sancti *Sigiſmundi* ac Cappellæ Sancti *Satyri* & Sancti *Joannis*. Item ad tollendas diſſenſiones ac lites, quæ hactenus verſæ fuerunt ac vertuntur inter D. Archiepiſcopum ac duo Collegia Canonicorum & Monachorum, ſuper pertinentia dominii Eccleſiæ Sancti *Ambroſii Mediolanenſis*; eadem

dem

dem Collegia ex causa prædicta, & pro bono pacis, ut, evulsa radice communis controversiæ, cum Divini Cultus augmento quiete ac libere fruantur in posterum omni commodo dictæ Ecclesiæ, cesserunt ac cedunt D. Archiepiscopo *Mediolani* pro tempore dominium ejusdem Ecclesiæ, quod ambo prætendunt habere; ea tamen conditione ac lege, & non alias; ut debeat perpetuo penes eum residere, nec ipse possit ullo unquam tempore illud, vel aliquam illius partem, aut majorem commoditatem quam de præsenti habeant, eis, aut eorum alteri, seu aliis quibuscumque cedere, aut quod illud habeant consentire; quodque deinceps D. Archiepiscopus vigore dictæ Cessionis sic, ut supra, factæ nihil amplius quavis auctoritate, titulo, aut jure, etiamsi indigerent speciali mentione, in dicta Ecclesia contra & in præjudicium utriusque Collegii, eorumque personas, fructus, reditus, proventus, & emolumenta, tam conjunctim quam divisim, facere, seu prætendere possit, quam usque in præsentem diem appareat habuisse, & fecisse respectu utriusque Collegii, singula singulis congrue referendo, vel circumscripta præsenti Cessione de jure prius habere & facere quavis authoritate titulo & jure potuisset & posset; & quod etiam hujusmodi Cessio in quieto ac libero usque ipsius Ecclesiæ ac etiam in aliis concordatis nullatenus præjudicet, nec contra eorum usum & utilem substantiam aut exercitium quomodolibet ex qualitercumque possit allegari; alias quælibet contraria prætensio, & quilibet actus in contrarium attentatus, sint ipso jure nulla, non solum præmisso, sed etiam omni alio meliori modo. Hujus Concordiæ intuitu liti fabricæ Monasterii Monachorum Sancti *Ambrosii Mediolanensis* finis pertuo imponatur: neminique liceat prætendere demolitionem fabricæ hactenus factæ, & in futurum fiendæ; teneantur tamen Abbas & Monachi providere, ne ex hujusmodi fabrica, tam facta quam fienda, inferatur præjudicium Ecclesiæ Sancti *Ambrosii*; videlicet altius eam tollendo versus dictam Ecclesiam ultra summitatem, in qua reperitur de præsenti; vel eidem magis appropinquando dictam fabricam; & præcipue, ne ex aqua pluvia murus Ecclesiæ è latere Monasterii labefactetur, construendo Gloacam, per quam illa recipiatur, & ducatur extra. Et quia nonnullæ Cappellæ dictæ Ecclesiæ versus Monasterium, occasione luminis ampliandi, nuper fuerunt ab antiqua earum forma deformatæ; Abbatis & Monachorum expensis in priorem formam reducantur; quatenus ita videatur Eminentissimo & Reverendissimo Domino Cardinali *Borromæo*, moderno Archiepiscopo, & non alteri ejus successori. Tandem, ne in posterum aliquid in dicta Ecclesia innovetur, per quod fabricæ uniformitas deturpetur; convenerunt, nihil aut restaurationis aut novæ reædificationis prætextu in eadem fieri, nisi accedente expresso consensu Illustrissimi Domini Archiepiscopi, Præpositi Ecclesiæ & duorum Canonicorum per suum Capitulum deputandorum, nec non Abbatis ejusdem Ecclesiæ & duorum Monachorum de corpore Monasterii Sancti *Ambrosii* per Monachos eligendorum; itaut saltem duæ partes ex tribus consentiant; & non alias &c. salva tamen Superstantiaria cum suis concordatis; & quoad expensas, hæ ubi à Fidelibus non subministrentur, & ubi non adsint reditus vel proventus ad hunc effectum destinati, qui sufficiant in subsidium, Abbas & Monachi non possint adstringi ad contribuendum ultra tertiam partem. ATTENTIS OMNIBUS SUPRADICTIS CONCORDATIS, VOLUERUNT AC VOLUNT, TAM ILLUSTRISSIMUS DOMINUS ARCHIEPISCOPUS, QUAM DUO COLLEGIA, QUOD OMNES CONTROVERSIÆ ET QUÆCUMQUE LITES CENSEANTUR ET SINT OMNINO EXTINCTÆ SUPER DOMINIO QUOMODOLIBET PRÆTENSO, TAM PER DOMINUM ARCHIEPISCOPUM, QUAM PER UTRUMQUE COLLEGIUM: ET PERPETUUM SILENTIUM QUOAD OMNES DESUPER IMPOSITUM &c. Nos, quibus deinde & eidem *Francisco* Cardinali facta fuit postmodum per eosdem *Robertum* & *Theodorum* Cardinales de præmissis omnibus relatio, inviolabili Concordiæ, sive Transactionis, omniumque & singulorum Capitulorum præinsertorum observationi, quantum Nobis ex alto conceditur, providere volentes; motu proprio & ex certa scientia ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, Concordiam, sive Transactionem hujusmodi, omniaque & singula Capitula præinserta hujusmodi cum omnibus & singulis in eis contentis, tenore præsentium perpetuo approbamus & confirmamus; illisque omnibus & singulis perpetuæ & inviolabilis firmitatis vim & robur adjicimus; ac omnes & singulos non modo consensus omnium & singulorum in præmissis interesse habentium, seu habere prætendentium, sed solemnitatum etiam substantialium, & a quibusvis statutis legibus & consuetudinibus aut alias quomodolibet & ex quacumque causa requisitarum, & forsan omissarum, nec non quoscumque alios tam juris quam facti, & quoslibet alios defectus cogitatos vel incogitatos, si qui principaliter vel accessorie aut alias quomodolibet intervenerint in eisdem, etiamsi de illis, ad hoc ut suppleri & sanari possint, specialis specifica & expressa mentio habenda esset, quam tamen pro habita & facta haberi volumus, plenissime supplemus; eosdemque omnes & singulos defectus à Concordia seu Transactione & præinsertis Capitulis hujusmodi ex nunc tollimus, abrogamus, & amovemus. Nec non Concordiam, seu Transactionem, ac Capitula præinserta hujusmodi, omniaque & singula in illis quomodolibet contenta, ab omnibus & singulis, ad quos nunc quomodolibet spectat & pro tempore spectabit, inviolabiliter observari; eaque omnia & singula suum plenarium effectum executionem & observantiam sortiri debere volumus & mandamus in omnibus & per omnia, perinde ac si cum omnibus & singulis solemnitatibus, ac aliis etiam substantialibus, de Jure, privilegio etiam Apostolico, etiam in corpore Juris clauso, stilo & consuetudine etiam immemorabili, vel alias quomodolibet, etiam ex Constitutionum Apostolicarum, vel Statutorum etiam juratorum, aut alias quomodolibet requisitis, ac aliis servandis plene servatis, facta gesta conventa & celebrata forent. Decernentes, Concordiam, seu Transactionem, ac præinserta Capitula, præsentesque Litteras, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo, quod quicumque in præmissis interesse habentes, aut habere prætendentes, eis nullatenus consenserint, nec ad ea vocati citati & auditi, minusque causæ, propter quas eædem præsentes emanarint, sufficienter adductæ, verificatæ, vel alias justificatæ fuerint, ullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, nullitatis, aut invaliditatis, seu intentionis nostræ, vel alio quovis defectu, etiam quantumvis magno, maximo, & inexcogitato, sive etiam ex eo quod in eisdem præmissis, seu eorum aliquo, solemnitates & quævis alia servanda & adimpleta non fuerint, aut ex quovis alio, etiam à Jure vel facto aut Statuto seu consuetudine aliqua resultante, seu etiam enormis & enormissimæ ac in totum læsionis, sive alio capite, etiam in corpore Juris clauso, aut occasione vel causa etiam quantumvis justa rationabili & privilegiata, etiam tali, quæ ad effectum validitatis præmissorum necessario exprimenda foret, aut quod de voluntate nostra hujusmodi nihil ullibi appareret, seu aliter probari posset, notari, impugnari, invalidari, retractari, in jus vel controversiam revocari, aut ad terminos Juris reduci, vel adversus illas restitutionis in integrum, apertionis oris, redu-

reductionis ad viam & terminos juris, aut aliud quodcumque juris facti vel gratiæ remedium impetrari, seu etiam motu scientia & potestatis plenitudine similibus concedi, aut sic impetrato vel concesso quempiam uti, seu se juvare in judicio vel extra posse, neque ipsas præsentes, & in eis contenta prædicta sub quibuscumque generalibus vel specialibus, etiam per viam legis, aut alias etiam Motu proprio, ac etiam consistorialiter etiam per Nos & Successores nostros ex quacumque causa, quantumlibet favorabili & juridica, editis & edendis regulis, constitutionibus, revocationibus, suspensionibus, limitationibus, & modificationibus, aliisque quibuslibet contrariis dispositionibus comprehendi, sed semper ab illis libera & exempta, & sub posteriori data per quemlibet ipsorum eligenda, concessa, & adversus quascumque impugnationes & impedimenta, valida firma ac efficacia esse & fore, sicque, & non aliter, per quoscumque Judices ordinarios, Commissarios, & & causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, quavis auctoritate & potestate fungentes, in quavis causa & instantia, sublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate, ubique judicari & diffiniri debere, ac irritum & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus quibusvis Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, ac Ecclesiæ, & Ordinis, seu Congregationis hujusmodi, etiam juramento confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis, usibusque, & naturis, stylis, & consuetudinibus etiam immemorabilibus, Privilegiis quoque Indultis & Litteris Apostolicis, etiam in corpore Juris clausis, per Nos, seu quoscunque *Romanos* Pontifices prædecessores nostros, etiam Motu proprio & consistorialiter, sub quibuscumque tenoribus & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus & insolitis clausulis, ac irritantibus, & aliis decretis in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis, approbatis, & sæpius innovatis. Quibus omnibus, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis specifica expressa & individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenore hujusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur, præsentibus pro plene & sufficienter expressis & ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum *Romæ* apud Sanctam *Mariam* Majorem sub Annulo Piscatoris die septimo Decembris, Millesimo sexcentesimo trigesimo, Pontificatus Nostri Anno Octavo.

M. A. MARALDUS.

INDEX CHRONOLOGICUS
NUMERORUM CAPITALIUM.

XXI.

LXIX.

CLXIV

A. C. in Altare Majus translatæ, nec multo post in suum
Tumulum restitutæ. 191. F

1047. 1050. CCL. Guido Archiepiscopus, Ariberto jam suffe-
ctus, duobus interest Conciliis, uni à Clemente se-
cundo, alteri à Leone nono celebratis. Cumque
apud eundem Papam Leonem de Simoniaca fuisset
labe accusatus; illius judicio sese subjecerat, innocens-
que jam fuerat pronunciatus. Hæccine vero Schisma-
ticus egisset? 192. D

CCLI. Lanterius de Quinqueviis, & Guida ejus
uxor, Testamento condito multa bona huic Monaste-
rio & Canonicæ legant. 193. A

1053. CCLII. Basilicæ Metropolitanæ Clerus & Abbas ac
Monachi hujus Monasterii Sancti Ambrosii, ubi
ejus Sanctum Corpus una cum Sanctorum Mar-
tyrum Protasii & Gervasii Corporibus requiescit,
reliquique Abbates ac Populus sanciunt, ut Exalta-
tæ Crucis solemnitas in posterum celebretur. Hunc
ad finem Tadelbertus quidam nonnullas domos agros-
que legat eidem Monasterio. 193. D

CCLIII. Landulfus adhuc Abbas hujus Monasterii.
196. A

1054. CCLIV. Prædictorum Lanterii & Guidæ Epita-
phium: quæve ab ipsis pie legata fuerunt. 196. A

CCLV. De Canonicorum in hac Basilica Collegio.
Non ii omnes vivebant una simul in hac Canonica,
multoque minus Canonici erant Regulares, ac religio-
sis obstricti votis. 197. B

CCLVI. Hæc Basilica proprium videtur hoc tempore
Monasterium Monialium habuisse. 198. A

CCLVII. Quæ Major, quæve Minor apud nos Qua-
dragesima. 198. C

CCLVIII. De Anniversario, deque Missa quotidia-
na, per Monachos etiam in præsens celebratis ex
Lanterii ac Guidæ voluntate. 198. D

1056. CCLIX. Sanctus Arialdus Mediolanensis, ac deni-
que Martyr Basilicam istam frequentare solitus, præ-
dicationem suam exorditur contra Cleri corruptelas.
De ipsius Vita, quam nos typis destinavimus.
198. F

1059. CCLX. Solicitante Arialdo, Nicolaus Papa secun-
dus per Cardinalem Petrum Damiani & Anselmum
Episcopum Lucensem, Legatos suos, Clerum Me-
diolanensem in ordinem redigit. An vetus etiam il-
lud Schisma, quod nos hactenus commentitium cen-
suimus, fuerit hoc demum tempore sublatum: quan-
tique hoc ad Ecclesiam Mediolanensem intersit, &
propterea contra ipsum totis nos viribus conniti opor-
teat. 199. D

CCLXI. Quid Schisma & Schismaticus significent:
quamque procul hoc fuerit ab Ansperto nominatim
Archiepiscopo. 200. B

CCLXII. Vel ipsomet Petro Damiani teste, Medio-
lanensis Ecclesia ne nunc quidem Schismate labora-
bat, sed aliis corruptelis, ac præsertim Clericorum
Incontinentia & Simonia. 200. E

CCLXIII. Eodem Teste idipsum confirmatur. De li-
bertatis prætextu, per Clericos factiosos in Populum
repente nunc jacto. 201. A

CCLXIV. Similiter hoc idem confirmatur. Quam
procul à Schismate Archiepiscopus ipse noster in præ-
senti se gesserit. 201. E

CCLXV. Et hic pariter idipsum confirmatur. Quem-
admodum etiam Ecclesia Mediolanensis, jam inde
ab initio usque ad Sancti Ambrosii tempus, pepen-
derit à Romana, tamquam Matre Fidei ac Magi-
stra: deque Sanctis Nazario & Celso, ac Protasio
& Gervasio, illis Petri, his Pauli, Apostolorum
discipulis. 202. B

CCLXVI. Sancti pariter Arialdi testimonio tale Schis-
matis figmentum eliditur. 203. E

CCLXVII. Præter Scriptores Num. 109. nominatos,
alii etiam nonnulli recensentur, qui tam fœdum Schis-
ma Mediolanensi Ecclesiæ adscripserunt. Neque
tamen arrogantia fuit, nos iisdem adversari. 204. A

CCLXVIII. Quemadmodum Petrus Damiani Lega-
tionem hanc suam obierit ante Concilium Romanum,
mense Aprili à Nicolao Papa celebratum: & in eo
noster Archiepiscopus ad Papæ dexteram consederit.
204. C

CCLXIX. Nicolao Papæ secundo succedit Alexan- 1061.
der secundus, Patria Mediolanensis & Simoniam
in hoc Clero jamdudum aversatus. Neque tamen pro- 1062.
pterea desunt, qui Ambrosianam istam & alteram
Sancti Celsi Abbatiam, defunctis Abbatibus, pecu-
cunia sibi emant. Quid Sanctus Arialdus, ut ejus-
modi Ambrosiano Abbati occurrat. Erat autem
nomine Ariprandus, ac genere nobilissimus. 204. F

CCLXX. Quis hic forte Ariprandus Abbas. 205. D

CCLXXI. Quid fuerit Clericale Birrum, à Clero
Mediolanensi gestatum. 205. E

CCLXXII. Quid esset scopari, & scopa. 206. A

CCLXXIII. Guidonis præsertim Archiepiscopi (à
Pontifice Romano, quia fidem datam violasset, ex-
communicati) ejusque Neptis, impietas in Sanctum
Arialdum. Per summam hic crudelitatem necatus 1066.
Martyrium assequitur. 206. B

CCLXXIV. Arialdi Corpus in occulto sepultum, cœ-
lesti lumine indicatur. Inde Neptis Archiepiscopi de-
mum illud, alligatis onustum saxis, in profundum
Laci Majoris dejici jubet. Sed post decem inde men- 1067.
ses intactum a piscibus & candidum emergit: & in
ripam projectum & agnitum, ab ejus Fautoribus so-
lemni pompa defertur ad Urbem, atque per aliquot
dies in hac Basilica publice expositum colitur. 206. E

CCLXXV. Quantus interea fuerit in hac Basilica
concursus, & alia quam mira. Decimo inde die trans-
fertur ad Sancti Celsi Monasterium, & ibi sepeli-
tur. 207. C

CCLXXVI. Mediolanum, ac nominatim Lauren- 1071.
tiana Basilica, diro flagrat incendio, quod Castel-
lionense fuit appellatum. Guido moritur Archiepis-
copus: eique suffectus Attho, sese mox abdicat. Al- 1072.
tero rursus incendio conflagrat Civitas, multæque 1075.
cum ipsa Ecclesiæ: videlicet Hyemalis & Æstiva
Metropolitanæ, Nazariana, Stephaniana, & aliæ.
208. C

CCLXXVII. Ecclesia Mediolanensis per hæc tempo-
ra gravissime perturbata propter Pseudoarchiepiscopos
violenter ac Simoniace intrusos. Tres uno tempore
hanc sibi vendicabant. Herlembaldus Cotta, neca- 1076.
tus ab hostibus Archiepiscopi legitimi, Martyrio coro-
natur. Cumque illi sese Deo propterea obsequium præ-
stitisse arbitrarentur: ad Basilicam istam gratias a-
gentes venerunt. 210. E

CCLXXVIII. Adelardus Monasterii hujus Abbas. 1077.
Geraldus Ostiensis & Anselmus Lucensis Episco-
pi a Gregorio Papa septimo Mediolanum legati,
excommunicatos absolvunt. Henricus Italiæ Regno
privatur, eique substituitur Rudolfus. Ceterum An-
selmus ille patria fuit Mediolanensis, atque etiam
sanctitate insignis. 211. D

CCLXXIX. Theobaldo Archiepiscopo intruso sub- 1084.
intruditur Anselmus. Adelardo Abbati suffectus He- 1087.
ribertus: & hic aliquid de urbana Sancti Satyri Ec-
clesia, ejusque regimine: deque ritu accendendi lam-
pades supra Sepulchra mortuorum. 212. E

CCLXXX. Anselmus, ex intruso legitimus, & à 1093.
Romano Pontifice approbatus Archiepiscopus, Con-
radum coronat in Regem. Mortuo succedit Arnulfus
de Porta Argentea, sive Orientali. De urbana San-
cti Fidelis Ecclesia: quæ prius Sanctæ Mariæ in
Solariolo dicebatur, & Abbatiæ San-Dionysianæ
subdita fuit. 213. B

CCLXXXI. De Conradi sequitur adhuc Coronatio-
ne, tam Modoëtiæ quam Mediolani peracta. 214. C

CCLXXXII. Arnulfus, primo illegitime consecra-
tus, atque propterea per Apostolicum Legatum ab-

CCCXXIV.

CCCLXIV.

CD.

CDLXXVII.

DLXVII.

A. C. Regis. Qua ex causa & quamdiu illam celebraverint. 465. C

DCV. Urbanus Papa Tertius, ante hac Ubertus Cribellus, moritur: idemque sibi titulum interea retinuerat Mediolanensis Archiepiscopi. Eidem vero Gregorius Octavus substituitur. 466. F

DCVI. Adelardus & Rodulfus Cardinales demandatam sibi a Sede Apostolica controversiam inter Episcopum Cumanum & hujus Monasterii Abbatem recognoscunt, & in ejusdem Monasterii favorem decernunt. 467. D

1188. DCVII. Gregorium Papam Octavum è vivis sublatum Clemens Tertius subsequitur. 468. C

DCVIII. Paxiliani & Montis Accolæ Ambrosiano huic Abbati, Domino suo, fidelitatem jurant. 468. D

DCIX. Milo Mediolani Archiepiscopus. Idem superiore Anno septuagesimo jam erat Episcopus Taurinensis, ac simul etiam Metropolitanæ Mediolani Basilicæ Archipresbyter: quo tempore litem inter Abbatissas Monasteriorum Majoris ac de Montano diremit e Sancti Galdini Archiepiscopi mandato. 469. B

DCX. Jus creandi Prætoris Mediolanensibus datum à Friderico, vel ab Henrico ejus filio. 470. E

DCXI. Fridericus Expeditionem in Syriam pro Terræ Sanctæ recuperatione parat: & Henricum filium ex Italia in Germaniam evocat. 471. A

1189. DCXII. Fridericus, filio suo Friderico comitatus in Syriam cum Exercitu proficiscitur. 471. C

1190. DCXIII. Milo Archiepiscopus Sententiam pronunciat super quibusdam capitibus, Monachos inter & Canonicos hujus Basilicæ controversis. 471. C

DCXIV. Fridericus Imperator in Armenia Inferiori, post operam suam egregiè pro Terræ Sanctæ recuperatione navatam, rapido se refrigerans flumine absorptus immoritur: tali fortasse per divinam clementiam punitus morte, ut diuturni præsertim Schismatis, quod antehac ipse foverat, debitas pœnas in hac potius, quam in altera vita, luat. 473. D

DCXV. Ex annorum supputatione, quos Fridericus revera regnavit & imperavit, manifesti rursum erroris convincitur à nobis illud Scriptum, quod Corius authenticum existimabat. 474. D

1191. DCXVI. Henricus Rex Mediolanum è Germania revertitur & hic etiam forte ab Archiepiscopo nostro Ferrea Corona insignitur. 475. B

DCXVII. Cum a superiori Milonis Archiepiscopi Sententia Monachi pariter ac Canonici hujus Basilicæ ad Apostolicam Sedem appellassent; Abbas Monasterii Sancti Petri de Laude Veteri, & Præpositus Ecclesiæ Pergamensis, ad ejusmodi Causæ recognitionem delegati, Sententiam & ipsi suam pronunciant 475. D

DCXVIII. Eadem Sententia, satagentibus Canonicis, à Romano Pontifice confirmata. 477. E

DCXIX. Quemadmodum Metropolitanæ Ordinarii, tum etiam istius Basilicæ Canonici, quotannis venirent ad Sancti Satyri festivitatem in hac ipsius Ecclesia celebrandam. Sed ad festivitates pariter Sanctorum Augustini ac Luxorii veniebant iidem Ordinarii. 477. F

DCXX. Mortuo Clementi Papæ Tertio succedit Cælestinus Tertius, & Henricum Imperiali Diademate coronat. Henricus inde Neapolim profectus, paulo post Mediolanum, ac rursus in Germaniam revertitur. 479. A

1193. DCXXI. Insigne Milonis Archiepiscopi Privilegium, huic Monasterio concessum. 479. C

1194. DCXXII. Henricus Rex in Italiam redit: ac Panormo potitus, una cum Uxore in Regem Siciliæ coronatur. 481. D

1195. DCXXIII. Henricus inde in Germaniam, & postea in Lombardiam revertitur: atque Mediolani Privilegium Ambrosiano huic Monasterio impertit. 481. E A. C.

DCXXIV. Quadonam obierit Milo Archiepiscopus, eique successerit Obertus Terzagus. Hic autem fuerat Modoetiæ Archipresbyter; atqui Romanæ Cardinalis Ecclesiæ, fuisse non videtur. 482. F 1196.

DCXXV. Quamdiu sederit hic Obertus Archiepiscopus. 483. C

DCXXVI. Basilicæ istius, ex parte collapsæ, restaurationem idem Obertus cœpit, Philippus vero ejus successor absolvit. Sic etiam unus è Monachis construi fecerat Chori Sedilia. 483. E

DCXXVII. Quisnam fuerit hic Monachus, & quando Sedilia illa construi fecerit. Qua item parte conciderit ac reparata fuerit hæc ipsa Basilica. 484. E

DCXXVIII. De muro quodam sub Tiburio, quem Philippus idem Archiepiscopus construxisse videtur. 486. A

DCXXIX. Obertus Archiepiscopus Altaria consecrat Monasterii Charævallensis. 486. E

DCXXX. Henricus Imperator, posteaquam filium suum Fridericum Rogerium, ab Heroibus decerni sibi consortem Imperii, ac deinde Siciliæ Regem coronari curasset, in Sicilia moritur, & à Pontifice Romano excommunicatus. Quam ob causam: & quam generose Monachi Cistercienses recusaverint argenti summam, sibi pro Thuribulis argenteis faciendis ab ipso legatam. 486. F

DCXXXI. Moritur Obertus Archiepiscopus, eique 1197. Philippus Lampugnanus, Metropolitanæ antehac Basilicæ Archipresbyter, substituitur. Non ad illum, sed ad istum Innocentius Papa Tertius litteras scripsit. 487. C

DCXXXII. Hic utique Innocentius Cælestino Papa 1198. demortuo succedit. 488. B

DCXXXIII. Idem Innocentius varias subinde litteras ad Philippum nostrum Archiepiscopum mittit. Nobilissimum ac meritissimum sibique præterea dilectissimum Henricum de Settara (qui postea noster Archiepiscopus fuit) ei commendat. Eidem concedit etiam, ut Ordinatos à Romano Pontifice promovere possit ad Diaconatum ac Sacerdotium. Scribit etiam de controversia inter ipsum ac Monasterium Sancti Donati de Scozula, sive de Sexto Kalendas, in Ticini ripa situm. Et hic de Passaguerra Causidico, & ejusdem Philippi Procuratore: quem postea idem Innocentius excommunicavit, ac de quo ad Consules quoque nostros scripsit. Sic etiam de Joannis Anagnini Cardinalis & Alexandri Papæ Tertii decretis contra barbaram Ænobarbi erga Mediolanenses feritatem. Sed ad Capitulum quoque Metropolitanum scripsit pro Episcopo Terdonensi, ac simul etiam ejusdem Capituli Canonico. 488. C

DCXXXIV. Idem Pontifex de Archiepiscopo nostro conqueritur, quod Clericum Bonacosam recipi non fecerit in Canonicum istius Basilicæ. 489. E

DCXXXV. Publici Consilii locus, Credentia Sancti Ambrosii appellatus, construitur. Unde istud Credentiæ nomen. 490. A

DCXXXVI. Monachi Canonicos arcent ab ingressu Chori. 490. D

DCXXXVII. Monasterium istud ab Arialdo regitur 1199. Abbate. Huic olim primam Missam celebranti ad apertum fuerat Aureum Altare: quive Canonici nolebant illud aperiri; excommunicati propterea fuerunt. 490. F

DCXXXVIII. Archiepiscopum & Metropolitanæ Ordinarios, ad hanc Basilicam processionaliter venientes, Canonici ad Portam excipiebant, eisque Librum tenebant: & quia hoc aliquando facere detrectassent, interdicto subjecti ab Archiopiscopo fuerunt. 491. A

DCXXXIX

FINIS.



Deinde,

Deinde, admonitus sis, quod sequentia fuerint scripta super Effigiem Sancti Ambrosii, in Editione priori.

BEATISSIMI PATRONI NOSTRI AMBROSII

antiquum è marmore Simulachrum.

Quod, in ejusdem Basilica insitum parieti supra columnam Organo dexteram, maxima Fidelium pietate ac reverentia colitur: ac sequentes in marmorea tabula Versus habet subjectos.

In medio dum sequitur Effigies, sub quâ etiam descriptum:

Effigies Sancti hæc tracta est ab imagine vivi
Ambrosii, pia, clara, humilis, venerandaquè cunctis.
Ergo genu flexo dicas: O Maxime Doctor,
Alme Patrone, Deum pro nobis jugiter ora.

Quæ Effigies hâc in editione est posita
Pag. 2.

Super Caroli Magni Imperatoris Effigiem fuit Sculptum, quæ hac in editione posita est
Pag. 35.

CAROLUS MAGNUS, IMPERATOR, S.R.E. DEFENSOR.

Ut & super Effigiem Petri Oldradi, quæ est
Pagina 36.

PETRUS OLDRADUS, MEDIOLANENSIS ARCHIEPISCOPUS, CAROLI MAGNI COMPATER, ET AUTHOR EXPEDITIONIS GALLORUM IN LONGOBARDOS.





D. AMBROSIUS,

Mediolanensis Episcopus.

AMBROSIANÆ MEDIOLANI BASILICÆ, AC MONASTERII, HODIE CISTERCIENSIS, MONUMENTA.

I. BASILICAM *Florentiæ* ſcimus extitiſſe unam, quæ olim AMBROSIANA iccirco vocaretur; quia Sanctus Archiepiſcopus noſter *Ambroſius*, illic hoſpitatus, eam Sancto *Laurentio* Martyri dedicaſſet. Sic enim conſtat e Sancti *Zenobii* Florentinorum Archiepiſcopi Vita, cum apud Surium *die vegeſimaquinta Maji*, tum apud Silvanum Razzium in *Hetruriæ Sanctorum ac Beatorum Vitis*, ubi ſe profitetur illam Italice vertiſſe ſimpliciter e Latina, quam Sanctus Archiepiſcopus item noſter & immediatus *Ambroſii* ſucceſſor *Simplicianus* ſcripſerit: quin etiam ſic ex ipſa conſtat *Ambroſii* Vita, per *Paulinum* ac denique per Cardinalem *Baronium* conſcripta. Veruntamen Baſilica iſthæc noſtra cognomentum AMBROSIANÆ nobis eam quoque videtur ob cauſam ſortita; quia, non modo mortuum denique exceperit, ſed etiam primum ſui conditorem habuerit eundem ipſum *Ambroſium*. Quatuor ille Baſilicas extra Muros Urbis *Mediolani* conſtruxiſſe fertur: primam Beatæ Virgini *Mariæ* ceteriſque Virginibus, quæ nunc vocatur SANCTI SIMPLICIANI: ſecundam Sancto *Petro* aliiſque Apoſtolis, quæ nunc SANCTI NAZARII IN BROLIO: tertiam Sanctis *Protaſio* ac *Gervaſio* reliquiſque Martyribus, quæ nunc SANCTI AMBROSII, & de qua nobis ex inſtituto deinceps agere propoſitum eſt: quartam denique Sanctis omnibus Prophetis & Confeſſoribus, quæ nunc SANCTI DIONYSII appellatur. Quomodo autem de tribus aliis hoc intelligi oporteat, alii viderint. De tertia certe ac noſtra iſthac Ambroſiana Gregorius ipſe Turonenſis *De Gloria Martyrum*, Cap. 47. ſic teſtatum reliquit: *In Urbe Mediolanenſi Beatorum Martyrum Gervaſii Protaſiique victricia Corpora retinentur. Quæ diu, ſicut ipſa Paſſionis narrat hiſtoria, ſubfoſſa latuerunt. Quæ Beato Ambroſio revelata, atque ab eodem reperta*, IN BASILICA, QUAM IPSE PROPRIO ÆDIFICAVIT STUDIO, *oſtenſis miraculis ſunt ſepulta.* Tam proprio igitur ac ſingulari ſtudio Sanctus Præſul præ ceteris tribus hanc nobis videtur unam ædificaſſe, ut nomen etiam BASILICÆ AMBROSIANÆ illi uni vel ab initio propterea in ore famæ reliquerit; ſicut etiam mox conſtabit.

Anno Christi 387 II. Sacroſancta ejuſmodi Martyrum Corpora, divinitus ac recenter a ſe inventa, huc ſolemniter tranſtulerat; cum paulo poſt *Marcellinæ* ſorori, tunc in Urbe *Roma* moranti, totius facti ſeriem deſcripſit Epiſt. 54. his verbis: *Quoniam nihil eorum, quæ hic, te abſente, geruntur, Sanctitatem tuam celare ſoleo; ſcias etiam Dilectiſſima Soror, Sanctos Martyres a nobis repertos. Nam cum ego Baſilicam* (loquitur de hac ſua & noſtra) *dedicare vellem; multi tanquam uno ore interpellare cœperunt, dicentes: Sicut* IN ROMANA, *ſic Baſilicam dedices. Reſpondi: Faciam; ſi Martyrum reliquias invenero. Statimque ſubiit veluti cujuſdam ardor præſagii. Quid multa? Dominus gra-* A *tiam dedit. Formidantibus etiam Clericis, juſſi eruderari terram eo loci, qui eſt ante cancellos Sanctorum Felicis atque Naboris. Inveni ſigna convenientia: adhibitis etiam quibus per nos manus imponenda foret* (hoc eſt, Energumenis) *ſic Sancti Martyres eminere cœperunt, ut adhuc nobis ſilentibus arriperetur urna, etiam ſterneretur prona ad locum ſancti ſepulchri. Invenimus miræ magnitudinis viros duos ut priſca ætas ferebat. Oſſa omnia integra, ſanguinis plurimum. Ingens concurſus Populi per totum illud biduum. Quid multa! Condivimus integra, ad ordinem tranſtulimus, veſpere jam incumbente* AD BASILICAM FAUSTÆ *venimus: ibi vigiliæ tota nocte, manus impoſitio. Sequenti die* TRANSTULIMUS EA IN
B BASILICAM, QUAM APPELLANT AMBROSIANAM. Ibidem vero ſub Altari, tunc unico, nunc primario, illa condidit. Quamobrem, dum Populo adhuc publice ad venerationem illic expoſita viſerentur prima die ſuum illius diei Sermonem, prædictæ conſitum Epiſtolæ, in hæc verba concluſit: *Succedant Victimæ triumphales in locum, ubi Chriſtus Hoſtia eſt. Sed ille ſuper Altare, qui pro omnibus paſſus eſt:* ILLI SUB ALTARI, *qui illius redempti ſunt Paſſione.* HUNC EGO LOCUM PRÆDESTINAVERAM MIHI; DIGNUM EST ENIM, UT IBI REQUIESCAT SACERDOS, UBI OFFERRE CONSUEVIT. *Sed cedo ſacris Victimis dextram portionem: locus iſte Martyribus de-*
C *debatur. Condamus ergo Reliquias ſacro ſanctas, & dignis ædibus invehamus, totumque diem fida devotione celebremus.* Hæc autem Anno *Chriſti* agebantur Trecenteſimo octuageſimo ſeptimo, ſive Anno anteriore, quam Sanctus *Auguſtinus* Baptiſmum ſuſciperet; ut alibi peraccuratè oſtendimus. Sic etiam Junio hæc menſe agebantur. Cujus propterea menſis undevigeſima dum die celebritas ejuſmodi Martyrum ab Eccleſia *Mediolanenſi* hodieque agitur; certe quidem ipſorum Inventio ac Tranſlatio iſta, per Sanctum *Ambroſium* peracta, celebratur; ut alibi pariter nos animadverſum comprobavimus. Quamobrem iſta ſolummodo indicaſſe in præſenti ſufficiat; ne longiores hic ſumus.

D III. Decimo inde Anno, ſive *Chriſti* Trecenteſimo nonageſimo ſeptimo (ſic ut etiam nos interim ſupponimus) ex hac vita Sanctus *Ambroſius* migravit: die videlicet Aprilis quarta, in nocte Sabbati Sancti, Dominicæ Reſurrectionis ſolemnitatem antecedentis: & hac quidem ipſa ſolemni die ſepultus eſt in *Ambroſiana* iſta ſui Baſilica. *Paulinus* itaque, narrato ipſius obitu, ſua ſcilicet in domo Archiepiſcopali, quæ parum admodum ab Intramurana & Nova & Majori Baſilica (de qua paulo poſt expreſſior nobis erit mentio) aberat; hæc ſubdit: *Inde* AD ECCLESIAM MAJOREM *antelucana horâ Corpus ipſius portatum eſt: ibique eadem fuit nocte, qua vigilavimus in Paſcha* &c. *Sed luceſcente Die Domi-*
E *nico, cum* CORPUS IPSIUS, *peractis Sacramentis Divinis, de Eccleſia levaretur*, PORTANDUM AD BASILICAM AMBROSIANAM, IN QUA PO- A.C. 397.

POSITUS EST; *ita ibi Dæmonum turba clamabat, se ab illo torqueri, ut ejulatus eorum ferri non posset.* &c. In sua igitur *Ambrosiana* Basilica tumulatus fuit *Ambrosius*. At quo tandem præcise in loco? sub eodem illo certe Altari, sub quo Sanctos ipse Præsul Martyres *Protasium* & *Gervasium* condiderat, dextram ipsis cedens portionem (sicut eum paulo ante loquentem audiebamus) perinde ac si saltem sinistram exinde sibi reservaret in eodem illo sepulchro, quod ceteroqui totum antea sibi uni destinaverat. Sic enim certa & constanti deinde traditione, ab iis deducta temporibus, creditum est. Quamobrem sine dubio hinc etiam illud factum est, quod identidem nos deinceps inter hæc Monumenta usitatum conspiciemus: ut nimirum ejusmodi Sanctorum *Protasii* ac *Gervasii Ambrosiique* Corpora sæpenumero una simul nominentur hic sepulta. Sic etiam idcirco *Petrus Oldradus* Archiepiscopus a nobis conspicietur Basilicam istam Monachis assignasse, UT ANTE SANCTA EORUM CORPORA continuatim & indifferenter ac publice Divina Officia concelebrarent: quæ quidem tunc ante illud ipsum Altare concelebraturi sine dubio supponebantur; sicut etiam exinde re vera per annos plurimos ibi concelebrarunt. Nec alia profecto causa fuit, cur *Angilbertus* item Archiepiscopus eidem Altari laminas tanti operis ac pretii aureas argenteasque circumdederit; ut suo nos tempore commonstrabimus. Quid, quod etiam non alibi, quam sub eo Altari, Fideles sacra ipsorum Corpora venerabundi deinceps requirebant? Sed hæc satis in præsenti.

IV. Per quem vero, vel quos e Clero, quave regiminis aut honoris nomenclatura, jam inde a prima sui origine Basilica isthæc *Ambrosiana* regeretur: id nobis necdum est satis compertum. Cecum illum, nomine *Severum*, qui contactu sacrorum *Protasii* & *Gervasii* Corporum, recenter inventorum, curatus est, in hac ipsa deinde Basilica, sicuti voverat, plures annos servisse quidem constat e Sanctis Augustino & Paulino; at non præfuisse. *Cecus notissimus universæ Civitati* (verba sunt Augustini Sermone 39. *De diversis*, qui sermo Hippone habitus fuit de Sanctis Protasio & Gervasio, cap. 5.) *illuminatus est, cucurrit, adduci se fecit; sine duce reversus est. Nondum audivimus, quod obierit: forte adhuc vivit.* IN IPSA EORUM BASILICA, UBI SUNT CORPORA, *totam vitam suam serviturum se esse devovit. Nos illum gavisi sumus videntem, reliquimus servientem.* Paulinus autem in Sancti *Ambrosii* Vita sic tradit: *Cecus etiam, Severus nomine, qui* NUNC USQUE IN EADEM BASILICA, QUÆ DICITUR AMBROSIANA, *in qua Martyrum* (Protasii & Gervasii) *Corpora sunt translata, religiose servit, ubi vestem Martyrum attigit, statim lumen recepit.*

V. Sed ne Basilica quidem ista, vivente Sancto *Ambrosio*, nobis Basilicæ Cathedralis ac Metropolitanæ prærogativam obtinuisse visa est adhuc. Quo quidem fit, ut neque satis adhuc credere possimus, illos e Clero Ministros ei præfuisse, quos multi è Scriptoribus nostratibus affirmant in Ecclesia *Mediolanensi*, hoc est, Cathedrali Basilica, a Sancto *Ambrosio*, vel inventos è Decessorum suorum institutione, vel è suo genio ad ejusdem cultum Ecclesiæ recenter institutos. Talem nimirum prærogativam jam ante obtinuerat BASILICA PORTIANA (nunc SANCTI VICTORIS appellatur, Monachique degunt illic *Olivetani*) & EXTRAMURANA (eo quod extra Muros Urbis sita esset) quæ *Ambrosii* tempore jam dicebatur BASILICA VETUS: per comparationem utique ad alteram postmodum intra muros Urbis constructam: quæ propterea & INTRAMURANA, & NO-
A VA nuncupabatur: quamque præterea certum est Basilicæ Cathedralis prærogativa deinceps potitam fuisse, ut etiam BASILICA MAJOR appellaretur. Quocirca etiam *Arriani* cum sibi Basilicam *Mediolani* furenter, Imperatrice *Justina* patrocinante, ab *Ambrosio* deposcerent, in qua suus ipsorum Episcopus sacra ministeria peragerent; non aliam sibi postularunt, ac per vim extorquere conati sunt, quam unam ex iis duabus. Et hinc idem Ambrosius, ad *Marcellinam* super hac Arrianorum contententione scribens, in hunc modum loquitur, Epistola 14. *Quoniam omnibus fere Epistolis solicite quæris de Ecclesia; accipe, quid agatur. Postridie*
B *quam accepi litteras tuas, quibus significaveras, quod te exagitarent somnia tua, moles inquietudinum gravium cœpit moveri. Nec jam,* PORTIANA. *hoc est,* EXTRAMURANA BASILICA *petebatur; sed* BASILICA NOVA, *hoc est,* INTRAMURANA *quæ* MAJOR *est. Convenerunt primo viri Comites Consistoriani; ut & Basilicam traderem, & procurarim, ne quid Populus turbarum moveret. Respondi, quod erat mei Ordinis:* TEMPLUM DEI TRADI A SACERDOTE NON POSSE. *Acclamatum est sequenti die in Ecclesia: etiam Præfectus eo: cœpit suadere, ut* BASILICA PORTIANA *cederemus. Populus reclamavit. Ita tunc di-*
C *scessum est, ut intimaturum se Imperatori diceret &c.* Mox enarratis iis, quæ intra biduum aut forte triduum subsequens gesta vicissim & dicta fuerant; ita subdit: *His dictis, illi abierunt: ego* IN BASILICA VETERI (certe autem loquitur de Portiana) *totum exegi diem* INDE DOMUM CUBITUM ME RECEPI: *ut, si quis abducere vellet; inveniret paratum.* Domus autem illius erat intra Civitatem, nec procul a Basilica Majori. Quapropter ad illam quoque postea, statim ac obiisset, translatus fuit, donec ad *Ambrosianam* postmodum, in ea sepeliendus, transferretur; ut paulo nos ante *Paulinus* edocebat. Porro sequitur idem Ambrosius his
D verbis: *Ante lucem, ubi pedem limine extuli, circumfuso milite occupatur Basilica:* scilicet eadem VETUS & PORTIANA. Et paulo post: *Circumfusam Basilicam esse gemitu Populi intellexi. Sed dum leguntur Lectiones, intimatur mihi, plenam populi esse* BASILICAM *etiam* NOVAM: *majorem videri plebem, quam cum essent omnes liberi: Lectorem efflagitari.* Arriani ergo sibi tandem omni ope Basilicam vendicabant *Portianam* in Episcopi sui *Auxentii*, &, mutato fraudulenter nomine, *Mercurini* usum: contra vero *Ambrosius* ante omnes Catholicos constantia vere Episcopali citra omnem contumaciæ notam repugnabat. Itaque in Oratio-
E ne *De Basilicis non tradendis Hereticis*, de hac ipsa Basilica loquens *Portiana*, & e *Nabuthis* argumentans facto, quod Libro 3. Regum cap. 21. narratum extat; ita demum concludit: *Quid igitur a me responsum est contumaciter? Dixi enim conventus: Absit a me, ut tradam Christi hereditatem. Si ille* (Nabuthes) *patrum hereditatem non tradidit; ego tradam Christi hereditatem? Sed & hoc addidi: Absit, ut tradam hereditatem Patrum: hoc est, hereditatem Dionysii, qui in exilio in causa Fidei defunctus est: hereditatem Eustorgii Confessoris: hereditatem Miroclis: atque omnium retro fidelium Episcoporum.* Basilica siquidem *Portiana* jam inde cœperat ab Episcopatu Sancti *Castritiani*: qui
F Sancti *Caji* discipulus fuerat: quive *Cajo* ipsi, secundo post Sanctum *Barnabam* Mediolanensium Apostolum Episcopo, immediatus successerat. De quo quidem *Castritiano* Breviarium item Ambrosianum sub prima die Decembris inter cetera sic habet: *Philippi, nobilis viri, ædes Deo in Ecclesiam dicavit. Cum autem ob miraculorum, quæ eo loco divinitus fiebant, magnitudinem sæpe complures a Fide Christiana alieni se ab impietate ad verum Dei cultum converterent; is,*

aucta Fidelium multitudine alias duas ædes consecravit: unas quas Faustus, alteras quas Portius, Philippi filii, Ecclesiæ donarunt. Quarum unam, PORTIANAM BASILICAM, *in qua Sanctus Ambrosius, Justina Augusta Arianæ impietatis studiosa illam oppugnante, aliquando eo confugiens, Hymnos sacros primum confecit: alteram* FAUSTAM *vocavit, quæ post, ad eam translatis Martyrum Vitalis, & Agricolæ Reliquiis, illorum nomine appellata est.* De quibus item Basilicis in eandem sententiam legi possunt Tristanus Chalcus, *Historiæ Patriæ lib.* I. post Annum *Christi* Septuagesimum primum, & Carolus a Basilica Petri in *Historia Mediolanensi*, in Sancto *Castritiano*, Episcopo quarto, & alii: nec non etiam nos pluribus infra sensum nostrum, sed nonnihil ab eis diversum, aperiemus.

VI. Quod si Basilica isthæc *Ambrosiana* vivente adhuc *Ambrosio*, fuimet ipsius conditore semper amantissimo (& præsertim propter Sanctorum *Protasii* & *Gervasii* Martyrum corpora, quæ illic condiderat) non tamen obtinuit Basilicæ Cathedralis ac Metropolitanæ dignitatem, quam ipsamet Basilica *Portiana* jam cesserat Basilicæ illi novæ, Intramuranæ, ac majori; certe multo minus credenda videtur eandem obtinuisse post *Ambrosium* vita functum; tametsi summo ceteroqui semper in pretio & honore habita fuerit; quin etiam, ut infra videbimus, ab ipsomet etiam Clero Metropolitano frequentata. Quod si forte nobis etiam interea conjectare liceat, *Ambrosianam* istam Basilicam non alio regiminis ac Ministrorum genere, tum vivente *Ambrosio*, tum etiam deinceps, administratam & cultam fuisse, quam eo ipso, quod post trecentos & amplius ab obitu Sancti Patris ac Præsulis *Ambrosii* annos usitatum fuit; ecce tibi, quale illud extiterit.

VII. Certe enim regnante postea *Luitprando Longobardorum* Rege, Basilicam hanc nostram comperimus solitam regi ab uno ex Clericis, cui titulum Custodis indiderant. Regnare vero *Luitprandus* cœpit anno *Christi* septingesimo duodecimo, si Carolum Sigonium *De Regno Italiæ*, atque Cardinalem
A.C. 710. *Baronium* in Annalibus sequamur: vel etiam Anno septingesimo decimo; quemadmodum videtur aperte colligi (si tamen error non irrepsit in notas numerales) ex ea temporum computatione, quam *Petrus Oldradus*, noster *Mediolani* Archiepiscopus, & Monasterii hujus *Ambrosiani* fundator, idemque doctissimus, & propterea etiam Regi *Carolo Magno* charissimus, ex litteris ac libris Regum *Longobardorum*, nec non etiam ex multorum traditione, nobis reliquit elaboratam in illa ad eundem *Carolum* Regem Epistola (quod hic obiter dictum sit)
A.C. 714. ego colligo, ejusdem Sancti Doctoris corpus *Papiam* fuisse translatum Anno Domini septingentesimo decimoquarto, vel ad summum decimoquinto; non autem vigesimo quinto; sicut Idemmet *Baronius* existimavit. Ejusmodi vero Epistolam & ipse recitat in Annalibus ad Annum 725. & Catalogus Archiepiscoporum *Mediolani*, inscriptus *Successores Sancti Barnabæ*, demum editus Anno 1628, in *Petro Oldrado* Archiepiscopo quinquagesimo: & Frater *Augustinus Fivizanus*, Apostolici Palatii Sacrista, in fine Vitæ Sancti *Augustini*, quam *Romæ* edidit anno 1587. Sed hinc ad promissum Basilicæ *Ambrosianæ* Custodem veniamus.

A.C. 740. VIII. Penes nos igitur authenticum extat Instrumentum, *Luitprandi* Regis anno trigesimo, *Ilprandi* autem (aliter *Hildebrandi*) ab ipso in Regni consortium assumpti, anno septimo, sub die octavo Idus Majas, Indictione tertiadecima (Indictiones *Longobardi* tunc videntur proprio & peculiari instituto computasse) *Mediolani* a *Protasio* Notario rogatum: in quo *Theopertus*, humilis filius quondam *Mauroni de Brisconno*, *Papiensis* Diœcesis in spem

A salutis æternæ, atque in remedium animæ suæ omnia sua bona, mobilia & immobilia, quæque in futurum qualitercumque poterit acquirere, irrevocabiliter donat *Basilicæ Sancti Ambrosii in qua Venerabilis Aunemundus Diaconus custos esse videtur* (hoc est, cernitur) *vel Custodibus ejusdem tam præsenti* ecce tibi rursus, quemadmodum uno eodemque tempore unicus ille Custos Ecclesiæ præerat, & non plures) *quam qui pro tempore fuerint*: uno scilicet alteri per tempora succedente. Sic autem illa donat, ut in posterum maneant in prædictæ Basilicæ, vel ejusdem Custodum potestate, sed cum hac tamen conditione. *Sic tamen* (inquit) *ut, dum ego, qui su-*
B *pra, Theopertus donator in hoc sæculo vixero in sellula prædictæ Basilicæ Sancti Ambrosii vivere debeam: ut me nudrire debeas; tam præsenti Custodi, quam qui pro tempore fuerint, dum ego advixero; ut absque necessitate & nuditate vivere possim, salva utilitate mea.* Titularem igitur per ea tempora Rectorem hujus Basilicæ jam unicum habemus, eumque Diaconum, Custodis vocabulo nuncupatum. Attende vero hic insuper Lector, quemadmodum eodem tempore præter *Ambrosianam* Basilicam extaret etiam ejusdem Basilicæ Cellula: cui pariter ac ipsimet Basilicæ idem ille Custos præesset. Tam de Custode autem isto, quam de ista Cellula paulo post uberius age-
C mus.

IX. *Desiderio, Longobardorum* Rege, per *Francorum* Regem *Carolum*, cognomento *Magnum*, devicto & in potestatem accepto, Regnum *Italiæ* transiit ad *Francos*, victorque subinde *Carolus* in Regem *Italiæ* a *Thoma Crasso*, *Mediolanensi* Archiepiscopo, coronatus fuit *Modoëtiæ*, Corona scilicet Ferrea: qua itidem ut ceteri hoc in Regno successores sui redimirentur, instituit. Regni hujus finis *Longobardis*, initiumque *Carolo* fuit unus idemque *Christi* A.C.
Annus septingentesimus septuagesimus quartus; ut 774.
late Sigonius *de Regno Italiæ*: atque mox etiam nos hunc ipsum Annum videbimus computatum tam-
D quam primum ejusdem *Caroli* in *Italia* regnantis.

X. Penes nos namque publicum extat Documentum, *Regnante Domno Excellentissimo Viro, Carolo Rege* (hoc est, *Magno*) *anno tertio* (qui fuit Annus A.C.
Christi 776. ut ex ipsamet mox Indictione patet) 776.
Octavo Calendas Junias, Indictione Quartadecima: Mediolani rogatum per *Thomam* Notarium, super quorundam bonorum commutatione, instar venditionis facta, inter *Flavianum*, filium quondam *Agnoni*, & *Fortem* Reverendissimum Diaconum. *Flavianus* ergo tradit *Forti* Campum existentem in loco, *qui dicitur Lampuniano*, cui cohæret ab una parte campus alter, *qui pertinet Cellollæ* (sive Cellulæ)
E *Sancti Ambrosii*: ab ipso autem *Forte* vicissim accipit *terrolam*, *quæ pertinet supradictæ Cellollæ Sancti Ambrosii*, *quæ intra Civitatem hanc Mediolani est juxta Columpnam*, *quæ dicitur Orphana*. Jus igitur bonorum, ad prædictam Sancti *Ambrosii* Cellulam spectantium, jam erat penes Reverendissimum (vide, quanto illum in honore haberent) *Fortem* Diaconum, Cellulæ scilicet illius jam Custodem, *Aunemundo* suffectum; sicut etiam in sequentibus magis patebit.

XI. Suppetit etiam nobis alterum Instrumentum Donationis, per quendam, nomine *Ursum*, sive *Ursonem*, filium quondam *Theodulphi* in *Toriglas*, *Pa-*
F *piensis* Diæcesis, rogatum itidem in *Toriglas* a *Rothari* Notario, *Regnante Domno nostro Excellentissimo Carolo Rege in Idalia* (sic enim pro *Italia* sæpe scriptum antiquitus video) *anno septimo* (*Christi* au- A.C.
tem 781.) *secundo die ingrediente Mense Februario, In-* 781.
dictione Quarta. Domino Sancto, & Angelorum meritis coæquando, Ecclesiæ Sancti Ambrosii, *UBI EJUS SANCTUM CORPUS QUIESCIT IN PACE* (ecce tibi primam ejusmodi mentionem in Ar-

chivi nostri Documentis, quantum ego adhuc percipere potuerim) *vel ejusdem Cerolæ* (infra vero legit *Celolæ*; satis jam nos scimus, intelligi Cellulam) *ubi Fortes Reverentissimus Diaconus præesse videtur* &c. Huic igitur Sancti *Ambrosii* Ecclesiæ vel ejusdem Cellulæ, vel earum utriusque Custobibus qui pro tempore fuerint, & in præsens *Forti* Diacono *Ursus* in remedium animæ suæ donat, consentientibus in idipsum tribus ejusdem filiis hortale, sive hortum, juris sui in fundo *Torriglas* prope *Cassinam* ejusdem Cellulæ Sancti *Ambrosii*: cui hortali tribus a partibus cohæsisse describitur ipsamet Sancti *Ambrosii* Cellula. hoc est, ipsius bona, quæ per hanc Cellulam in eo pariter fundo jam ante possidebantur. Sic autem hortale hujusmodi donat, ut in posterum in prædictæ Cellulæ, vel ejus Custodum, qui pro tempore fuerint, maneat potestate *faciendi exinde quidquid voluerint.* Præterea etiam cum hac tamen conditione illud donat: *Ut acceptet ipse Ursus pro ista Donatione a Theoperto Cellelario Sancti Ambrosii Cæmixiam unam, & Bragarum par unum, valentia solido uno: exemplare* (quid hoc sit ego penitus ignoro) *unum, valens tremessibus duobus. Theopertum* porro proxime nominatum ego non alium interpretor fuisse, quam eum, cujus mentionem faciebamus num. 8. eundemque hoc loco vocatum fuisse Sancti *Ambrosi* Cellelarium; quia in ejusdem Sancti Cellula victitaret adhuc (vereque victitabat, ut mox videbimus) atque sub *Fortis* Diaconi Custodis regimine curam gereret bonorum, ad eam Basilicam & Cellulam pertinentium. Et hæc quidem, ut dicebamus, acta *Christi* Anno 781. die secunda Februarii.

XII. Eodem anno *Pipinus*, ejusdem *Caroli Magni* filius, ita volente patre coronatur & ipse in *Italiæ* Regem: primo quidem *Romæ* ab *Hadriano* Papa in solemni die Resurrectionis dominicæ: nec multo post etiam Ferrea Corona *Modoëtiæ* a *Thoma* itidem *Crasso Mediolani* Archiepiscopo. Testis est horum *Carolus Sigonius* libro quarto *De Regno Italiæ* ad eum ipsum *Christi* Annum 781. Sic igitur ab hoc ipso Anno computantur anni, quos *Pipinus* in *Italia* regnavit; quemadmodum etiam paulo ante monebamus, *Caroli* pariter, ejusdem patris, in *Italia* regnantis annos, ab Anno *Christi* 774 computandos esse. Quandocumque igitur posthac nobis occurrit mentio annorum *Caroli* simul & *Pipini*, Regum in *Italia*, (eademque ratio & regula servetur in ceteris etiam Regibus deinceps una simul regnantibus) primus annorum numerus ad *Carolum*, secundus ad *Pipinum* referendus erit; quippe cum *Carolus* jam ante primo loco nominatus fuerit; *Pipinius* autem secundo. Quem tamen ad finem, sicut hactenus, sic etiam deinceps, ego quoque per intervalla temporum, prout opus fuerit, interseram, quo quisque Regum, vel Imperatorum Anno *Christi* regnare cœperit, aut imperare.

XIII. Quod felix, faustum, fortunatumque sit, Monasterii hujus *Ambrosiani* primordia, nec e longinquo, sed e proximo contuemur: præstoque jam nobis est *Petrus*, cognomento *Oldradus*, *Mediolanensis* Archiepiscopus, in *Thomæ Crassi* locum suffectus: a quo *Thoma*, paulo ante memorabamus, *Pipinum* Ferrea *Modoëtiæ* Corona insignitum fuisse Anno *Christi* 781. Quoniam exinde tempore *Petrus* illi successerit: hoc mihi adhuc non constat. Paulo post tamen illi successisse, non leviter ego facile crediderim, hac ductus conjectura, quod Anno *Christi* 784. Monasterium istud ab ipso videam constructum, & in eo jam collocatum Abbatem Sacerdotem cum duobus saltem Monachis, uno Diacono, Subdiacono altero; prout ex Instrumento mox allegando constabit. Sed qualiscunque sit nostra isthæc conjectura; vel hoc saltem atque in pri-
A mis Instrumento manifesti convincitur erroris, qui *Thomam* scripserunt obiisse Anno Christi 787. eodemque postmodum Anno *Petrum* illi suffectum fuisse: vel etiam (qui longe gravior est lapsus) scripserunt, *Petrum a Leone* Tertio Pontifice Maximo creatum fuisse Archiepiscopum; cum alioqui *Leo* Tertius Pontificatum inierit nonnisi Anno *Christi* 795. vigesimasexta Decembris die: qua scilicet ipsa decessor ejus *Hadrianus* ex hac vita migraverat.

XIV. Sequitur nunc Instrumentum, a me perquam lætanter & inspectum, & nuperrime promissum; quamquam etiam non possum non dolere, quod extrema pergamenæ, qua illud una cum præ- B dicta num. 8. *Theoperti* Donatione conscriptum continetur, musculus quispiam nonnullis in locis corroserit; & nonnulla proinde ipsius verba nobis jam desint. Satis faciet illud tamen instituto nostro; quia partes huic confirmando necessariæ certe quidem non desunt. Sic ergo illud incipit: *Regnante Domno nostro, Viro Excelentissimo, Carolo & Pipino, Regibus in Italia, anno undecimo, & quarto* (hic autem *Caroli* Regis undecimus. & *Pipini* quartus annus, sicuti proloquebar, est Annus *Christi* 784) *quinta die* ..... *Indictione septima. Benedictus, Venerabilis Presbyter* (sive Sacerdos) *etiam Abbas Monasterii, quem constituit Sanctissimus Vir, Petrus Archiepiscopus Sanctæ Mediolanensi Ecclesiæ Sancti Ambrosii*, C *IN QUA EJUS CORPUS REQUIESCIT, juxta Civitatem hanc Mediolani: Theoperto, humili Clerico, Papiensis Diœcesis. Manifesta causa est, quòd jam ante hos annos per Chartulam Donationis & Cessionis supra scriptæ Sancti Ambrosii vel Cellæ, ubi usque nunc convivere visus es* &c. Recolit ergo illi Abbas contextum ac tenorem Donationis, quam pridem fecerat. Mox eorum omnium, quæ tunc temporis ille cessit ac donavit, quæve postmodum suo ingenio acquisivit, vel aliter ad ipsum devoluta fuerunt, quæve in posterum acquiret, vel aliter ad ipsum devolventur: eorum, inquam, omnium ei, D *ex permisso & verbo Beatissimi Viri, Petri Archiepiscopi*, concedit usufructum; ita ut de omnibus ejusmodi bonis mobilibus, quæ habuerit, liceat ei facere tam pro anima sua, quam in alios etiam fines, prout voluerit; *etiam quicquid exinde feceris* (subdit Abbas) *stabile debeat permanere sine mea, vel successorum meorum, contradictione* ..... *ubi providero aut intra urbem Mediol. aut foris, ubi ad jura Monasterii nostri pertinet, ubi tibi inhabites, casellam.* Quæ vero bona ipsi post obitum supererunt: *hæc omnia* (idem Abbas concludit) *in Monasterii nostri deveniant potestatem.* Hanc vero Concessionis Chartulam rogavit *Ermoaldus ex permissione Domni Petri Archiepiscopi, & intra supra*- E *scriptum Monasterium*: eidemque pro parte Monasterii sic fuit subscriptum: ✠ *Benedictus indignus nomine Abb. in hac Concessione, ex permissione Domni Petri Archiepiscopi a me facta, relegi & subscripsi.* ✠ *Ego Bunipertus Diaconus in hac concessione, à Benedicto Abbate meo facta, consensi & sub scripsi.* ✠ *Ego Arigausus Subdiaconus in hac Concessione, ab Abbate meo facta, consensi & subscripsi.* Sequuntur deinde trium Testium ac denique Notarii *Ermoaldi* subscriptiones, nec plura.

XV. Perpende nunc benigne Lector, quam congruenter paulo ante investigaremus tempus illud, quo *Thomas Mediolani* Archiepiscopus obierit, quove *Petrus* illi successerit. Attende insuper quemadmodum, F quo tempore confectum fuit hoc instrumenum, jam tum a *Petro* Archiepiscopo conditum fuisset istud Monasterium, & in ipsum conversæ fuissent, ædes ad *Ambrosianam* istam Basilicam, ejusque Cellulam in proximo spectantes, quibus omnibus nuper præerat sub titulo Custodis Diaconus *Fortis*. Quidni vero præterea hinc dignoscimus, Custodis ejus jura jam tum e *Forti* Diacono fuisse translata in Abbatem Monasterii hujus, *Benedictum*, ejusque successores, ac Mona-

chos

chos eisdem subjectos? Quonam vero pacto fuerint translata: istud quidem luculenter e subsequenti Concessione ac Privilegio constabit. Sed una mecum scrutare, obsecro, adhuc finem, propter quem confectum fuerit ejusmodi Instrumentum: atque hic una mecum, ni fallor, tu quoque conjectabis, Abbatem istum ac Monachos nonnisi paulo ante fuisse in possessionem harum ædium & bonorum, ad ejusmodi Basilicam ac Cellulam spectantium, inductos. Juxta Donationem, quam *Theopertus* olim fecerat, sine dubio alendus etiam in posterum ipse erat, quoadusque viveret, in Basilicæ *Ambrosianæ* Cellula, sive in ejus ædibus, Basilicæ ac Cellulæ contiguis. & ex ejusdem Basilicæ ac Cellulæ bonis. His igitur omnibus e Custodis eorum potestate in Abbatis & Monachorum potestatem a *Petro* Archiepiscopo redactis; reliquum fuisset, ut una cum Monachis *Theopertus* ibidem aleretur. Ne igitur hoc fieret; benigne non minus, quam prudenter, Archiepiscopus voluit, ut Abbas ad tale illud Instrumentum Concessionis in favorem *Theoperti* devenerit, atque adeo quantocyus deveniret.

XVI. Quod *Petrus* Archiepiscopus quinquennio saltem ante, ut nuperrime vidimus, concesserat Abbati *Benedicto* ac Monachis, eorumque successoribus, nec sine publicis Tabulis, ut credere fas est: hoc ipsum sequenti tandem Concessione ac Privilegio firmavit Anno Domnorum in *Italia* Regum, *Caroli* sextodecimo, *Pipini* autem nono, qui fuit Annus A.C. 790. *Christi* septingentesimus nonagesimus, decimo Calendas Novembris, Indictione tertiadecima: quin etiam proximo deinde anno, ut eadem sui Concessio a *Carolo* item Rege confirmaretur, obtinuit. Sed hoc loco ea mihi detur venia & facultas, ut ejusmodi & Concessionis & Confirmationis contextum verbatim ex ordine totum tibi Lector, & integrum proferam; quippe primarium, solidissimum, & inconcussum fundamentum eorum, quæ deinceps de Monasterii hujus potestate in *Ambrosianam* istam Basilicam trademus.

XVII. Ejusmodi ergo Concessionis, sive Præcepti, a *Petro* Archiepiscopo facti, tenor ita se habet:

PETRUS, *per Dei gratiam Sanctæ Mediolanensis Ecclesiæ Archiepiscopus: Monasterio, quod, Deo jubente* (legendum arbitror *juvante*) *instituimus* JUXTA ECCLESIAM SANCTI CHRISTI CONFESSORIS AMBROXII, IN EJUS HONORE, ET SANCTORUM MARTYRUM PROTAXII ET GERVAXII, UBI EORUM SACRA CORPORA VENERABILITER REQUIESCUNT, CONDITAM: *seu Benedicto Abbati, successoribusque ejus, cunctoque cætui ipsius, in perpetuum. Cunctis adire volentibus ad consortia supernorum Civium omnipotens Dominus suis fidelibus itinera propitius pandit: inter quæ illud statuit, sequi solidum iter, quod nullis curvatur vitiorum flexibus, neque spinarum sepitur cupidine: sed directum & fulgidum ad cœleste prominet Regnum. Per hoc quisque graditur, qui sacram cœnobialem elegit vitam, qui jam mundo moritur, & Deo vivere delectatur. Ob hoc etenim ego, qui supra, Petrus, Sanctæ Mediolanensis Ecclesiæ Archiepiscopus, tam pro Regum nostrorum felicitate, & totius ipsorum populi sospitate, quam & pro statu Sanctæ Mediolanensis Ecclesiæ, animæque meæ salute, juxta* (videtur addendum, *Ecclesiam*) *Sanctorum prædictorum Martyrum, Protaxii & Gervaxii, seu Confessoris Christi Ambroxii, Cœnobium instituere commodum extimavi; quia eorum suffragati meritis, ab adversis tuemur & regimur. Dignum est, ante veneranda ipsorum Corpora laus Regi æthereo sedulo decantetur a Monachis, ibidem constitutis: & ne aliquo impulsu penuriæ ipsa sacra Collegia* (sive Congregatio) *stimulata gravetur. Cui, Deo miserante, Abbatem institui-*

A *mus Benedictum Presbyterum. Concedimus sibi suisque successoribus, qui pro tempore fuerint, nunc & deinceps, omnibusve sub eis regulariter viventibus, locum habitationis ampliorem & honestiorem, scilicet ad habitandum & regulariter vivendum:* ET IPSAM ECCLESIAM, QUÆ USQUE NUNC CELLA VOCABATUR; *quatenus eam orationis solummodo secretioris continentissimam habeant: eandem vero, quam superius diximus,* IN HONORE SUPRADICTORUM SANCTORUM MARTYRUM PROTAXII ET GERVAXII, ATQUE CONFESSORIS CHRISTI AMBROXII, CONSTRUCTAM, *sub sua cura & providentia*

B *tam ipse Benedictus Presbyter Abbas, quam quicumque successores ejus Abbates, qui ibidem ordinandi sunt perpetuo; ita utpote, ut ante sancta eorum Corpora continuatim indifferenter ac publice Officia & divinas laudes concelebrent, absque mea & Successorum meorum molestia; provideque ipsam Ecclesiam sua moderatione & rectitudine disponere studeat; quatenus Domnorum nostrorum Regum, Caroli & Pipini, animabus proficiat; mihi meisque in Christo filiis, majoris scilicet ordinis totius gradibus, a quibus, diutius laborantibus in eadem Ecclesia, multotiens rogatus, merces acquiratur æterna. Statuimus etiam eidem Abbati, suisque successoribus, uti universis rebus atque substantiis, ad ipsam Ec-*

C *clesiam, quæ hactenus Cella vocabatur, pertinentibus, atque in posterum a Christi fidelibus inibi conferendis, sicut usque hactenus a Forte Diacono, filio nostro possessum est..... quam nos ab ipso cum rebus supradictis per commutationem suscepimus, dans ei ad vicem Curtem proprietatis nostræ in Deunianello, seu & in aliis locis, ubicumque habere ex parentum successione videor, ad commodum, ad mutandi & concambiandi modum. Quicquid vero in jam dicta Ecclesia Sancti Ambroxii a piissimis Imperatoribus, sive Regibus, seu quibuscumque Potestatibus, in subsidiis Monachorum, sive a me, licet peccatore, a quo præfatum Cœnobium constructum esse dignoscitur, Deo auxiliante, collatum fuerit; ulla*

D *ab que invasione & diminoratione quiete ac pacifice prælibatum Benedictum Abbatem, suosque posteros. Eo modo consensum præbentibus Sacerdotibus, ac Levitis, cunctisque ordinis nostri, ut diximus, gradibus, spiritualibus filiis: confirmantibus quoque Domnis nostris Regibus, Carolo & Pipino, in æternum victuris: una & populo pleno favente animo confirmamus per hoc nostræ securitatis monimen universa, quæ nunc possidere probatur, vel quod Dominus ibidem per suos fideles conferre dignatus fuerit in ipso Monasterio: ita ut Abbas cum Fratribus omnia secundum instituta Venerabilis Patris Benedicti, ejusque Regulam, disponat & ordinet. Sed neque Abbas ibidem ordinetur extraneus ullo*

E *unquam tempore; nisi aut eodem in Monasterio prius monasticum sumpserit Habitum ex ipsa jam Congregatione; aut quem Fratres eligant, qui eos secundum divinas leges & Patrum regulas valeat gubernare. Et ita censemus ut nullus unquam de nostris Successoribus hanc nostram Dispositionem nostrorumque Domnorum Regum dignam Concessionem, ac Petitionem, seu Confirmationem, quam pro amore Beati Christi Confessoris Ambroxii, & Sanctorum Martyrum Protaxii & Gervaxii, seu prædictorum Regum durabili stabilitate nec non etiam pro Sacerdotum Ecclesiæ nostræ, omniumque nostrorum Concivium salute construximus, inrumpere, aut destruere præsumat. Et qui temeraria mente violare,*

F *aut exterminare maluerit, exterminetur a Deo, & a Beato Petro Apostolo, Sanctoque Patrono nostro Ambroxio: & deleatur nomen ejus de Libro Vitæ: portio ejus efficiatur cum apostata Spiritu in igne perpetuo. Quod Præceptum nostrum Anspert, Subdiaconum Sanctæ nostræ Mediolanensis Ecclesiæ, scribere jussimus, & subter manibus propriis roboravimus, & in ipso Monasterio tradidimus conservandum, Anno Domnorum nostrorum Caroli & Pipini Regum in Italia Sextodecimo*

brosianum; Anno *Christi* Millesimo trecentesimo octuagesimoprimo in pergamena charta conscriptum. In quo sub eadem Septembris die decimaseptima sic legitur: *Sancti Satyri Confessoris* (& hoc verius, quam *Levitæ* præterea) JACET AD SANCTUM AMBROSIUM: scilicet ob propinquitatem, qua ipsamet Sancti *Satyri* Ecclesia Basilicam ferme contingit *Ambrosianam*. Sed & Libellus adstipulatur *Italicus*, hac in Urbe typis editus Anno Domini Millesimo quingentesimo decimoquinto. Indulgentiæ Sanctorumque Corpora, in variis tam Urbis quam Diœceseos istius Ecclesiis extantia, eo recensentur. Ubi vero de hac Sancti *Satyri* Cappella mentio fit, in ejusdem Cappellæ Altari jacere ipsummet ejusdem Sancti Corpus disertissime affirmatur. *Philippus* itidem *Ferrarius* in Catalogo Sanctorum *Italiæ*, in Annotatione ad ejusdem Sancti Vitam idem sentit. Consensitque sic etiam *Baronius* ad Annum *Christi* Trecentesimum octuagesimumtertium Art. 17. ubi Sanctam *Marcellinam*, sine dubio in *Ambrosiana* ista Basilica sepultam, ex ipsius Epitaphio (quod nos etiam infra recitabimus) collegit, JUXTA ET APUD SANCTOS FRATRES AMBROSIUM ET SATYRUM SEPELIRI MALUISSE, quam sepulchris condi patriis. *Mediolanum* videlicet *Satyrus* venerat, sicut NEGLIGENS FRIGORIS (quemadmodum *Ambrosius* eum in Oratione Libroque de ipsius Obitu commendat) sic etiam hyberno tempore: Septembris vero postea mensis decimaseptima die, quæ nunc illi celebritas est anniversaria, occubuit. Cadaver e domesticis laribus ad Basilicam detulerant (ut infra videbimus) *Ambrosianam*: necnon *Ambrosius* etiam ipse feretro succollans detulerat. Itaque ibi postea inter perorandum sic etiam exclamavit: *O dura oculorum lumina, quæ potuistis Fratrem videre morientem! O immites & asperæ manus, quæ clausistis oculos, in quibus plus videbam!* O DURIOR CERVIX, QUÆ TAM LUGUBRE ONUS CONSOLABILI LICET OBSEQUIO GESTARE POTUISTI! Cumque tandem peroraffet; Missæ pariter Sacrificium ibidem pro defuncto Fratre celebravit, antequam eum tumulo daret. Suam itaque funebrem tunc Orationem ita conclusit: *Tibi nunc, Omnipotens Deus, innoxiam commendo animam,* TIBI HOSTIAM MEAM OFFERO. *Cape propitius ac serenus fraternum munus,* SACRIFICIUM SACERDOTIS. *Hæc mei liba præmitto. In hoc ad te pignore venio; non pecuniæ, sed vitæ pignore. Ne me diutius residere facias tanti fœnoris debitorem.* Sic igitur, peracto itidem Missæ Sacrificio, *Satyrum Ambrosius* tumulavit. At ubi? Ad Sancti Martyris *Victoris* sinistram. Sic enim *Baronio* ad prædictum Annum octuagesimumtertium, Art. 16. lubentissime nos assentimur. Ita siquidem nos, perinde ac *Baronium*, edocuit ipsius *Satyri* Epitaphium, ab ipsomet *Ambrosio* tunc temporis compositum, meritoque jam inter ejus Opera postremis typis edita relatum Tomo Quinto post Hymnos. *Dungalus*, nec ignobilis Auctor, illud posteris tradiderat in eo Libro, quem contra *Claudium* Episcopum *Taurinensem*, *Iconomachum* Hæreticum, scripsit & *Ludovico Pio* ejusque filio *Lothario* Imperatoribus (quorum mentio suo tempore nobis etiam incidet) nuncupavit. Ejusmodi vero Librum in *Ambrosiana* primum Bibliotheca nos legimus e perantiquo ac pergameno Codice manuscripto, qui *Bobiensis* olim fuerat Monasterii. Sed ille ibi Prologo nuncupatorio mancus erat majori ex parte. Integrum itaque postea legimus in quarta Bibliothecæ Veterum Patrum & Antiquorum Scriptorum Ecclesiasticorum Editione, quæ *Coloniensis* est, & Anno Domini Millesimo sexcentesimo decimo-octavo elaborata: scilicet in ejus Secunda Parte Tomi sive Sæculi Noni. Versus ergo Libri finem ipse, Sanctum *Augustinum* in

A principio Libri *De Cura pro mortuis gerenda* secutus, inquirebat, utrum *Christiano* prodesset homini post mortem, quia ejus corpus apud Sancti alicujus Memoriam sepeliretur. Cumque multis pro parte affirmativa disseruisset *Augustini* verbis; hæc itidem ipsius denique attexebat: *Cum itaque recolet animus, ubi sepultum sit charissimi corpus: & occurrerit locus nomine Martyris venerabilis; eidem Martyri animam dilectam commendat recordantis & precantis affectus; qui cum Defunctis a Fidelibus charissimis exhibetur, cum prodesse non dubium est his, qui, cum in corpore viverent, talia sibi post hanc vitam prodesse meruerunt.* Post hæc autem sic e suo statim prosecutus fuit:

B *Idcirco, ut arbitror,* AMBROSIUS SUUM FRATREM SATYRUM, QUEM NIMIUM DILEXERAT, JUXTA SANCTUM MARTYREM VICTOREM SEPELIVIT. *De quo tres Libros edidit egregios: unum De ejus planctu: alteros duos consolatorios de Resurrectione & Paradiso. Cujus Epitaphium hoc dictavit Tetrasticho:*

Uranio Satyro supremum frater honorem
MARTYRIS AD LÆVAM *detulit Ambrosius.*
Hæc meriti merces: Ut sacri sanguinis humor
Finitimas penetrans adluat exuvias.

Concordat autem huic rationi quod legitur in Libro Regum (4. Cap. 13.) *cadaver cujusdam hominis, ut ossa*

C *Helisæi Prophetæ tetigerit, statim fuisse resuscitatum. Ita enim ibi continetur: Mortuus est ergo Helisæus, & sepelierunt eum. Latrunculi quoque de Moab venerunt in Terram in ipso anno. Quidam autem sepelientes hominem viderunt latrunculos, & projecerunt cadaver in Sepulchrum Helisæi. Quod adhæsit & tetigit ossa Helisæi: & revixit hommo, & stetit super pedes suos.* Hactenus verbatim hac de re *Dungalas*. Quo quidem addito velut interprete, nefas procul dubio jam est dubitare, quin eo in Epitaphio Sanctus *Victor* absoluto illo communique Martyris nomine designetur, perinde ac si loco situque ipso communis & indefinita ejus nominis significatio ad hunc præcise

D Martyrem ibi tumulatum satis superque limitata esset. Sed quis item, attento tam Epitaphio ipso quam exemplo illo ac simili per *Dungalum* adjecto, dubius hæreat, quin *Satyrus* in eadem prorsus *Victoris* Arca conditus fuerit? cujus propterea *Satyri* exuviæ, *Victori* finitimæ ac propinquæ, potuerint ejusdem sanguine penetrari & adlui. *Uranium* porro *Satyrum* interpretari *Cœlestum* placet, quoadusque certius aliquid aliud (si modo datur) illucescat. Jam vero discutiamus etiam tandem, ad quam præcise Basilicam detulerit *Ambrosius Satyrum*, & ubi tandem ad *Victoris* Martyris sinistram sepelierit. *Boninus Mombritius*, & ex ipso postea *Hilarion* Mona-

E chus *Mediolanensis*, in Sancti *Satyri* Vita, per ipsos typis edita, sic habent verbatim: *Translato denique ad cœleste Regnum Sanctissimo Satyro,* MAGNIFICUS PONTIFEX SACROSANCTUM CORPUS IPSIUS AD BASILICAM AMBROSIANAM HONORIFICE DEPORTARI FECIT, *prosequentibus innumeris exequiarum turmis.* Numquid vero illud etiam in hac ipsa Basilica sepelivit? Minime vero. Sic ergo ii narrare pergunt: *Quod tamen ipse, lachrymarum rivulis irroratum,* IN ALTERA LONGE BASILICA *ad lævam Gloriosi Martyris propriis manibus tumulavit.* Certe autem per ALTERAM LONGE BASILICAM ii sine du-

F bio Portianam indigitabant, quæ centum & amplius inde passus distabat, quæve SANCTI VICTORIS AD CORPUS cognominata fuit. Quid si vero genuinum textum in hoc ii corruperunt, vel ab aliis corruptum acceperunt? Quid si forte per inscitiam quoque corruptus ille fuit? quia nimirum in eo suburbii tractu non aliam cognoscerent Sancti *Victoris* Ecclesiam, quæ minus longe, immo vero quæ non longe a Basilica distaret *Ambrosiana*. Nos utique Manu-

A Manuscriptis Codicibus pergamenis, *Mombritio* (nedum *Hilarione* illo Monacho) ac Typographiæ in *Italia* usu (qui circiter Annum *Christi* quadragesimum vel quinquagesimum supra Millesimum quadringentesimum, sicut eruditi Viri norunt, incœpit) vetustioribus, adhibendam potius esse fidem, nec immerito, arbitramur: in quibus legitur, ET IN ALTERA NON LONGE BASILICA &c. Bini vero nobis adhuc ii ad manus acciderunt: nec ex *Ambrosiana* ista Basilica vel Monasterio (quales facile quispiam in corruptelæ suspicionem vocare posset) sed aliunde. Unus extat in *Franciscana* Fratrum hac in Urbe Conventualium (ubi olim Basilica *Philippi* ac deinde *Naboris* & *Fælicis* fuit) Bibliotheca: quo

B eadem illa Sancti *Satyri* Vita per *Mombritium* recitata, & a vetustiori Auctore contexta, multæque aliæ Sanctorum Vitæ continentur. Alterum vero nobis *Carolus Andreas Septalius*, alibi commodius nobis memorandus, commodavit: eoque Lectiones illæ continentur, quæ de Sanctis *Ambrosiano* Ritu celebrari olim solitis, atque adeo de Sancto etiam *Satyro*, inter Canonicas Matutini Officii Preces recitabantur. In eorum igitur utroque ita prorsus semet habet prima pars eorum verborum, quæ nuper e *Mombritio* recitabamus. Atqui secunda utrobique verbatim ab altera illa sic discrepat: *Quod tamen ipse, lachrymarum rivulis irroratum*, IN ALTERA NON

C LONGE BASILICA AD LÆVAM GLORIOSI MARTYRIS VICTORIS *propriis manibus tumulavit*. Sicut ergo per ALTERAM LONGE BASILICAM hæc SANCTI VICTORIS AD COELUM AUREUM penitus excludebatur; ita per ALTERAM NON LONGE potius hæc, quam illa SANCTI VICTORIS AD CORPUS, includitur. Sed ne credibile quidem ceteroqui hoc videtur: ut, si *Satyrum Ambrosius* sepeliri voluisset in Basilica Portiana, eundem prius ad hanc deferret *Ambrosianam*, hic funebrem ad Populum recitaret Orationem, hic Missæ Sacrificium pro ipso celebraret. Quid enim vetabat, quominus hæc ip-

D sa commode perageret in Portiana? quæ, sicuti Metropolitana olim fuerat; quidni satis etiam Populi capax, qui ad *Satyri* funus conveniret? Certe autem non ita se habebat hæc SANCTI VICTORIS AD COELUM AUREUM Basilica. Quamobrem longe credibilius hoc videtur: ut propter ipsius angustiam & propinquitatem maluerit *Ambrosius* deferri recta funus ad *Ambrosianam*, ibique funebria peragi solemnia; ita ut, his omnibus in hac Basilica peractis, non aliud restaret, quam ut cadaver in propinqua SANCTI VICTORIS AD COELUM AUREUM Basilica tumulo da-

E retur. Quocirca consequens etiam illud esset, ut in hac ipsa Sanctus etiam *Victor Martyr*, & *Maurus* ac Sanctorum *Naboris* & *Fælicis* socius, una simul cum eodem *Satyro* in eadem Urna conquiesceret: quod auditu mirum videtur. Mirum profecto; sed non ita forte procul a vero. Hic nimirum sub Altari latet ingens ac nobilissima e candido marmore Arca (eademque illa est, quam Inscriptio superius a nobis nominata innuebat) cui rursus altera inest lignea; sed vetustate usque adeo marcida, ut ipsomet digitorum affrictu comminuatur, ac velut in pulverem redigatur. In hac duo separatim jacent Corpora: quodque dextrum est, sicuti magis absumptum, ita etiam tempore videtur esse anterius, quam sini-

F strum. Sinistri porro capiti marmorea subest ejusmodi Tabella. Qua parte caput illa tangit, insculptas habet hasce quatuor litteras, primasque duas in latere superiori, alteras vero in inferiori. S. S. H. R. quas quidem Monachi e Majorum traditione sic interpretari consueverunt, SANCTUS SATYRUS HIC REQUIESCIT. In altera vero & aversa parte binas habet istas S. V. quæ juxta *Dungali* testimonium

A non aliter exponi posse videntur, quam ut perinde sint, ac SANCTUS VICTOR, hominemque in Arca ista collateralem atque jam ante tumulatum significent: cui proinde uni significando ejusmodi etiam Tabella forte prius deservierit; sed, facta postmodum *Satyri* accessione, litteræ pariter illæ fuerint in altera parte superadditæ. Quod ut magis confirmetur, ecce nobis *Manliæ* item *Dædaliæ* Epitaphium: in quo similiter absolutum Martyris nomen (ut supra etiam videbamus) loco situque ipso *Victori* adstrictum videtur; quia nimirum ille in hac ipsa tumulatus Ecclesia jaceret. Tribus istud ab hinc annis, sed ex immemorabili antehac tempore (quod *Carolus a Basili-*

B *ca Petri* nescivit) extabat juxta & prope ipsummet Altare Cappellæ, nunc Sancti *Satyri*, olim autem Sancti *Victoris* ad Cœlum Aureum. Tunc videlicet extabat apud Abbatis *Gulielmi Cottæ* Sepulchrum, suo adhuc veterique loco immotum: eidemque insitum erat parieti, tunc quidem oblongo, sed ea ex parte postmodum diruto propter recentem vicinæ illic amplissimæque Scalæ structuram. Vetus illac & aperta excurrebat Monasterii porticus. Atqui nunc e porticu partim evasit circumseptum & unico patens ostio domicilium antiquarium, partim etiam vestibulum, quo primum excipiuntur ingredientes e Monasterio in ipsammet Sancti *Satyri* Cappellam,

C inde mox in Sacrarium, vel etiam in *Ambrosianam* Basilicam. Intra novum igitur ejusmodi domicilium, e regione Sepulchri, quo *Bernardus Italiæ* Rex conditus jacet, marmorea nunc extat ejusmodi Tabula, parieti consita, & his præcise versibus insculpta:

MARTYRIS AD FRONTEM *recubent quæ membra Sepulchro,*
Ut lector noscas, est operæ pretium.
Clara genus, censu pollens, & Mater egentum
Virgo sacrata Deo, MANLIA DÆDALIA.
Quæ mortale nihil mortali in corpore volvens,
D *Quo peteret Cœlum, semper amavit iter.*
Sexaginta annos vicino limite tangens,
Rettulit ad Christum celsa per astra gradum.
Hæc, Germana, tibi Theodorus frater & hæres,
Quæ relegant olim sæcla futura, dedi.

Carolus quidem a *Basilica Petri* inter Historiæ *Mediolanensis* Fragmenta credere se scribebat, Epitaphium istud in Basilica Sancti *Nazarii* olim extitisse, indeque postmodum ad Basilicam translatum *Ambrosianam*. Sed quam levi & evanido motus argumento id credidit? *Illud* (inquit) *argumento est; quod, cum erueremus Corpora Sanctorum Archiepiscoporum, quæ in Ecclesia*

E *Sancti Nazarii erant, sub Altari primario in media fere Ecclesia invenimus in arcula argentea sphæram seu globum ex aurichalco cavum, magnitudine pugni: qui, in duas æquales partes divisus, simul tamen jungebatur & claudebatur. Intus erant velamina, & parum ossis. Foris hæ litteræ:* DÆDALIA VIVAS IN CHRISTO. Quasi vero tantulas istas *Dædaliæ* Reliquias Ecclesia Sancti *Nazarii*, reliqua vero ejusdem membra & Sepulchrum & Epitaphium habere nihilominus hæc ipsa Sancti *Victoris* AD COELUM AUREUM Ecclesia non potuerit. *Andreas* enimvero *Alciatus* paulo propius ad loci veritatem accessit, cum *Justiniani* Codicem suis

F Commentariis illustraret. Titulo enim *De sacrosanctis Ecclesiis*, Lege 2. sic habetur: *Nemo Apostolorum vel Martyrum sedem humanis corporibus existimet esse concessam.* In hanc vero Legem *Alciatus* mox inter alia sic scribit: *Adhuc Mediolani* PROTASII ORIBASIIQUE (sive *Gervasii*) MARTYRUM TUMULO (sive Basilica) *est Epigramma: quo* MARTYRIS AD FRONTEM *legitur sitam nescio quam femellam*, MANLIAM DÆ-

DÆDALIAM. Sed in eo tamen *Alciatus* jure merito ab eodem *Carolo* reprehenditur; quia tantam Virginem contemptim *femellam* nominarit; tum etiam, quia contra Legis ejus præscriptum illam innuerit sepultam esse, quæ alioqui tantum ad Martyris frontem sita esset. *Tristanus* porro *Chalcus* Anno *Christi* Trecentesimo nonagesimo nono idipsum Epitaphium recitaturus, expresse de ipso sic testatur: IN ÆDE AMBROSIANA ANTIQUITUS POSITUM MANET. Cujus profecto Ædis *Ambrosianæ* nomine hanc quoque nunc Sancti *Satyri*, prius vero Sancti *Victoris* AD COELUM AUREUM, Ecclesiam comprehendit. *Manliæ* igitur ossa, non ad frontem Martyris *Mazarii* (sicut commentus est idem *Carolus*) non ad Sanctorum *Protasii* & *Gervasii* (sicut ex *Alciati* verbis argutari forte quispiam posset) sed certe quidem ad frontem *Victoris*, in hac ipsius AD COELUM AUREUM Ecclesia culti (vel etiam quiescentis) condita Sepulchro recubarunt. Hæc autem *Manlia* opinione *Chalci* forte fuit soror non alterius *Theodori Manlii*, quam Consulis *Romani*. Eandemque prædictus *Carolus* verisimiliter existimat vixisse circa Sancti tempus *Ambrosii*, quando istius præsertim Præsulis egregia cura virginale institutum in hac Regione maxime florebat. Nunc ad *Satyrum* revertamur: necnon etiam perquiramus, an ejus Sepulchrum nobis *Ambrosius* ipse ac *Marcellina* fratres pietate ac benevolentia in eundem sua, quinetiam suismet ipsorum Tumulis indicarint. *Ambrosius*, antequam Basilicam suam dedicaret, in hac Sepulchrum sibi destinaverat sub Altari. Cum vero Sanctis eam *Protasio* ac *Gervasio* Martyribus dedicaret; ita illis ibi dexteram & nobiliorem cessit portionem, ut sibimetipsi sinistram reservaret; eo nempe pietatis ac religionis sensu, quo *Satyrum* item ad Martyris lævam *Victoris* sepelivit. Eundem vero *Satyrum* tantopere diligebat, ut in funebri de ipso Concione ad Populum *Mediolanensem* profiteri non erubesceret: *Nihil quidem habui (Fratres charissimi) in rebus humanis tanto Fratre pretiosius, nihil amabilius, nihil charius.* Inde sic etiam ipsum alloquens jam mortuum, suisque adhuc oculis in Basilica subjectum, ajebat: *Quid te, mi Frater amantissime, fleam? qui mihi sic ereptus es, ut esses omnium. Non enim perdidi usum tui, sed commutavi: ante corpore inseparabilis, nunc individuus affectu. Manes enim mecum, ac semper manebis. Et quidem, cum viveres nobiscum, nunquam te Patria eripuit mihi: nec ipse mihi unquam Patriam prætulisti: & nunc alteram præstitisti. Cœpi enim jam hic non esse peregrinus, ubi melior mei portio est. Nunquam enim totus in me fui, sed in altero nostri pars major amborum: uterque autem eramus in Christo, in quo & summa universitatis, & portio singulorum est. Hic mihi Tumulus genitali solo gratior: in quo, non naturæ, sed gratiæ meæ fructus est. In isto enim Corpore, quod nunc exanime jacet* (loquitur autem de *Satyri* Corpore) *præstantior vitæ meæ functio; quia in hoc quoque, quod gero, Corpore uberior tui portio.* &c. Et rursus: *Etsi sancta superstit Soror (* Marcellina, jam tunc & ipsa Mediolani degens) *integritate venerabilis, æqualis moribus, non impar officiis; ibi tamen ambo plus timebamus; in te vitæ hujus jucunditatem repositam putabamus. Propter te vivere delectabat: propter te mori non pigebat. Te enim ambo superstitem precabamur; tibi nos supervivere non juvabat.* Et paulo post: *Habeo plane pignus meum, quod nulla mihi peregrinatio jam possit avellere. Habeo, quas complectar, Reliquias. Habeo Tumulum, quem corpore tegam. Habeo Sepulchrum, super quod jaceam: & commendabiliorem Deo futurum esse me credam, quod supra sancti Corporis ossa conquiescam.* Et paucis interpositis: *Quid mihi unquam jucundum, quod non esset ex te profectum? Quid unquam mihi sine te, aut tibi unquam sine me voluptati fuit?* &c. Et iterum aliquanto post: *Quid de me loquar? cui neque mori licet, ne Sororem relinquam: neque vivere lubet, ne a te revellar. Quid enim mihi sine te potest esse jucundum? in quo omnis semper fuit nostra jucunditas. Aut quid diutius in hac vita degere juvat, atque in terris morari? in quibus tamdiu jucunde viximus, quamdiu simul viximus. Et si esset, quod hic delectare posset; sine te delectare non posset. Et si quando voluissemus impense vitam producere; iam tamen sine te nollemus.* Et prope Concionis finem: *Sed quid ego te morer, Frater, quid expectem? Ut nostra tecum commoriatur & quasi consepeliatur Oratio. Licet ipsa species & exanimis corporis forma soletur: oculosque manens gratia & permanens figura demulceat; nihil, inquam, moror. Procedamus ad Tumulum. Sed prius ultimum coram Populo vale dico, pacem prædico, osculum solvo. Præcede ad illam communem omnibus & debitam, sed jam mihi præ ceteris desiderabilem, domum. Para hospiti consortium: &, quemadmodum hic omnia nobis fuere communia;* ITA ILLIC QUOQUE JUS DIVIDUUM NESCIAMUS. Et paulo post: *Numquam nobis fuit vitæ conditio discretior. Semper aut sanitas aut ægritudo communis: ut, cum alter ægresceret, alter in morbum incurreret: cum alter revalesceret, uterque consurgeret. Quomodo jus nostrum amisimus? Et nunc consortium ægritudinis fuit; quomodo mortis consortium non fuit?* His utique omnibus satis indicatum videtur, *Ambrosium* ea item fuisse voluntate, ut ne post obitum quidem ita procul a tanto Fratre abesse vellet, quam procul a Basilica *Ambrosiana* certe distat Portiana, quæ nunc SANCTI VICTORIS AD CORPUS appellatur. De *Marcellina* vero, vide, quemadmodum idem *Ambrosius* ipsummet defunctum *Satyrum* alloquatur, tot utique tantisque malis imminentibus morte ceteroqui tam intempestiva tempestive præreptum. *Certe felicior* (inquit) *quam Sancta Soror. Quæ tuo solatio destituta, de suo pudore sollicita,* DUOBUS NUPER BEATA GERMANIS (quibus utique *Mediolani* jam convescentibus ipsa quoque nuper præsens fruebatur) *nunc ex duobus fratribus ærumnosa, neque alterum sequi potest, neque alterum derelinquere.* CUI TUMULUS HOSPITIUM TUUS, ET CORPORIS TUI SEPULCHRUM EST DOMUS. *Atque utinam vel hoc tutum diversorium. Cibus in fletibus, potus in lachrymis &c.* Et versus finem: *De Sancta vero Sorore quid fiet? Quæ, licet divino metu pietatem temperet; rursus tamen ipsum pietatis dolorem studio religionis accendit. Strata humi,* ET TOTUM GREMIO SUI COMPLEXA TUMULUM, *laborioso fessa incessu, tristis affectu, dies noctesque mærore integrat.* &c. Ecce vero pariter quæ cum nostro consentiunt instituto in ipsius *Marcellinæ* Vita, cum apud *Mombritium* & *Hilarionem*, tum etiam in aliquot Manuscriptis Codicibus. De ipsius in primis ad Urbem *Mediolanum* adventu sic legimus: *Interea cum piæ recordationis Almificum Præsulem Ambrosium suscepti Episcopatus causa in præfata Urbe Mediolani compulisset: fratremque dilectum (* Satyrum) *luce ipsa chariorem secum amoris glutino detentum, cohabitare fecisset. Virgo Domini Marcellina, charissimis diutius avelli non passa* GERMANIS, *domo patria rebusque relictis, sese Mediolanum contulit: satius rata peregrinam cum illis ducere vitam, quam duobus privata luminibus Romanas opes miserabilis possidere. In illis totam post Christum vitæ suæ inesse fiduciam: totam spem, totamque charitatem lachrymis oculos sufussa confitebatur.* Deinde vero, facta de *Satyri* obitu mentione, iisque de hac Sancta *Sorore* huc accommodatis *Ambrosii* verbis, quæ nuper nos penultimo loco recitabamus, hæc protinus inde attexuntur: *Constat autem, hunc ex illo Venerandæ Virgini morem fuisse, ut continue supra Tumulum Fratris* (Satyri) *genu nixa Dominatori omnium*

omnium sanctam ejus animam precibus assiduis commendaret. Persæpe etiam diem sine cibo noctemque insomnem transigens, loco Sepulchri vix ad momentum poterat avelli. Sed quid item illa post *Ambrosii* deinde interitum? *Non post multos vero annos Christi Præsul egregius Summusque Confessor Ambrosius, post innumera virtutum miracula, post superatas armis sapientiæ Arrianorum insidias, post solidatas Fidei Catholicæ fundamento Occidentales Ecclesias, transiit ad Dominum, perpetua laborum suorum præmia recepturus. Tunc deinde duplicatus mæror, renovata tristitia: nihilque aliud, præterquam mori, anxiæ nimium Sorori placebat. Quid faceret? Quo se verteret?* NUNC AD ILLUM, NUNC AD HUNC PROVOLUTA TUMULUM HÆSITABAT: *se solam sine comite, solam sine gubernatore relictam, conversa ad Christum ineluctabiliter querebatur.* Et paulo post: *Hæc autem Beatissima Virgo, non quia Fratres amiserat, sed quia sine illa transierant, flebiliter ingemiscebat. Ultimum itaque vitæ suæ tempus venerandis Tumulis dedicavit,* ANTE QUOS EXCUBANS, ET DIE NOCTUQUE SACRATAS PERSOLVENS EXCUBIAS, SPIRITUM COELO REDDIDIT, *Christo copulata per ævum*, & rursus paulo post: *Corpus vero ejus a Venerabili Antistite Simpliciano reconditum: & Fratris* (Ambrosii) *Tumulo Sororis Tumulus est appositus.* Quippe cujus Sororis Tumulus intra eandem *Ambrosianam* Basilicam visitur adhuc juxta primarium Altare subjectumque *Ambrosii* Tumulum ita situs, ut decem circiter ab eo distet passus; cum alioqui duplo & ad summum triplo magis ab Ecclesia Sancti *Satyri* distet; ut proinde non ita incommode difficulterque nunc ad hunc nunc ad illum potuerit Tumulum excubare, ac sacratas die noctuque excubias usque ad ultimum vitæ suæ tempus persolvere. Sicut antea dictum est, ac repetere placet, vel ex ipso certe *Marcellinæ* Epitaphio, quod nos item infra recitabimus, non inscite *Baronius* prædicto illo Anno & Art. 17. colligebat, maluisse illam JUXTA ET APUD SANCTOS FRATRES SATYRUM ET AMBROSIUM SEPELIRI, quam sepulchris patriis condi. Fallitur in eo tamen *Baronius* ibidem, quod eandem addit *Romæ* mortuam fuisse, ac voluisse nihilominus, ut corpus suum ad Urbem *Mediolanensem* transferretur. Hoc enim ex dictis jam satis aperte constat esse falsum. Ex quo enim tempore *Mediolanum* illa venerat, nunquam postea *Romam* revertit. Jam vero venerat ante, quam *Satyrus* ex hac vita migraret. Quamobrem ne nobis quidem illud probatur, quod idem *Baronius* Art. 14. asseruit: *Satyrum* Anno Trecentesimo octuagesimo tertio, cum ex *Africa* paulo ante rediisset, *Mediolani* occubuisse. Quando enim occubuit, tunc *Mediolani* pariter jam erat *Marcellina*: & hæc tamen aberat etiam octuagesimo septimo postea Anno, quando *Ambrosius* sacra *Protasii* & *Gervasii* Corpora invenit, eisdemque Basilicam suam dedicavit *Ambrosianam*; uti jam diximus Num. 2. Illud etiam huc accedit; quod ne credibile quidem videtur: ejusmodi Basilicam octuagesimo tertio illo Anno jam fuisse ita constructam, ut *Satyri* Cadaver ad eam detulerint, quemadmodum paulo ante ab ejus Vitæ Scriptoribus narratum videbamus; & tamen *Ambrosius* ipsam nonnisi octuagesimo septimo deinde Anno dedicarit; sicut idemmet quoque *Baronius* fatetur. Quid, quod citra necessitatis casum Basilicis, non modo ad Missæ Sacrificium, sed ne ad publicos quidem Populi cœtus & preces, uti licebat, antequam illæ solemniter dedicatæ essent? Notissimum istud est: atque *Carolus* item a *Basilica Petri* hoc observavit inter prædicta Historiæ *Mediolanensis* Fragmenta; cum de Basilica dissereret *Apostolorum*. Et tamen ad hæc ipsa munia tunc temporis *Ambrosius*

A hac sua Basilica usus fuit; cum *Satyri* Cadaver ad ipsam, prosequente copiosissima Populi multitudine, detulisset; ut bene lector a nobis jam narratum meminisse potest. *Satyrum* itaque nos fatemur, quin etiam præfracte contendimus, eo mortuum esse Anno, quo *Maximus* Tyrannus per *Alpes* in *Italiam* venturus timebatur, quove omnia in motu erant, motibusque *Barbaricis* suspecta: & hoc ex ipsiusmet *Ambrosii* Oratione funebri luculentissime constat. Sed quia id non Anno tantum octuagesimo tertio, verum etiam rursus octuagesimo primo (post quem postea *Maximus Aquileiæ* captus, ac die Augusti vigesima septima necatus fuit) contigisse,
B *Baronius* etiam ipse confitetur; propterea nos ob rationes nuper prolatas, hoc potius, quam illo, *Satyrum* Anno defunctum fuisse (contra quam *Baronius* crediderit) arbitramur. Quoniam vero eodem Anno *Marcellina Mediolani* tunc non aderat, quando, recenter inventis Sanctorum *Protasii* ac *Gervasii* Corporibus, Basilicæ istius *Ambrosianæ* Dedicatio peracta fuit undevigesimo mensis Junii die; idcirco nos eandem postmodum ab Urbe *Roma* huc pervenisse censemus tam tempestive, ut ægrotanti *Satyro*, ac decima septima subsequentis Septembris die mortuo affuerit. Quod si sanctus etiam *Victor* hoc jam tempore non procul ab ista Basilica (sive in
C Ecclesia, quæ nunc SANCTI SATYRI vocatur) jacebat; consequens igitur est, ut vel hic primum sepultus ille fuerit, vel saltem postea fuerit huc translatus. Nos quidem non aliam vidimus adhuc ejus Vitam, quæ fidelior videri possit ea, quam *Surius* octavo Maji die recitavit: quave, paucis mutatis, Monachi etiam *Olivetani* hodie in ejus Ecclesia AD CORPUS inter anniversaria ejusdem Solemnia utuntur e manuscripto Codice pergameno: e quo quidem Codice nonnulla nos nomina propria, quæ apud *Surium* mendosa sunt, hic emendabimus. Summatim vero Martyrium ejus ac sepultura sic se habuit. Ab Imperatoris *Maximiani* (scilicet *Herculei*) mi-
D litibus *Victor* in Stabulo ANTE THEATRUM inventus denique fuerat; cum extra Urbem ducitur ad Hortum, PHILIPPI appellatum: quod utique spatium hac Basilica Cœnobioque *Ambrosiano* nunc occupatur; ut *Chalcus* hoc ipso Numero nobis affirmabat. Inde porro eductus est ad Sylvam, quæ AD ULMUM vocabatur, ubi Viridarium habebat Imperator: & ibidem capite troncatus fuit. Cum vero Corpus ipsius ex Imperatoris mandato per sex dies insepultum fuisset, ut a feris belluis aut serpentibus voraretur: cumque interim a duabus quinimmo bestiis, una ad caput, ad pedes altera, officiose custoditum ac servatum fuisset; tum vero Impe-
E ratoris permissu *Maternus* noster Archiepiscopus ipsum NON LONGE AB EA SYLVA sepelivit. Et hæc Anno *Christi* gesta sunt Trecentesimo septimo, quo *Maximianus* ipse postea mortuus est; sicut ei *Victor* prædixerat, cum ad supplicium duceretur; ut bene *Baronius* in eundem Annum Art. 13. observavit. Hæc igitur cum ita se habuerint; nos quidem facile isthæc cocedemus. Dabimus in primis, *Victorem* tunc ad Basilicam Portianam sepultum fuisse, tametsi non incommode potuisset ad propinquum in horto *Philippi* Polyandrium deferri. Quinetiam lubenter eandem Basilicam concedemus appellatam propterea fuisse
F postmodum SANCTI VICTORIS AD CORPUS; nisi forte illam sic appellaverint ex eo potius miraculo, quo Corpus ipsum per senos illos dies in eo tractu fuerat a bestiis custoditum; atque adeo ad eum ferme modum, quo binas adhuc extantes appellarunt, unam SANCTI VICTORIS AD ULMUM, alteram vero AD THEATRUM. Atqui si vera sunt, quæ nos paulo ante ceteroqui disseruimus; reliquum profecto jam erit, ut ipsius Cor-

pus non ibidem perseveraverit usque ad *Satyri* obitum, sed ante fuerit inde huc translatum. Quid si vero illud inde Catholici hoc transtulerant anno circiter ante, quam *Satyrus* moreretur? Hic siquidem (uti nos concludebamus) mortuus est Trecentisimi octuagesimi septimi a *Christo* Anni mense Septembri. Superiore autem Junio Sanctus *Ambrosius* Basilicam suam, Sanctorum *Protasii* ac *Gervasii* Corporibus recenter inventis, dedicaverat. Postrema vero Quadragesimæ superioris hebdomada furor ille *Arrianorum* ac *Justinæ* Imperatricis eorum patronæ deferbuerat: quo Basilicam sibi Portianam (sicut & Num. 5. dicebamus) pro suo Pseudo Archiepiscopo, ad peragenda ibidem divina ministeria, pertinaciter vendicaverant intra unius circiter anni spatium. Sic enim manifeste liquet e Sancti *Ambrosii* Concione *De Basilicis non tradendis Hæreticis*, tum etiam ex ipsius Vita per *Paulinum* ac denique per *Baronium* conscripta. Nonne vero *Catholici* etiam interim Basilicam eandem Portianam diu custodierunt, ne ab *Arrianis* occuparetur? Nonne diu etiam illic interea morati sunt, quinetiam obsessi? Nonne levando itidem tantæ moræ tœdio Hymnos ibi canere consueverunt, quos providus ac mellifluus ille Pastor in hunc finem componebat? Quid si tunc ergo inter spem ac metum, ipsine ad extremum, an *Arriani* prævalerent, latenter, insciisque iisdem *Arrianis*, inde sustulerunt tanti Martyris Corpus; & in alteram istam Ecclesiam, quæ tunc extra periculum ejusmodi esset, transtulerunt? Quid si etiam in ejus ibi locum substituerunt alterius Sancti, sed non ita celebris, Corpus? ne furtum aliquando illi de prehenderent, si forte fortuna per vim prævaluissent. Sed hæc mera sint conjectamenta & suspiciones, quemadmodum *Victoris* Corpus inde non sine causa huc transferri potuerit. Quod tamen adhuc & ostendimus, & pro certo supposuimus, *Satyrum* in ipsomet Sancti *Victoris Mauri* Sepulchro conditum fuisse, ambosque in eadem simul Ecclesia conquiescere: hoc aliquibus profecto Scriptoribus incompertum penitus & ignoratum fuit; qui proinde *Satyri* Corpus huic ejus Ecclesiæ, *Victoris* vero alteri ejus AD CORPUS appellatæ adjudicarunt. Ejusmodi vero sunt *Gualuaneus Flamma* in Opusculo illo jam memorato: & Auctor ille, qui prædictum illud apud nos Calendarium, Anno *Christi* Millesimo trecentesimo octuagesimo primo conscriptum, collegit: necnon etiam Libelli ejus *Italici* Auctor, quem in superioribus proferebamus. Quid, quod etiam ne Monachi quidem isti *Ambrosiani* satis hoc aliquando advertisse videntur? Quamobrem infra etiam videbimus, inter ipsos & Sancti *Victoris* AD CORPUS Monachos controversiam de solo Sancti *Satyri* Corpore fuisse, quod illi ambo sibi vendicarent: quove *Ambrosiani* solo contenti viderentur. Ceterum ex eodem sic etiam errore profectus alter ille nobis videtur *Gualuanei* error: cum diceret, Sanctorum *Victoris* & *Coronæ* Martyrum Corpora in hac Sancti *Victoris* AD COELUM AUREUM Ecclesia jacere. Compererat ille videlicet, *Victorem* Martyrem in hac jacere, cumque *Victorem Maurum* sibi persuasisset in altera illa sui AD CORPUS Ecclesia conditum esse; alterum illum *Coronæ* socium errabundus huic nostræ adjudicavit. Atqui, si quis *Victor* Martyr in hac jacet; ille profecto jacet, cujus titulum eadem obtinuit, antequam Sancti titulum *Satyri* obtineret. Certe autem non alterius *Victoris*, quam *Mauri*, titulum eadem tunc obtinuit: & hoc vel ipsæ satis testantur Sanctorum *Materni* ac *Naboris* & *Felicis* imagines ibidem *Victoris* imagini associatæ. Quocirca non alterius *Victoris*, quam *Mauri*, Corpus in hac Ecclesia conditum videtur. Atque hinc etiam fortasse factum est, ut ejusdem *Victoris* cognomentum ipsa obtinuerit:

A & quidem prius, quam *Satyri*; perinde ac si *Mediolanenses* nostri primas in ejusmodi cognomento dare voluerint ei Sancto, cui dexterum latus juste ac sapienter olim fuerat in Tumulo hic extante attributum; eique secundas, cui sinistrum. Quoniam vero pluribus adhuc indiciis ostendisse videmur, *Satyri* Corpus, quam *Victoris*, hic jacere; liceat ergo jam tandem nobis hanc fidentius argumentationem, tanquam è re notiori, conficere. Sanctus *Victor Maurus* non alibi jacet, quam ubi Sanctus *Satyrus*; quippe cum hic ad ejus lævam in eodem Sepulchro conditus sit: atqui Sanctus *Satyrus* in hac sui Ecclesia & Cappella prope Basilicam jacet *Ambrosianam*; igitur & Sanctus ipse *Victor* hic jacet. Sed

B pro Monachorum nostrorum sententia satis in hac parte disputatum sit hactenus. An vero propterea vel illi credent, vel etiam nos credemus, hanc ipsam Sancti *Satyri* Cappellam olim fuisse nomine Cellæ Sancti *Ambrosii* nuncupatam? Minime vero. Ac ne tum quidem nos id crederemus, quando vel etiam nullum esse dubium posset, quin Sancti *Satyri* Corpus a Sancto *Ambrosio* conditum hic fuerit, & hic pariter in præsentem usque diem quiescat. Multo igitur minus hoc credemus, quando Monachi *Olivetani* acriter ex adverso contendunt, in sua Sancti *Victoris* AD CORPUS Ecclesia tam ipsius Mar-

C tyris quam Sancti *Satyri* Corpus etiam in præsens conquiescere. Accipe vero Lector, quemadmodum hæc ipsa veritas iis plane comperta videatur, ac publicis etiam sit Documentis testata. Millesimo quingentesimo septuagesimo sexto *Christi* Anno, extructa jam satis Basilica nova, veterem auctoritate *Apostolica* demoliri jam tandem cupiebant. Quod olim præsentiens *Bonaventura Castellionæus*, Basilicæ istius *Ambrosianæ* Præpositus, & Historicus eruditissimus; quantopere (pro Sancte Deus!) eam fuerat ob causam conquestus? cum Sancti *Castritiani* Vitam Italice conscriberet inter undecim priorum nostræ Ur-

D bis Archiepiscoporum Vitas: quarum Exemplar unum extat manuscriptum in Capituli Metropolitani Bibliotheca; alterum vero penes Clarissimum Civem, paulo ante a nobis nominatum, *Carolum Andream Septalium*. Cum igitur ita demum jam exequi cuperent ii Monachi: cumque Sanctum etiam Cardinalem Archiepiscopumque *Carolum Borromæum* rogassent, ut per se, vel per alium, sacras lustraret Reliquias, quæ in veteri extarent Basilica, quæve inde in recentem transferendæ forent; *Carolus* ipse tandem illic affuit die Veneris vigesima Julii mensis; atque, quod proprie attinet ad institutum nostrum, sic in publico Documento, sexta inde die confecto

E (quo universa hujus Reliquiarum Visitationis ac deinde Translationis Repositionisque acta ex ordine recensentur) scriptum invenimus: *Ad præsentiam Illustrissimi & Reverendissimi D. D. Caroli, Tituli Sanctæ Praxedis Presbyteri Cardinalis, sub Altari Majori Ecclesiæ Sancti Victoris fuit inventa marmorea quædam Capsa, sex lapidibus sibi mutuo cohærentibus laminis plumbeis constructa.* IN QUA FUERUNT REPERTA CORPORA GLORIOSISSIMORUM SANCTORUM, VICTORIS MARTYRIS ET SATYRI CONFESSORIS, *distincta inter se dilucido intervallo. Corpus enim Sancti Satyri erat a læva Sancti Victoris: ejusdemque Capiti innitebatur lapis lateritius (signum maximæ antiquitatis) in quo scripta legebantur hæc verba, videlicet* S. SA-

F TIR. *A dextra vero Sancti Satyri erat situm Corpus Sancti Victoris, habens innixum omnino in omnibus similem lapidem lateritium supradicto: in quo legebantur hæc verba, videlicet* S. VICTOR, *quorum litteræ* V & T ERANT SCRIPTÆ MODO RETROGRADO. *Et hæc omnia præsentibus Multum Reverendis Dominis Rodulpho de Cruce Primicerio Ecclesiæ Majoris Mediolani, Joanne Francisco a Basi-*

lica

lica Petri Ordinario præfatæ Ecclesiæ, ambobus habitantibus in Canonica: Petro Galesino Protonotario Apostolico, Abbate Sancti Ambrosii Majoris Mediolani, Priore ejusdem Ecclesiæ, & Abbate Sancti Victoris. Cur vero Abbatem quoque ac Priorem *Ambrosianos* ad hæc inspicienda tunc evocaverint, hæc sine dubio videtur causa; quia cum ejusdem Monasterii Monachis *de Sancto Satyro esset aliqua controversia*; sicut in eodem Documento jam ante fuerat enarratum: nosque paulo ante innuebamus. Sed ne propterea quidem illi ac illorum successores a priori Majorum suorum traditione desciverunt. *Joannes* ille porro *Franciscus a Basilica Petri* cum eodem mox Anno *Italicum* typis ederet Libellum de aliquot hujus Urbis Ecclesiis: cumque de Sancti *Victoris* AD CORPUS Ecclesia sermonem instituisset; sic incœpit: *Chiamasi questa Chiesa* SAN' VITTORE AL CORPO (*si come alcune altre ancora*) *a differenz a dell' altre Chiese del medesimo nome, d'ove il Corpo non giace.* Aliquanto autem post sic etiam subdit: IL CORPO DI SAN'SATIRO, PARE HORMAI CERTO, CHE SIA QUI ANCOR'ESSO; *come nuovamente, & per auttorita de Libri antichi*, ET PER INSCRITTIONI VEDUTE NEL SEPOLCRO, *si e conosciuto.* Sed quid item *Galesinius* in suo Martyrologio, quod biennio post edidit in lucem? In Annotationibus sic ille de Sancto *Victore*, ad Octavam Maji diem inquit: *Ejus Translationi, quam religiosissimus Cardinalis Tituli Sanctæ Praxedis, idemque Sanctissimus Archiepiscopus Mediolani, Anno Millesimo quingentesimo septuagesimo sexto celebravit, nos interfuimus.* Nec plura distinctius. De Sancto autem *Satyro* cum decima septima Septembris die fecisset mentionem; certe quidem postea inter suas Notationes nihil prorsus de ipsius Corpore, ubinam quiesceret, homo ceteroqui nec obliviosus nec indiligens adjecit. Quod quidem silentium nonnihil etiam suspicari nos coëgit. Utcumque tamen hoc sit: tam *Paulus Morigia* in hujus Urbis Sanctuario, quam ceteri postea Scriptores, qui Sancti Cardinalis & Archiepiscopi *Caroli* Vitam posteris tradiderunt, in ea fuere sententia, ut *Satyri* pariter ac *Victoris* Corpus eidem ipsius AD CORPUS Ecclesiæ adjudicarint. Legatur *Carolus a Basilica Petri* (qui priusquam e Canonico Metropolitanæ Basilicæ Ordinario fieret *Barnabita*, *Joannes Franciscus* vocabatur, sicut & nos paulo ante ipsum vocabamus) Libro 3. cap. 6. prope finem, præter quam quod aliquid etiam scripsit in Historia *Mediolanensi*, cum de Sancto *Materno* Archiepiscopo ageret. Legatur item *Joannes Petrus Glussianus* Lib. 3. cap. 9. Quid, quod etiam *Philippus Ferrarius* prædictam illam (quando pro parte Monachorum *Ambrosianorum* differebamus) de Sancti *Satyri* Corpore sententiam postea mutavit? Cum enim ejusdem Sanctorum *Italiæ* Catalogi posteriore ac maturiore cura indicem texeret; *Satyri* Corpus jacere dixit in Ecclesia Sancti *Victoris*: & absque dubio AD CORPUS: in qua pariter ipsius *Victoris* conditum esse Corpus in eodem pariter Indice postmodum asseruit. Idem *Olivetanis* ejusdem Basilicæ Monachis in eo placere non potest, quod octava Maji die de hoc nostro *Victore* locutus, in Annotatione adjecit, ejusdem Caput *Volaterris* conservari ac summa celebritate coli, *Callisti* Papæ Secundi munus ei Urbi datum: quod ipsum constanter item repetit ac præterea ejus Ecclesiæ Monumentis & *Raphaëlis Volaterrani* Commentariis confirmat decimatertia Maji die in Catalogo Sanctorum, qui non extant in Martyrologio *Romano*. Monachi namque illi tam *Victoris* quam *Satyri* etiam Caput sibi vendicant integrum: quin etiam (excepto mento inferiori) utrumque demum Anno *Christi* supra Millesimum sexcentesimum secundo, die Martii vigesima tertia, coram Basilicæ Metropolitanæ tunc Decano *Antonio Seneca*, & aliis, solemniter extraxerunt ex Arca, in qua Sanctus illa *Carolus* olim reposuerat: & in duobus argenteis Capitibus collocarunt; ut inter sacras gestari Processiones, Populoque ad venerationem certis diebus exponi possent. Qua de re publicum etiam extat Instrumentum, tunc temporis a *Jacobo Antonio Cerruto*, Curiæ Archiepiscopalis Notario, confectum, & a nobis itidem lectum. Ejusdem porro *Victoris* Caput sibi quoque *Ambrosiani* Monachi vendicant; sed majori tamen parte mancum; sicut oculati quoque Testes nobis illud esse affirmarunt. Quamobrem hoc forte facilius cum Ecclesiæ *Volaterranensis* credulitate componi posset. Ecce nunc autem, quid ante illos Auctores de Sanctorum *Victoris* & *Satyri* Tumulo scripsisset *Bonaventura Castellioneus*: quem Gentis illius Origines, à *Mattheo Castellioneo* in lucem datæ, affirmant Anno *Christi* obiisse Millesimo quingentesimo quinquagesimo quinto. In prædicta enim Sancti *Castritiani* Vita, de Sancto *Ambrosio* incidenter locutus, sic habet: *Ritrovato per rivelatione il Corpo del Martire San' Vittore. nascosto da Materno Vescovo, & stato occulto da Massimiano fino a Theodosio Imperatore, nel luogo, ove hor' si dice* SAM' VITTORELLO (ubi nimirum Vetus, ut appellant, est Fratrum Cappucinorum Conventus) *levatolo con le sue proprie mani, lo ripose in uno lauello di pietra, nella Basilica Portiana, sotto l'Altar' Maggiore. E per memoria, che ritrovate fossero quelle sacre spoglie nel mezzodella selvosa campagna, nelli Ufficii Ecclesiastici, composti per esso Patriarcha in honore di esso Martyre, canta il detto profetico: ciò è*, INVENIMUS EUM IN CAMPIS SILVÆ: ADORAVIMUS IN LOCO, UBI STETERUNT PEDES EJUS. HALLELUJAH, HALLELUJAH, HALLELUJAH. *Non passarono molti mesi, che, mancato di vivere fra noi Satiro suo fratello, locorico con man' sua a lato di San' Vittore in quella medesima Sepoltura.* Hæc ille. Quem nos in eo certe probare non possimus, quod ajebat, ejus Martyris Corpus *Ambrosio* divina revelatione indicatum & inventum fuisse (nec enim alius quispiam, quod nos adhuc sciamus, hoc tradidit) & quidem paucis ante mensibus, quam *Satyrus* moreretur. Quid in primis obstat, quominus ex persona *Materni* Archiepiscopi & aliorum tunc temporis Fidelium cœpta fuerit ea Psallenda decantari? Quid præterea si forte tunc potius *Arrianorum* timore *Ambrosius* illud (& sibi bene jam humanitus cognitum, ubinam jaceret) ab ipsamet Portiana Basilica transtulit ad istam, quæ deinde SANCTI VICTORIS AD COELUM AUREUM dicta fuit, ut nos jam ante suspicabamur? Vel ipsa profecto illa litterarum in Victoris nomine inversa dispositio, qua litteræ illæ V & T nobis afferebantur MODO RETROGRADO SCRIPTÆ, dici satis non potest, quam importune ac moleste nobis talem illam suspicionem incusserit auxeritque: perinde ac si *Ambrosius* ipse de industria, characteres illos ita scribi, seu scalpi, jusserit inversos; ut eodem illo errore, qui ceteroqui facile poterat incuriæ inscitiæque artificis imputari, suppostitium illud Corpus a vero alibi nativoque Catholici discernerent; non sic autem *Arriani*, si forte fortuna prævaluissent. Quod autem in prædicto Documento (præter Seniorum traditionem, Populi totius vocem, antiquas illius Monasterii & Ecclesiæ Tabulas) Chronica etiam *Bossiana* proferebantur in testimonium, *in dicto Altari Majori inesse Corpora, seu ossa & Reliquias, Sanctorum Victoris Martyris, Satyri Confessoris*, &c. iisdem profecto in Chronicis Undemillesimo tantum *Christi* Anno videri nobis hoc potest indicatum. Ibi enim de *Arnulpho* Secundo Archiepiscopo nostro, ea sic habent: *Hic Archiepiscopus fuit magnæ sanctitatis. Mona-*

Monasterium Sancti Victoris AD CORPUS *dotavit*: UBI CORPUS EJUS IN PACE QUIESCIT. Atqui *Bossius* re vera hisce postremis verbis non de Sancti *Victoris*, sed de *Arnulphi* Archiepiscopi Corpore loquitur. Quocirca non aliud hæc ipsius verba significant, quam quod illa ejusdem in Archiepiscoporum postea Catalogo: *Hic fuit magnæ sanctitatis Vir Monasterium Sancti Victoris* AD CORPUS, UBI ET SEPULTUS EST, *fundavit*. Sic etiam in Catalogo cum Archipresbyteri Metropolitani, tum Secretarii Urbani, verbatim hæc leguntur: *Monasterium Sancti Victoris* AD CORPUS *dotavit*, UBI EJUS CORPUS REQUIESCIT. Atqui postea idem ipse Secretarii Catalogus (e quo pariter alterius sententiam intelligere possimus) ita denique de hoc eodem Archiepiscopo concludit: JACET IN SANCTO VICTORE, UT SUPRA DIXIMUS. Neque tamen alibi, vel aliis verbis, quam superioribus illis, hoc dixerat. Tunc igitur, non Sancti *Victoris*, sed *Arnulphi* Archiepiscopi Corpus ibi requiescere dicebat. Sed hæc satis hactenus a nobis de præsenti controversia velut in utramque partem problematice disputata sunto. Quod si totidem hinc inde indicia Sanctissimi nostri *Caroli* menti, vel etiam oculis, obversata tunc fuissent; nihil profecto nos ambigimus, quin hac in re multo magis, quam forte fuit, anxius saltem atque consilii ambiguus ille futurus esset. Quidquid tamen judicii denuo feratur; nos quidem ambas ejusmodi Ecclesias (in quarum alterutra citra dubium bina illa Sanctorum Corpora quiescunt) vel etiam impensiore deinceps cultu ac veneratione prosequemur. Ceterum tam Codicem illum pergamenum, quo vetus illa Sancti *Victoris* Vita continetur, quam publicum illud utrumque Documentum, quod recenter nominabamus: eadem nobis humanissime suppeditavit hodiernus ejusdem Monasterii Sancti *Victoris* Abbas, Domnus *Joannes Franciscus*, cognomento *Tessera*: cujus multiplex & exquisita Virtus inter adversa pariter ac prospera id consulto amasse, vel hanc saltem fortuito jecisse tesseram visa est hactenus: ut, velut aurum igne probatum, purior semper ac magis defœcata Sapientibus Viris apparuerit, majoremque sui amorem ac venerationem sibi apud illos conciliarit. Dignissimus vero frater illi est *Camillus*, amicus noster charissimus, & hujus *Ambrosianæ* Basilicæ Canonicus. Quodque grati animi causa taceri nullatenus a nobis debet, inter varios actorum Testes, in eo priori Documento nominatos, extat etiam *Nobilis Joannes Baptista de Tesseris*, *filius præfati Francisci*. *Franciscus* hic autem ipsorum fuit genitor: idemque cum duobus aliis Notariis illud ipsum Documentum conficiebat. Quocirca eimet Exemplari, quod nos legimus, sic ille cum sui Tabellionatus Signo subscripsit: *Ego Franciscus de Tesseris*, *filius quondam Spectabilis Domini Bartholomæi*, *Civitatis Mediolani*, *Portæ Ticinensis*, *Parochiæ Sancti Ambrosini in Solariolo*, *publicus Apostolica Imperialique auctoritatibus Notarius*, *rogatus tradidi*, *& in fidem subscripsi*. Hæc igitur in præsenti dicta sint; cum propositum ceteroqui nobis esset indicare, ubinam ea fuerit Ecclesia, quæ ante annum *Christi* Septingentesimum nonagesimum communiter SANCTI AMBROSII CELLULA, vel CELLA, dicebatur: quamque Monachis ad orationes secretiores traditam vidimus. Quod si ea non ibi fuisse nobis videtur, ubi nunc Sancti Cappella est *Satyri*; perquiramus ergo rursus, ubinam illa tandem extiterit.

XX. Ea quidem illic potius extitisse nobis videtur, ubi nunc ipsiusmet *Ambrosianæ* Basilicæ Odæum sive Chorus, Monachis pariter & Canonicis communis, post Altare primarium, intra ferreos cancellos, supra Confessionem, hoc est, ut vulgo loquimur, Scurolum, continetur & eminet. Illud

A igitur spatium mox a nobis descriptum, antiquitus ab ea Basilicæ parte, ubi situm est Altare primarium, & ubi sub ipso Corpora Sanctorum *Protasii Gervasii* & *Ambrosii* etiamnum quiescunt, atque adeo a reliqua item Basilica dividebatur interjecto ab imis fundamentis muro, quo itidem Basilicæ ipsius fastigium sustinebatur. Per unicum in eodem muro ostium ingressus illuc patebat. Intus vero, prope alterum ex adverso parietem, ac semicirculum, marmorea Sedes Archiepiscopalis medium tenebat & adhuc tenet locum: Sedesque utrinque aliæ marmoreæ, muro insitæ, hinc & inde novem succedebant, singulæ singulis ex ordine rectaque linea

B respondentes Episcopis, quos eodem in pariete superne pinxerant; pictique adhuc cernuntur. Episcopalium ejusmodi Sedilium prominent adhuc aliqua ex ipsomet pariete indicia. Episcopi autem illi superne picti, & Canonem quisque unum infra se descriptum habentes, hoc ibi ordine nominantur: a latere quidem dextro, *Vercellensis*, *Novariensis*, *Laudensis*, *Derthonensis*, *Astensis*, *Taurinensis*, *Augustanus*, *Aquensis*, *Januensis*: a sinistro autem, *Brixiensis*, *Bergomensis*, *Cremonensis*, *Intimiliensis*, *Savonensis*, *Albigaunensis*, *Papiensis*, *Placentinus*, *Cumanus*. Episcopi nimirum isti olim erant *Mediolanensis* Ecclesiæ Metropolitanæ Suffraganei & Pro-

C vinciales: certasque ac definitas in hac Basilicæ *Ambrosianæ* parte habebant Sedes, quibus vocati ad Concilium insiderent, tamquam ex ordine Cathedralium Ecclesiarum, quas ipsi obtinuissent. Paries porro ille interjectus, non ante Annum *Christi* Millesimum quingentesimum septimum fuit e medio sublatus; cum aliquandiu ante locus ille Canonicis in Sacrarium Sacristiamve deservisset. Atqui tum e prædictis & Sedibus & Episcoporum imaginibus, tum etiam e reliquis ibidem musivi operis, antiquitus elaborati, ornamentis liquidissime constat, Oratorium ante hac fuisse, magno habitum in honore ac pretio, itemque per omnia opportunissimum pari-

D ter ac dignissimum, quod CELLA SANCTI AMBROSII vocatum antehac fuisset, quodque deinceps secretioribus Monachorum precibus a *Petro* Archiepiscopo reservaretur. Sed, quæ de pariete illo interjecto deque sedibus illis dicta sunt, jam tandem comprobemus; ne forte nos illa pro arbitratu nostro commenti fuisse videamur. Publicum apud nos extat Instrumentum, Anno Domini millesimo quingentesimo septimo, Indictione decima, die Martis, decimosexto mensis Augusti, a *Jacobo Scaravagio*, publico *Mediolani* Notario, confectum: quo Abbas & Monachi nostri ex una parte, ac Præpositus & Canonici hujus itidem Basilicæ ex altera, post varias inter se lites, in hæc nominatim Capita

E præ multis aliis consenserunt. *Primo igitur*, *ut ab divino cultu mutuæ concordiæ primordia facerent*; *convenerunt*, *ut Reverendus Dominus Præpositus ac Canonici prænominati liberum relinquant locum* (*facta prius infrascripta alia Sacristia nova*) *qui est post Altare majus Ecclesiæ prædictæ Sancti Ambrosii*, *in quo nunc Domini Canonici Sacristiæ usum habent*; *UT IN IPSUM LOCUM CHORUS TRANSFERATUR ad DIVINORUM CELEBRATIONEM*: *qui Dominorum Monachorum ac Dominorum Canonicorum Collegii sit communis*; *ut utrique in ipso loco*, *ab populi interventu separati*, *quietiore animo & ad Deum intentiore*, *quæ ad*

F *decantanda divina Officia pertinent*, *agere possint*. *Hujusque rei gratia utrumque Collegium*, *dum sua decantabit Officia*, *clausum teneat Chori locum*: *neque in eo*, *quantum fieri poterit*, *ullum*, *nisi aliquo modo insignem virum*, *admittat* &c. Et ecce causam hinc etiam intelligimus, quare tandem Chorum e veteri ante Altare primarium situ transtulerint in eum locum, eodem Altari posteriorem. Vetus enim Chori situs porrigebatur extra ferreos etiam cancellos, eidem

Alta-

Altari anteriores, ad primam utrinque pilam; itaut transverso inter utramque pilam pariete juxta monasticum ritum clauderetur. Verum tamen tribus etiam portis, maxime vero duabus eidem Choro lateralibus, patebat populo ingressus, ut ante Altare sacra sub ipsa Corpora e propinquo & conspicuo venerarentur: proindeque sæpenumero fieri non poterat, quin celebrantes Officia divina nonnihil interturbarentur. De pariete autem illo, quo anterius occlusum dicebamus ejusmodi locum, vide, quid postea fuerit decretum Cap. 5. quod est huiusmodi: *Item convenerunt, quoniam manente clauso, UT NUNC EST, loco, in quem transferri debet Chorus, ad populum non perveniret vox Sacerdotum, divinas Horas canentium; Dominus Abbas & Monachi murum EFFODIANT, QUI INTERJECTUS EST, & FORNICEM FIRMI OPERIS* (nempe in muri supplementum) *AD TUGURII* (fastigium nos vocabamus) *SUSTINENDUM ONUS ÆDIFICENT; cancellosque ferreos in eo efficiant; ut Altare majus undique clausum maneat.* Quod vero asserebamus de unico Cellæ ostio anteriori, de Archiepiscopali deque ceteris Episcoporum ibi sedilibus: en apertam probationem, septimo e Capite desumptam: *Item convenerunt, ut utrumque Collegium ostium aperire possit ex parte sua, per quod locum ingrediatur, in quem Chorus transferetur: & ARCHIEPISCOPALIS SEDES, QUÆ IN EO LOCO EST, INTACTA RELIGIOSE SERVETUR: similiter ALIA SEDILIA, QUÆ AD UTRUMQUE LATUS SUNT, quantum per Chori commoditatem fieri poterit, UT SUNT, RELINQUANTUR.* Certe autem Canonici acriter hoc postremum contenderant. Itaque super ejusmodi Capitibus, antequam in ea conveniretur, schedam comperi, complectentem, quæ Canonici sibi deposcerent, quæve Monachi responderent. In qua quidem Canonici quarto loco id exigebant, *Ut non amoveantur sedes nunc in dicto Sacrario marmoreæ; sed reponatur Chorus ante ipsas sedes*: Monachi autem respondebant, *Quod descendunt eorum petitioni, dummodo possit fieri, de Archis, id est, sedilibus marmoreis, & translatione Chori, ut supra* &c. Relicta denique tamen ea sedilia non fuerunt; ut lignea sedilia, quæ illuc e veteri Choro transtulerunt, parietibus adhærescerent. Ceterum in utroque Cellæ latere apertum illico fuit ostium: unum, quod Monachis: alterum, quod Canonicis deserviret. Sic etiam constructus est fornix necessarius: ferreique illic cancelli juxta condictum collocati. Mirarisne vero, quod bina & perantiqua Epitaphia, nudis e marmore tabulis absque ullo ceteroqui ornamento insculpta, *Ludovici* unum Imperatoris, alterum vero *Ansperti Mediolanensis* Archiepiscopi, hoc jam tempore videamus nonnisi clavis extrinsecus affixa fornicis ejusdem lateribus, Aræ maximæ obversis? Ex his nimirum, quæ nuper diximus, intelligi facile datur, eadem olim Epitaphia decore, ut par erat, insita fuisse parieti illi, quo locus ille versus & prope Aram claudebatur; sed, quo ex tempore sublatus ille fuit, sic etiam ipsa illic qualitercumque fuisse ad memoriam collocata. Quamobrem hoc etiam tu comperto, mirari mecum jam desinas. Quid quod etiam in hoc ipso Instrumento indicium aliquod inest oblationum, quæ antiquitus *Ambrosianæ* Cellæ fieri solerent? Capite namque XI. *Item convenerunt, ut, quod jus hactenus habuerunt Custodes Dominorum Canonicorum, die Veneris sancta oblationes accipiendi ad Altare majus, ET IN LOCO, UBI NUNC EST SACRISTIA* (ecce tibi Cellam) *illud etiam in posterum eis maneat* &c. Sed hactenus de Cella ista satis superque dictum sit; nisi forte tibi, Lector, jam denique placet insuper observare, quænam Cellæ sit etymologia & significatio, quamque bene congruat utraque in eum ipsum locum, nuper a nobis descriptum, cui nomen Cellæ Cellulæque Sancti *Ambrosii* & *Ambrosianæ* Basilicæ quondam inditum fuisse opinamur. Cellam igitur, probatiores Etymologi affirmant, a celando dictam esse, quod in ea celentur quæ volumus esse occulta. Inter alias vero significationes hanc itidem illi adscribunt, ut Cella olim diceretur etiam pars templi sacratior, in quem ingredi fas non esset. Unde apud *Gellium* legitur, *Scipionem* in Capitolium venisse: jussisseque Cellam *Jovis* aperiri, ibique solum demoratum esse. De hac ipsa in Capitolio Cella *Jovis* extat mentio quoque apud *Livium*, *lib.* v. *De bello Macedonico*. De Cella vero Concordiæ apud *Marcum Tullium* Philippica 1. & 2. Quid igitur jam vetat, quominus nos eam ipsam Basilicæ hujus partem, tamquam secretiorem pariter ac sacratiorem ipsimet ejus conditori Sancto *Ambrosio* recessum ad orandum privatim, & ad consultandum synodaliter una cum suis Episcopis matureque deliberandum, arbitremur obtinuisse diuque retinuisse nomen Cellæ Sancti *Ambrosii*, & *Ambrosianæ* istius Basilicæ? Nunc ad alteram Basilicæ hujus partem progrediamur, Monachis ad publicas Preces assignatam.

XXI. Quidnam vero illud est, quod eam *Petrus* Archiepiscopus nominabat *in honore Sanctorum Martyrum Protasii & Gervasii, atque Confessoris Christi Ambrosii, constructam*? Numquid enim *Ambrosius* illam in suimet etiam ipsius honorem construxerat? Absit hoc a nobis, ut tam impie desipiamus. Ego itaque sic interpretor, ut *Ambrosius* ejusmodi Basilicam non minus, quam ejusdem Cellam, primus omnium condiderit, Sanctisque *Protasio* & *Gervasio* nuncuparit; sed tamen decursu postea temporis, post ejus obitum & frequentia ejusdem ibi miracula, fideles hanc ipsam nominatim Basilicam nova & augustiore structura amplificarint, & in meliorem formam redegerint, necnon ipsimet etiam Sancto *Ambrosio* dedicarint; eamque idcirco dixerint in honorem quoque Sancti *Ambrosii* constructam. Concameratam fornice saltem medio fuisse, quam construxerat *Ambrosius*, ea mihi persadent Sancti *Gregorii Turonensis* verba, quibus libro primo *De gloria Martyrum*, Cap. 47. ex ore viri cujusdam religiosi prosequitur, quemadmodum Ecclesiæ tam multæ, cum *Italicæ*, tum etiam *Gallicanæ*, ditari fruique potuerint Sanctorum *Protasii* & *Gervasii* Reliquiis. *Ajebat enim, quando gloriosa Corpora translata in Ecclesiam* (istam nimirum *Ambrosianam*) *fuerunt, dum in honore ipsorum Martyrum Missarum solemnia celebrarentur, CECIDISSE E CAMERA TABULAM UNAM, quæ illisa capitibus Martyrum, rivum sanguinis elicuerit: de quo infecta sunt linteamina, vel pallulæ, sive vela Ecclesiastica, beatusque cruor in illis collectus est: qui usque adeo confluxisse fertur, quoadusque linteamina, quæ susciperent, sunt repleta. Ex hoc enim eorum Reliquiæ affatim collectæ, per universam Italiam, vel Galliam, sunt delatæ: ex quibus & Sanctus Martinus multa suscepit; sicut Paulini Beatissimi narrat Epistola.* Hactenus *Gregorius Turonensis*. Sic igitur superiorem Basilicæ hujus partem vidimus *CAMERÆ* vocabulo appellatam. Atqui *CAMERAM* Interpretes Latinæ Linguæ asserunt esse tectum in curvitatem formatum: quod alias testudo, alias fornix, alias arcus nuncupetur; itaut *CAMERA* dicatur etiam quasi *CAMURA*, id est, *CURVA*; propereaque *CAMERARE*, aut *CONCAMERARE*, idem sit, ac fornicem, & testudinem facere; & sic de ceteris ejusmodi vocabulis, exinde derivatis. TABULAM vero illam, quæ cadens e Basilicæ camera, sive tegmine concamerato ac testudineato, atque testudinis instar concavo & incurvo, capitibus Martyrum illisa, tantum sanguinem illis illicuerit: ego ligneam in primis fuisse crediderim, & satis oblongam. Non enim alioqui una

una eademque tabula contingere potuisset Martyrum capita, quæ una simul cum ipsorum corporibus jacebant in duabus lecticis, hoc est, sellis gestatoriis (BARRE nos Italice diceremus) quemadmodum e *Paulino* in Vita Sancti *Ambrosii* aperte colligitur: quæve situm in Basilica nonnihil sejunctum occupabant. Quocirca ipsemet etiam Sanctus *Ambrosius*, cum intra Basilicam illa in conspectu prima die haberet; in suo ad populum Sermone semet ita quoque locutum fuisse affirmat: *Aspicite ad dexteram, aspicite ad sinistram Reliquias sacrosanctas. Videtis cœlestis conversationis Viros, spectantes animi sublimis trophæa* &c. Nisi enim sacra illic pignora loco aliquatenus inter se dissita fuissent; quomodo poterat *Ambrosius*, in ea Concione populum alloquens, unum illorum intento digito ad dexteram commonstrare, alterum vero ad sinistram? Ceterum ejusmodi tabulam ego facile conjectarim unam ex iis fuisse, quæ concamerandæ Basilicæ recenter deservissent, quæve fornici etiamtum sustinendo deservirent: cujusmodi tabulas nos Italice CENTENI vocitamus. Quod vero attinet ad novam ejusdem Basilicæ constructionem, quando scilicet in honorem Sancti quoque *Ambrosii* constructa fuit, priusquam Monachis eam *Petrus* Archiepiscopus traderet: hodiernam ego Basilicam diligenter circumspexi universam, novæque antiquitus structuræ indicia mihi hæc tantum apparuerunt. Qua Chorus ille monasticus olim ante Altare desinebat, binæ stant & ingentes pilæ, vulgo PILASTRI. His adjectæ postmodum adhærescunt binæ veluti semicolumnæ, solidis è lapidibus compactæ: quibus proprius fornix & arcus ita innititur, ut alteri & ipse fornici & arcui, pilis illis antea superstructo, subtus adhærescat, perinde ac factus in hunc solummodo finem, ut eum suffulciat: semicolumnæ autem illæ iis pilis adjectæ videntur antequam Chorus ibi collocaretur, sicut e certis adhuc in utraque semicolumna indiciis apparet. Sic etiam circa mediam Basilicæ longitudinem duæ itidem aliæ similes pilæ, ita prorsus & auctæ & firmatæ cernuntur. Primis illis duabus culmen & fastigium Basilicæ sustinetur ex una parte: atque adeo tale illis additamentum & fulcrum ego arbitror tunc temporis factum, quando ipsummet culmen ac fastigium constructum fuit: quod quidem mihi, exteriorem cœlique injuriis expositam illius faciem spectanti, non tantæ videri solet antiquitatis, quantæ reliquum ejusdem Basilicæ corpus. Forte igitur propter ejusmodi semicolumnarum & arcuum & fastigii additamenta, vetustiori Basilicæ in honorem Sancti quoque *Ambrosii* facta, eandem Basilicam *Petrus* Archiepiscopus nominabat in honorem Sancti etiam Confessoris *Ambrosii* constructam. Quamquam etiam libentius hoc ego aliis divinandum relinquo. Certiora nos quidem jam demum prosequamur.

XXII. Quale profecto illud est: quantum juris & potestatis Archiepiscopus ille *Mediolanensis* in Basilicam istam, ejusque Cellam, & in utriusque ipsarum facultates ac bona, Monachis huc ascitis tradiderit. Universa utique illis jura & potestatem tradidit, quæ utriusque illarum Custos, *Fortis* Diaconus, antehac denique obtinuerat, & a quo illa sibi per eam bonorum suorum traditionem acquisierat: tot utique ac tanta illis tradidit, ut ne a suis quidem in hujus Ecclesiæ *Mediolanensis* regimine Successoribus (sub quorum alioqui potestate futuri erant) impediri ullo unquam tempore possent, quo minus utramque hujusmodi Ecclesiam sub sua ipsorum cura, providentia, regimine, ac dispositione haberent: ibidemque ante Corpora Sanctorum, *Protasii Gervasii* & *Ambrosii*, Officia laudesque divinas continuatim indifferenter & publice celebrarent. Quid, quod etiam omnia ejusmodi jura & potestatem illis tradidit rogatus multoties ab omnibus Basilicæ Metropolitanæ Ordinibus? Quippe quos frequenter antehac venire ad Ecclesiam istam, extra muros Urbis tunc sitam, & usque adeo a Metropolitana distantem, atque hic supplicationes peragere, ac in ecclesiasticis ministeriis diutius, e majorum instituto, ad majorem tam celebris Basilicæ cultum, laborare oportebat; ut proinde talis Cessio Monachis facta ipsummet etiam Basilicæ Metropolitanæ Clerum ejusmodi laboribus in posterum liberaret. Sicut igitur Archiepiscopum, ut id faceret, rogitaverant; sic etiam facto consentiens, singuli semet ipsos antescripto Privilegio, quo Cessio illa firmabatur, subscripserunt; & inter eos ipsemet etiam *Fortis* Diaconus; sed non sine aliquo a ceteris discrimine. Ceteri namque omnes in hæc præcise verba subscripserunt: *Ego N, in hoc Præcepto ex jussione Domni Petri Archiepiscopi subscripsi. Fortis* autem Diaconus: *Ego N, in hoc Præcepto Domni Petri Archiepiscopi subscripsi:* neque particulam illam, ceteris omnibus ex æquo retentam, *ex jussione*, adjecit: & hanc, ut opinor ob causam; quia ipse singillatim, & non alii, vel alius quispiam e Clero Metropolitano, Cellam istam & Basilicam in sua demum potestate ac jurisdictione, tamquam proprius utriusque ipsarum Titularis & Custos, habuerat, priusquam facta illa permutatione Archiepiscopo eandem cederet in hunc finem, ut ab ipso in Monachos transferretur.

XXIII. Quoniam vero primus post Archiepiscopum prædicto Privilegio subscribebat Metropolitanæ Basilicæ Archipresbyter, nomine *Dathæus*; huc adde, quæ *Tristanus Chalcus* tradit libro quinto ad Annum *Christi* Septingentesimum octogesimum septimum: neque quicquam dubitabis, quin hic *Dathæus* Archipresbyter eo etiam titulo sit insignis, quod hac in Urbe per ea tempora Xenodochium instituerit recipiendis alendisque infantulis, qui pudendis matrum nuptiis atque adulteriis geniti, tum inopia premente, exponi solent.

XXIV. *Petrus Oldradus*, *Mediolani* Archiepiscopus *Ambrosiano* huic Monasterio, a se constructo, recitatum Privilegium, sicut jam vidimus, concesserat Anno *Christi* Septingentesimo nonagesimo, *Caroli* autem in *Italia* Regis sextodecimo; sicut & nono *Pipini*, hoc in Regno consortis. Sequenti deinde Anno, quam sibi promiserat ejusdem Privilegii Confirmationem, obtinuit ab ipsomet Rege *Carolo*; A.C. 791. datam *Placentiæ in mense Aprile*, *Anno Vigesimo secundo*, *& Decimo septimo Regni nostri.* Sic enim præcise legitur in Authentico Confirmationis hujus Exemplari, quod apud nos in hanc usque diem conservatur; non autem *Anno Secundo in Italia*, *& Decimo septimo Regni nostri in Francia*; quemadmodum perperam legitur in hujus Privilegii una cum multis aliis Editione typographica, olim facta, postquam per aliquot *Mediolani* Notarios ea fuissent recognita & comprobata Anno Domini Millesimo Quingentesimo octogesimo septimo, Indictione prima, die Veneris, secunda mensis Octobris. Ita quippe tum corruptus est textus, tum etiam glossemate falso vitiatus; per inscitiam utique vel incuriam Annorum, quibus *Carolus* in *Francia* primum, deinde autem in *Italia* regnare cœpisset. Sicut enim Anno *Christi* Septingentesimo septuagesimo quarto in *Italia* dicebamus; sic Anno Septingentesimo sexagesimo octavo, die vigesima quarta Septembris, *Carolum* constat in *Francia* regnare incœpisse. His igitur præmissis, ad ipsummet hujusmodi Privilegium veniamus.

CAROLUS, *gratia Dei Rex Francorum & Longobardorum, atque Patricius Romanorum. Illud namque ad æternam beatitudinem, seu stabilitatem Regni nostri, in Dei nomine pertinere confidimus, si justis petitionibus Servorum Dei, in quo auribus nostris patefacta*

factæ fuerint, libenter obtemperamus, atque ad effectum producimus. Igitur notum sit omnium fidelium nostrorum magnitudini, præsentium scilicet & futurorum, qualiter Vir Venerabilis Petrus, Sanctæ Mediolanensium Urbis Ecclesiæ Episcopus, Serenitati Regni nostri suggessit, qualiter ob amorem Dei, & venerationem S. Ambrosii, JUXTA CORPORA SANCTORUM MARTYRUM PROTASII & GERVASII, SEU IPSIUS BEATISSIMI CONFESSORIS CHRISTI, *Cœnobium institutum habeat, atque Monachos ibidem sub Regula Sancti Benedicti noviter, qui laudes Deo illic sedulas referunt, & pro felicitate Regni, ac totius populi Christiani sospitate, seu pro statu Sanctæ Mediolanensis Ecclesiæ exorarent, constituisset, atque inibi Venerabilem Benedictum Presbyterum Abbatem ordinasset. Unde petiit clementiam Celsitudinis nostræ, ut omnia, quicquid ipse pro divino intuitu ad jam dictum Monasterium ex rebus Ecclesiæ suæ Mediolanensis largitus est, vel moderno tempore ibidem justo tramite delegatum fuit, & nunc juste & rationabiliter partibus ipsius Monasterii possidere dignoscimur, vel quod in antea a Deo timentibus hominibus, tribuente Domino, additum vel delegatum fuerit, nostris oraculis plenissime confirmare deberemus; quatenus sub regimine & potestate Rectoribus, qui fuerint, Sanctæ Mediolanensis Ecclesiæ, sicut ab ipso statutum esse cernitur, omni tempore permanere debeat; & quandoquidem divina vocatione Abbas ex ipso Monasterio de hac luce ad Dominum migraverit, licentiam haberent Monachi de ipso Monasterio Sanctæ Dei Ecclesiæ Mediolanensium, nobisque per omnia fidelem super se secundum Ordinem sanctum & Regulam Sancti Benedicti eligendi Abbatem. Cujus petitionem propter nomen Domini, & reverentia ipsius sancti loci, meritisque sanctis antedicti Pontificis compellentibus, noluimus denegare; sed in elemosina nostra ita concessisse, atque in omnibus confirmasse cognoscite. Quapropter per præsentem Auctoritatem nostram decernimus ac jubemus, ut, sicut constat ab jam fato Viro, Venerabili Petro Archiepiscopo, Monasterium, ut supra memorabamus*, JUXTA CORPORA SANCTORUM MARTYRUM PROTASII & GERVASII, SEU CONFESSORIS CHRISTI AMBROSII, *una cum omnibus adjacentiis, vel apenditiis ipsius Monasterii, stabilitum esse, inspecta ipsius Auctoritate, per hoc nostrum Serenitatis Præceptum atque Confirmationis donum perpetuis temporibus jure firmissimo stabiliter permanere habeat: & neque Abbas ibidem ordinetur extraneus ullo unquam tempore nisi ex ipsa Congregatione, ut supra diximus, Sanctæ Dei Ecclesiæ Mediolanensium nobisque per omnia fidelis, quem Fratres eligere voluerint: qui eos secundum divinas leges, & Regulam S. Benedicti valeat gubernare. Et ita censemus, ut nullus de nostris Successoribus, seu prædicti Pontificis, unquam hanc nostram Dispositionem, quam pro amore Beati Christi Confessoris Ambrosii, seu stabilitate Regni nostri, confirmavimus, inrumpere atque destruere præsumat: sed ut melius delectet ipsos servos Dei, qui sub normam beatitudinis ibidem vitam per tempora degere videntur, pro nobis, uxoreque nostra ac liberis, seu stabilitate Regni nostri, Domini misericordiam jugiter exorare, nostris Deo auspice futurisque temporibus inviolabiliter atque inrefragabiliter perdurare vel consistere debeat. Et ut hæc Auctoritas firmior habeatur, vel per tempora conservetur, manu nostra subter eam roborare decernimus, atque annulo nostro sigillari jussimus. Signum Caroli Gloriosissimi Regis. Dat. in mense Aprile Anno Vigesimo secundo, & Decimo septimo Regni nostri. Actum Placentiæ ex Pallatio nostro publico in Dei nomine fœliciter. Amen.*

XXV. Monasterii statu ac regimine hunc in modum firmato, *Petrus* aliquandiu supervixit: Archiepiscopus sane quidem gratissima in omne tempus memoria dignissimus, & de *Romana* etiam, nedum A *Mediolanensi*, Ecclesia quamoptime meritus. In libro qui est inscriptus, *Successores Sancti Barnabæ*, ita legimus de ipso testatum: *Hadriani Primi Pontificis Secretarius, ab eodem missus in Galliam, ad solicitandam expeditionem Caroli Magni in Longobardos.* Et paulo post: *Hic Archiepiscopus a Carolo Magno in tanto honore & reverentia habitus est, ut ei, & Archiepiscopis successoribus, Urbis Mediolani dominium & jurisdictionem concesserit temporalem. Quæ Privilegia & Concessiones usque ad Othonem Vicecomitem durarunt.* Et paucis interjectis: *Adeo hæreticæ pravitatis persecutor fuit, ut Carolo Magno* MALLEUS HÆRETICO- B RUM *appellaretur. Hic jussu Hadriani Papæ Primi scripta Sancti Gregorii, in ejus mortem a Populo Romano dispersa, collegit, collecta emendavit & in libros redegit. Extant istius Archiepiscopi Epistolæ ad Carolum Magnum: inter quas est illa celebris de Translatione Corporis Beati Augustini ex Sardinia Papiam, facta Luitprando Rege Longobardorum: Sermones ipsius insuper ad populum in festis Sancti Barnabæ & Nazarii* (hos ego tamen adhuc videre non potui) *mira eruditione referti, & tanto Archiepiscopo digni.* Quibus similia legere itidem licet in Archiepiscoporum nostrorum Catalogo, Actis Eccelesiæ *Mediolanensis* inserto, & apud alios rerum Scriptores.

C XXVI. Quamdiu vero *Petrus* Archiepiscopus hanc Sedem obtinuerit: hoc penitus incertum. Alii annos septendecim, alii decem & octo, alii viginti septem, alii viginti octo illi adscribunt: ipsumque quin etiam nominatim affirmant, non tantum affuisse *Romæ*, quando *Carolus* Anno *Christi* Octingentesimo a *Leone* Tertio Pontifice Maximo declaratus & coronatus fuit *Occidentis* Imperator; sed etiam *Pipino*, ejus filio, nostra in Urbe morienti, suprema ad salutem solamina & obsequia præstitisse; nec non etiam *Bernardo*, ejusdem *Caroli* filio (verius dixissent, nepoti) ferream *Italici* Regni Coronam *Modoëtiæ* imposuisse. Hac de re nos parce admodum loquemur: nosque intra fines illos continebimus, quos Archivi no- D stri monumenta nobis definiunt. *Petrus* igitur ad minus Anno *Christi* Septingentesimo octogesimo quarto Ecclesiam istam sine dubio regere jam incœperat; ut supra ostendimus, num. 14. Sed & Anno postea Octingentesimo sexto in eandem ipsius jam defuncti Sedem successerat *Oldepertus*; ut infra, num. 29. constabit. Quamobrem *Petrum* nec morti *Pipini*, nec & prædictæ *Bernardi* Coronationi affuisse, constanter & præfracte contendimus. Teste siquidem *Carolo Sigonio* de Regno *Italiæ*, lib. 4. *Pipinus* obiit Anno *Christi* Octingentesimo decimo: *Bernardus* autem a *Mediolanensi* Archiepiscopo coronatus *Modoëtiæ* fuit in *Italiæ* Re- E gem Anno Octingentesimo decimotertio: quo item Anno *Ludovicus*, ejusdem *Caroli* filius, ad Imperii consortium ex *Aquitaniæ* Rege assumptus fuit, quintodecimo Kalendas Decembris: sicut & Anno sequenti *Carolus* ipse Rex & Imperator, cognomento reque vera Magnus, quinto Kalendas Februarii obiit ac sepultus est *Aquis Grani.* Atque hinc notanter etiam intelligimus, quam male veritati, quinetiam sibimetipsi cohæreat tempus quo Privilegium illud, Archiepiscopo huic *Petro* & Ecclesiæ *Mediolanensi* a *Carolo* Magno concessum, & in libro Successorum Sancti *Barnabæ* recitatum, ibidem in extremo dicitur *Datum Derthonæ Kalendis Maji, Anno Incarnationis D. N. Jesu Christi Octingentesimo vigesimo, In-* F *dictione decima, Imperii autem nostri Anno Nono, Regnorum vero nostrorum Quadragesimo quarto.* Manifestus enim sine dubio error notis illic numeralibus subest pro quibus nos numeralia reponere nomina maluimus.

XXVII. Ceterum de *Petro* Archiepiscopo, tametsi nesciamus, quo præcise loco ac tumulo fuerit sepultus; communi tamen Scriptorum consensione hoc passim constat: ipsum in *Ambrosiana* ista Basilica sepultum fuisse. Ex ejus Decessoribus, præter Sanctum *Am-*

brosium, Basilicæ conditorem, hic item tumulati fuerant alii nonnulli; sed, quod mireris, pauci admodum; & aliquandiu post, quam ipsemet Sanctus *Ambrosius* obiisset. Primus namque deinceps fuit Sanctus *Mansuetus*, *Agathone* Pontifice Maximo, circiter Annum *Christi* Sexcentesimum octogesimum, Archiepiscopus: dehinc Sanctus *Benedictus*, ejusdem per annos quadraginta septem successor immediatus: tertius fuit *Stabilius*, circiter Annum *Christi* Septingentesimum quinquagesimum quartum defunctus: quartus ac postremus *Lætus* circiter Annum septingentesimum sexagesimum octavum: cui postmodum in Archiepiscopum successit *Thomas Crassus*, in Basilica Sancti *Laurentii* sepultus, *Petri* hujus *Oldradi* decessor. Quemadmodum igitur *Petrus* erga Basilicam istam, ejusque cultum tam bene vixerat animatus; sic etiam congruum erat, ut hic pariter mortuus conquiesceret. Nobilissimo ille quidem tumulo, & omne in ævum duraturo, dignissimus erat. Verumtamen (qua ex causa hoc fuerit factum, divinæ nos Sapientiæ reservemus) ne minimum quidem nobis suppetit indicium, quanam ille soli hujus in parte conditus fuerit.

XXVIII. Quod interim summopere nos recreat & solatur, hoc est, quod forte fortuna nostras ad manus accidit vera illius, necnon & *Caroli* Magni, effigies, ex antiquo fidelique monumento affabre incisa æri, & uni eidemque chartæ impressa. *Jacobus Valerius*, nobilissimæ *Scalensis* Ecclesiæ Canonicus, Juris Utriusque Doctor egregius, amœnissimi præterea & eruditissimi Vir ingenii, & in antiquis Numismatibus, ejusmodique aliis rerum monumentis apprime versatus, hanc mihi humanissime suppeditavit; cum forte, factus illi obvius, inter mutua colloquia, mentionem Archiepiscopi hujus nostri fecissem. Placuit igitur, ut eadem utriusque effigies Operi huic nostro rescalpta insereretur, gratique perstaret animi testimonium erga tantum Archiepiscopum Monasterii hujus fundatorem, erga tantum *Italiæ* Regem, atque *Occidentis* Imperatorem, a quo ejusdem fundatio tam prona beneficaque voluntate fuerit confirmata. Ejusmodi ergo Icon *Carolum* a dextris, *Petrum* vero illi a sinistris proximum laterique adhærentem repræsentat eo ipso corporum habitu, quem hic tibi, Spectator & Lector, exhibemus; excepto, quod ipsos paululum situ disjungimus, ut suam quisque occupet pagellam. Quantæ vero sit & auctoritatis & fidei: hac ipsa superne præfert inscriptione, inter utrumque media: *Ex monumento ac vera imagine, quæ est in Basilica Sanctæ Ecclesiæ Aquisgranensis, sub Anno Domini Octingentesimo decimoquinto:* sive post *Caroli* obitum primo, cum *Petrus* aliquot ante annos obiisset. Prout autem uterque eorum suam quisque separatim juxta caput habet inscriptionem; sic etiam nos hoc loco exhibemus. Inferne vero subscriptum sic extat: *Antonio Perenotto, Cardinali Granvelano, Natalis Bonifacius D. D. Anno Jubilæi MDLXXV. Romæ apud Laurentium Vaccarium:* nec ejusdem Cardinalis Stemma ibidem deest gentilitium. Ejusdem porro Iconis, tanquam Cardinali *Sirleto* dicatæ, mentionem facit in Historia sua Pontificali *Joannes Franciscus Besurius*, in testimonium mutuæ familiaritatis, quinetiam spiritualis cognationis, quæ *Carolum* inter ac *Petrum* viguisset. Qualem profecto nos Iconem accepimus, en illam, & accuratissime fidelissimeque rescalptam.

XXIX. Mortuo *Petro Oldrado*, hujus Urbis Archiepiscopo, succedit *Oldepertus*: itemque mortuo Monasterii hujus Abbati *Benedicto* succedit *Arigausus*: & huic ille Oratorium donat Sancti *Vincentii* in Prata, sive in Prato, quemadmodum nos hodie appellare consuevimus, Hinc *Tristanus Chalcus* Historiæ Patriæ libro quinto, ad Annum Christi 804. ita subdit: *Sub idem tempus Mediolani Oldepertus, qui in Archipiscopatu Petro successerat, donat Arigauso Abbati Ædem Divi Vincentii in Prato; ut jam tunc vulgo nuncupabatur.* Sed re quidem vera tunc vulgo nuncupabatur *in Prata*; ut mox constabit. Super ejusmodi Donatione Litteras nos habemus authenticas, ipsiusmet *Oldeperti* manu subscriptas. Quæ quia ægre admodum ac nonnisi per summam patientiam intelligi a nobis potuerunt: quæve, quod magis dolendum est, injuriis temporum graviter succubuerunt, pergamena multis jam in locis absumpta, sibique ipsi difficulter coherente; propterea nobis operæ pretium visum est, quales quales jam sunt, hoc illas loco transcriptas inserere ac, priusquam deteriora patiantur. Eædem vero datæ fuerunt Anno Domnorum *Caroli* & *Pipini* in *Italia* Regum Trigesimo secundo & Vigesimo quinto, Mense Januario, Indictione Quartadecima; & proinde, juxta supputationem temporum a nobis præmissam, Anno *Christi* Octingentesimo sexto: atque tempestatis illius barbarie scatentes, in hunc modum se habent: A.C. 806.

ODELPERTUS, per Dei gratiam.... Mediolanensis Ecclesiæ Archiepiscopus, Arigauso Abbati Monasterii nostri Sancti Ambrosii, UBI EJUS SANCTUM CORPUS REQUIESCIT, dilecto fideli..... Nibil minus, sed magis ad profectum Ecclesiæ nostræ Sanctæ Mediolanensis & ad augmentum ampliorem proficiscere (sive *proficere*) *credimus; si his sumus largiti beneficium.... Ecclesiæ nostræ, qui Deo omnipotenti, a quo omnia bona suscipimus quæ habemus, sedola* (nempe *sedula*) *devotione deservire concupiscunt. Qua de re manifeste..... & quod tu, qui supra Arigausus Abbas petisti a nobis, uti tibi Oratorium Sancti Vincenti, Levitæ & Martyris Domini nostri Jesu Christi, ædificatum in in Curte nostra Prata..... nomine, diebus vitæ tuæ tibi concedere deveremus* (hoc est, *deberemus*) *Nos denique considerantes Dei omnipotentis misericordiam, & nominatum servitium fidelem, sive & animæ... mercedem, eo quod tu, qui supra, Arigausus Abba die noctuque continuatis precibus ad ipsum sanctum locum,* UBI CORPORA BEATISSIMORUM MARTYRUM CHRISTI, PROTASII & GERVASII QUIESCUNT...... PER ET BEATI AMBROSII CONFESSORIS *officiis consistens, ibidem devotionem integram deserviendum frequentare videris; ideoque concedimus tibi Arigauso Abbæ ipsum Oratorium.... Curte nostra Prata, sive cum...... Massariis, aldiones, vel quidquid præsenti die ad prædictam Curtem nostram Pratam, ut diximus, & ad ipsum Oratorium Sancti Vincenti pertinere provantur* (nempe *probantur*)... *aliter tua fidelitas ad prænominatum sanctum locum meliorem ad deserviendum devotionem integram diebus vitæ tuæ magis magisque ad implere festum....: Ea igitur ut statim prædictam Curtem post tuum, qui supra Arigausi Abbatis obitum, ad jura & gremium Sanctæ nostræ Mediolanensis Ecclesiæ cum omni integritate sua, ut ipsam tibi concessimus, revertatur: & statuimus per hunc nostræ Concessionis Præceptum, ut nullus admodum neque Nos, neque ex nostris Successoribus, vel subjectis nobis, de.. quæ tibi superius contulimus habenda, molestare, aut expellere præsumat.... habemus hunc nostræ firmitatis Præceptum quiete, ut statuimus, diebus vitæ tuæ prædictum Oratorium & ipsam Curtem. .... supra statuimus...... permanere debeat firmatum, quod......... mitatis nostræ Præceptum Benedicto Subdiacono Sanctæ nostræ Mediolanensis Ecclesiæ.... jussimus &............ roborem manibus nostris.......... tibi pro munimine tradidimus construendum, Anno Domnorum nostrorum Caroli & Pepini Regum hic in Italia Trigesimosecundo, & Vigesimoquinto, mense Januario, Indictione quartadecima.*

Odelpertus, per Dei gratiam Sanctæ Mediolanensis Ecclesiæ Archiepiscopus, in hoc Præcepto manu mea subscripsi.

XXX. Hactenus *Oldepertus*. Quemadmodum autem



CAROLUS MAGNUS, *Imperator.*


BIBLIOTECA UNIVERSITARIA
SEVILLA



PETRUS OLDRADUS,
Mediolanensis Archiepiscopus.



tem per ea tempora moris erat, ut Archiepiſcopus noſter e Cleri Metropolitani corpore aſſumeretur; ſic etiam tanto pronius *Oldepertum* iſtum ego crediderim eum ipſum eſſe, quem paulo ante videbamus ſub nomine *Oldeberti*, Sanctæ *Mediolanenſis* Eccleſiæ Presbyteri, tertiodecimo ſe loco ſubſcribentem Privilegio *Petri Oldradi* Archiepiſcopi. Privilegii tamen illius exemplar, cujus beneficio uti fruique nobis datum eſt, nonniſi tranſumptum erat: Litteras vero iſtas certiſſimum eſt authenticas eſſe, atque ipſius *Oldeperti* manu ſubſcriptas. Quocirca par omnino eſt, ut, harum potius habita ratione, *Oldepertus* a nobis vocitetur; non autem *Oldipertus*, aut *Oldibertus*, neque *Oldobertus*, aut *Olibertus*, vel *Odbertus*, vel *Edelbertus*, neque *Alipertus* aut *Alibertus*; quemadmodum alii Scriptores, prout cuique viſum eſt, variarunt. Sed nobis longe adhuc magis eorum diſplicet error, his itidem Litteris abunde confutatus: qui eundem *Oldepertum* ſcripſerunt in Archiepiſcopatu iſto regendo anteriorem fuiſſe *Petro Oldrado*: vel etiam illum exiſtimarunt promotum fuiſſe ad Archiepiſcopatum quo tempore *Romanam* Eccleſiam *Stephanus* jam Quintus regebat; quaſi vero is eam regere non incœperit Anno Domini Octingenteſimo decimoſexto, die Junii vigeſimaſecunda. Et hæc de *Oldeperto* ſatis.

XXXI. De *Arigauſo* autem Abbate tacendum in primis non eſt, hunc nobis eundem prorſus videri cum *Arigauſo* illo, qui Anno *Chriſti* Septingenteſimo octogeſimo quarto Monachus atque Subdiaconus hic habitabat una cum *Benedicto* primo Abbate, ac *Buniperto* Diacono; ut ſupra jam diximus Num. 14. Ceterum Sancti *Vincentii* Oratorium illud, quo donatus fuit *Arigauſus* Monaſterii hujus Abbas, nihil ego repugnarim, quominus idem cenſeatur cum ea Sancti *Vincentii* Aede, ſive Eccleſia, in Prato, ut vulgo etiamnum dicitur, cui nexum fuiſſe Monachorum Cœnobium poſtea videbimus. Atqui, num eo jam tempore hoc illi nexum eſſet: ſic etiam, utrum *Arigauſum* eo fuiſſe Oratorio donatum perinde ſit atque fuiſſe conſtitutum illius Cœnobii Abbatem: ſuperiores profecto illæ *Oldeperti* Litteræ me penitus ab eo avertunt, ut iſthæc affirmem. Si Cœnobium eo jam tempore illic erat: ſi Monachi Divina jam tum perſolvebant in ea Eccleſia; quidni etiam poteſtatem habebant in eandem? Ergone vero Archiepiſcopus, ne requiſito quidem ipſorum conſenſu, eandem tanquam pleniſſimo penes ſe ſolum jure donaſſet *Arigauſo*, quamdiu viveret inter mortales? Itane *Petrus Oldradus* cum *Forte* Diacono, Baſilicæ hujus & Cellæ *Ambroſianæ* Cuſtode, ſe geſſit, quando Monachis & *Benedicto* Abbati hanc ipſam Baſilicam & Cellam tradidit in poteſtatem, juriſque poſtmodum ipſorum eſſe voluit? Nimirum ne illi quidem ita ſe gerere licebat. Quid, quod etiam *Oldepertus* ipſimet *Arigauſo* non Oratorium illud ſolummodo, ſed etiam Prædium & Curtem illam, in qua illud ſitum erat, univerſam cum ſuis omnibus juribus & bonis quam liberaliſſime donavit? Quid, quod etiam iſthæc ita donavit, ut poſt illius obitum, non ad Cœnobii ullius ullorumque Monachorum, ſed ad jura & ad gremium Sanctæ *Mediolanenſis* Eccleſiæ, tamquam priorem ad dominum & poſſeſſorem, integra, ſicut antea fuerant, redirent? Solus igitur Archiepiſcopus, Eccleſiæ ſuæ nomine, ditionem ac poteſtatem ſicut antehac habuerat; ſic etiam ſibi uni, poſtquam *Arigauſus* obiiſſet, reſervabat in eam Curtem, in illud Oratorium, & in omnia bona, quæ ad eandem Curtem & Oratorium pertinerent. Anno itaque *Chriſti* Octingenteſimo ſexto necdum ibi conſtructum fuerat Monaſterium, necdum illic Monachi habitabant. Quocirca neque tunc illorum Abbas conſtitutus fuit *Arigauſus*; quinimmo ſolius *Ambroſiani* hujus Monaſterii Abbas & erat & deinceps perſeverabat. Talibus ergo permoti nos quidem indiciis & argumentis, libere diſſentimus a *Joanne Antonio Caſtellionæo*, Antiquitatum Baſilicæ *Vincentianæ* (de qua ſcilicet in præſenti egimus) Parte Prima, Faſciculo Sexto: ubi etiam perperam (dicendum eſt enim) in hanc ſuam ſententiam interpretatus fuit ea ipſa *Triſtani Chalci* verba, quæ nos item paulo ante produximus.

XXXII. Defunctus poſtea *Oldepertus* Archiepiſcopus, in *Ambroſiana* iſta Baſilica ſepelitur. Ecce tibi teſtimonium ex Archiepiſcoporum noſtrorum Catalogo, Actis Eccleſiæ *Mediolanenſis* inſerto. *Alibertus* (ſic enim pro *Oldeperto* hic vocatur) *Craſſus*, *Mediolanenſis*, *Stephano Quinto Pontifice* (verius nos dicemus, *Leone* Tertio ejuſdem *Stephani* deceſſore: qui creatus Anno Domini Septingenteſimo nonageſimo quinto, deceſſit Octingenteſimo decimoſexto) *Calendis Octobris Archiepiſcopus pronunciatus*, *admirabili vigilantia præfuit annos novem*, *menſes ſeptem*. *Obiit pridie Calendas Martii*. SEPULTUS IN BASILICA SANCTI AMBROSII. In hoc ipſum conſentit etiam Catalogus alter Manuſcriptus Nobiliſſimi Viri *Uberti Mariæ* Vicecomitis (de quo nos alias opportuniore loco dicturi ſumus) *Joanne Baptiſta Regio* hac in Urbe Senatore præſtantiſſimo geniti, ac Metropolitanæ Baſilicæ recenter e Præpoſito Archipresbyteri (quæ poſt Archiepiſcopum ſuprema ibi eſt Dignitas) præterquam quod etiam quod ſeriem temporum propius adj veritatem accedere, ac noſtræ ſupputationi congruerere videtur. Inquit enim: *Olibertus*, (en aliter variatum Archiepiſcopi hujus nomen) *Mediolanenſis*, *Archiepiſcopus Quinquageſimus primus*, *Anno Domini Octingenteſimo quarto*, *primo Octobris*, *efficitur*. *Sedit annis novem*, *menſibus ſeptem*. Ac denique: *Obiit prædictus Olibertus Anno Domini Octingenteſimo decimoquarto*, *quinto Calendas Maji*. JACET AD SANCTUM AMBROSIUM.

XXXIII. *Bernardum*, *Pipini*, e *Carolo* Magno nati, filium, ejuſdemque propterea *Caroli* nepotem, Num. 26. dicebamus, Anno *Chriſti* Octingenteſimo decimotertio *Modoëtiæ* ab Archiepiſcopo *Mediolanenſi* coronatum *Italiæ* Regem fuiſſe: necnon etiam eodem Anno *Ludovicum*; ejuſdem *Caroli* filium, & *Aquitaniæ* jam Regem, ab ipſo fuiſſe in conſortium Imperii aſcitum: ſequenti autem Anno *Carolum* ipſum ex hac vita migraſſe. Nunc, juxta temporum ſeriem, de *Caroli* ejuſdem glorioſa in conſpectu Domini morte; quia Monaſterium iſtud talem tantumque ſui Confirmatorem, ſanctitatis etiam gloria inſignem, ſibi gratulatur: deinde autem, ac paulo quidem uberius, agemus de *Bernardi* Regis miſeranda nece; quippe quem, Regno & oculis privatum, tumulo excepit honorifico, nec ſine regia pompa; cujus etiam reliquias nos ipſi non ita pridem conſpeximus, & infra ego fideliter deſcribam.

XXXIV. Tantus igitur *Occidentis* Imperator, & Eccleſiæ *Catholicæ* Aſſertor, & *Italiæ* Reſtitutor, ac de Monaſterio iſto benemeritus, Anno *Chriſti* A.C.
Octingenteſimo decimoquarto, Regni *Gallici* poſt 814.
mortem *Pipini* patris Quadrageſimo ſeptimo *Italici* Quadrageſimo, Imperii Decimoquarto inchoato; ætatis vero ſuæ Septuageſimo ſecundo *Aquiſgrani* migravit ex hac vita, die vigeſima octava Januarii, poſtquam Oleo Sancto inunctus, & Viatico cœleſti refectus, ſpiritum ſuum Domino commendaſſet. Inde contemporaneus ejus Vitæ Scriptor, & Engoliſmenſis Monaſterii Monachus, *a Baronio* etiam citatus, ſic habet: *Oleo autem Sancto inunctus ab Epiſcopis, & Viatico ſumpto, & omnibus ſuis diſpoſitis, commendans Domino ſpiritum ſuum obiit in pace, Anno Octingenteſimo quartodecimo ab Incarnatione Domini noſtri Jeſu Chriſti*. Conſentit etiam *Theganus*, *Trevirenſis* per ea tempora Chorepiſcopus, in hæc verba: *Septimo die*, *poſtquam laborare cœpit*, *juſſit*, *familia-*

rissimum Pontificem suum Hiltibaldum venire ad se, ut ei Sacramenta Dominici Corporis & Sanguinis tribueret; ut exitum suum confirmaret. Quo facto, laboravit in infirmitate diem illum, & noctem sequentem. In crastinum vero, luce adveniente, sciens quod facturus erat, extensa manu dextra, virtute, qua poterat, signum Sanctæ Crucis fronti imprimens, & super pectus, & omne corpus consignavit. Novissime autem colligens pedes suos, extendens brachia & manus super corpus, clausit oculos, psallens hunc Versum leniter: In manus tuas commendo spiritum meum. Statim post hæc in senectute bona plenus dierum perrexit in pace. Deinceps vero de ipsius sepultura idem Historicus hæc subdit, scitu profecto dignissima: *Corpus ejus aromatizatum est, & in sede aurea sedens positum est in curvatura sepulchri, ense aureo accinctus, Evangelium aureum tenens in manibus, & genibus reclinatis, humeris in cathedra, & capite honeste erecto, ligato aurea catena ad diadema: & in diademate signum Sanctæ Crucis positum est. Et repleverunt sepulcrum ejus aromatibus, pigmentis, & balsamo, & musco, & thesauris multis in auro. Vestitum est corpus ejus vestimentis imperialibus: pera peregrinalis aurea posita est, quam Romam portare solitus erat. Sceptrum autem & scutum aureum, quod Leo Papa consecraverat, ante eum posita sunt dependentia. Et clausum & sigillatum est sepulchrum ejus. Nemo autem referre potest, quantus planctus & luctus pro eo fuerit per universam terram. Etiam inter Paganos plangebatur quasi Pater Orbis.* Eadem porro die, qua obierat, sepultus *Aquisgrani* fuit in Ecclesia Beatissimæ Virginis a se magnificentissime constructa, sicut affirmat *Egenhardus*, rerum Scriptor clarissimus, & cum hac quidem Inscriptione in deaurato supra tumulum arcu: SUB HOC CONDITORIO SITUM EST CORPUS CAROLI MAGNI, ATQUE CATHOLICI IMPERATORIS, QUI REGNUM FRANCORUM NOBILITER AMPLIAVIT, ET PER ANNOS QUADRAGINTA SEPTEM FOELICITER TENUIT. DECESSIT SEPTUAGENARIUS ANNO DOMINI OCTINGENTESIMO DECIMOQUARTO, INDICTIONE SEPTIMA, QUINTO KALENDAS FEBRUARII. Ceterum *Carolus* hic re quidem vera Magnus in terris, verissime præterea (quod maxime omnium interest) Magnus fuit in Regno Cœlorum, ubi regnat & & triumphat in secula seculorum, Amen. Quamobrem Catholica etiam Ecclesia ipsum in Sanctorum numero veneratur: multaque per *Galliam Belgium* & *Germaniam* Templa jam extant, vel ejus nomini consecrata, vel in quibus Ecclesiastico saltem Officio annua ipsius memoria solemniter celebratur. Qua de re videri possunt, sub die vigesima-octava Januarii, *Joannes Molanus* in Additionibus ad Martyrologium *Usuardi*, & in Natalibus Sanctorum *Belgii*, quibus etiam consentit in eorundem Sanctorum Indiculo: *Petrus Galesinius* & *Maurolycus* in suis Martyrologiis: *Philippus Ferrarius* in Catalogo Sanctorum, qui non extant in Martyrologio *Romano*: *Aubertus Mireus* in Fastis *Belgicis* & *Burgundicis*: ac *Petrus de Natalibus* in suo Catalogo Sanctorum, Lib. 11. Cap. 94. Sic etiam legi possunt *Baronius* in Annalibus ad Annum 814. & *Mattheus Raderus* in sua *Bavaria* Sancta: quo in loco Sancti hujus Imperatoris Vitam latius prosequitur, quam *Petrus de Natalibus* quam *Molanus*, & quam *Miræus*, in locis proxime citatis. Hactenus lætissima. De *Bernardo* Rege mœstiora, quam vellemus, succedunt; maxime vero etiam, quia mentionem injucundam simul includunt *Anselmi Mediolanensis* Archiepiscopi: qui tamen & ipse demum intra Basilicæ hujus ac Monasterii septa, &, nisi fallimur, in ipsomet *Bernardi* Regis tumulo conditus fuit.

XXXV. *Ludovicus* jam solus Imperium, *Italiæ* vero Regnum *Bernardus* administrabat; cum hic aperte ab eo deficit, in eumque conjurat Anno *Christi* Octingentesimo decimoseptimo. Conjurationem istam & ejus exitum *Tristanus Chalcus* lib. 5. ad Annum *Christi* Octingentesimum decimum-octavum hisce summatim verbis perstringit: *Regnantem in Italia Bernardum, fama est, cum Episcopis quibusdam & Primoribus Urbium adversus Imperatorem conjuravisse: &, prælio victum, ultimo affectum supplicio fuisse: Rheginon vero* (Abbas utique *Prumiensis*, & Historicus, qui *Bellarmino*, in libro *De Scriptoribus Ecclesiasticis*, floruisse videtur circiter Annum *Christi* Nongentesimum) *per dolum & injuriam evocatum trans Alpes, & Aquisgrani captum, ac securi percussum. Nos autem in Ambrosianis Aedibus, quæ a fundamentis subruuntur, & opere magnifico reformatur, vidimus erutam novissime Tabulam marmoream, sic inscriptam:* BERNARDUS, CIVILITATE MIRABILIS, CÆTERISQUE PIIS VIRTUTIBUS INCLYTUS REX, HIC REQUIESCIT. REGNAVIT ANNOS QUATUOR, MENSES QUINQUE. OBIIT DECIMOQUINTO KALENDAS MAJI, INDICTIONE DECIMA, FILIUS PIÆ MEMORIÆ PIPINI. *Cadebat autem id tempus in Annum Christianum Octingentesimum decimum-Octavum.* Hæc strictim *Chalcus* noster: in quibus nec Archiepiscopum nostrum expresse conjuratis illis Episcopis adnumerat; nec alibi, quam *Mediolani*, *Bernardum* Regem obiisse, significat; & hoc ex illamet colligere videtur Tabula, tunc temporis eruta & comperta: quo sine dubio in errore versatur *Ludovicus Cavitellius* in Annalibus *Cremonensibus*, ad Annum *Christi* 820. Certe autem *Chalcus* novissimum illud memorans tempus, quo marmoream illam Tabulam viderat erutam, precise innuit Annum *Christi* Millesimum quadringentesimum nonagesimum-octavum: quo quidem Anno *Ludovicus Sfortia*, *Mediolani* Dux, magnificentissimi hujus, quale in præsenti conspicitur, Monasterii fundamenta jecit, quemadmodum ego quoque alias in tempore memorabo. Per ea siquidem tempora *Chalcus* hæc scribebat; cum scribendæ *Mediolanensis* Historiæ provinciam suscepisset biennio post, quam *Georgius Merula*, Vicecomitum Antiquitatis Scriptor, obierat; sicut ex ejusdem *Chalci* Præfatione constat. Teste autem *Jacobo Philippo Bergomensi* in Supplemento Supplementi Chronicorum, lib. 16. ad Annum *Christi* 1490. *Georgius Merula* obierat Anno Millesimo quadringentesimo nonagesimo quarto. Quod autem idem *Chalcus* solam nominet eam Tabulam sepulchralem; nihil tamen hoc obest, quominus etiam tunc una simul effossum intelligamus illud ipsum *Bernardi* sepulchrum, quod apud nos hodieque Tabula illa coopertum conservatur: & de quo paulo infra uberius loquemur.

XXXVI. Nos igitur in præsenti defectionem istam distinctius aliquanto & plenius describamus: testeque ante alios utamur vetusto illo Vitæ *Ludovici* hujus Imperatoris, cognomento *Pii*, Scriptore: quo fideliorem gravioremque *Baronius* non habuit, quem super hac re in suis Annalibus proferret ad Annum *Christi* Octingentesimum decimumseptimum, Art. 16. Sic autem ille narrat: *Quod* (sive *Bernardi* conjurationem) *cum certis nunciis referentibus, maxime vero Rathaldo Episcopo & Sappone, certissime cognovisset: contractis undique copiis, tam ex Gallis, quam ex Germania, cum maximo exercitus robore Cabillonum usque pervenit. At Bernhardus cum se cerneret viribus imparem, & ad cœpta inefficacem, utpote a quo plurimi eorum quotidie deficerent; desperatis rebus, ad Imperatorem venit, armisque depositis, pedibus se ejus prostravit; confessus, perperam se egisse. Sed & concinnationes, quomodo cœptam rebellionem & quare inchoaverint, & ad quem finem inchoatam*

tam perducere voluerint, *quosve complices sibi allexerint*, *ad primam prodiderunt interrogationem. Fuere sane hujus conspirationis auctores Egiddeo*, *regalium amicorum primus: Reginerius*, *olim Comes Palatii Imperatoris: & filius Reginerii Comitis: sed & Reginardus*, *Præpositus Cameræ regalis. Erant autem hujus sceleris conscii quam plures Clerici*, *seu Laici: inter quos*, *aliquos Episcopos hujus tempestatis procella involuit*, ANSELMUM *scilicet* MEDIOLANENSEM, *Wolfoldum Cremonensem*, *sed & Theodulfum Aurelianensem. Postquam vero defectionis prolati sunt principes*, *& custodiæ mancipati*; *sicuti decreverat*, *hyematum regreditur*; *ibique*, *usquedum sacram Paschæ solemnitatem celebraret*, *remoratur. Post cujus festivitatis transactam celebritatem*, *Bernhardum hactenus Regem*, *ejusque fautores in supradicto scelere*, *cum lege judicioque Francorum deberent capitali invectione feriri*; *suppressa tristiori sententia*, *luminibus orbari consensit*; *licet multis obnitentibus*, *& animadverti in eos tota severitate legali cupientibus. At vero*, *licet Imperator indulgentius ageret*; *ultio tamen eliminata*, *ad effectum in aliquos est perducta. At enim Bernhardus & Reginerius*, *dum impatientius oculorum amissionem & ablationem tulerunt*, *mortis acerbitatem sibi consciverunt. Episcopos porro hac immanitate constrictos*, *ab Episcopis reliquis depositos*, *Monasteriis mancipavit.* Cui quidem narrationi congruit etiam Chorepiscopus quem paulo ante nominabam, *Theganus* Num. 22. qui mox Num. 23. sic etiam subdit: *Tertio die post amissionem luminum Bernhardus obiit. Quod audiens Imperator*, *magno eum dolore flevit multo tempore*, *& confessionem dedit coram omnibus Episcopis suis: & judicio eorum pœnitentiam suscepit propter hoc tantum*; *quia non prohibuit*, *Consiliarios suos hanc crudelitatem agere. Ob hanc causam multa dedit pauperibus propter purgationem animæ suæ.* Poteratne magis hac in parte pium Imperator se ostendere?

XXXVII. Ex his ergo tantæ fidei & authoritatis Testibus nos accipimus, quali mortis genere, quove in loco *Bernardus* Rex obierit. Obiit enim, non securi percussus, ut *Rheginon* scribebat, & *Georgius Merula*, *Antequitatis Vicecomitum* lib. 2. non longe ab initio: non gladio cœsus, ut *Joannes Nauclerus* in sua Chronographia, Volumine secundo, Generatione vigesima octava: non capitali supplicio punitus, ut *Jacobus Philippus Bergomensis* in Supplemento Chronici Chronicorum ad Annum *Christi* Octingentesimum decimum tertium; sed nimio propter excæcationem mœrore confectus: nec alibi obiit, quam *Aquisgrani*, quo scilicet post deditionem captivus fuerat deductus. Iisdem sic etiam Testibus inter ceteros ejusmodi conjurationis consortes dignoscimus *Anselmum*, *Mediolani* Archiepiscopum: eundemque (sicut & alios Episcopatu quemque suo) videmus Archiepiscopatu propterea privatum, &, instar exilii ac relegationis vel carceris, Monasterio mancipatum. De hujusmodi Præsulibus hoc idem, tacito *Anselmi* nomine, in universum affirmat, ad Annum *Christi* Octingentesimum decimum octavum, alter ille vetustus & gravis Annalium *Francorum*, ab Anno Domini Septingentesimo decimo quarto usque ad Octingentesimum octuagesimum tertium, Scriptor, qui e Bibliotheca *Petri Pithæi* primum typis editus fuit *Francofurti* Anno 1594. quod ipsum facit etiam *Jacobus Philippus Bergomensis*. Atqui *Nauclerus* ipsummet diserte nominat etiam *Anselmum*: nec eundem tacet *Sigonius* De Regno *Italiæ* lib. 4. ad Annum *Christi* 817. Quoniam vero ex omnibus hisce Scriptoribus non obscure præterea colligitur, eundem *Anselmum* una cum *Bernardo Aquisgranum* in custodiam deductum fuisse; certe sequitur, ut illic etiam ille idem tunc temporis extiterit, quando *Bernardus* tertio ab excæcatione die diem clausit supremum.

A XXXVIII. Porro *Bernardi* corpus (verba sunt *Baronii* ad Annum *Christi* 817. Art. 18.) *delatum fuisse Mediolanum*, *sepultumque in Ecclesia Sancti Ambrosii*, *Inscriptio illic posita docet. Quæ sic se habet: Bernardus civilitate mirabilis &c.* quemadmodum nempe supra e *Chalco* recitavimus; nisi quod Indictionem ille pro rei veritate, quam Tabula ipsa marmorea hodieque testatur, numerat decimam; *Baronius* vero, sicut & *Sigonius* ad Annum 818. undecimam: quorum errorem secutus item fuit *Bartholomæus Zucchius Modoëtiensis* in libro suo *Italico* de Corona Ferrea, deque Regibus & Imperatoribus ea coronatis. Prosequitur *Baronius*: *Factum autem* B *opera Anselmi Mediolanensis Episcopi*, *ejus studiosissimi*, *ut transferretur ejus corpus Mediolanum*, *existimare possumus.* Quæ quidem *Baronii* conjectura mihi usque adeo probatur, ut ejusdem Archiepiscopi ære constructum præterea *Bernardo* tumulum arbitrer, regiumque omnem funeris apparatum, qualem proxime indicabo: utque propterea tumulo eodem ipsemet postea conditus fuerit; quemadmodum traditione Majorum apud nos creditur; fidemque nostram confirmant etiam Insignia Episcopalia cadaveris alterius, illic *Bernardo* e latere sinistro adjacentis. Aliena (non inficior) *Anselmus* opera tunc temporis apud Imperatorem sibimet ipsi indigebat; quippe C cujus Majestatem læserat inita cum *Bernardo* conjuratione; in cujus pœnam & ipse mox, Archiepiscopatu jam privatus, in hoc ipsum (sicut e traditione itidem Majorum interpretamur,) *Ambrosianum* Mediolani Monasterium *Aquisgrano* amandandus, velut in exilii latebram & carcerem, esset. Atqui, postea quam ex inopinata *Bernardi* morte tam seria excæcationis pœnitentia, tam gravis dolor & luctus pium Imperatorem palam subiisset; quidni facile poterat *Anselmus* in tanta opportunitate, vel per se, vel per alium, citra omnem offensionem, ab ipso petere ac impetrare, ut *Bernardi* corpus secum deferret *Mediolanum*, tamquam suo nuper in Regno hic sepeliendum saltem cum honore?

D XXXIX. Marmoreo igitur & quadrato, nec tamen magni sumptus & impensæ, sepulchro, sed non sine regia funeris pompa, conditus ille fuit. Sepulchrum autem istud vel ipsamet sui forma & structura satis prodit, se pariter ab initio consitum parieti fuisse; ita ut ab una tantum & anteriori parte conspicuum esset. Sed ex allatis jam *Tristani Chalci* verbis liquido constat, hocipsum postea occultatum fuisse, humo scilicet intra Monasterii ambitum alte aggesta (quæ quidem in præsens æqualiter ad planum excrevit usque adeo, ut altitudine trium & amplius cubitorum superet hodiernum Basilicæ paviE mentum) itaque rursus apparuisse Anno Domini Millesimo quadringentesimo nonagesimo octavo, quando per occasionem Monasterii ab imis fundamentis opere magnifico reformandi erutum fuit. Exinde siquidem sub veteri ea porticu, quam supra descripsimus Num. 19. procul ab ejusdem porticus pavimento circiter unius cubiti mensuram, insitum parieti & in aperto a parte anteriori collocatum fuit prope alterum *Guillelmi Cottæ* Abbatis sepulchrum; quemadmodum etiam tribus ab hinc annis ibidem conspiciebatur. Etenim Anno tantum Millesimo sexcentesimo trigesimo octavo paululum inde noster Abbas illud amoveri fecit, & in alterum transferri F parietis latus, ubi nunc est, videlicet è regione oppositum Epitaphio *Manliæ Dædaliæ*, cujus mentionem Numero illo 19. faciebamus.

XL. Tunc igitur, eo detecto, quinetiam soluta ejusdem campage (sicut oportebat, ut inde transferri posset) commodissime, quid inesset, accuratissimeque inspeximus, quinetiam propriis manibus contrectavimus. Marmoreo conditorio arca inerat e quernis & bene crassis asseribus compacta, operimen-

rimento clavis occluso, & pice insuper undique illita: ejusque longitudo quatuor circiter erat cubitorum, latitudo autem duorum. Bina illic in longum jacebant hominum cadavera, nec ea putrefacta: quorum pellis & caro quia ossibus inter se disjunctis arefacta adherebat; propterea opobalsamo & aliis ejusmodi odoramentis eadem medicata censuimus. *Bernardi* Regis cadaver illic fuisse dexterum, indicio & argumento fuit; quia a latere ipsius dextro regium e ligno picto simul & aurato extaret sceptrum; & quia regio cadaver illud amictu indutum esset. Sericus, & candidus, & *Damascena*, sicut hodie nos loquimur, arte contextus hic erat: necnon etiam superadditis ornamentis sericis & auro intextis in extremitate circumdatus, maxime autem in utraque anteriori. Tam sinuosus vero amplus & oblongus erat ejusmodi amictus, ut non minus, quam tricenas textilis ejus mensuras cubitales, capere nobis videretur. Qua suberat cadaveri, jam putruerat; non sic autem, qua sinuatus illud hinc inde ambiebat. Simul etiam prope aderant multa sericorum rubri coloris funiculorum frusta: sed, quem fuerint ad usum, frustra fuit a nobis investigatum. Superstites adhuc e corio rubro calcei utrumque pedem contegebant: iidemque ligneam quisque soleam, hinc inde coriaceis insutam, habebant. Tam vero apte presseque ad suum quisque pedem juxta ordinem digitorum congruebant, in acutum versus primorem digitum desinentes, ut calceus dexter nonnisi dextro pedi, quamdiu integer ille erat, sinisterque sinistro adaptari potuisset. Ceterum quisque calceus duabus tantum corii partibus invicem consutis, pedem ita contegebat, ut anterior corii pars in suprema versus crura extremitate aliquantulum scissa in longum esset, illicque pedi ligamine adstringeretur, ad eum prorsus modum, quo rusticana hodie calceamenta factitari solent. Sed & *Bernardi* pedibus ita calceatis aurata induerant calcaria ex ære, quod nos vulgo *Rame* nominamus. Figuræ tamen illa erant parum admodum ab hodiernis & nostratibus diversæ. In exterioris cornu extremitate parvum erat & rotundum foramen, e quo superne fibula, inferne autem ansula eodem ex ære pendebant. Ansulæ consita claviculo erat corrigia e corio, rubri pariter coloris: quæ desub pede per alterum inferioris cornu foramen modice longum deducta, & illi fibulæ inserta calcar pedi adstringebat. Rotula vero e calcaris dorso modice prominens, senis & per brevibus circum radiis acuminata vergit deorsum. Hæc ad *Bernardi* Regis cadaver spectantia. Quæ vero ad alterum ipsi adiacens, sunt hujusmodi: Episcopalis nempe tum Mitra ad caput, tum etiam Baculus, sed ligneus, ad latus dexterum, itemque annulus ex argento, & gemmatus, & auratus. Hoc ipsum cadaver, ut antea dicebam, e Majorum traditione accepimus, Archiepiscopi esse *Anselmi*, *Bernardo* addictissimi; ut propterea cum ipso etiam mortuus condormiscere voluerit: de quo quidem *Anselmo* reliqua postmodum prosequemur. Talibus ergo amborum exuviis una cum cineribus ex arca extractis, marmoreus tumulus & arca in eum translata fuere locum, ubi nunc sunt. Cumque solemne Officium pro eorum Defunctorum salute ab universo Monasterii conventu celebratum fuisset; Abbas noster eum ipsum locum rite benedixit: quæve omnia prius inerant arcæ, illic eodem, quo prius, ordine composita, & bene occlusa fuerunt; calcaribus exceptis, quæ mihi ego retinui, quæve rursum ante oculos posita in præsenti attente conspiciens tibi quoque, Lector, ad purum & sincerum descripsi.

XLI. *Anselmus*, ut dictum est, *Aquisgrani* ab Episcopis propter initam cum *Bernardo* conspirationem privatus etiam fuerat Archiepiscopatu *Mediolanensi*. Verumtamen non illi propterea, quo adusque vixit, quempiam opinor substitutum; quemadmodum de suo illo *Cremonensi* Episcopo fatentur *Ludovicus Cavitellius* in Annalibus *Cremonensibus* ad Annum *Christi* 820. & *Blasius Rubeus* in Tabula Dypticha Episcoporum ejus Ecclesiæ Num. 29. ubi etiam depositionis & substitutionis tempus falso conjiciunt, ille in Annum *Christi* Octingentesimum vigesimum, hic autem in vigesimum primum; cum depositio certe (quicquid sit de substitutione) in Annum inciderit Octingentesimum decimum octavum. Eundem quinimo *Alselmum* sicut ad munus Archiepiscopale postea restitutum nanciscor; sic etiam ipsi prius placatum fuisse pium Imperatorum existimo. *Carolus* certe *Sigonius De Regno Italiæ lib.* 4. ad Annum *Christi* 821. hæc narrat, quæ mihi & ad præsens & ad alterum postea institutum peropportuna erunt: *Octobri mense, cum conventus apud Theodonis Villam ageretur, Lotharius, Ludovici filius, Hirmingardem, Hugonis Comitis filiam, duxit. Eæ nuptiæ cum aliorum, tum in primis Legatorum Pontificiorum, Theodori Primicerii & Flori, præsentia honestatæ. Affuere quoque Duces, qui, populata Pannonia, pugnandi nulla facultate ab hoste data, reversi erant. In tanta gratulatione Ludovicus iis, qui cum Bernardo conjuraverant, ad se productis, non solum vitæ, sed etiam bonorum, quæ redacta in publicum fuerant, gratiam fecit.* Hæc ibi *Sigonius*. Subinde autem paulo post, ad Annum 822. prope finem sic subdit: *Lotharius, jussu Patris in Italiam proficiscens, frequenti occursu populorum excipitur, ac rite ab Archiepiscopo Rex Modoëtiæ coronatur.* Quid si vero non ab alio (nempe *Mediolani*) Archiepiscopo *Lotharius*, quam nostro ab *Anselmo*, coronatus fuit? Nonne protinus inde confectum illud erit, quod ego de ipso concludebam? Ut autem simul etiam hic nobis opportune innotescat, quandonam postea *Lotharius* a Pontifice *Romano* coronatus fuerit Imperator, nedum Rex, sic ibidem prosequitur Sigonius: *Inde ad jus dicendum conversus* (Lotharius) *brevi moderatione ac justitia sua effecit, ut merito esset omnibus acceptissimus. Itaque proximo Anno, cum a Patre, nondum absoluta jurisdictione, revocaretur; Paschalis Pontifex eum Romam accivit, ac benigne acceptum die ipso Paschatis magna ceremonia Regem & Imperatorem, imposita de more Corona, inunxit.* Nunc ad *Mediolani* revertor Archiepiscopum, a quo *Lotharium* narrabamus *Modoëtiæ* coronatum: &, an ille fuerit *Anselmus*, inquiro. *Sigonius* quidem illic, solo Archiepiscopi cognomento contentus, ejus nomen non expressit. Sed profecto de nullo alio potest, quam de *Anselmo*, intelligi. Etenim *Anselmi* hujus successor immediatus, juxta rei veritatem communemque Scriptorum sententiam, *Bonus* fuit, vel, ut aliqui vocant, *Donus*, cognomento *Castillionæus*: & hunc *Sigonius* infra narrat Ecclesiæ præfectum *Mediolanensi* fuisse tantum Anno *Christi* Octingentesimo vigesimo nono. Qua tamen in re ipsum ego falli existimo: sicut etiam in eo, quod hisce verbis asserit ad Annum *Christi* 824. *Eodem Anno Petronax Ecclesiam Ravennatem, & Anselmus Mediolanensem accepit:* perinde ac si *Anselmus* iste sit diversus ab eo, quem ad Annum 817. inter asseclas *Bernardi* Regis nominaverat, cum diceret: *Ejus conjurationis affines ex Italia fuisse Anselmus Mediolanensis & Volfoldus Cremonensis Antistites arguuntur.* Quamquam etiam si diversus hic ab illo esset; ne ipse quidem *Sigonius* negare posset, quin idem ille *Anselmus* Archiepiscopus, *Bernardo* antehac conjuratus, *Lotharium* postea *Modoëtiæ* coronaverit; nisi forte fieri potest, ut qui Ecclesiæ *Mediolanensi* præficitur Anno tantum Octingentesimo vigesimoquarto, jam fuerit illi eidem præfectus Anno Octingentesimo vigemo secundo: quod absit ut quispiam sanæ mentis unquam existimet. In eo igitur utroque fallebatur *Si-*

Sigonius: cumque maxima exinde admiratio me teneret, meque ab ipsius Editione *Bononiensi* Anni 1580. qua usus ante hac fueram, curiose obvertissem ad *Hanoviensem* Anni 1613. illud utrumque comperi emendatum. Etenim ad Annum 829. sublata penitus fuit *Boni* ejus Archiepiscopi mentio. Ad Annum vero 824. in locum eorum, quæ citabamus, verborum hæc apposita fuere: *Eodem Anno Petronax Ecclesiam Ravennatem, & Maxentius Aquilejensem accepit.* Quamquam etiam ego (namque obiter hoc addam) *Petronacem Hieronymo* potius *Rubeo* assentior Ecclesiæ *Ravennatis* regimen suscepisse Anno *Christi* Octingentesimo decimo septimo: idque mihi satis superque videtur ab ipso comprobatum Libro quinto Historiarum *Ravennatum*, ad eum ipsum *Christi* Annum. Sed rursus ad *Anselmum* redeamus. Certe autem Catalogo nostrorum *Mediolani* Archiepiscoporum, Ecclesiæ hujus Actis inserto, *Lotharium* in *Italiæ* Regem coronasse non alius, quam ipse, his præcise verbis Num. 54. affirmatur: *Anselmus Primus, Bilius, Mediolanensis, a Clero Archiepiscopus electus, & a Paschale Pontifice confirmatus, pauperes eximia charitate dilexit:* LOTHARIUM, LUDOVICI PII FILIUM, ITALIÆ REGEM IN OPPIDO MODOETIA CORONAVIT: *Ecclesiam commissam administravit annos quinque. Obiit Quinto Idus Maji.* SEPULTUS AD SANCTUM AMBROSIUM. Constat igitur, *Anselmum* ad tantum Archiepiscopi munus, quantum erat *Italici* Regis coronatio, atque adeo ad cetera etiam munia rediisse. Quis autem ipsum credat invito rediisse Imperatore *Ludovico*, hic itidem in *Italia* regnante? Sic itaque non difficulter etiam credere nos possumus, ipsum Imperatoris gratia donatum saltem tunc temporis fuisse, quando tot alii, antehac cum *Bernardo* conjurati, & vita & ipsis etiam bonis ad Fiscum jam translatis donati fuerunt in tanta illa ob *Lotharii* nuptias gratulatione. Sed hinc præterea etiam liquet, *Anselmum* ad hanc Basilicam sepultum fuisse: id quod alii etiam communiter Scriptores affirmant. Sin autem post Ecclesiam *Mediolanensem* quinque annos administratam ille obiit; certe sequitur, ut Anno Octingentesimo vigesimo secundo obierit, paulo post quam *Lotharium* coronasset; itaut in id usque tempus eandem administrarit ab Anno Octingentesimo decimo septimo, quo quidem una cum *Bernardo* Rege conjuraverat.

XLII. Ceterum *Anselmo* substituitur sive *Bonus*, sive *Donus*, ut dicebam, *Castillionæus*: & hic item in *Ambrosiana* ista Basilica sepelitur; tanta Basilicæ huic & Monasterio jam erat reverentia & amor. De quo quidem Archiepiscopo scriptum extat in prædictis Actis: *Bonus Castillionius, Mediolanensis, Paschale Pontifice creatus Archiepiscopus, acerrimus Jurisdictionis Ecclesiasticæ defensor, sedit annos quatuor. Obiit Octavo Calendas Februarii.* SEPULTUS IN BASILICA SANCTI AMBROSII. Præstat vero etiam hic exscribere, quæ de ipso leguntur in eo Archiepiscoporum Catalogo, quem supra Metropolitani esse Archipresbyteri solita ingenuitate profitebar. *Bonus* (hæc anim præ ceteris leguntur) *Mediolanensis, Archiepiscopus Quinquagesimus tertius, Anno Domini Octingentesimo vigesimo primo* (vide, obsecro, quam prope accedat ad nostram ejusmodi annorum supputationem) *sedit annis quatuor. Confirmatus per supradictum Paschalem Papam, per nobiles Cives comitatus ad Sedem, per sex etiam nobiles Confalonerios in Sede collocatus.* Et paulo post: *Obiit autem prædictus Bonus Decimo Calendas Februarii, Anno Domini Octingentesimo vigesimoquinto.* SEPULTUS AD SANCTUM AMBROSIUM. Attende vero Lector interim primam, quæ nobis hic occurrit, nobilium, *Confaloneriorum* mentionem: qui Archiepiscopum, dum primitus ad potiundum Sede sua proficiscitur, honoris gratia comitati fuerint, & in Sede collacarint. Quod ipsum familiæ illius privilegium & decus in hanc usque diem perseverat. Legi potest Ceremoniale *Ambrosianum*, Anno denique 1619. editum, Capite secundo. Ego interim de hac nobili familia illud tantum recensebo, quod Diamas Marinonius *De origine Urbis Mediolani ac nobilium ejus familiarum* (qui liber typis nondum editus fuit) in hæc verba narrat: *Confalonerios sub Carolo Francorum Rege, dum res Lombardiæ componeret, cognomen habuisse traditum est a Vexillo, quod eorum Lingua Confalonum appellabatur. Quod nomen & nunc Romæ & in plerisque Civitatibus frequens in usu est. Illos enim Vexilliferos Carolum Confalonerios appellasse, & in Lombardia sicut Advocatos nomine suo dimisisse, in annalibus nostris scriptum est.* Exinde igitur regium illud per *Confalonerios* ministerium & obsequium Archiepiscopo sic etiam nostro, ad potiundam Sedem Archiepiscopalem proficiscenti, communicatum postea fuisse, hoc primum loco discernimus.

XLIII. *Bonum* Archiepiscopum, quarto sui regiminis anno, proindeque, sicuti nos quidem computamus, Anno *Christi* Octingentesimo vigesimo sexto vita functum, subsequitur eodem anno circa Junium mensem *Angelbertus*, hujus nominis primus. Hic eo nobis memorandus erit; quia e solemni ejus in Urbem ad capessendam Sedis Archiepiscopalis possessionem ingressu dignoscimus, id per ea tempora tamquam ex certa lege servatum, ut novus Archiepiscopus ad Basilicam recta veniret *Ambrosianam* prius, quam in Metropolitana Sedem capesseret. *Angelbertus* (sic enim testatum extat in Codice Metropolitani Archipresbyteri) *natione Mediolanensis, Archiepiscopus Quinquagesimus quartus, Anno Domini Octingentesimo vigesimo quinto* (nos autem vigesimum sextum computabamus) *sedit anno uno, mensibus duobus. Hic per Portam Romanam intravit*, ECCLESIAM BEATI AMBROSII PETENS, UT ORDO REQUIRIT: *postea equum ascendens ad Ecclesiam Cathedralem cum Confaloneriis circumquaque secessit, quibus equum dimisit.* Et infra denique: *Obiit prædictus Angelbertus septimo Idus Octobris Anno Domini Octingentesimo vigesimo sexto.* Nos autem consequenter dicemus, vigesimo septimo. Quod vero attinet ad Ecclesiam Sancti *Ambrosii*, ad *Confalonerios*, & ad equum illis dimissum, plane in eadem quoque verba consentit etiam alter Archiepiscoporum nostrorum a Sancto *Barnaba* usque ad *Joannem Arcimboldum* Catalogus, ex collectis per Virum quendam eruditum, cognomento *Fontanam*, locupletatus: qui olim extabat apud *Carolum a Basilica Petri*, Episcopum *Novariensem*; nunc vero ea in Urbe asservatur in *Barnabitarum* Collegio, Sancti *Marci* nuncupato. Hujus enim manuscripti Codicis exemplar, sicut etiam exemplaria *Mediolanensium* Chronicorum, cum *Gualuanei Flammæ* & Majorum & Minorum (hæc autem Minora *Manipulus florum* sunt inscripta) tum etiam Scriptoris alterius innominati, cui placuit, ut sua ejusmodi Chronica *Flos florum* dicerentur, præterea vero etiam *Diamantis Marinoni* exemplar *De origine Urbis Mediolani ac nobilium ejus familiarum*, humanissime nobis nuper commodavit *Aloysius ab Ecclesia*, dignissimus *Jacobi* filius, & successor in eo munere, ut Generali hujus Urbis Concilio, sive ipsius Præfecto & Sexaginta Decurionibus, sit a secretis.

XLIV. Sequitur nunc, ut de altero *Angelberto*, eoque *Pusterla*, superioris successore, commemoremus, quam solicite ac liberaliter erga Monasterium ac Basilicam istam se gesserit. Qua de re Diploma in primis ejusdem proferemus: tum vero illud ipsum per varias observationes illustrare conabimur.

mur. Ecclesiæ porro istius regimen ille mihi videtur Anno *Christi* suscepisse Octingentesimo vigesimo septimo. Quoadusque vero perseveraverit, suis hoc tenebris & Scriptorum varietati nos in præsenti relinquamus. Juxta Codicem Archipresbyteri Metropolitani perseveravit usque ad annos triginta quinque, menses quinque, ac septendecim dies: juxta alterum *Aloysii ab Ecclesia*, & Chronicum Majus *Gualuanei* cap. 204. usque ad annos triginta quinque: juxta *Claudium Robertum* in sua *Gallia Christiana*, usque ad annos triginta tres: juxta Catalogum inscriptum Successores Sancti *Barnabæ*, usque ad annos triginta & amplius: juxta Catalogum Actis Ecclesiæ *Mediolanensis* insertum, usque ad annos tantummodo viginti quinque. Certe constat, ut videbimus, Diploma ejusmodi fuisse datum aliquanto post tempore, quam Ecclesiam regere *Mediolanensem Angelbertus* incœpissit. Datum ego interpretor
A.C. 832. Anno *Christi* Octingentesimo trigesimo secundo: atque idipsum ex ejus etiam Indictione postmodum colligam. In hunc autem modum illud se habet:

✠ *In Nomine Domini.* ANGELBERTUS, *Beatæ Mediolanensis Ecclesiæ humilis Archiepiscopus. Cumque, Domino juvante, gererem solicitudinem de meæ Parochiæ Monasteriis: & ea ad tramitem sanctæ conversationis corrigendo atque construendo prout valui, perduxissem; verti me ad* MONASTERIUM BEATISSIMI AMBROSII, CHRISTI CONFESSORIS, UBI EJUS HUMATUM CORPUS QUIESCIT; *quatenus, necessitate cogente, ibidem Abbatem ordinare debuissem. Cumque pro hoc diutius, quem Abbatem illius constituere debuissem (quia ibi non reperiebatur talis, eo quod ob negligentiam Ordo Regularis valde inerat corruptus) pro hoc diutius cœpissem cogitare, cum meis Sacerdotibus divinam Clementiam postulando; tunc, Domino favente, consulentibus etiam Sacerdotibus nostris, abstuli Gaudentium Abbatem Monasterii Sancti Vincentii (quem etiam ego ibi Abbatem jamdudum ordinaveram) & in præfato Monasterio Sancti Ambrosii Abbatem constitui. Nunc autem, ut ipse Monachi valeant Deo deservire, & ei jugiter laudum gratias referre, exclusa indigentia, tam ob stabilitatem Regum nostrorum, invictissimorum Imperatorum, Ludovici & Hlotharii, quam ob pacem immaculatæ Matris Ecclesiæ; per hoc Præceptum confirmo Ecclesiam, & Altare, quod inibi noviter mirifice ædificavi ob nimium amorem Confessoris Christi Ambrosii, in tutela, & omni custodia supra taxati Gaudentii Abbatis: & in ejus ditione perhemniter, suisque Successoribus permaneat sine fine. Et itaque omnes possessiones atque res ipsius Monasterii, diversis in locis constitutas: quarum vocabula hæc sunt,* OLEODUCTUS, CAMPELLIONE, CERESIOLA, CRATEM, LUCUM SINTERANI, CASTENIADE ET CATENADAM, *seu omnes res, quas nunc possidere videntur, vel ab hinc, Domino largiente, eidem venerabili Ecclesiæ Deum timentium liberalitate qua quove modo fuerint additæ, excepta* CURTE DUBBINI, *quam nos juxta commutationem commutare volumus. Placuit nobis ob Dei, & Beati Ambrosii amorem per consensum Sacerdotum nostrorum constituere per hanc nostram Institutionem, ut neque nos, neque alios Successorum nostrorum jam prædicto Abbati Gaudentio, aut Successoribus ejus, de supradictis rebus ullam contra rationem ingerat molestiam, vel in rebus diminutionem: eo videlicet modo, ut sub nostra nostrorumque Succedentium consistentes ordinatione atque dispositione Patrum, nobisque etiam prout decet parendo, liceat eisdem perfrui, & quietam sub sancta degente Regula ducere vitam. Statuentes etiam per hoc nostræ auctoritatis Munimen, ut cujuscumque ordinis homo, tactus superno amore, inibi suis cum rebus voluerit sacræ Normæ sua submittere colla, ex nostra amplissima largitate sine ullo obstaculo habeat facultatem. Verum etiam & hoc concedimus, ut, quocumque tempore Abbas ipsius Monasterii de hoc sæculo migraverit, de ipsis sibimet eligant Pastorem, si tale inibi persona reperta fuerit, qui juxta Regulam eosce & vita fultus regulariter quiverit regere; ex nostri tranquillissima concessione habeant facultatem. Et ut hoc Præceptum meæ concessionis inconvulsuri, & inviolatum perpetuo permaneat, Ambrosium Notarium Sanctæ nostræ Mediolanensis Ecclesiæ scribere jussimus, & propria manu subter confirmavimus, Anni Domnorum nostrorum, confirmantium hoc, Ludovici & Hlotharii Imperatorum Decimo octavo & Decimo Sexto Kalendas Martii, Indictione Decima tertia.*

Angelbertus, indignus Archiepiscopus, in hoc Præcepto subscripsi.

Adoaldus Penio.

Deus-dedit.

Ermenaldus.


Et alii quamplures, Sacerdotes, & Diaconi. Subdiaconi, Notarii, subscripserunt.

XLV. Ecce vero tibi, Lector, summatim, quæ hoc ipso Privilegio & Diplomate continentur. *Gaudentium*, antehac Sancti *Vincentii* Abbatem, *Ambrosiano* huic *Angelbertus* Monasterio deinde præfecerat: sic etiam in ipsamet *Ambrosiana* Basilica noviter ac recenter aureum struxerat Altare in testimonium nimii, hoc est, singularis sui erga Sanctum *Ambrosium* amoris. Nunc ergo tam Basilicam, quam Altare in perpetuum consistere jubet in ejusdem *Gaudentii* ejusque Successorum tutela, custodia, ditione ac potestate: idemque similiter etiam decernit de omnibus adhuc & in posterum ejusdem Monasterii ac Basilicæ prædiis, possessionibus, & bonis (excepta illa Dubbini Curte) itaut iisdem omnibus Abbates cum suis Monachis posthac perfrui possint, ad vitam scilicet quietam sub Regula Monastica hoc in loco traducendam. Concedit insuper, ut citra ullius obstaculum recipere hic possint vinientes ad Ordinem: præterea vero etiam, ut ipsimet Monachi e suo cætu novum Abbatem in demortui locum substituere possint, irrequisito nempe ad hoc Archiepiscopo, e cujus arbitrio hactenus omnino pependerat illius electio. Hæc igitur summatim ex hujusmodi Privilegio decerpta. Nunc aliquot ipsius consectaria velut obtutu reflexo attentius observemus: nonnulla vero etiam majoris intelligentiæ gratia, necnon etiam scitu dignissima proferamus.

XLVI. Ante omnia, tam præsens *Angelberti* Archiepiscopi, quam tria, quæ proxime subsequentur, Imperatoris *Hlotharii* Privilegia: quatuor hæc ad invicem collata nos quidem data pariter comperimus Indictione decima tertia; & eorum tamen primum nihilominus itidem datum decimo, secundum autem duodecimo, tertium vero & quartum decimo Octavo *Hlotharii* pariter Imperatoris anno. Quomodo igitur hæc sibi ad invicem cohærere possint, altiori pariter ac prolixiori opus esset indagine, quam præsentis ratio ferat instituti. Quocirca brevibus interim ego me ita expedio. Sicut *Angelberti* Privilegio Annum *Christi* jam assignavi ex anno Imperatorum, *Ludovici* decimo octavo, ac *Hlotharii* decimo; sic etiam tribus illis *Hlotharii* Privilegiis suum cuique assignabo ex ipsamet annorum serie, quibus idem *Hlotharius* imperavit, prout in ejusmodi Privilegiis continetur. Si enim regulam ego istam secutus, Annorum *Christi* veram seriem attigero; quis dubitet, quin hoc satis superque nobis ad præsens institutum sufficiat? quicquid sit de adjecta Indictione, cujus rationem prætereamus indiscussam. Certe autem, uti constat e *Carolo Sigonio* & aliis, *Ludovicus* Anno *Christi* Octingentesimo decimo tertio, decima septima Novembris die, a *Carolo* Magno patre declaratus Imperii consors, post ipsius deinde obitum, sequenti Anno Octingentesimo decimo quarto, die Januarii vigesima Octava subse-

subsecutum, imperavit: necnon etiam *Hlotharius* Anno *Christi* Octingentesimo vegesimo secundo Rex *Italiæ* pariter ac Imperator a *Ludovico* patre destinatus Augusto mense, paulo post a *Mediolanensi* Archiepiscopo Corona Regia, proximo autem Anno Corona etiam Imperiali a Pontifice *Romano Paschali* fuit insignitus ipsomet sacri Paschatis die. Quocirca nobis exinde non erit difficile quemque singillatim Annum *Christi* computare, quo data fuerint quatuor ejusmodi Privilegia; tametsi de ipsorum Indictione quicquam interea non curemus. Quamquam etiam mihi prætereunda silentio nullatenus est diversitas, qua indictiones per ea tempora disponebantur aliter in Archiepiscoporum nostrorum, quam in Regum *Italiæ* atque Imperatorum Diplomatibus. Horum namque Indictio Indictionem illorum triplici numero præcurrebat. Cujus diversitatis documento simul & exemplo nobis interea sint unum *Thadonis* Archiepiscopi & alterum *Caroli Calvi* Regis Privilegia, quæ suis locis infra verbatim proferemus. *Thadonis* datum legitur Anno Dominicæ Incarnationis Octingentesimo sexagesimo sexto, Indictione undecima, Mense Februario: *Caroli* vero Regis datum Anno Incarnationis Domini Octingentesimo octuagesimo, Indictione decima tertia, Duodecimo Kalendas Aprilis. Discutiatur vero nunc, quota Indictio, & quidem juxta communem atque etiam hodie usitatam supputationem, respondeat Anno *Christi* Octingentesimo octuagesimo. Comperiemus utique decimam tertiam illi respondere; sicut & anno *Christi* Octingentesimo sexagesimo sexto decimam quartam. Et tamen, ut vidimus, eidem huic Anno juxta nostrorum Archiepiscoporum supputationem respondebat undecima tantum Indictio; proindeque sic etiam nonnisi decima respondebat Anno *Christi* Octingentesimo octuagesimo. Quo quidem fit, ut nos ad ea retrocedentes *Angelberthi & Hlotharii* tempora, deprehendamus, tertiam decimam Indictionem, Privilegio *Angelberti* adscriptam, & Februario mense comitatam, non in alium incidisse Annum *Christi* (*Romano* scilicet more, cui nos adheremus, computatum) quam in Octingentesimum trigesimum secundum; adscriptam vero ei primo *Hlotharii* Privilegio (eadem reliquorum videtur esse ratio, quam nos tamen non probamus) in Annum *Christi* Octingentesimum trigesimum quintum incidisse. Bene autem se res habet, quod authenticum *Angelberti* Privilegium a gravi nos molestia liberavit, quam procul dubio incussissent cetera, quotquot hactenus vidimus, ejusdem Privilegii transumpta exemplaria. Ubi enim nos ex authentico legebamus; *Anno Domnorum nostrorum, confirmantium hoc, Ludovici & Hlotharii Imperatorum, Decimo octavo & Decimo* (sic enim certius, quam per notas numerales reddimus) *Sexto Kalendas Martii*, in iis omnibus exemplaribus ex anno Decimo *Hlotharii* designans, ac legitur *XVI.* sive *Decimo sexto*, moxque subditur *Kalen. Mar.* hoc est, *Kalendis Martii.* Qui sine dubio manifestus est error, sed & amanuensibus ac Notariis ad incurrendum facillimus. Nec enim *Hlotharii* Imperium duobus tantum annis posterius cœpit, quam *Ludovici.* Præterea vero etiam Privilegium *Angelberti* vel ipso suimet contextu se prodit anterius eo quoque Privilegio, quod *Hlotharius* anno Imperii sui duodecimo concessit. Siquidem in suo *Angelbertus* omnes enumerans singillatim possessiones & prædia, quæ tunc temporis jam erant in Monasterii hujus potestate: nullam tamen facit *Limontæ*, insignis ceteroqui memoratuque dignissimæ possessionis, mentionem. Quidni vero illius etiam fecisset; si jam tum & ipsa erat huic addicta Monasterio? Eandem porro *Hlotharius* addixit per illud ipsum Privilegium, duodecimo Imperii sui anno a se datum; sicut infra videbimus.

XLVII. Nunc cursim vestigemus, e quonam Sancti *Vincentii* Monasterio *Gaudentium* Abbatem *Angelbertus* ad hujus *Ambrosiani* regimen Monasterii traduxerit. *Joannes Antonius Castellionæus*, totus in Ecclesiæ suæ Parochialis commendationem compositus, ejusdem Antiquitatum Fasciculo Sexto gestibundus eum affirmat huc e Monasterio, quod alias illic erat, traductum fuisse. Pluribus namque Historicorum testimoniis ostenderat, circiter Annum *Christi* Septingentesimum septuagesimum a *Desiderio Longobardorum* Rege, per *Carolum* denique Magnum debellato, conditum fuisse alterum Sancti *Vincentii* Monasterium intra Urbem, ad Carrubium Portæ *Ticinensis*, ubi nunc extat Ecclesia, quæ Sancti *Sixti* appellatur: sed illud postea inde ad Sancti *Vincentini* in Prato planiciem annis labentibus deportatum. Recte hoc quidem: nec ego diffiteor Sed quandonam tandem illuc deportatum? Numquid ante sextum & Octingentesimum *Christi* Annum? Divinabat hoc quidem *Castellionæus*; sed erroris jam fuit a nobis, ni fallimur, convictus Num. 31. Quid si ergo ne ante quidem id tempus, quo *Gaudentius* fuit huc translatus? Quid si vero translatus ille huc fuit nonnisi post *Arigausum* Abbatem proxime defunctum? scilicet, ut in ejus locum substitueretur. Certe quidem jam nobis constat, eidem *Arigauso*, quamdiu viveret, ab *Oldeperto* Archiepiscopo donatam fuisse Sancti *Vincentii* Ecclesiam in Prata, sive in Prato; uti jam vidimus Num. 29 Neque tamen adhuc constat, vel a semetipso sponte abdicatam, ut inibi Monasterium construeretur, ad quod Monachi ejus ad Carrubium Monasterii transmigrarent. Nec item constat, ipsum aliquot ante annos obiisse, priusquam huc *Gaudentius* transferretur: ac tum saltem *Vincentianam* illam Ecclesiam, juxta *Oldeperti* præscriptum ad jura Sedis hujus Archiepiscopalis reversam, evasisse Monasterium, in quo *Gaudentius* fuerit ordinatus, Abbas. Etenim *Gaudentius* jam dudum fuerat ab *Angelberto* Abbas illic ordinatus, unde fuit huc translatus. Si ergo fuit huc translatus ex eo Pratensi, ut ita loquar, Monasterio; certe sequitur, ut ibidem fuerit jam dudum Abbas ordinatus, utque propterea jam dudum *Arigausus* item, illius Ecclesiæ Donatarius, & hujus interim Cœnobii *Ambrosiani* Abbas, obiisset. Hæc igitur cum ita olim se habuerint, nec hactenus quidquam in oppositum constet; nobis profecto credibilius interim videtur, Carrubianum illud Sancti *Vincentii* Monasterium ad hæc usque tempora illic perseverasse, illic *Gaudentium* ab *Angelberto* Abbatem fuisse ordinatum, illincque postea, sive post aliquot inde annos (nos circiter quatuor computamus) translatum ad hujus *Ambrosiani* Monasterii regimen. Quocirca sic etiam, tamquam verisimilius eidem nos Monasterio adjudicamus id, quod in Chronico, *Flos florum*, sic habetur de Angelberto: *De cujus mandato Monasterium Sancti Petri de Mandello unitum fuit cum Monasterio Sancti Vincentii Anno Domini Octingentesimo trigesimo tertio.*



IIL. Quod summopere optabam, sisto me tandem ad aureum Altare, in honorem Sanctissimi Præsulis Patronique *Ambrosii* supra ipsius sacrum Corpus ab *Angelberto* recenter hoc tempore constructum: hic scribendo venerabundus aliquantum immorari ego meditor; Lectoremque meum, sed non sine maxima ipsius jucunditate, remorari. Proferam vero in primis occasionem, qua tanti Decessoris sui amantissimus *Angelbertus* animo regio Altare hujusmodi construxit. Deinde vero illud etiam diligentissime, quam potero, fidelissimeque describam: & eorum oculis, qui numquam illud viderint, subjicere conabor.

IL. Ac de occasione quidem nihil est, cur testem *Gualuaneo Flamma* opportuniorem habere præoptamus: maxime vero, cum præterea ille nobis

edisserat memorabile illud miraculum, quod adhuc in ore famæ per hanc Urbem volitat, editum tunc temporis, quando Sancti *Ambrosii* Corpus illarum tumulo fuit: ut Sanctorum *Protasii* & *Gervasii* Corpora, ibi jam ante condita, paululum in latera secesserint, & honoris gratia novum Hospitem inter se medium exceperint. *Gualuaneus* autem *Flamma*, quo melius ejusmodi testem agnoscas, e Familia *Dominicana* fuit, & *Eustorgiani* hac in Urbe Conventus alumnus: atque ibidem Anno *Christi* Millesimo trecentesimo trigesimo florebat. In Chronico igitur Majori, cap. 123. de Sancti *Ambrosii* obitu locutus, hæc tradit: *jacet in Ecclesia sui nominis extra Civitatem. Cum autem esset propinquus morti; interrogatus, ubi vellet sepeliri, prophetico sermone respondit: In medio Beatorum Martyrum Protasii & Gervasii; si, invicem se dividentes, mihi locum intermedium fecerint. Adveniente funere Beati Ambrosi, isti duo Martyres locum in medio fecerunt Beato Ambrosio.* Hæc Auctor de tam insigni miraculo: cujus etiam mentionem facit *Paulus Morigia* in Historia *Mediolanensi*, Lib. 2. cap. 19. & in Sanctuario pariter *Mediolanensi*, cap. 4. Placet *Italica*, sicut ille scripsit, ejusdem verba hoc ipso loco recitare; maxime vero, quod eadem asserit etiam *Joannes Franciscus à Basilica Petri*, tunc temporis Basilicæ Metropolitanæ Canonicus Ordinarius (qui deinde *Barnabitarum* Religionem ingrediens sibi nomen *Caroli* assumpsit) in Libello suo similiter *Italico*. De aliquot Urbis hujus Ecclesiis: itemque Joannes Baptista Villa *De septem Stationalibus Mediolani Basilicis*. Sic igitur Morigia inquit, *Venendo Sant' Ambrogio à morte; fu sepolto il suo santissimo Corpo sotto l' Altar' Maggiore, come egli medesimo si haveva eletto d'esser' sepolto, vicino a i Corpi de' i gloriosi Martyri Gervasio & Protasio i quali miracolosamente diedero luogo, & chiusero nell mezzo il Corpo del nostro buon' Pastore.* Vide autem, quid insuper in hujus miraculi testimonium producat. *Per testimonio di questo si veggono anco insiedipinti in antichissime pitture: pitture: cioè, il Santo Arcivescovo nel mezzo, & i Santi Martiri da i lati. De quali imagini con gran' ragione alcuni Arcivescovi antichi s'elessero per suo suggello; come anco si veggono alcune loro Lettere fino al di d'hoggi antiche. E per questo piacque alla santa memoria del Beato Carlo Cardinale Borromeo* (relatus postea fuit inter Sanctos) *come sollecito imitatore de santi fatti de suoi antichi Antecessori; & perciò volse repigliare queste imagini per sugello Archiepiscopale con l'auttorità del Sommo Pontifice, Gregorio Decimo terzo.* Quo quidem argumento similiter utuntur *Joannes Franciscus a Basilica Petri*, & *Villa*, locis citatis. Sed & alterum ex eodem *Gualuaneo* miraculum habemus, capit. 204. quo sane *Angelbertus* ad aureum ibidem Altare construendum excitatus fuit. Loquebatur *Gualuaneus* de *Angelberto* hujus nominis secundo. De ipso autem ita prosequitur: *Hic sedit Anno Domini Octingentesimo vigesimo sexto, & sedit annos triginta quinque. Angelbertus Archiepiscopus devotione dentem de ore Beati Ambrosii extraxit, & in annulo suo posuit. Quadam vice dens de annulo cecidit. Quem cum Archiepiscopus ubique perquiri faceret; quædam Vetula apparuit, dicens: Dentem invenies ubi abstulisti. Quo audito, Archiepiscopus ad Corpus Beati Ambrosii accessit, & ipsum in ore Beati Ambrosii reperit. Tunc, ne de cætero aliquid de Corpore ipsius auferri posset: ipsum sub terra occultavit*, ET FECIT FIERI ALTARE AUREUM SANCTI AMBROSII *Anno Domini Octingentesimo quadragesimo* (nos trigesimo secundo dicebamus) *& constitit octoginta millibus Librarum, sive Florenorum.* Talia *Gualuaneus*: quibus hæc item consonant, quæ habentur in Catalogo Archiepiscoporum a Sancto *Barnaba* usque ad *Joannem Arcimboldum*, in eodem *Angelberto*, inter Archiepiscopos

A Quinquagesimo quinto: *Dicitur posuisse in annulo dentem Sancti Ambrosii, & miraculo dentem suo loco redditum; ideo Archiepiscopum, ne unquam quicquam abstraheretur a corpore, eum sub terra clausisse, & ædificasse Altare illud pretiosum.* De quo quidem Altaris pretio idipsum testatur Chronicon *Flos florum*, ubi sermo est de Sancto Præsule *Ambrosio*. *Bernardinus* autem *Corius* in Historia *Mediolanensi*, quam sub Annum *Christi* Millesimum quingentesimum scripsit materna illa Lingua, quæ Majoribus tunc nostris in usu erat, aliquanto minus pretium assignat in hæc præcise verba: quæ quidem potius, quam posterioris per alium Auctorem versionis, recitare

B lubet. *In queste tempestate Angiberto da Pusterla, Arcivescovo de Milano, di sua pecunia fece faro lo aureato e gemmato Altare, di valuta de vinti-otto-milia Fiorini d'oro. Il fabro fuchiamato Volvinio, dedicato à Sancto Ambrosio, patrone potentissimo de Milanesi: sotto il quale in uno profondo pozo, sustentato da quatro catene de ferro giace il glorioso Corpo.*

L. Quadam vice dens de annulo cecidit: *Gualuaneus* ajebat. Numquid vero sciri posset, etiam quanam tandem vice dens ille Sancti *Ambrosii* ex *Angelberti* annulo exciderit? Tunc nimirum (quæsito huic jam respondit, & hujus exitum amissionis paulo uberius recensuit *Castellionæus*, Antiquitatum Ba-

C silicæ illius *Vincentianæ* Fasciculo sexto) *cum de more ad Basilicam Divi Laurentii Majoris die Dominico Palmarum procederet, pontificalibus infulis ornatus. In via se amisisse cognovit; cum forte extractis pontificiis chirothecis. gemmam loco suo motam animadvertit. Quare commotus graviter, omnia viæ, per quæ processerat, loca spatiaque diligentissime perlustrari jussit, quo dentem amissum reperire posset. Sed frustra. Nusquam enim, omni licet adhibito studio, potuit inveniri: donec probatæ sanctitatis Anus, Archiepiscopi solicitudine cognita, eum statim convenit, jussitque bono esse animo, quod dens eo in loco existeret, unde dimotus fuerat. Quod ita re ipsa esse, plane comperit. Siquidem, Divi Ambrosii*

D *sepulcro reserato, dentem in pristina sua maxilla repositum adinvenit. Ibi rei novitate, quæ sibi mira videbatur omnino, & supra rerum humanarum ordinem, & naturæ vires, perculsus Archiepiscopus Angelbertus, divino sibi factum id esse consilio persuasit, ne Sancti Patroni Corpus imminueretur, aut sui parte ulla, quantumvis minima, privaretur. Idcirco, ne illius sepulchrum ullo in posterum tempore patere cuipiam posset* (in hoc tamen errasse *Castellionæum* ego infra ostendam) *eidem aureum Altare, pretiosis utrinque gemmis, lapillulisque distinctum, figuris etiam variis exornatum, imposuit: Arcam vero sacri Corporis, quatuor catenis appensam, in altum puteum, eam ipsam ob causam effossum, demisit; itaut videri vix*

E *posset.* Hæc ibi *Castellionæus*; sed nullo Auctore (quemadmodum ceteroqui toto passim libro assolet) in testimonium producto. Quibus proinde tritum illud Distichon opponi facile potuisset:

Si satis affirmasse fuit; satis esto negasse.
Cur tibi sit potius, quam mihi, certa fides?

LI. Præter allegatos igitur jam Scriptores, ea pariter, quæ per *Castellionæum* superaddita nobis non improbantur, sequentibus comprobemus *Italicis* Versibus, quorum exemplar nobis ab Amico traditum fuit tamquam ex Archivo Scuroli (sic enim appellatur, nosque suo tempore ac loco mentionem faciemus) apud nos *Ambrosiani*. Neque tamen tan-

F ti facimus ejusmodi Versus, quia vel antiquitate, vel saltem cultu & elegantia usque adeo commendabiles nobis videantur; sed quia eorum Auctor argumentum & narrationis seriem se profitetur e Chronico (sic enim per emphasim loquitur, tamquam de aliquo probatæ confessæque fidei libro) accepisse. Quos quidem Versus, vel etiam consentiens cum ipsis Chronicon, *Castellionæus* quoque fortasse vidit, & ad eam narrationem usus est; tametsi vel per

per incuriam, vel oblivionem, vel etiam sponte volens lubens non citarit. En illos:

Quella Virtu superna, excelsa, immensa,
Che'l tutto fece, e qual rege e governa,
E di sua gratia, come vuol', dispensa:
Acciò l'humana gente intenda, e cerni,
Ch'ella sol puote, maraviglie e segni
Dimostra chiusi nella causa interna.
Si che tant' alto piu si oriti ingegni,
Non ascendendo, stan' contenti al Quia,
Sperando in fede à li celesti Regni.
O buontade infinita! O mente pia!
L'opere tue son sonora tromba
Di ritornar l'anime errante in via.
Ecco dubita ogn' un doue recomba
Il Magno Ambrogio, glorioso divo,
Poiche fu tolto di marmorea tomba.
Però, QUEL TENE LA CHRONICA, SCRIVO,
Che di Pusterla Angiberto secondo
Arcivescovo in Milan fe il luoco privo.
Cupido di veder quel, ch'anche à tondo
Pel l'universo fu adorato, e certo
Fu de la Fede vera un spechio al Mondo:
Commandò, il monumento esser aperto:
El'ossa salutò divotamente
Del pastor, sol al ben nato, & experto.
Poi tol se della bocca un dente,
Qual nell'anello rinchiuso portava,
Come conviensi, molto riverente.
Il di solenne, che si celebrava
D'Olive e Palme con gran Processione,
A San' Laurentio dal Domo si andava.
Giunto il Pastore qui fece il Sermone
Al Popolo, dandorami benedetti
A Sacerdoti con divotione.
Alle Columne uscito, non restetti:
Su un Caval' bianco, ivi coperto d'oro,
Monto, che attento par'ognun' aspetti.
Un Raudense, vestito à vari in choro,
Con guanti in mano à la briglia camina
Seguia la plebe poi col Concestoro.
L'Arcivescovo con Croce cristalina,
D'olive e palme qual era adornata,
Segnava humile qualonche s'inclina.
Quattro Nobili di Litii poi la strata,
Da legni & altri impedimenti e sassi
Facean larga ben netta e spaciata.
Li Chierici venian à lenti passi
Cantando, e'l Popolo seguia con palme:
Ne tal Solennita nel mondo fassi.
Et è tenuto con felice calme
L'Arcivesco trovar tal di gioioso
Per divotione, e salute di l'alme.
Pervenuto il Pastor doue il Leproso,
Debbe lavarse, e cantar soleva
La messa, e ritornar à suo riposo
Vide Angiberto, che perduto haveva
Il sacro dente: e doloroso afflitto
Il van' più giorni ricercar faceva,
Finche una Vecchia, che'l suo passo ardito
Faceva col baston, disse: Cercate
Il dente al luoco, oue fu pria rapito.
All'hora fur di nuovo scoperchiate
Le reliquie sacre, e resepulto
Si trovò il dente qui con veritate.
Lieto Angiberto pensò tanto occulto
Fare il Corpo dil Santo: e un' pozzo obscuro
Profondò, ad arte di catene fulto,
Che in aere tengono li frà muro e muro
Il Patron nostro: poi sopra la bocca
Fece un Altare di fino oro e puro.
Quivi in fiure, gemme, e pietre acocha
Maraviglioso, e per valore egregio,
Si che'l suo nome ambidui Poli tocha.
Ottanta mille Fiorin d'oro il pregio:
E li Anni fur della nostra salute
Ottocento quaranta, s'io ben'vegio.
Tacian le lingue quà pelose acute,
Solite di negar le cose mire.
Non è Christian chi ciò creder rifute.
Mirabil cosa, e da far stupire
El mondo tutto: ch'un dente da se
Tornasse al luoco, doue hebbe ad uscire.
Mà l'inefabil' Dio, e Ré di Re
Dimostra à loco & à tempo miracoli
Per augumento di sua santa Fé.
Ambrogio la Chiesa e tabernacoli,
L'Arcivescovo Petro il Monastero
Fondò per Sacerdoti, & li habitacoli:
Angiberto l'Altare fece per vero
D'oro e di gioie: e'l primo
.... che resse il graade Impero,
El Conte singulare di Campigione
Per divotione, overo per fama,
Al Tempio gionsemo molte possessione.
Siche per copia par la chiurma.

Nec plures nobis suppetunt ejusmodi Versus.

LII. Heresne vero, Lector, ad hos Versus: & nonnulla, quæ per eos indicantur, non satis intelligis, quæ tamen percuperes? Te scilicet ego ex meipso mensus, huic hesitationi mox eximam: sed insuper etiam tibi commonstrabo, quemadmodum Archiepiscopus per ea tempora, Palmis & Olivis in *Laurentiana* Basilica distributis, veniret ad *Ambrosianam*, comitatus a Monasterii hujus Abbate ac Monachis, & hic Missam solemnem celebraret. Quæ autem tibi nunc proferam, ex antiquo deprompsi Breviario *Ambrosiano* in charta pergamena manuscripto: cui varia insuper adjecta sunt, ad Basilicæ Metropolitanæ (cujus est ille Codex) usum spectantia, quæ quidem dicuntur a *Beroldo* quodam illic collecta fuisse, atque Ceremonialis *Ambrosiani* nomine nuncupantur. Illic ergo sub hoc titulo, *Processio ab Ecclesia Sancti Laurentii in Ecclesiam Hyemalem*, sic habetur: *Dominica In Ramis Palmarum, congregato Clero & populo in Ecclesia Sancti Laurentii, Primicerius Notariorum incipit Hymnum* MAGNUM SALUTIS GAUDIUM *usque ad* REX ECCE TUUS HUMILIS. *Finito Hymno, Pontifex in gradu facit Sermonem ad populum. Interea Presbyter, & Diaconus & Subdiaconus Observatores, privatim canit ibi missam. Finita Missa & Sermone, Pontifex benedicit Palmas & Olivas: postea dicit,* DOMINUS VOBISCUM. *Tunc Diaconus hebdomadarius incipit Psallentium, Primicerio Lectorum indicante, & eodem statim cum suis subsequente: & sic exeunt Ecclesiam, Pontifice dante Palmas, & Primicerio Presbyterorum similiter dante suis. Tum extra atrium Ecclesiæ equus albus, raxio* (serici textilis est genus) *coopertus, stat præparatus ad suscipiendum dominum suum, Pontificem, ut ei supersedeat. Ille verò equum ascendens, hostiarius domesticus magnus porrigens sibi Crucem crystallinam, ornatam palmis & foliis olivæ. Ipse vero sumens & tenens in sinistra, signat populum dextra: & unus egregius miles de genere Rhodensium (*nobils hæc est *Mediolani* familia, quam hodie *Rhaudensem*, vel de *Rhaude* appellamus) *eleganter indutus cum chirothecis in manibus, de camera Pontificis sumptis, dextrat & ducit eum per frænum per mediam viam carrariam usque* AD ECCLESIAM SANCTI AMBROSII, UBI EJUS SACTISSIMUM CORPUS QUIESCIT, *antecedente eum Schola Sancti Ambrosii (*hoc est, utriusque sexus Senibus, indumenta sumet status & officii propria gestantibus, quos utique Veglones & Veglonissas hodieque nuncupamus) *cum Cruce argentea: & Hostiarius hebdomadarius portat Crucem auream ante Presbyterum hebdomadarium. Cum autem pervenerint usque ad Portam Ticinensem totus Clerus venit in Ec-*

clesiam Hyemalem; Archiepiscopus verò solus, Capellanis suis sequentibus eum, ducitur cum triumphali gloria ad Sanctum Ambrosium, turba multa populorum sequente & præcedente ipsum. Sed cum ille pervenerit ad locum (& hunc postea indicabo) *ubi leprosus lavari solet ab ipso; Abbas Sancti Ambrosii debet esse ibi præparatus & indutus Pluviali cum Diaconibus & Subdiaconibus suis, indutis Dalmaticis albis; & ibi Pontifex tribuit Abbati magnum ramum Palmarum, & honorabilem Troctam* (nobile pariter ac notum piscis genus ea est) *& statim prædictus Abbas cum Clero suo cantando & psallendo præcedit eum usque ad prædictam Ecclesiam. Et Pontifex in atrio Ecclesiæ descendit de equo, & præparat se ad Missam canendam, serviente sibi Abbate cum Clero suo usque ad finem Missæ. Prædicti vero Ordinarii canunt Missam in Ecclesia Hyemali. Finita Missa supradictus miles Rhodensis debet prandere cum Archiepiscopo cum suis servitoribus: cui dat etiam aureum unum: & Hostiarius hebdomadarius, qui portaverit Crucem auream in Processione, debet prandere cum Archiepiscopo.*

LIII. Sed pro majori adhuc istorum intelligentia hæc notentur. Porta nimirum *Ticinensis* per ea *Angelberti* tempora, sicut etiam quoadusque Civitas e ruinis, quas Anno *Christi* Millesimo centesimo sexagesimo secundo ab Imperatore *Frederico Ænobarbo* passa fuerat, amplificaretur, ac nominatim ejus Portæ adjectæque Turres, ubi nunc eidem Civitati circumnavigatur, reficerentur Anno Millesimo centesimo septuagesimo primo: Porta, inquam, *Ticinensis* tunc illic erat, ubi nunc *Carrubii* Columna, Cruce insignis, stat erecta. Sic etiam *Laurentiana* Basilica tunc erat extra Portam & muros Urbis; sed tamen intra Fossatum, sive Fossam & Vallum, satis procul a muris Urbi circumjectum; cui tamen sua item Porta suppetebat. Itaque *Acerbus* etiam *Morena* in Historia *Laudensi*, qua *Federici* gesta, quibus & ipse affuit, prosequitur, postremum describens prælium, ad Portam *Ticinensem* a *Mediolanensibus* contra Imperatorem infeliciter pugnatum, antequam in ejus potestatem se traderent; ita prorsus scribit: *Quibus omnibus sic secutis, ut statuerat* (Imperator) *Mediolanenses, ex transverso ab utroque latere videntes properare Theutonicos: &, se non ipsis resistere, cognoscentes, quia maxima pars equitum Mediolani detinebatur, versus Civitatem fugiunt. Imperator autem cum aliis ipsos acriter insequitur usque ad Portam Fossati: & ex ipsis triginta milites, & ducentos quinquaginta sex pedites cepit, quos omnes postea Laude in carcerem detrusit. Plures vero milites & pedites cum gladio in Fossato præcipitando interfecit: & super Portam Fossati, dum acriter Imperator inter hostes præliaretur, equus ejus ibi confoditur, & ipse aliquantulum vulneratur. Tandem Mediolanenses intra Portam* (Fossati) *se recipiunt: & ipsorum quamplures* IN ECCLESIAM SANCTI LAURENTII CONFUGIUNT, NON AUDENTES AD PORTAM (Urbis) ACCEDERE: *& ipsa Ecclesia, tum quia fere nox erat* (& hinc corrige *Venetam* Editionem, in qua legitur *non erat*; & idcirco notatum est in margine *Deest nescio quid*: atque ita *Bernardinum* etiam *Corium* sequeris) *tum etiam quia non poterant expugnari, nisi per ostium Ecclesiæ, viriliter se defendentes, illæsi permanserunt.*

LIV. Ad hæc, locus ille, ubi leprosus ablui ab Archiepiscopo quotannis unus in Palmarum celebritate soleret, illic erat, ubi nunc recta illac venientibus a *Carrubii* Cruce ad *Ambrosianam* Basilicam in proximo sese a dextro latere offert ingens Deiparæ Virginis, septem sui dolores per totidem gladios cordi suo infixos exprimentis, imago, in pariete depicta, vitroque etiam decore cooperta. Turris illic erat olim, necnon etiam Ecclesia Sancto *Materno* Archiepiscopo sacra, immo vero & Nosocomium piumque Receptaculum, in quo ægrotantes curabantur: vulgoque etiam vocitabatur MAL-SANORUM

A TURRIS, sicut a senibus audivimus, & hoc alibi Volumine constabit: quinetiam hodieque locus ille nuncupatur LA TORRACCIA; tametsi nullum Turris vestigium illic jam supersit. Atque, ut opinor, illa erat e Turribus una, quæ veteri Urbis muro adstructæ per intervalla olim fuisse memorantur.

LV. Sed cur, obsecro, moris erat, ut Archiepiscopus noster in ea celebritate quotannis ablueret leprosum? Ad hoc ego conjectanter interea responderim: Eandem ob causam, propter quam similiter Archiepiscopus quotannis Feria secunda Hebdomadæ Sanctioris, & Authenticæ solebat unum abluere leprosum in Ecclesia Sancti *Salvatoris*, quæ postmo-
B dum dicta fuit Sancti *Viti*; quemadmodum in prædicto Basilicæ Metropolitanæ Codice, sive *Beroldi* Cæremoniali *Ambrosiano*, in eam Feriam præscriptum continetur. Quam quidem Sancti *Viti* Ecclesiam ego eam ipsam esse, quæ nunc Sancti *Viti* ad Carrubium nuncupatur, interpretor e Sacerdotibus, quorum intererat Archiepiscopo in eo ministerio deservire. Erant autem Presbyter cujusque harum Ecclesiarum: nempe Sancti *Michaëlis* in Domo, Sancti *Joannis* ad Concham, Sancti *Alexandri*, Sancti *Calimerii*, Sancti *Petri* in Campo *Laudensi*: præterea vero etiam quatuor Presbyteri Sancti *Laurentii*, qua tandem in Ecclesia (quod ipsum meam de illa Sancti
C *Viti* Ecclesia conjecturam magis confirmat) solemnis ille ritus ablutionis concludebatur. His ergo Sacerdotibus præscriptum erat, ut ad eam convenirent ablutionem *cum tribus hominibus* (verba sunt ejusdem Cæremonialis Ambrosiani) *vel pluribus*, ILLIUS PROGENIEI, CUJUS FUIT LEPROSUS, QUEM SANCTUS AMBROSIUS DIVINA OPE MUNDAVIT. Quocirca saltem hoc ego jam conjectarim, eam leprosi ablutionem solemniter utroque illo die peragi a nostro Archiepiscopo solitam fuisse in memoriam leprosi olim divinitus a Sancto *Ambrosio* sanati: cujus etiam ope sæpe fieret, ut ejusdem successores Archiepiscopi leprosis, quos &
D ipsi solemniter illis diebus abluebant, vel in totum, vel ex parte saltem, prodessent. Quid si vero Sanctus item *Ambrosius* in eo ipso ad Turrim loco, & in ipsamet Palmarum celebritate suum illum divinitus curaverat leprosum? Certe quidem vel ex illis *Ambrosiani* Cæremonialis verbis liquidissime constat, quam celebre per universam Urbem testatumque foret adhuc illud Sancti *Ambrosii* miraculum; quandoquidem in hæc usque tempora monstraretur illiusmet leprosi ab eo curati progenies ad posteros suos perenniter derivata. Cujus tamen miraculi nullam ego ceteroqui mentionem hactenus reperi apud alios rerum Scriptores.

E LVI. Ceterum ea consuetudo, ut Archiepiscopus, ad Basilicam *Laurentianam* in Palmarum Dominica profectus, Palmas ibi Oleasque de more distribueret, indeque solemni ea pompa huc veniret, sublata demum fuit per Sanctum *Carolum*, Cardinalem Archiepiscopumque *Borremæum*. Celebritatis tamen illius indicium Basilicæ huic jam superest hoc saltem unum; quod a prandio ejus diei omnes per Urbem Scholares Doctrinæ *Christianæ*, ramos Olivarum mane benedictos manibus gestantes, solemni Processione unanimes atque concorpores hanc ipsam Basilicam suppliciter invisunt, sacrumque sub Ara maxima Corpus Sanctissimi Patroni venerantur.

F LVII. Sed enim, explicata condendi hujus Altaris aurei occasione, jam superest, ut hoc ipsum describendo referemus, oculisque mentis conspiciendum proponamus. Quod si nobis ad hoc aureus non suppetit sermo, qualem scilicet cuperemus; vel eo saltem nos consolabimur; quod verax ille profecto ac fidelis erit, dum nos ex instituto nempe nostro non eloquentiæ ostentationem, sed noscendorum veritatem profitemur; quodque ne ferreæ quidem

illæ displicent claves, quibus idem Altare identidem ad spectandum in hanc usque diem aperiri consuevit. Frontale in primis (hoc est anterior pars) totum est aureum, in eoque præcipua salutis nostræ mysteria cernuntur ad vivum expressa. Latera vero & posterior pars sunt ea quidem argentea, tantumque deaurata; verumtamen tam ipsa, quam frontale intersertis abunde magnis & omnigenis gemmis lapillisque pretiosis omniquaque intermicant, jucundissimumque sui spectaculum exhibent. Posteriorem singillatim partem mirabiliter exornant tabellæ aliquot argenteæ suis parergis & lemmatibus, quibus Patroni Sanctissimi gesta & miracula eminente sculptura ob oculos proponuntur: in quarum etiam una suum nomen Aræ opifex inscripsit. Eandem porro partem miro similiter utrinque artificio circumvolitant & in medio discrimant fasciæ veluti quædam, hosce Versus complectentes:

EMICAT ALMA FORIS RUTILOQUE DECORE VENUSTA
ARCA METALLORUM, GEMMISQUE CUMPTA CORUSCAT;
THESAURO TAMEN HÆC CUMPTO POTIORE METALLO
OSSIBUS INTERIUS POLLET DONATA SACRATIS.
EGREGIUS QUOD PRÆSUL OPUS SUB HONORE BEATI
INCLYTUS AMBROSII, TEMPLO RECUBANTIS IN ISTO,
OBTULIT ANGILBERTUS OVANS, DOMINOQUE DICAVIT,
TEMPORE QUO NITIDÆ SERVABAT CULMINA SEDIS.
ASPICE SUMME PATER, FAMULO MISERERE BENIGNO.
TE MISERANTE DEUS DONUM SUBLIME REPORTET.

Ceterum in eadem posteriori parte aperiuntur binæ fores perangustæ, per quas ostiolum patet in partem Altaris interiorem. Ac fores quidem istæ intus ornatæ serico sunt textili, figuris discoloribus distincto: extrinsecus vero præcipuis Beatorum Angelorum imaginibus illustrantur. In Aræ sinu duo continentur magni lapides: quorum unus est rotundus & porphyreticus, novemque unciarum habet diametrum: alter vero marmoreus est, ac ferme quadratus. Ambosque lapides hujusmodi, constans est traditio, hanc ob causam ibidem asservatos, quia Sanctorum *Protasii* & *Gervasii* Martyrum sanguine sint adspersi. Hujusce vero sinus Aræ porphyreticum est pavimentum: & quinas hoc habet orbiculares concavitates, non introrsum permeantes ad subjectum sepulchrum (quemadmodum de media perperam scripsit *Villa*, jam citatus) sed altiuscule tantum scalptro depressas: unam in medio, reliquarum vero singulas in singulis angulis, ubi nempe generis hujus tabulæ ad usum Altarium sacro inunctæ Chrismate consecrabantur. Universæ porro ipsimet Aræ mensa ingens porphyretica inhæret: qua immota, ne ipsa quidem Ara suo e loco dimoveri potest. Certe autem potest, quinetiam (si dies solemniores excipias) alibi semper separatim asservatur auratus ex argento gradus, ad sustinenda super Altari candelabra destinatus: cujus in parte anteriori affabre prominent duodecim ex ordine Apostolorum effigies: quive pariter *Angilberti* creditur esse munus, Altari tam pretioso & nobili meritissime adjectum.

LVIII. Hæc utique sunt, quæ de hujusmodi Altari memoratu digniora nobis in præsenti visa fuerunt. Idipsum abunde sic etiam describitur a *Castellionæo* & a *Villa*, jam citatis: qui quidem inter se nonnihil etiam discrepant, nobisque refellendi sui materiem præbent aliquantam; sed nunc non vacat.

A In *Castellionæo* tantum illud unum reprehendam, quod erroris a me notabatur Num. 50. cum ille scriberet, hoc *Angilberto* in ejusmodi Altari struendo, & in Arca infra puteum illum altum occultanda propositum fuisse, *ne Sancti Patroni sepulchrum ullo in posterum tempore patere cuipiam posset; itaut Arca etiam ipsa videri vix posset*. Si enim circa centesimum trigesimum supra Millesimum *Christi* Annum, neque tamquam ex recenti, sed tamquam vetus & antehac usitatus, patebat illuc aliquibus saltem Viris primariis, velut e singulari privilegio, ingressus: ipsumque Sancti Præsulis Corpus, nedum Arca, conspici tunc poterat; nihil profecto vetat, quominus B eum ipsum ingressum interpretemur ex eo etiam tempore adapertum permissumque, quo *Angilbertus* Altare illud puteumque construxerat. Certe autem talis illuc ingressus tunc temporis patebat. Ac si forte quispiam de hoc dubitet, vel etiam præcise inficietur; attendat ille, obsecro, quid in Sancti *Bernardi*, Cardinalis & Episcopi *Parmensis*, Vita scriptum extet Cap. 46. *Romanis* ea quidem typis edita primum fuit Anno *Christi* Millesimo sexcentesimo duodecimo; sed a contemporaneo nihilominus gravique Auctore conscripta jure merito affirmatur. Sanctus hic autem *Bernardus* obiit Anno *Christi* Millesimo centesimo trigesimo tertio: sed tertium circiter ante annum *Mediolani* Legationem obierat C Apostolicam, ipsosque quinetiam *Mediolanenses* intrepidus excommunicarat, propterea quod *contra Romanæ Ecclesiæ inhibitionem Conradum in Regem cum suis fautoribus elegissent*; sicut in ea ipsius Vita narratur Cap. 42. Cum igitur *Mediolani* deinde Legatus hic Sanctus aliquamdiu moraretur pro pace & concordia ubique reformanda, quemadmodum Cap. 45. dictum fuerat; vide, quid protinus Cap. 46. factum scribatur; dumque Scriptoris testimonium attendis, miraculum itidem, quod narratur, admirare. Nec enim temperare mihi possum, quin utrumque istud hoc loco præmature recenseam. *Aliquando cum Mediolani* (verba sunt Auctoris) *pro hujusmodi negotiis* D (Bernardus) *per dies aliquot versaretur; Archiepiscopum rogavit.* UT SIBI BEATI AMBROSII RELIQUIAS VIDERE PERMITTERET. *Quod cum in die propter populi frequentationem fieri non valeret; noctis medio, paucis secum junctis, accenso lumine, quia locus erat obscurus* (scilicet etiam meridie, nedum media nocte) CUM AD CORPUS SANCTISSIMUM (ecce, quales ille Reliquias ostendi sibi optavisset) PROPINQUASSENT, *repente lumen extinctum est. Cumque Vir Dei, hoc evenisse suis delictis, cum lachrymis quereretur;* SUBITO IBI SUFFICIENS LUMEN APPARUIT; SICQUE E VOTUM SUUM, DOMINO AUXILIANTE, COMPLEVIT: hoc est, Sancti *Ambrosii* Reliquias, sive Corpus, quemadmodum & optaverat & rogaverat, vidit. Quis enim ambigat, quin legitimus hic atque germanus sit postremorum ejusmodi verborum sensus? Legatur vero etiam, si placet, *Eudosius Loccatellus* Cap. XI. Libri secundi, subsequentis utique Vitam Sancti *Joannis Gualberti*, sermone conscriptam *Italico*. Eo namque Capite citatum istud a nobis testimonium in eandem per omnia nobiscum sententiam *Italice* ille reddidt, cum ejusdem similiter Sancti *Bernardi* suo quondam ex Ordine *Vallumbrosano* Vitam describeret. Cum igitur absque dubio Sanctus hic *Bernardus* eo tempore locum fuerit F ingressus, in quo sacrosanctum Patroni nostri Corpus tot ante annos fuerat ab *Angilberto* sepositum: cumque hoc ipsum fuerit etiam ibidem conspicatus; qua tandem illum via *Castellionæus* illuc ingressum respondebit? Eodem ipse Fasciculo sexto contendit (nec procul a vero) sacra cum *Ambrosii*, tum etiam *Protasii* ac *Gervasii* corpora minime postea fuisse per Imperatorem *Fredericum Ænobarbum* inde ablata: &

iſtud hoc ipſo etiam contendit argumento: *Cum Angilbertus aureum illud Altare ita condidiſſet ac collocaſſet, ut menſa illa porphyretica, Aræ Sanctorum Corporum ſuperpoſita ſuperſtructi ab eo Altaris baſis ac fundamentum eſſet; fieri nullo pacto potuiſſet, ut Arca illa aperiretur, nedum ſacra inde Corpora extraherentur, niſi prius diruto ac everſo Altari; quod factum minime fuiſſet, etiamnum patet.* Non igitur per everſum ac dirutum Altare ingreſſus illuc fuit Sanctus *Bernardus*. Sed ne tam importunus quidem atque arrogans ille erat, ut illac, vel per aliquod alibi novum iter, ſive cuniculum, in ipſius gratiam tunc effodiendum, ſibi facultatem illuc ingrediendi poſtularet. Reliquum eſt igitur, ut extructa jam ante via, & quaſi cuniculo, commode illuc adiri poſſet, quandocumque Archiepiſcopus conſenſiſſet. Quem quidem veluti cuniculum non aliunde crediderim ego incœpiſſe, quam ab averſo aliquo poſtico, contigui latebris Scuroli obverſo; quod tamen poſtea muro ita fuerit occluſum, ut nemo deinceps illuc ingredi valeret. Forte autem de ipſo protinus ita occludendo Majores noſtri deliberarunt eo perſuaſi miraculo, quod eidem Sancto *Bernardo* accidiſſet. Inde ſiquidem conjectari facile poterat, divinæ non eſſe voluntatis, ut ſacroſanctum illud Corpus mortali deinceps ulli oſtenderetur. Quod ſi forte miraculi ejus monitu occluſum fuit; equidem hoc ego peculiari erga Urbem noſtram nomenque *Ambroſianum* providentiæ divinæ adjudicandum cenſuerim: quæ futuri præſcia excidii, quod triginta duos circiter inde annos Urbi ab *Ænobarbo* imminebat, præmature providerit, ut eo ſecurius Sanctorum *Ambroſii* & *Protaſii Gervaſiique* Corpora ſuo in loco intra Baſilicam iſtam perenniter conſervarentur; ſicut etiam poſt ejus excidii tempora ego quoque identidem commonſtrabo.

LIX. Ex his autem, quæ prædicti Auctores nobis de hoc Altari, deque ſitu, quo *Angilbertus* Sancti *Ambroſii* atque adeo Sanctorum etiam *Protaſii* & *Gervaſii* Corpora collocarit, teſtabantur, ſatis intelligi datur, eadem olim & antehac fuiſſe intra primævi Altaris ſinum tumulata. Quod tamen illi aſſerunt de Arca illa, catenis intra ſuffoſſum Altari puteum appenſa: eandem illic humi ſtratam eſſe, nonnulli alii e noſtratibus Hiſtoriographis tradiderunt; quemadmodum affirmat *Caſtellionæus*. Nec enim eorum quemquam ego hactenus legi.

LX. Narratis & aliquatenus illuſtratis, quæ ad *Angilberti* Privilegium ſpectabant, datum, ſicuti nos dicebamus, Anno *Chriſti* Octingenteſimo trigeſimo ſecundo, ſuccedit Imperatoris *Hlotharii* Diploma, quo *Limontam*, nobiliſſimum prædium, huic Monaſterio legavit, Anno ſcilicet Imperii ſui duodecimo, Indictione decimatertia: quæ juxta ſupputationem communem, atque ipſis etiam *Italiæ* Regibus & *Occidentis* Imperatoribus per ea tempora ſervatam (ſecus, quam noſtri facerent Archiepiſcopi, quemadmodum ſupra obſervavimus Num. 46.) incidit in Annum *Chriſti* Octingenteſimum trigeſimum quintum, Authenticum vero nobis ſuppetit ejuſmodi Diploma; ſicut & ejuſdem *Hlotharii* alia duo, quæ deinde producemus: idque tenoris eſt ſequentis:

IN Nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, Dei æterni. Hlotharius, divina ordinante providentia, Imperator Auguſtus, Quanto præcellentius humanitas viget prælata, tanto ſtudioſius divinis exequi debet obſequiis, & quælibet poſtulata fidelium ad hoc pertinentia devota obaudire voluntate, atque perficere decertatione; quatenus ex commiſſis Largitoris bene tractans placitis, ejus opitulante clementia, & præſentia fæliciter tranſire valeat, & æterna in enarrabili pietate conlata fælix fæliciter adipiſcere mereatur. Denique dum dilecta Conjux noſtra, Hirmingardis, divinarum ſollicita, ſtudioſiſſime noſtram ſedulo monere procuraret clementiam, ut locis Deo dicatis noſtra ſublimaremus munificentia, occaſione actuata ex dilectione fratris ſui,

A *puerili elegantia delati, Hugoni nomine, inſtantius hoc ſuadere decertavit; ut augmentum pietatis noſtræ, & emolumentum mercedis in loco, quo ipſe corpore humatus extitit,* CIMITERIO SCILICET SANCTI AMBROSII, *ad decorem luminis, ob procurationem Eccleſiæ, ornamenta quædam conferremus, beneficia pro mercedis noſtræ augmento, & præfati pueri cumulo beatitudinis. Quapropter cunctorum comperiat Fedelium Sanctæ Dei Eccleſiæ noſtrorumque, præſentium ſcilicet & futurorum, ſagacitas, quia nos ejuſdem dilectæ Conjugis noſtræ beneplacitis precibus dignare volentes, adſenſum præbuimus: ideoque* EIDEM SANCTO LOCO *pro remedio ejuſdem pueri noſtra beneficentia conferamus quan-*
B *dam Curtem, nomine* LEMONTA, *cum Cura indominicata, & Capellam ad ſe adſpicientem, dicatam ſcilicet in honore Sancti Geneſii, necnon oliveta, vel manſa, ſed cum mancipiis ibidem commanentibus, vel aſpicientibus, triginta quatuor, vel omnibus pertinentiis, ſeu adjacentiis ſuis; itaut ab hodierna die futura per tempora* RECTORES EJUSDEM LOCI *eam ad decorem luminis, & ornamenta Eccleſiaſtica procuranda, pro remedio animæ prædicti pueri ſub pertinentia ejuſdem loci teneant, atque poſſideant; & ut cæteras res* EJUSDEM ECCLESIÆ *ſecundum utilitatem ipſius loci diſponant. Pro firmitatis namque gratia circa* EUNDEM SANCTUM AC VENERABILEM LOCUM *ſolemni*
C *munere has noſtras Literas fieri juſſimus: per quas decernimus, rateque manſurum conſtituimus, ut nullus Fidelium Sanctæ Dei Eccleſiæ noſtrorumque, præſentium ſcilicet & futurorum,* PRÆFATÆ SANTÆ ECCLESIÆ *ex hac ſupraſcripta Curte ſuiſque pertinentiis, vel adiacentiis, quamlibet inferre præſumat moleſtiam, aut contrarietatem; ſed* RECTORES EJUSDEM LOCI, *perennis temporibus eum quieto ordine fruentes, & ſecundum utilitatem ejuſdem Eccleſiæ gubernantes, attentius prædicti pueri exorent veniam, & æternæ beatitudinis gloriæ perceptionem, noſtramque divinitus deprecentur fæliciſſimam incolumitatem. Et ut hæc noſtra Auctoritas pleniorem in Dei nomine obti-*
D *neat vigorem, & a Fidelibus Sanctæ Dei Eccleſiæ noſtriſque diligentius conſervetur, veriuſque credatur; manu propria ſubter eam firmavimus, & annuli noſtri impreſſione ſubter adſignari juſſimus.*

Signum Hlotharii, Glorioſiſſimi Auguſti.

Druetemirus, ad vicem Egilmari, recognovi, & ſubſcripſi.

Datum Nono Kalen. Februarii, Anno Chriſto propitio Imperii Domni Hlotharii Imperatoris duodecimo, Indictione decimatertia. Actum Papia Civitate in Dei nomine faliciter. Amen.

Obſignatum vero etiam eſt ejuſdem *Hlotharii* ſigillo in cæra alba, cui effigies ipſius cernitur impreſ-
E ſa, & hiſce circumdata notis: ✠ CHRISTE ADIUVA HLOLHARIUM AUGUSTUM.

LXI. De *Hlotharii* porro cum *Hirmingarde* nuptiis, huc etiam proſpectantes, jam diximus Num. 41. ad Annum *Chriſti* Octingenteſimum vigeſimum primum. Ante omnia nunc habemus, ejuſdem *Hirmingardis* fratrem, nomine *Hugonem*, hac in Urbe (ſicut ego interpretor) mortuum, non alibi certe, quam in hujus *Ambroſiana* Baſilicæ Cœmeterio ſepultum fuiſſe. Mortuus autem ille fuerat puerili quidem adhuc ætate, ſed tamen ad rationis uſum jam provecta; ut proinde ſuffragio & remedio anima illa corpore ſoluta indigere potuerit. In ejus igitur reme-
F dium *Hlotharius*, ab Uxore rogatus, *Limontam* (ſicut hodie vocitamus) legat *Ambroſiano* Cœmeterio ſive Eccleſiæ huic *Ambroſianæ*, ſive tam Cœmeterii quam Eccleſiæ hujus Rectoribus, hoc eſt, *Ambroſiani* hujus Monaſterii Abbati & Monachis: in quorum itidem poteſtate Curtem protinus ac deinceps illam fuiſſe conſtat, frequenterque in ſequentibus conſtabit. Præciſe vero illam legat in hunc finem: ut, quia olei ex olivis, & quidem probatiſ-

batissimi, ferax erat; sicut etiam est in præsenti, oleum inde suppeditaretur luminaribus, quæ jugiter hac in Ecclesia deberent ad ipsius decorem ardere: utque præterea ex ejusdem Curtis reditibus ornamenta pariter Ecclesiastica huic Basilicæ procurarentur.

LXII. Redeo nunc ad Aram Basilicæ maximam: deque augustissimo illius operimento (Tribuna vulgo appellatur) dicere aggredior: simul etiam de veteri pariter ac veneranda præsentis Odæi pictura musivoque disseram opere. Dico autem, præsentis Odæi; quia locus erat olim muro interjecto seclusus ab Ara maxima, reliquoque Basilicæ spatio; locusque ille fortassis etiam Cella Sancti *Ambrosii* vocatus olim fuerat; quemadmodum Num. 20. conclusimus; & infra Num. 75. magis etiam confirmabitur. Tam Tribunæ verò, quam operis ejus musivi auctorem vetus traditio affirmat *Gaudentium* fuisse: quem supra dicebamus ab *Angilberto* datum huic Monasterio Abbatem. Certe autem e posteriori Tribunæ parte, Odæo obversa, liquido constare videtur, ejusmodi Tribunam nomine saltem Monasterii extructam, Sanctoque *Ambrosio* oblatam. In ea siquidem parte cernitur efformatus e cæmento similive materia Sanctus *Ambrosius*, inter alios duos Sanctos (quos quidem *Protasium* esse ac *Gervasium*, vel potius *Castum* & *Polemium*, illius Diaconos, in hac itidem Basilica sepultos, interpretamur) medius, rubrisque Dalmaticis indutus: cui unus hinc inde Monachus proni & supplices adstant: dexterque Tribunam ipsam, utraque comprehensam manu, illi offert: ejusdemque oblationi sinister item, protensis in offerentis & ipse morem manibus, annuit. Illum ego Abbatem, istum vero Priorem Monasterii hujus facile quidem conjectarim: quibus ipsummet Monasterium repræsentaretur universum. An vero binæ illæ re quidem vera essent effigies Monachorum: certe quamplures Artis Periti, Anno etiam superiori trigesimo septimo supra sexcentesimum Millesimum in rem præsentem adducti, & pro rei veritate interrogati, responderunt asseveranter, eas sibi absque dubio tales prorsus videri: quinetiam suo quisque juramento id confirmarunt signatis tabulis, a publico etiam Notario comprobatis, quæ nostro in Archivo ad perpetuam memoriam asservantur. Ejusmodi autem Periti, tota Urbe notissimi, erant isti: *Carolus Pissina*, *Joannes Maria Arduinus*, *Joannes Antonius Verda*, *Petrus Jacobus* itidem *Verda*, *Bartholomæus Binagus*, *Aloysius ab Horto*, ac demum *Michaël Angelus Binagus*. In id ergo jurati omnes suametipsorum manu subscripserunt die sexta Junii, præsente simul & attestante *Octavio Mangono*, publico *Mediolani* Notario. Sic etiam musivi ejus operis extremitate, Salvatori nostro medium illic locum tenenti sinistra, videre licet in Tabella quinas Litteras, sive *Gothos*, ut appellant, Characteres, totidem in se contracta vocabula indicanter continentes: quibus Artis hujus itidem Periti (præ his celeberrimum sufficiat *Octavium Salvionum* nominasse) censuerunt isthæc sine dubio vocabula contineri, ANGILBERTO, KAROLI LUDOVICO, FECIT FRATER-GAUDENTIUS. Quod si eæ ita significant; quisnam, obsecro, sensus poterit alius esse, quam hic? ut Frater hic *Gaudentius* musivum illud opus fieri fecerit, *Angilberto* Archiepiscopatum *Mediolanensem*, *Ludovico* autem *Karoli* (hoc est, *Ludovico Pio*, *Caroli Magni* filio) Regnum *Italiæ* atque Imperium moderante. Hinc igitur factum est, ut ego quoque tam Tribunæ, quam operis ejus musivi structuram non in aliud conjecerim tempus, quam illud, quod ab inita per *Gaudentium* Abbatatia hujus Monasterii effluxit usque ad Annum *Christi* Octingentesimum quadragesimum, quo *Ludovicus Pius* Imperator e vivis excessit.

LXIII. Sed enim singulas Tribunæ pariter ac subjecti Altaris aurei partes, a fronte, a tergo, a lateribus, itemque universum illud opus musivum, paulo post quam fidelissime chartis sequentibus impressa ex ære producemus; ut in iis tanto quisque commodius ac maturius observare possit quæcumque repræsentantur. Quod si nostra isthæc, quæve proxime subsequentur, conjectamenta Lectoribus placuerint; admittantur: sin vero secus; meliora proferant ipsi, & hanc a nobis gratiam ineant. Nonnulla tamen eorum symbola nobis adhuc fatemur ignorata, quid indicent. Dum igitur isthæc a ceteris interim secernemus; quid si forte provocata inde aliena ope nobis postea innotescant?

LXIV. Quod attinet ad Tribunam: quatuor in primis porphyreticæ magnique pretii columnæ, quibus ea fulcitur, sese nobis offerent. Ad binos saltem cubitos eæ sunt tamen longiores, quam e pavimento exsurgant, & in oculos incurrant; sive quia collocatæ ita fuerint jam inde ab initio; sive quia progressu temporis pavimentum, ipsis immotis, ad situm editiorem fuerit redactum. Easdem *Paulus Morigia* in Sanctuario affirmat huc translatas e Templo *Jovis*, cui antea deservissent, ubi nunc Monasterium extat Majus, jam inde ducentis ante annis, quam *Christus* Salvator pro nostra omnium salute nasceretur. *Morigiæ* vero adstipulatur etiam *Villa*; nisi quod in ambiguo relinquit, cæne fuerint antea in eo *Jovis* Templo, an in altero *Bacchi*, quod istiusmet *Ambrosianæ* Basilicæ situm antehac occupasset. Singulis porro ejusmodi columnis singulæ insistunt seque porrigunt extrorsum aves, unaquæque piscem tenaciter unguibus & uniformiter complexæ. Quæ quidem nobis Aquilæ videntur; at vero, quid significent, alios malumus audire, quam temere nos quicquam effutire. *Pusterlæ* tamen familiæ gentilitium Aquila est insigne: nec mirum foret; si *Gaudentius* eas illic collocasset in gratiam *Angilberti*; cui & subjectum Altare aureum, & suametipsius ad Abbatiam istam promotio ex recenti debe- retur.

LXV. Ejusdem Tribunæ frons *Christum* præfert in medio sedentem, Sanctisque Apostolis, *Paulo* a dextris tradentem librum hisce verbis, ACCIPE LIBRUM SAPIENTIÆ; *Petro* autem binas Claves, a sinistris adstanti. Venerabilis nimirum antiquitas sic etiam consuevit aliquando: & quidem in ipsis etiam Sigillis, quibus Diplomata Summi Pontificis obsignantur. In his namque *Pauli* similiter effigies a dextris, *Petri* autem a sinistris collocata cernitur. Quocirca Beatus *Petrus Damiani*, qui Anno *Christi* Millesimo sexagesimo florebat, *Desiderio* Abbati hunc in modum respondit: *Occurrit mihi, quod ipse a me quæstione proposita sæpenumero requisisti: cur videlicet in imaginibus picturarum per universas Romæ adjacentes Provincias* PETRUS, QUI PRIMUS EST, AD SINISTRAM, COAPOSTOLUS AUTEM PAULUS CONSTITUATUR AD DEXTRAM; *cum juxta vulgarem sensum hoc rerum ordo deposcat*, UT PETRUS, QUI SENATUS APOSTOLICI PRINCEPS EST, DEXTERUM DOMINI LATUS; PAULUS VERO, QUI MINOR EST, SINISTRUM JURE POSSIDEAT. *Sed durum est valde, ut opinemur, quia tam egregium tamque famosum Apostolicæ dispositionis ordinem inconsulte atque inconsiderate devota Deo ac religiosa Vetustas admiserit. Neque enim credendum est, ut Constantinus Imperator, immo Papa Silvester, totque post eos Principes & Sacerdotes, in Ecclesiasticæ disciplinæ cura pervigiles atque solertes, hunc ordinem tantorum Principum negligendum ducerent; si increpatione aliqua dignum existimarent.* Non igitur Majores etiam illi nostri hac in Urbe Principes ac Sacerdotes increpatione dignum existimabant; si *Christo Paulus* a dextris, *Petrus* vero a sinistris collocatus

locaretur; tametsi *Petrum* alioqui Caput Apostolorum, & auctoritate ab ipsomet *Christo* antepositum etiam *Paulo* faterentur. Quemadmodum enim *Petrum* propter ejusmodi auctoritatis præcellentiam *Paulo* nonnunquam dexterum collocabant, sicut in veteribus etiam Numismatibus observatum fuit; sic etiam vice versa ob alias causas non abs re futurum putarunt, si quando *Paulum Petro* dexterum collocarent.

LXVI. De hujusmodi vero causis disseruerunt, *Paris Crassus*, olim *Pisauriensis* Episcopus, & Cæremoniarum Præfectus, ad *Leonem* Decimum scribens: ad *Gregorium* vero Decimum tertium *Franciscus Mucantius*, *Romanus*, Juris Consultus, atque Cæremoniarum & ipse Magister: *Joannes Molanus* Lib. 3. *De Historia Sanctarum Imaginum*, Cap. 24. *Robertus* Cardinalis *Bellarminus* Lib. 1. *De Romano Pontifice*, Cap. 27. Sed ante hos omnes *Petrus Damiani*, ad Abbatem illum *Desiderium* scribens, tum *Innocentius* etiam Papa Tertius in Sermone *De Euangelistis*, & Sanctus *Thomas Aquinas* Lectione prima in Epistolam ad *Galatas*.

LXVII. Ego lubentius interim collectore simul ac teste utar *Bellarmino*: qui tandem admittens, Sanctum *Paulum* nonnunquam honoris causa in Signis & imaginibus a dextris Sancti *Petri* collocatum fuisse; hujus honoris hasce potissimum tres causas producit: *Prima* (inquit) *quoniam plus ipse videtur Ecclesiæ profuisse, quam Petrus. Plures enim ex Gentilibus ad Christi fidem adduxit; plures Provincias summo cum labore peragravit; plura scripta, eaque utilissima, nobis reliquit. Ecclesia vero in colenda Sanctorum memoria, non tam respicit gradum honoris quem habuerunt in terris, quam utilitatis quam posteris attulerunt. Cum enim gratitudinis causa eos honoret; illis majorem cultum defert, quibus plus debet.* Quod ipsum aliquot etiam aliis confirmat exemplis. *Altera ratio est* (subdit) *quia Paulus, Doctor Gentium præcipue fuit; Petrus Judæorum. Ut igitur significaret Ecclesia, Gentiles Judæis tandem antepositos esse ab eo, qui dixit, Major serviet minori; Paulum anteposuit Petro. Tertia ratio esse potest; quoniam Petrus a Christo vocatus fuit adhuc mortali, & quodammodo in sinistris constituto; Paulus autem de cœlo vocatus est a Christo immortali, & regnante ac sedente a dextris Patris. Atque hanc rationem attingunt etiam Petrus Damiani in Epistola ad Desiderium, quam de hac ipsa quæstione scripsit: Innocentius Tertius in Sermone de Euangelistis, & Sanctus Thomas Lectione prima in Epistolam ad Galatas.* Quibus ego Auctoribus insuper addo *Gulielmum Durandum* in Rationali Divinorum Officiorum Lib. 7. Cap. 44. Sed ne quartam ego quidem causam hic addere cum eodem *Bellarmino*, quinetiam *Petro Damiani*, gravabor. *Addit Petrus Damiani* (verba sunt Bellarmini) *& quartam rationem. Quia videlicet Paulus de Tribu Benjamin erat, & in ipso Benjamin demonstratus, ac typice expressus in Scripturis. Porro Benjamin etsi postremus erat inter fratres suos; tamen a patre filius dexteræ est appellatus, & a Joseph omnibus fratribus antepositus Vide in Genesi Cap.* 35. *&* 42. Hæc Bellarminus.

LXVIII. Sed hactenus argumenta communia, quibus Majores etiam nostri convenienter persuasi esse potuerint, ut Sancto *Petro* sinistram, Sancto autem *Paulo* dextram honoris ergo adjudicarent. Agedum vero jam videamus, an peculiare aliquod præterea illis præsto fuerit argumentum, cur in hac præsertim Basilica, quinetiam in hoc ipso Basilicæ loco, ubi Sanctorum *Ambrosii* & *Protasii* ac *Gervasii* Corpora conquiescerent, illud idem factitarint. Tale profecto argumentum mihi præ ceteris omnibus videtur illud esse potuisse; quod idemmet Sanctus *Paulus Christiana* fide *Protasium* & *Gervasium* instituerit; quodque postea Præsuli *Ambrosio* Cor-

A pora ipsorum indicarit, ut in hanc ipsam Basilicam translata, sub hoc Altari conderentur. Ecce, quid ipsemet *Ambrosius* hac de re narrat ac testetur Fratribus per *Italiam* constitutis, Epistola 53. *In diebus transactæ nuper Quadragesimæ cum Dominus donasset mihi, ut jejunantium me faceret esse participem; in oratione positum ita me somnus oppressit, ut nec vigilans aperte, nec dormiens integre, viderem apertis oculis duos juvenes ephebos, vestibus candidissimis, id est, colobio & pallio, indutos, caligulis calceatos, manibus extensis orantes. Nullam quidem gravedinem patiens, loqui cum eis non poteram; sed quia, ut dixi, pars in me somni incumbebat, qui me ad eorum interrogationem*

B *verbum proferre non fineret. Plene autem mihi evigilanti visio eorum elapsa est. Factum est proinde, ut rogarem Domini misericordiam: quod si ludificatio Dæmonum esset: abscederet: si vero esset veritas; plenius appareret. Ad impetrandum vero quod poscebam a Domino, augmentavi jejunium. Similique modo, canente gallo, orantes mecum juvenes apparuerunt Tertia vero nocte, defecto jejuniis corpore, non dormienti, sed stupenti, cum quadam mihi tertia apparuerunt,* QUÆ SIMILIS ESSE BEATO PAULO APOSTOLO VIDEBATUR, *cujus me vultum pictura docuerat: in tantum, ut ipse mecum, illis tacentibus, loqueretur, dicens: Isti sunt, qui monitis meis obtemperantes, præ-*

C *dia & divitias respuentes, secuti sunt Domini nostri Jesu Christi vestigia: nihil terrenum nihil carnale concupiscentes, in media hac Mediolanensi Urbe per decem annos in Dei servitio perdurantes, ad hoc pertingere meruere, ut Christi Martyres fierent. Quorum Corpora in loco invenies, in quo stas & oras. Duodecim pedum altitudine terra coopertam Arcam invenies: quam Arcam superius exaltabis, & in nomine eorum Ecclesiam fabricabis. Cumque eorum nomina requirerem; dixit mihi: Ad caput eorum libellum scriptum invenies, in quo & ortus eorum & finis scriptus est. Convocans itaque omnes per circuitum Fratres & Coepiscopos Urbium vicinarum, & referens universa, quæ videram; ipsis*

D *coram positis, primus ego terræ fossor accessi; cæteri vero Episcopi prosecuti sunt; & fodientes pervenimus ad Arcam,* QUAM SANCTUS PROMISERAT PAULUS. *Quam aperientes, invenimus quasi ipsa hora positos Sanctos, miro odore fragrantes. Ad quorum caput libellum invenimus, in quo erant hæc per ordinem conscripta:* &c. Dum vero Sanctus ipsemet *Ambrosius* tam luculenter testatur; quid hic præterea desideremus, ubi Beatum *Petrum Damiani* Anno *Christi* Millesimo quinquagesimo nono ad *Mediolanenses* nostros ita perorantem recolamus ex ejusdem Opusculo quinto? *Non debet* (inquit) *ignorare sancta vestra devotio, quia Beati Apostolorum Principes, Pe-*

E *trus & Paulus, sicut per suum sanguinem Romanam Ecclesiam consecrarunt: ita mox inter ipsa nascentis Fidei rudimenta hanc Mediolanensem Ecclesiam per suos Discipulos lucrati sunt Christo. Nazarius quippe, Martyr insignis, sicut Scripturæ testantur, Petri auctoritate Baptisma a Lino ejus successore suscepit: qui postmodum cum Beato Celso in hac sancta Urbe martyrio coronatus est.* SANCTI VERO MARTYRES PROTASIUS ATQUE GERVASIUS BEATUM PAULUM APOSTOLUM MAGISTRUM AC PRÆCEPTOREM HABUISSE NOSCUNTUR; SICUT BEATO AMBROSIO ET IPSE TESTATUR. *Isti sunt* (inquit) *qui monita mea se-*

F *cuti, respuentes prædia & divitias, secuti sunt Domini nostri vestigia. Sicut ergo Salvator noster binos ante faciem suam Discipulos misit; ita quodammodo uterque Sanctus Apostolus ex Magisterio suo in hanc Urbem Prædicatores sanctæ Fidei geminos destinavit. Cum ergo vestr. salutis auctores ex Romanæ Ecclesiæ prodierint disciplina; consequens est, juxta æquitatis ordinem, ut Ecclesia Romana mater, Ambrosiana sit filia.* Vide autem, quam fidenter super his, & ejusmodi aliis quæ sub-

subdit, loquatur *Petrus Damiani.* Sic enim nostros tunc temporis *Mediolanenses* ad suasipsorum tabulas provocat signatas: *Scrutamini itaque Scripturas vestras, & per quod vultis diligenter inquirite & si non potestis apud vosmetipsos invenire quod loquimur; mendacii arguite: si autem potestis; nolite veritati resistere; nolite Matrem vestram crudeliter impugnare; sed ex cujus uberibus lac suxistis Apostolicæ Fidei, ejus semper gaudete solidis doctrinæ cœlestis dapibus recreari.* Placet autem, quod, dum singularia Sancti *Pauli* erga Ecclesiam *Mediolanensem* atque hanc in primis *Ambrosianam* Basilcam commemorare merita destinaveram, simul etiam nonnihil e Sancti *Petri* meritis erga eamdem Ecclesiam insinuare potuerim. Quo etiam forte factum est, ut ambo iidem Apostoli fuerint a Majoribus nostris, animi grati causa, in hac anteriori Tribunæ parte, tam conspicuo nempe in loco, expressi.

LXIX. Sic itaque dexteram censemus honoris esse signum: & in hoc quidem Doctorem quoque nostrum sequimur Sanctum *Ambrosium* Sermone 61. qui est *De Pentecoste:* præterea vero etiam Sanctum *Hieronymum* in Caput primum Epistolæ ad *Ephesios. Antonius* quidem *Nebrissensis* in Explicatione quinquaginta locorum Scripturæ, & ex ipso *Bartholomæus Cassanæus De gloria Mundi*, contendunt, Sanctum *Petrum* in sinistro latere collocari; quia læva pars pro digniori apud antiquos habita fuerit: quam opinionem *Bellarminus* quoque Libro 3. *De Incarnatione*, Cap. 15. & Libro primo, jam citato, *De Romano Pontifice*, Cap. 27: non omnino improbat. Ego tamen *Joanni* potius *Molano* assentior, id neganti una cum *Mucantio*, a quo etiam docte idipsum refutatur. Sicut autem in anteriori hac Tribunæ parte *Paulum* credidimus honoris ergo ad *Christi* dexteram collocatum; sic etiam constanter hoc idem postea sentiemus de Sancto Martyre *Protasio*, ad *Christi* dexteram stante in Odæo, cujus picturam musivumque opus postea ex ære itidem hic proferemus impressum.

LXX. De anteriori Tribunæ parte satis hactenus dictum. De ipsius tergo, posteriorique parte, quod præcipuum erat, jam diximus Num. 62. tantumque nunc superest, ut isthæc duo adjiciamus. Etenim supra Sancti *Ambrosii* caput *Christus* illic adest brachiis erga ipsum expansis, perinde ac si amplexari eum vellet: ac forte per hoc alludere voluerunt ad amœnissimum illud *Ambrosii* visum, quod a Sancto *Paulino* narratur in ejusdem Vita. Cum enim *Ambrosius* jam æger in lecto decumberet: cumque paucos ante dies, quam moreretur, oraret una cum Sancto *Bassiano*, *Laudensi* Episcopo; *vidit Dominum Jesum advenisse ad se, & arridentem sibi.* Ad hæc in ejusdem tergi lateribus duæ visuntur aves, sese invicem contuentes: quarum in dextro latere cygnus, in sinistro autem columba mihi videtur; at quid eæ significent, ne levi quidem conjectura tentare in præsenti ausim.

LXXI. Sed ne facilius quidem est intelligentia illud assequi, quod in ejusdem Tribunæ dextero latere continetur. Medius ibi stat Vir Sanctus sicut e circulo, sive diademate, liquet, ad ejus occiput, hoc est, posteriorem capitis partem, circumducto: cui Sancto bini homines laici sese suppliciter, unus hinc, alter inde, acclinant. Archiepiscopum esse illum certe constat ex Archiepiscopali Pallio, quod illi, Cruce signatum ad pectus, instar fasciæ zonæque latioris, a collo fluit usque ad pedes; quemadmodum etiam Græcis in usu fuisse, observavit eruditus *Angelus Rocca Camers*, Apostolici Sacrarii Præfectus, in Sancti *Gregorii Magni* ejusque Parentum imagines; quas, ejusdem Operum Tomo primo ad finem insertas, Notis suis illustravit. Sed Archiepiscopi ejus Sancti, quod mireris, caput regia cinctum est Corona: quam illi e vertice pendula supra

A frontem manus imposuisse videtur: quamque primo statim aspectu simillimam ego censui Coronæ Ferreæ *Modoetensi*, qua Reges *Italiæ* coronabantur. Hæc autem cum ita se habeant; ecquem alium ego Sanctum esse Archiepiscopum hic existimem, quam *Ambrosium*, pontificalibus indumentis amictum? cujus propterea frontem Corona illa Ferrea, certe propter adnexum Dominicæ Crucis Clavum sacra, exornarint; quia saltem per ejus Successores Archiepiscopos hoc jam tempore coronari ea Reges *Italiæ* solerent.

LXXII. Quidnam vero tandem illud est, quod
B effigies illæ significant, quæ nobis e sinistro Tribunæ latere sese offerunt in conspectum? Tres & ipsæ numero sunt personæ, sexumque fœmineum ex æquo repræsentant. Quæ porro medium inter ipsas locum tenet, Columbam gestat, capiti suo alis expansis incubantem: necnon etiam circulo illo post occiput circumducto testimonium præfert sanctitatis: propterea que binæ alteræ laterales, & instar Monialium *Benedictinarum* manicatæ, sese illi reverenter sistunt. Eandem propter illius Columbæ indicium ego facile conjectassem Sanctam esse *Scholasticam*, Sancti *Benedicti* Abbatis sororem. Siquidem in ejus etiam humero appictam in Ecclesia Mona-
C sterii Majoris videre licet Columbam; quia scilicet ipsius animam, mortali egressam e corpore, Sanctus *Benedictus* viderit *in Columbæ specie Cœli secreta penetrare*; sicuti Sanctus loquitur *Gregorius Magnus* Libro 2. Dialogorum, Cap. 34. Ex altera vero parte vel hic ipse Tribunæ situs deposceret, ut eandem potius esse crederem Sanctam Virginem, Virginumque Magistram, Spiritu afflatam divino, *Marcellinam*, ejusdem *Ambrosii* sororem, nec procul hinc hac ipsa in Ecclesia sepultam. Sed satius profecto fuerit hoc aliorum discussioni judicioque reservasse.

LXXIII. Antequam supra Sanctorum *Ambrosii* & *Protasii Gervasiique* Corpora construeretur aureum
D Altare, nihil ego quidem dubitaverim, quin sacer ille locus cancellis aliquibus saltem ad reverentiam circumseptus ac munitus esset. Atqui post aureum illic Altare multo credibilius est firmioribus etiam præsidiis consultum fuisse, ne quispiam, illuc auri sacra fame adactus, hanc e sacro illo Altari exsaturare posset. Ex eo igitur ad minus tempore septum ferrea crate nos credimus utrumque illud intercolumnium, quod e regione laterum Altaris absque dubio hinc inde a prima sui & Basilicæ structura carebat muro, ac fortasse transitum etiam Populo liberum præbebat ad Sanctorum Corpora propius veneranda. Non enim tunc adstructo muro, qualem in præsenti cernimus,
E oppletum fuit; sed post aliquot inde annorum centurias, quemadmodum sub hujus Voluminis extrema indicabimus. Sic etiam tunc temporis constructa videtur præalta illa & firmissima e ferro crates, quam tribus ab hinc annis vidimus inde sublatam, substitutis in ejus vicem nobilioribus hisce cancellis, qui nunc erecti manent, jamque potiorem ornamentorum suorum partem ostentant. E quibus hinc inde pilis lapideis novi cancelli nunc incipiunt modico ad Basilicæ medium flexu, quo situm paulo laxiorem peragendis ante Altare sacris ceremoniis relinquant: indidem vetus illa crates recta linea deducebatur: hæcque lapideis inferne tabulis, hodierno
F quoque pavimento æqualibus, quæ supremum illic gradum constituebant, insita erat. Qua vero transitus ante Altare patebat, tam gradus ipsi, quam vasta pavimenti e solido marmore tabula primum obvia, usque adeo attritu pedum absumpta & velut excavata erant, ut vel inde satis superque dignosci posset cum temporis diuturnitas, qua gradus illi ac pavimentum perstarent, tum etiam quanta olim frequentia sacrosanctum istud sepulchrum a Fidelibus adiretur. Ejusmodi lapidum sic absumptorum indicio adhuc

huc aliquali esse potest vetus ipsemet ille gradus similiter marmoreus, quo hincinde a tergo Altaris transitus etiamnum patet. Miraberis profecto, quandocumque hunc in ea parte videris usque adeo absumptum; & tamen longe minus hic est absumptus, quam illi forent anteriores, recenter e medio sublati. Ceterum vetus eadem illa crates lapideis itidem tabulis superne inserebatur, inter utramque pilam continenter apicis & coronidis instar collocatis tum supra baculos cratis ejusdem ferreos: tum etiam supra quatuor interstantes e vivo quadratoque lapide tabulas. Quocirca prægravis etiam erat illius vertex: ac, ne alterutram in partem corrueret, necesse visum fuit, ut adminiculo duarum e ferro linearum satis ingentium sisteretur: quæ lineæ ab unaquaque anteriorum Tribunæ columnarum ambæ protenderentur ad unamquamque singillatim earum intra cratem interstantium tabularum, sibi ex adverso respondentium; itaut hinc tabulis istis, inde vero capiti cujusque illarum columnarum (unde paululum adhuc prominent, lima defectæ) consitæ plumbo, tantam cratis molem continerent. Cui quidem moli superstabat nova veluti sepes e ferreis ad cubiti altitudinem aculeis (horum duo ad specimen superstant adhuc duabus illis hinc inde pilis) ne quis cratem a superiori parte transcendere valeret. Tam scilicet providi beneque cauti fuerant Majores illi nostri, ut Altare istud aureum, talibus intersitum munimentis (hoc est, muro a tergo, a fronte vero & a lateribus crate ferrea) nullius unquam esset rapacitati obnoxium. His igitur hunc in modum præmissis, accipe nunc Lector, quæ sequuntur, quatuor ex ære tabulas: quæve de singulis Tribunæ subjectique Altaris partibus adhuc nos diximus, tu commodius cum iis conferto.

LXXIV. Ex his autem, quæ de situ pavimenti ejus, Altari aureo intra talia ipsius septa circumjacentis, proxime dicebamus, colligi utcumque posse videtur, quid præcise censendum sit de quatuor illis porphyreticis columnis, ad quatuor ejusdem Altaris cornua consistentibus: hoc est, utrumne illæ ibi primum collocatæ fuerint post Altare aureum ab *Angilberto* constructum; an potius antehac ibidem constitissent, atque etiam ex eo fortasse jam tempore, quo Sanctus *Ambrosius* ibi primum Altare struxit, vel quo saltem Sanctorum *Protasii* & *Gervasii* Corpora ibidem tumulavit. Quicquid Tribunæ talibus hisce columnis superstructum videmus in hanc usque diem: hoc ego jam ante consensi, vel etiam famæ, rursumque consentio, nomine Monasterii a *Gaudentio* Abbate constructum & Sancto dicatum *Ambrosio* fuisse; sicut in ejusdem Tribunæ tergo indicari asserebamus: & hoc paulo post, quam eo in loco *Angilbertus* aureum Altare construxisset. Quod si etiamtum columnæ ibi primum erectæ fuissent; quis unquam credat futurum fuisse, ut non tantum subjectæ bases, verum etiam columnæ ipsæ ad binos circiter cubitos infra pavimentum, sicut hodieque videmus, dejicerentur? Quid enim obstabat, ne ipsæmet etiam bases juxta præscriptum Artis eidem supereminerent pavimento? Immo vero quid non hoc ipsum exigebat? Absit enim, ut vel ipsamet structuræ proportio id unquam permisisset: juxta quam Tribuna ista non potest non naniformis æstimari. Quod, ut opinor, attendens *Joannes* Episcopus *Famagustanus*, Anno *Christi* Millesimo quingentesimo septuagesimo sexto *Mediolanensis* Urbis ac Dioecesis Apostolicus Visitator, cum Basilicam istam die secunda Maji ex officio lustrasset; inter cetera, quæ suo nos tempore singula recensebimus, mandavit, ut eædem columnæ ipsarumque bases ita sustollerentur, ut supra pavimentum erectæ consisterent. Quamquam id postea neutiquam factum: scilicet, ut credere fas est, ob alias majoris momenti rationes: pro-


A pter quas etiam fortasse olim *Gaudentio* Abbati visum fuerit magis opportunum, vel etiam necessarium, ut ea primori suo in loco dimitterentur immotæ. Ego igitur ita potius existimo: ut, quo tempore columnæ illæ primum ibi erectæ fuerunt, tunc earum etiam basibus inferius ac depressius esset pavimentum: sed hoc postea, illis immotis, elevatum fuerit: ac tum maxime, quando altius contegi sacra Corpora, & auream ipsis Aram superstrui placuit. Quocirca hinc etiam ego ulterius conjectando ita progrediar, ut non improbem; si quis dixerit, auream hanc Aram ipsimet primævæ Aræ, quam olim struxerat Sanctus *Ambrosius*, superædificatam fuisse: præterea vero etiam columnas istas primitus hic fuisse ab eo-
B dem *Ambrosio* collocatas: & quidem congruenter ad eum situm, in quo suam ipse Aram construxerat. Certe autem convenienter ad hæc, interea, quæ mox in Odæo picta & observatu digniora conspiciemus, Sanctus etiam erit *Ambrosius*, super hac ipsa Basilicæ Ara Missam celebrans: nec non etiam sub Tribuna, quatuor itidem innixa columnis, quarum etiam bases aliquantulum pavimento ex Arte superstarent: sic etiam sub Tribuna diversi operis, ac minus elaborati, quam illud sit, quo ipsam postea fabrefactam hodieque conspicamur. In id ergo celeriter tabulam offerimus sequentem: ipsamque cupi-
C mus diligenter examinari prius, quam subsequens nostra explicatio perlegatur.

LXXV. Sic igitur inspecto prius Chori musivo, dum libentius ego quoque ad ipsius examen ac mysteria singillatim edisserenda progredior, ab ejusdem sinistro incipiam latere: quod ea incipit Tabella, *Gothis* characteribus inscripta, de qua satis jam diximus Num. 62. Sequitur ergo, ut proximam illi Ecclesiam *Faustæ* solerter attendamus. Inde autem spero fore, ut apprime confirmetur quod antea disserebam Num. 19. cum Basilica *Faustæ*, sive *Faustinia-na*, non alibi sita olim fuisse mihi videretur, quam ubi nunc Cappella extat, quæ SANCTI SA-
D TYRI nuncupatur, quæve aliquando SANCTI VICTORIS AD COELUM AUREUM dicta fuit. In ejus utique concamerato fastigio tunc effigiem Sancti *Victoris* observabam, sinistro e latere gestantis Crucem dictione ista inscriptam, FAUSTIN. In hoc autem nunc Odæo per Ædiculam illam, cui stat inscriptum ECCLESIA FAUSTÆ, non aliam video destinari, quam eandem ipsam Sancti *Satyri* Cappellam. Figuræ illa est orbicularis? Sic etiam est ista. Lateralis illa est *Ambrosianæ* huic Basilicæ a parte Monasterii? Sic etiam est ista. Ecquænam vero altera olim saltem sic erat? Numquid Ecclesia forte Sancti *Vitalis*, quæ prope Basilicam
E istam olim extabat? Ita sane multi respondeant necesse est, quos ego quoque infra commemorabo. Sed ea profecto Sancti *Vitalis* Ecclesia non orbicularis erat figuræ, sed oblongæ, soloque coopertæ tecto, sine fornice, ac sine altiori aliquo fastigio, quod ipsimet tecto superemineret; sic enim a nonnullis senibus, qui eam viderunt, accepimus; e quorum etiam numero Frater est *Alexander de Valentibus*, Monasterii hujus Religiosus. Sic etiam lateralis ea non erat *Ambrosianæ* Basilicæ; sed ipsi a tergo post hodiernum Chorum, & aliquantum ab eo dissita, stabat; sicut e sequentibus apertissime constabit. Quocirca, si ea olim fuisset Ecclesia *Faustæ*; certe
F in hoc musivo Chori ornamento collocanda fuisset, non ubi nunc collocata visitur ipsamet Ecclesia *Faustæ*; sed post Ædiculam illam, quæ separatim edita in altum & rotunda conspicitur post Tribunam, sub qua sacris operantem mysteriis Sanctum *Ambrosium* expresserunt. Qua quidem Ædicula, quis neget, hodierni Chori parietes ambitumque illum repræsentari, quem Num. 20. apertissime ostendimus ab Altari reliquoque Basilicæ spatio separatum interjectio-


ne



TRIBUNÆ *Subjectique* ALTARIS *pars anterior.*



TRIBUNÆ *Subjectique* ALTARIS *pars posterior.*






TRIBUNÆ *subjectique* ALTARIS *latus dexterum.*



TRIBUNÆ *Subjectique* ALTARIS *latus Sinistrum.*




SEVILLA


EGO SVM LVX MVNDI
PROTASIVS
GERVASIVS
TORONICA
S. MARTINVS
MEDIOLANIVM
S. AMBROSIVS





CARMINA, ET RELIQUÆ TABULARUM INSCRIPTIUNCULÆ,
PROUT IN ALTARIS AMBROSIANI TERGO DISPOSITA SUNT;

Excepto, quod nos in gratiam Lectoris, ubi licuit, plus ſpatii poſuimus inter ſingulas dictiones, quam Litteras.

EMICAT ALMA FORIS RUTILOQUE DECORE VENUST ARCA METALLORUM GEMMISQUÆ COMPTA CORUSCAT HESAURO TAMEN HÆC CUNCTO POTIORE METALLO

GREGIUS QUOD PRÆSUL OPUS SUB HONORE BEAT	UBI PEDEM AMBROSIUS CALCAT DOLENTI	UBI IHESUM AD SE VIDET VENIENTEM	SPICE SUMME PATER FAMULO MISERERE BENIGN	SANCTUS MICHAEL.	SANCTUS GABRIEL	E MISERANTE DEUS DONUM SUBLIME REPORTE	UBI AMMONITUS HONORATUS EPISCOPUS DOMINI OFFERT CORPUS	UBI ANIMA IN CELUM DUCITUR CORPORE IN LECTO POSITO	SSIBUS INTERIUS POLLET DONATA SACRATI
	UBI OCTAVO DIE ORDINATUR EPISCOPUS	UBI SUPER ALTARE DORMIENS TURONIAM PETIT		SANCTUS AMBROSIUS	SANCTUS AMBROSIUS		UBI SEPELIVIT CORPUS BEATI MARTINI	UBI PRÆDICAT ANGELO LOQUENTE AMBROSIUS	
	UBI EXAMEN APUM PUERI OS COMPLEVIT AMBROSII	UBI AMBROSIUS EMILIAM PETIT AC LIGURIAM		DOMNUS ANGILBERTUS	WOLVINIUS MAGISTER PHABER		UBI FUGIENS SPIRITU SANCTO FLANTE REVERTITUR	UBI A CATHOLICO BAPTIZATUR EPISCOPO	

T INCLITUS AMBROSII TEMPLO RECUBANTIS IN ISTO BTULIT ANGILBERTUS OVANS DOMINOQUE DICAVIT EMPORE QUO NITIDÆ SERVABAT CULMINA SEDIS

ne muri fuisse usque ad Annum *Christi* Millesimum quingentesimum septimum? Consequens est igitur, ut Basilica illa Ecclesiaque *Faustæ* non acceperit postea nomen Sancti *Vitalis*; sed profecto Sancti *Victoris* ad Cœlum aureum, ac deinde Sancti *Satyri*; sicut in hanc usque diem appellatur. Ejusmodi autem argumentum, ab hoc musivo deductum, tanti ego faciendum existimo, ut, eo convictus, ab iis omnibus dissentire Scriptoribus cogar, qui nobis adhuc oppositum tradiderunt.

LXXVI. Ex his enumerare aliquos præstat: quos alioqui magno in pretio habemus. *Gualuaneus* in primis *Flamma* in Chronico Majori sic habet cap. 90. *Constructo ergo Templo Salvatoris, Faustus, Philippi filius, construxit Ecclesiam Fausti in vinea, ubi pro Christi Fide postea fuit interfectus. Ista Ecclesia dicitur nunc Sancti Vitalis: ubi usque hodie miraculum magnum apparet* (hoc enim nos quoque obiter addamus) *quia ibi nec aranea nec avis aliqua habitare potest.* Nec ab his idem *Gualuaneus* discrepat in Chronico Minori, quod *Manipulus florum*, cap. 32. Sic etiam Chronicon alterius Scriptoris, *Flos florum*, affirmat: necnon etiam *Donati Bossii* Chronicon ad Annum *Christi* Nonagesimum: *Tristanus* item *Chalcus* post Annum *Christi* Septuagesimum primum: similiter *Bonaventura Castellionæus*, author Libri typis jam editi, cui titulus, *Gallorum Insubrum antiquæ Sedes*. Hic alia etiam multa conscripsit, de quibus *Paulus* agit *Morigia* Lib. 3. *Della Nobilità di Milano*, cap. 5. Præter quæ tamen scripsit etiam Vitas undecim Archiepiscoporum, Sancti *Ambrosii* antecessorum: quæ in Capituli Metropolitani Bibliotheca manuscriptæ conservantur; tametsi nos illas ibi quæsierimus in cassum; & invenire nimis operosum erat; quippe cum Bibliothecæ illius Codices Manuscripti needum fuerint in Indicem redacti. Forte fortuna Sancti *Castritiani* Vitam, tamquam ab ipso conscriptam, & tamquam ex illius Bibliothecæ Codice exscriptam, nos in Archivo nostro comperimus. Quia igitur & ipse ad sua usque tempora (ferme autem septuagenarius vixit usque ad Annum *Christi* Millesimum quingentesimum quinquagesimum quintum) perseverasse in Ecclesia Sancti *Vitalis* affirmat illud ipsum (dixerim privilegium) quod *Gualuaneus* de araneis & avibus testabatur; propterea etiam eo libentius hic proferam ipsius testimonium. Est autem, sicut illud comperi, sermone contextum Italico in hæc verba: *Ottenue Castritiano da Fausto e Portio l'horto loro col paterno palaggio interamente. E tutto ridotto in arbitrio della Chiesa; Fausto, ad imitatione del Padre, dentro la parte della vigna sua hereditaria fece construere un'altra Basilica sacra in honore di Christo, chiamata Faustiniano, ma poi col tempo ottenue il nome di San'Vitale: nella quale Fausto dalli nemici de Fedeli fu tumultuariamente ucciso. Ne mi pare fuor' di proposito (parlando di questa Basilica) far' mentione di quanto insino al di presente si e osservato: che in essa, quantunque humida, mal' solicata, sensa solaro, e tutta anticaglia, col nudo tetto; non habitino ragni, ne mai si viddero in essa tele; e piu, che non vi entrano augelli, ancorche da ognicanto potessero entrare.* Quid, quod etiam nobis hac in parte adversatur Breviarium *Ambrosianum*, post Sancti *Caroli*, Cardinalis & Archiepiscopi nostri recognitionem Anno Domini Millesimo quingentesimo octuagesimo secundo typis impressus? cujus verba recoli hoc rursum loco possunt e Num. 5. ubi ea produximus. Quamquam etiam ne hic quidem omiserim, quæ prius legebantur in anteriori ejusdem Breviarii editione Anni Millesimi quingentesimi quinquagesimi secundi: e quibus additamentum illud, quod maxime nobis in præsenti repugnat, nonnisi postea factum esse dignoscitur. Ibi namque in ejusdem Sancti *Castritiani* Lectionibus, sub Kalendis Decembris, quod ad nostrum pertinet institutum, hæc solummodo habebantur: *Qui ejusdem Ecclesiæ Antistes post Cajum domum Philippi nobilis viri extra muros Urbis ab occidentali parte Ecclesiam consecravit. Crescente postmodum Fidelium numero, duobus Philippi filiis rogantibus, duas iterum Ecclesias secundum eorum nomina consecravit: unam videlicet Portianam, alteram Faustam nuncupans.* Quibus profecto in verbis nihil est, quod adhuc nobis adversetur; ut infra disseremus Num. 80.

LXXVII. Sed enim *Carolus a Basilica Petri*, dum nobis & ipse adversatur, simul etiam pro nobis describit locum, quo Sancti *Vitalis* Ecclesia olim sita erat: talem scilicet, qualem nos in argumento nobis assumebamus; proindeque penitus diversum ab eo, quem in Odæo Ecclesia *Faustæ* occupare significatur. Operæ igitur pretium nobis erit illa eadem recensere, nec non etiam ex Archivo postea nostro aliquatenus confirmare, vel etiam corrigere. Sic autem se habent in Historia *Mediolanensi*, & in Sancto *Castritiano*, Archiepiscopo Quarto: *Reliquæ duæ* (Basilicæ) *a duobus Philippi filiis, Portio & Fausto, una Portiana, altera Fausti, dictæ traduntur: illaque mox Sancti Victoris, hæc Sancti Vitalis nomine dicata.* Et paulo post: FAUSTI BASILICA, POSTEA SANCTI VITALIS, QUÆ INTER BASILICAM FRANCISCANAM (hæc prius *Philippi*, tum Sanctorum *Fælicis* & *Naboris* dicebatur) ET AMBROSIANAM POSITA EST (quid apertius optare poteramus?) *titulum Parœciæ habebat. Sed Carolus Archiepiscopus, ita postulante administrationis Ecclesiasticæ ratione, nuper mutavit: & ab ea Corpus Sancti Monæ Archiepiscopi abstulit, ut suo loco dicemus: putoque, eam Ædibus Monachorum, qui ad Basilicam Ambrosianam habitant, esse adjunctam.* Hæc ille ibi. Qui & postea in Sancto *Mona*, Archiepiscopo Sexto, hæc subdit: *Corpus ejus in Basilica Fausti, postea Sancti Vitalis, sub Altari majori conditum erat: sed ea causa, quam in Castritiano attigimus, Carolus Archiepiscopus transtulit in Basilicam Majorem Sexto Idus Februarii, Millesimo quingentesimo septuagesimo sexto, Feria quarta.* Hæc ille; sed aliquatenus etiam procul a vero, ut mox videbimus.

LXXVIII. Res igitur secundum publica & probata nostri Archivi Documenta hunc in modum se habuit. Inter Basilicæ *Philippi* sive *Franciscanæ* frontem, ac tergum sive Chorum *Ambrosianæ*, tametsi spatium usque adeo angustum intercederet, nihilominus tres olim stabant (quandocunque conditæ antehac essent) Ecclesiæ, spatiis inter se angustioribus disjunctæ. Atque vel hinc etiam loci hujus apud Majores nostros sanctitatem magis adhuc admireris. Prima, & *Franciscanæ* propinquior, erat estque adhuc Ecclesia Sanctæ *Valeriæ*, Sanctorum *Protasi* ac *Gervasii* Martyrum genitricis: secunda, & media, erat Sanctorum *Vitalis* & *Agricolæ* Martyrum: tertia, & *Ambrosianæ* propinquior, erat Sanctorum *Petri* & *Pauli* Apostolorum in Infirmaria. Primam ergo Sanctus, denique *Carolus* Collegio Mulierum Conversarum addixit in perpetuum, eandemque illæ possident etiam in præsens: secunda & tertia e medio jam sublatæ fuerunt. Atque ut de secunda sigillatim loquamus: Parochialis hæc tandem erat; quinetiam defuncto Rectore suo ultimo viduata: sed & ruinam minitabatur, maximaque, indigebat reparatione; cum alioqui reditus ipsius essent admodum tenues, neque valorem centum septuaginta librarum Imperialium annuatim excederent. Hanc igitur præsertim ob causam *Carolus* deliberavit ante omnia de nomine Parochialis Ecclesiæ subprimendo; illiusque propterea Parochianos aliis circum Parœciis subjecit. Ecclesiam porro ipsam, ædemque parochialem ipsi adnexam, tradere quidem Monasterio destinabat; cum hac tamen conditione, ut ab ipso

ipso vicissim Mulieribus illis Sanctæ *Valeriæ* Conversis traderentur quædam domus, ipsis contiguæ, atque ad ipsarum domicilia, sicut ob earundem multitudinem opus erat, amplificanda perquam opportunæ. Sed cum Abbas & Monachi conditionem istam recusassent; Archiepiscopus ipsammet Ecclesiam & domum iisdem illis Mulieribus Anno *Christi* Millesimo quingentesimo septuagesimo secundo, Indictione quintadecima, die Lunæ, quinto mensis Maji, rite applicuit. Exinde tamen inter eas Mulieres & Monachos nostros, ex ejusdem Archiepiscopi consensu, agitatum, & in hoc denique conventum fuit: ut Monachi, accepta Ecclesia (quæ tamen prius profanaretur) & domo illis traderent certam viridarii sui partem, ac Directa quædam & Ficta libellaria; prout continetur in publico Instrumento, super hoc rogato (sicut & primum illud fuerat) per *Bartholomæum Parpalionum*, Curiæ Archiepiscopalis Cancellarium, Anno Domini Millesimo quingentesimo septuagesimo quinto, Indictione tertia, die Jovis, nono mensis Junii. Quocirca Sanctus deinde *Carolus* octava Februarii die (quemadmodum etiam *Carolus a Basilica Petri*, testis oculatus, & in parte operis assistens, testabatur) Anno Millesimo quingentesimo septuagesimo sexto, solemniter inde ad Basilicam Metropolitanam transtulit Corpus Sancti *Monæ* Archiepiscopi: deinde vero quarta die Aprilis Ecclesiam ipsam profanos ad usus redegit. Cum vero Summi etiam Pontificis *Gregorii* Decimi tertii consensu & approbatione isthæc omnia Calendis Augusti confirmata fuissent Anno *Christi* Millesimo quingentesimo septuagesimo septimo, Pontificatus autem sui sexto: cumque Monachi nostri, jam in possessionem inducti, eandem Ecclesiam dejecissent; facultatem postea certis quibusdam conditionibus Anno Domini Millesimo quingentesimo septuagesimo nono, die tertia Octobris, Jurisconsulto cuidam, *Hippolito Lampugnano*, semet sponte offerenti, dederunt, ut suis ipse sumptibus, sed ipsorum nomine Monachorum, in eo ipso Ecclesiæ dejectæ situ nobile domicilium construeret. Constructum ergo illud jam erat Anno Millesimo quingentesimo octuagesimo primo, vigesima tertia Februarii die; quemadmodum constat ex Instrumento, tunc Monachos inter & *Lampugnanum* confecto: idemque domicilium stat adhuc, & ex eo pariter tempore in Monasterii hujus libris & inter Monachos communiter ac passim DOMUS SANCTI VITALIS in hanc usque diem appellatur. Quærisne vero jam tandem, ubinam extet hoc ipsum domicilium? Illud ipsum nimirum est, quod a *Franciscana* Basilica tendentibus e latere Monasterii nostri ac sinistro, ad *Ambrosianam* est postremum: cui propterea contermina est prægrandis ea porta, per quam inde ingredimur in aream præjacentem alteri portæ, qua Monasterium ipsum introimus. Ibidem igitur sita etiam olim erat Sanctorum *Vitalis* & *Agricolæ* Ecclesia: & ita quidem disposita, ut unica ipsius porta minor & lateralis esset obversa plateæ, quæ portis hinc Canonicæ *Ambrosianæ* inde vero *Franciscanæ* Basilicæ interjecta est; altera vero major & anterior obversa esset areæ mox dictæ, proindeque etiam hodierno *Ambrosianæ* Basilicæ Odæo; quo tandem omnis hæc nostra descriptio tendebat. Sic etiam porro senes illi pariter, quos supra dicebam, præcise tamquam oculati testes e certa scientia nobis affirmarunt: ac nominatim Frater etiam ille noster *Alexander*. Qui quidem profitetur etiam, se die illo Ecclesiam istam invisisse, quo Corpus Sancti *Monæ* solemniter inde translatum fuit; sicut etiam pluries alio tempore, ac præsertim quo Triduanarum Litaniarum die, statio ad hanc Ecclesiam quotannis habebatur. Præterea vero etiam quam optime meminit, supra majorem illam & anteriorem portam pictum extitisse *Christum* Dominum, cujus ex ore gladius exiret utraque parte acutus, juxta illud Apocalypseos cap. 1. art. 16. & cap. 19. art. 15.

LXXIX. Cum igitur hæc ita se habeant; ego rursum ex hac situs diversitate inter eam Sancti *Vitalis* Ecclesiam, & Ecclesiam *Faustæ*, qualis in Odæo expressa conspicitur, concludo, Ecclesiam itidem *Faustæ* penitus ab ea Sancti *Vitalis* Ecclesia diversam ita fuisse, ut eadem prorsus fuerit cum ea, quæ Sancti *Satyri* Capella in præsenti appellatur. Sed ne hac quidem conclusione contentus, alteram insuper hanc deduco: ut, quanto magis probatum inde manet, Capellam istam olim fuisse Basilicam *Faustæ*, tanto jam securius credere possimus, hanc ipsam Capellam omnino diversam fuisse a Sancti *Ambrosii* Cella: quæ proinde Cella tanto certius illic fuerit, ubi nunc Chorus existit; sicuti nos jam ante disseruimus Num. 20.

LXXX. Ceterum circa Ecclesiam istam *Faustæ* alterum adhuc mihi recursat in mentem: in quo, si non asseveranter assero, suspicor tamen, Scriptores illos, quos paulo ante nominabam, & alios multos a vero aberrasse. *Faustinianam* illi Basilicam, concordes asserunt, ab uno e *Philippi Oldani* filiis, cui nomen esset *Fausto*, appellatam fuisse. Quocirca nunquam illi Basilicam nominant *Faustæ*, sed semper vel *Fausti*, vel *Faustam*, vel *Faustinianam*. Quid si autem *Philippo* fuissent filius nomine *Portius*, & filia nomine *Fausta*? Potuissent ne tum dici *Philippo* fuisse duo filii, e quibus *Portiana* & *Faustiniana* suum nomen acceperint? Quis hoc neget? Siquidem filii nomen ambitu suo filias quoque complectitur: feminaque simul & masculus si forte pluraliter nominentur; masculinum genus, utpote nobilius, feminino prævalet; atque tam femina quam masculus sub genere plurali masculino comprehenduntur; sicut est inter ipsa Grammaticæ rudimenta receptissimum. Tametsi ergo Auctores aliqui aliquando tradiderint, binas illas *Mediolani*, Basilicas a binis *Philippi* filiis proprium nomen accepisse; non inde propterea statim sequitur, ut ambos illi fuisse masculos filios existimarint: &, sicut e *Portio Portianam*, sic e *Fausto Faustam*, vel *Faustinam*, vel *Faustinianam*, fuisse nuncupatam. Dicerentne vero isti etiam, e *Fausto* denominatam fuisse Ecclesiam *Faustæ*? Quo id sensu, qua id fronte? Qui ergo præcise constanterque idipsum ex adverso dicat; absque dubio censendus videbitur denominationem illam, non a *Fausto* deductam interpretari protestarique, sed a *Fausta*, *Philippi* utique filia. Atqui nostro in Odæo inscripta manifestissime legitur ECCLESIA FAUSTÆ: Sanctusque quinetiam Doctor *Ambrosius* nusquam legitur aliter eam nominasse; quam BASILICAM FAUSTÆ, in Epistola scilicet 53. ad *Marcellinam* sororem: quemadmodum ex ipsius calamo scribit etiam Cardinalis *Baronius* in ejusdem Vita. Neque igitur Sanctus *Ambrosius* (dicam ego) neque Majores illi nostri, e quorum præscripto Basilicæ illi *Faustianæ* adscriptum in Odæo fuit ECCLESIA FAUSTÆ, nec item illic *Baronius*, aliique omnes hac in re ipsos secuti, censuerunt, eam sic e *Fausto* fuisse denominatam, sed potius e *Fausta* filia & femina. Quid, quod ipsemet etiam *Philippus*, unicum sibi masculum fuisse filium, satis aperte videtur in eo indicasse Libello, quem Sanctus *Ambrosius* comperit ad Sanctorum *Protasii* & *Gervasii* Martyrum caput? In eo siquidem *Philippus* ita scriptum reliquerat in principio: *Ego servus Christi Philippus intra domum meam Sanctorum Corpora*, QUÆ CUM FILIO MEO RAPUI, *& sepelivi.* Et rursum in fine: *Ego servus Christi Philippus* ABSTULI CUM FILIO MEO *furtim nocte sancta Corpora.* Quod si *Philippo* supponitur unicus tantum fuisse filius masculus; quid hoc modo loquendi con-

convenientius? Sin autem duo illi fuisse supponantur, quorum alterutrius opera posset ad ejusmodi pietatis officium uti, cum alioqui utriusque non sit usus, sed unius tantum; quidni consentaneum rationi erat, ut non ita loqueretur indiscriminatim & absolute; sed ut illum, quo usus fuisset adjutore, vel expresse nominaret, vel tacite præ altero utcumque indicaret; vel ad minus diceret, CUM UNO EX FILIIS MEIS, vel quippiam simile?

LXXXI. Has igitur ob causas nos in dubium saltem vocamus ejusmodi Scriptorum de *Fausto* potius, quam *Fausta*, sententiam. Quibus expresse pariter adnumeramus *Petrum Galesinium*, *Philippum Ferrarium*, & *Ambrosium Borronum*, Parochialis Ecclesiæ Sancti *Joannis* hac in Urbe *Ittolani* Rectorem. *Galesinius* in suo Martyrologio sic in primis habet sub die decimaquinta Februarii: *Mediolani*, *Sancti Fausti Martyris : qui*, *Marco Aurelio Imperatore*, *pro Christo Jesu dimicans*, *præclarum Fidei Christianæque virtutis testimonium dedit.* Deinde autem in Notis tantummodo subdit: *Ex scripto Martyrologio*, *Annalibus Hermanni*, *& Monimentis Ecclesiæ Mediolanensis:* nec ibi ulrra progreditur. De hinc rursus die septima Augusti, perinde ac si duos hujus nominis Sanctos *Mediolano* adscriberet: *Mediolani* (inquit) *Sancti Fausti. Is*, *Beati Philippi filius*, *à Cajo Episcopo baptizatus*, *quo tempore magna exarsit Christiana persecutio*, *à Fidei hostibus divexatus*, *nullo eorum impetu retardatus*, *nec vero expugnatus*, *ædificata Basilica*, *quæ Faustiniana nuncupata est*, *& vita Euangelii præceptis conformata*, *tandem in Commodi Imperatoris persecutione sancte quievit in Domino.* Tum vero in Notis: *Quem* (Faustum) *Usuardus ac Beda Faustinum appellant. At in Annalibus Tabulisque Ecclesiæ Mediolanensis Faustus ubique dicitur*: *a quo Faustiniana*, *cujus aliquando Sanctus Ambrosius mentionem facit*, *nomen accepit. Philippus* porro *Ferrarius* in Catalogo Sanctorum *Italiæ* sub eadem Augusti septima die recenset ejusdem Sancti *Fausti* Vitam: & ab ipso denominatam fuisse *Faustinianam* Ecclesiam consentit *Galesinio*; sed hunc ceteroqui carpit in duobus. Primo, quia *Faustum* (sub ea scilicet Augusti die) in Sanctorum Confessorum numero reposuerit: & in hoc ei auctoritatem opponit Martyrologii *Romani*, *Faustum* sub eadem illa die Martyrem nominantis. Secundo, quia persecutionem asserat a *Commodo* Imperatore contra *Christianos* excitatam; cum alioqui *Baronius* in Annalibus, ad Annum *Christi* Centesimum octogesimum secundum, ex *Dione*, *Lampridio* & aliis affirmet, *Commodum*, tametsi crudelissimus esset, nullam tamen *Christianis* molestiam attulisse. Certe autem sic affirmat *Baronius*; sed tamen etiam in Martyrologio *Romano* hæc habentur: *Mediolani*, *Sancti Fausti militis*, *qui sub Aurelio Commodo post multa certamina martyrii palmam adeptus est.* In Annotationibus vero subdit idem Baronius: *De quo etiam Beda*, *ac ceteri*, *Tabulæ insuper & vetera Monumenta Ecclesiæ Mediolanensis.* Hunc porro Sanctum *Faustum Philippus Ferrarius* in Catalogo Sanctorum, qui non sunt in Martyrologio *Romano*, sub quintadecima Februarii die testatur, eundem esse cum eo, quem *Galesinius* & ipsemet ibi hac ipsa die commemorat. Ceterum *Ambrosius Borronus* in ejusdem Sancti *Fausti* Vita, quam *Italice* scriptam edidit *Mediolani* Anno Millesimo sexcentesimo vigesimo secundo, ipsum asserit martyrio coronatum fuisse Anno Domini Centesimo vigesimo primo sub *Adriano* Imperatore. Quocirca vel per hanc inter ipsos discordiam nonnihil suspicio illa nostra confirmatur. Quem igitur ego suspicor errorem, inde sic etiam suspicor abortum; quod militem hunc *Faustum* (ne dicam duos, quemadmodum videbatur indicasse *Galesinius*) *Mediolanensem* Scriptores confuderint cum *Fausta*, *Philippi Oldani* filia, a qua Basilica Ecclesiaque illa nomenclaturam *Faustæ* accepisset; atque ex iis unicum *Faustum* conflarint, tot annis illa posteriorem, maxime vero juxta *Galesinii* pariter ac *Ferrarii* sententiam de tempore, quo Martyres *Protasius* & *Gervasius* occubuerint. Hi siquidem opinione ipsorum sub *Neroniana* persecutione occubuerunt; cum alioqui *Nero* ipse mortuus tradatur Anno *Christi* Septuagesimo. Cum itaque Martyrum illorum Corpora *Philippus* subinde una simul cum filio suo sepelierit; consequens est, ut tam *Portius*, quam *Fausta* (vel, ut ipsi nominant, *Faustus*) illius filii, multis annis *Faustum* illum antecesserint; tametsi vel etiam sub *Adriano* Imperatore, quemadmodum *Borrono* videbatur, martyrium subiisset Anno Domini Centesimo vigesimo primo. Sed hactenus hac de re conjecturarum satis, donec clarior in alterutram partem lux nobis affulgeat.

LXXXII. Vidistine vero, quemadmodum prope Ecclesiam *Faustæ* in Odæo expressa maneat Basilica isthæc *Ambrosiana?* Supra ipsius tegmen stat inscriptum, tamquam ex parte totum, Civitatis hujus nomen, MEDIOLANYUM, antiquitus non inusitatum; sicut alii multi e nostratibus Scriptoribus observarunt. Infra vero ipsam Sanctus *Ambrosius* Missam celebrans, Altari sub Tribuna rectus quidem, at dormientis in modum accumbit, capite supra cubiti dexteri manum reclinato: præterea vero etiam Lector, coram nonnullis aliis Missæ Sacro adstantibus, somnique illius novitatem pariter ac diuturnitatem mirantibus, mirabundus & ipse insistit amboni, specie parum admodum differenti a marmoreo illo, qui eadem in Ecclesia in hanc usque diem conservatur. Inter quem ambonem atque Altare, in Odæo expressa, quia neutiquam interjecta video ulla Chori subsellia: quæ tamen ante Altare, sicut alias diximus, tunc temporis in usum Monachorum extabant, quando re quidem vera musivum illud elaboratum fuit; exinde propterea intelligi facile datur, & artifici, & iis, ex quorum voluntate ac præscripto ipse ibi operabatur, id propositum fuisse, ut Basilicæ status effingeretur, non qualem illa tunc habebat, sed qualem *Ambrosii* tempore habuerat. Quod ipsum ego pariter velim accurate observari quoad effictæ itidem illius Tribunæ figuram, subjectarumque columnarum situm: quarum profecto etiam bases pavimento supereminentes conspiciuntur.

LXXXIII. Quid porro significaret Sanctus *Ambrosius*, eo corporis habitu consistens ad Altare, quidve ceteri sic etiam illi in Basilica consistentes, ac mirabundi: certe dubium esse non debet, quin quatuor versibus ibidem subtextis expressum abunde fuisset. Sed aliqua tantum eorum verba, nec integrum sensum percipere jam possumus: dandumque hoc est, non tam vetustati, quam eorum incuriæ, qui, cum identidem Odæum peristromatibus aulæisque ornaturi essent; parieti clavos illic, ubi versus erant inscripti, temere infixerunt; utque calx cum plerisque litteris inscriptis exciderit, effecerunt. Bene tamen rei veritas se habet, quod ex adverso latere quam facillime dignoscitur, quid in hoc altero tum iis imaginibus adhuc extantibus, tum etiam iis verbis, majori jam ex parte absumptis, indicare voluerint. In eo siquidem latere Civitas in *Gallia Turonensis* per Ecclesiam ipsius Cathedralem, hunc in modum superne inscriptam, TORONICA, denotatur: & in eadem Ecclesia, dum Sancto *Martino* funus celebratur, Sanctus itidem *Ambrosius* noster illi præsens repræsentatur. Præterea vero etiam subjecti versus, tametsi & ipsi quoque aliquantum læsi mancique sint, nihilominus intelligi, quæve syllabæ litteræque deerant, suppleri facile potuerunt. Iidem vero sunt hujusmodi.

✠ MARTINUS MORITUR, SED VITÆ DONA MERETUR.
TRISTATUR MUNDUS, ADJUBILATQUE POLUS.
MORS SUA DIGNA BONO FERTUR CELEBRATA PATRONO,
SPIRITUS AMBROSII DUM FAMULATUR IBI.

LXXXIV. Constat igitur, in his duobus Odæi lateribus, e regione sibi respondentibus, expressum luculenter fuisse miraculum illud, apud *Mediolanenses* hodieque celeberrimum, quod in funere Sancti *Martini* Sanctus *Gregorius*, *Turonensis* pariter Episcopus, Libro primo *De illius miraculis*, Cap. 5. factum narrat in hæc verba: *Eo tempore* (quo scilicet Sanctus *Martinus* ad Dominum migravit) *Beatus Ambrosius, cujus hodie flores eloquii per totam Ecclesiam redolent, Mediolanensi Civitati præerat Episcopus. Cui, celebranti festa Dominicæ diei, ista erat consuetudo, ut veniens Lector cum libro non antea legere præsumeret, quam nutu Sanctus præcepisset. Factum est autem, ut illa die Dominica* (cujus prævia nocte media *Martinus* utique obierat) *prophetica Lectione jam lecta, ante Altare stante qui Lectionem Beati Pauli proferret, beatissimus Antistes Ambrosius super Altare obdormiret. Quod videntes multi, cum nullus eum excitare præsumeret; transactis fere duarum aut trium horarum spatiis, excitaverunt eum, dicentes: Jam hora præteriit: jubeat Dominus Episcopus Lectori Lectionem legere; expectat enim populus, valde jam lassus. Respondens autem Beatus Ambrosius, Nolite* (inquit) *turbari. Multum mihi valet sic obdormisse*; QUIA MIRACULUM MAGNUM DOMINUS MIHI OSTENDERE DIGNATUS EST. NAM NOVERITIS, FRATREM MEUM MARTINUM SACERDOTEM DE CORPORE EGRESSUM FUISSE: ME AUTEM EJUS FUNERI OBSEQUIUM PRÆBUISSE. *Peractoque ex more servitio, Capitellum tantum, vobis excitantibus, non explevi. Tunc illi, obstupefacti pariter & admirantes, diem & tempus notant. Qui solicite requirentes, ipsam diem tempusque reperiunt, quo Beatus Confessor dixerat*, SE EJUS OBSEQUIIS DESERVISSE. Hæc Sanctus *Gregorius Turonensis*, Quibus adstipulatur etiam Breviarium *Ambrosianum* in matutina ejusdem Sancti *Martini* Lectione. Ibi siquidem ita legitur: *Itaque sanctitatis miraculorumque nomine illustris jam unum & octuaginta annos natus, animam Deo reddidit tertio Idus Novembris. Id quod Sanctus Ambrosius præsensit: qui eodem tempore ad Altare arctiori somno correptus, tertiaque post hora excitatus*, SCITOTE (*inquit*) FRATREM MEUM MARTINUM EXISSE DE CORPORE, MEQUE EJUS FUNERI PIAM OPERAM DEDISSE. Quæ quidem tam *Gregorii* quam Breviarii verba si ad propriam germanamque; significationem accurate perpendantur; hunc profecto sensum præ se ferunt, ut eodem ipso tempore, quo Sanctus *Ambrosius* ad Altare in hac Basilica consistens dormiebat, simul etiam conspicuus in Basilica illa *Turonensi* consisteret, ibique in adstantium conspectu, agnitus pro *Ambrosio Mediolanensi* Archiepiscopo, defunctique Præsulis amicissimo, funus illi pompa solemni celebraret; rogatus utique (sicuti credendum est; nec aliter *Ambrosianæ* modestiæ leges permittebant) a Clero *Turonensi*, qui primas etiam ipsi hoc in munere detulisset. Cum igitur absolvendo funeri reliquum jam tandem illud unum esset, ut *Ambrosius* Capitellum, sive postremam Orationem, recitaret; tum vero *Mediolani* e somno excitatum, repente ab oculis *Turonensium* evanuisse; atque hinc compertum illis fuisse miraculum, quod forte ab initio non satis adverterant, quando *Ambrosius* ex improviso illis astitit; qui nimirum miraculo divinus hic noster Præ-

A sul divinitus illic præsens affuisset interea temporis, quo ceteroqui naturaliter in hac sua *Mediolani* Basilica, populo pariter suo conspicuus, ad Altare dormiebat. Quoniam vero, Sanctum *Ambrosium Turonensibus* in eo funere agnitum fuisse, *Petrus* etiam *de Natalibus* in Catalogo Sanctorum, Libro decimo, Cap. 47. disertissime affirmat; propterea placet ejusdem verba huc addere, quæ sunt hujusmodi: *Die autem depositionis ipsius* (Sancti Martini) *dum Beatus Ambrosius, Mediolani celebrans, inter Prophetiam & Epistolam obdormisset: & diu expectatus, post duas horas Subdiaconus lecturus Epistolam eum excitasset; evigelans dixit populo, Martinum Turoni Episcopum*
B *quievisse*, ET SE FUNERIS OBSEQUIUM FECISSE; SED ULTIMAM ORATIONEM EXCITATUM COMPLERE NON POTUISSE. *Illi vero, diem notantes & horam, postmodum compererunt, illum expirasse*, ET AMBROSIUM EPISCOPUM, IBIDEM COGNITUM, EJUS EXEQUIAS CELEBRASSE. Idipsum porro miraculum ex eodem *Gregorio Turonensi* descripserunt etiam ex Ordine Fratrum Prædicatorum *Vincentius Burgundus*, Episcopus *Bellovacensis*, in Speculo Historiali, Libro 18. Cap. 33. qui florebat Anno *Christi* Millesimo ducentesimo quinquagesimo: Sanctus *Antonius*, Archiepiscopus *Florentinus*, in Chronico,
C Parte Secunda, Tit 10. Cap. 11. §. 4. qui obiit Anno *Christi* Millesimo quadringentesimo quinquagesimo nono, ætatis suæ septuagesimo: & *Jacobus de Voragine* in sua Legenda Sanctorum, quæ *Lombardica* nominatur *Historia*, quamque *Lugduni* editam ego habeo Anno Salutis Millesimo quingentesimo septimo. Quid, quod eadem prorsus *Gregorii* verba insunt etiam in ejusdem Sancti *Martini* Vita, quam & *Aloysius Lipomanus* & *Laurentius Surius* ediderunt? Quid, quod & *Surius* in ejusdem Vitæ fine ita demum concludit? *Hucusque nos omnia de Sancto Martino ex Tomis Aloysii accepimus: quæ etiam in antiquis manuscriptis exemplaribus habentur.* Quo quidem ex
D genere unum etiam, ob vetustatem perinsigne, in *Ambrosiana* extat Bibliotheca, quam *Fredericus* Cardinalis & Archiepiscopus *Borromæus*, Litterarum pariter ac Litteratorum amantissimus hoc nostro sæculo *Mecœnas*, animo sumptuque regio hac in Urbe extruxit, & innumeris ad usum publicum libris locupletavit.

LXXXV. Communis nimirum, passimque per Ecclesiam Catholicam recepta opinio hæc erat, priusquam Cardinalis *Baronius* eam erroris manifesti argueret, cum in suis Notationibus ad *Romanum* Martyrologium sub die quarta Aprilis, & undecima Novembris: tum etiam in Annalibus ad Annum
E *Christi* Trecentesimum quinquagesimum primum, & Quadringentesimum secundum, necnon etiam in Sancti *Ambrosii* Vita, quam ejusdem Operibus, prælo postea impressis, diligenter a se collectam, præmisit. His namque in locis doctissimus ille antiquitatis Vestigator acerrime contendit, Sancti *Martini* funus minime vero per Sanctum *Ambrosium* procurari potuisse; quippe cum hic obierit Anno *Christi* Trecentesimo nonagesimo septimo; *Martinus* autem quinquennio post, sive Anno Quadringentesimo secundo. Quæ quidem *Baronii* doctrina, tametsi recenter tradita, & tot tantisque veterum Scriptorum ac Monumentorum testimoniis adversa, & ipsa vel
F etiam novitate suspecta; mirum tamen est, quantopere postmodum plerisque visa fuerit vendibilis & palmaris. Itaque cum recudendum typis esset Breviarium *Ambrosianum*; non defuere Viri graves, qui Cardinali Archiepiscopoque tunc nostro, *Frederico*, quem paulo ante nominabam, *Borromæo*, religionem injicere conarentur, ut ejusmodi miraculum e matutina Sancti *Martini* Lectione, recitari jam solita, detrahi juberet exulareque, tamquam commentitium,

titium, nec ulla prorsus fide dignum. Sed immotus ad hæc, nec e sententiæ suæ statu quicquam dimotus Cardinalis, antiquitatem ipsam summo semper, si quisquam alius, in honore ac pretio habere solitus, præcise respondit, non ita facile derogandam esse fidem historiæ sacræ, quam tantus Ecclesiæ Doctor, sanctitate, prudentia, gravitate, sapientia erudentitione commendatissimus, *Gregorius* Episcopus *Turonensis*, circiter Annum *Christi* Quingentesimum septuagesimum ad eam Sedem promotus, ac circiter Nonagesimum quintum postea defunctus, non temere, sed absque dubio e continuata *Turonensium* traditione, certisque illius Ecclesiæ Monumentis acceptam (vel etiam e *Mediolanensis*, e quibus alia tam multa suos contraxit in libros) tam fidenter litteris inter Sancti *Martini* miracula (qua quidem in re illum quammaxime cautum esse oportebat) consignasset: quamque postea communis, non *Ambrosianæ* modo, sed etiam *Romanæ* consensus Ecclesiæ comprobasset: quinetiam cujus defensioni sua non deessent rationum momenta. Irent igitur ipsi, sibique uni hunc scrupulum reservarent. Se quidem nolle, ut in ea Breviarii *Ambrosiani* parte quicquam innovaretur. Quocirca nec aliquid exinde innovatum fuit: quodque supra recitabamus, in hanc usque diem constanter perseverat.

LXXXVI. Audierat hoc forte fortuna quidam e Societate *Jesu* Pater, *Franciscus* cognomento *Stavolus*, Vir, ut profecto videtur, Ecclesiasticæ Historiæ admodum peritus. Itaque veritatis ejus tuendæ studio accensus, subsidiariam & ipse Scriptiunculam Cardinali transmisit: vicissimque Cardinalis eam Bibliotheca sua *Ambrosiana* dignam ratus, ibidem asservari jussit. Brevis quidem illa est; sed quo brevius, eo pressius ac nervosius concludens. Certe autem ad operis quoque musivi, nostro in Odæo elaborati, defensionem conscripta est. Quocirca integram hic proferre, publicæque, quam meretur, luci eandem tradere optavimus; ut hoc etiam Bibliothecæ *Ambrosianæ* beneficio Basilica isthæc *Ambrosiana* tanto uberius perfruatur.

LXXXVII. Ejusmodi autem Scriptionis hoc est argumentum: *Ratio, qua probatur evidentissime* (usque adeo sibi Auctor promittebat) *Sanctum Ambrosium, Episcopum Mediolanensem, potuisse interesse funeri Sancti Martini, Episcopi Turonensis.* Dehinc vero Rationem ipsam in hunc modum prosequitur: *Omnes concordant, Sanctum Ambrosium mortuum Anno Trecentesimo nonagesimo septimo. Quod tamen hac ratione demonstratur. Sanctus Ambrosius mortuus est quarta Aprilis, in Vigilia Paschatis, id est, Sabbato Sancto: sed quarta Aprilis, & Vigilia Paschatis, diesque Sabbati non currit nisi Anno Trecentesimo nonagesimo septimo, Littera Dominicali currente D; ergo Anno Trecentesimo nonagesimo septimo mortuus est, & non alio proximiori. Accipe Martyrologium, seu Calendarium; & ibi invenies, quartam Aprilis cadere sub Littera C: estque dies Sabbati, quo mortuus dicitur in ejus Vita; ergo subsequens Littera D erat Littera Dominicalis, quæ currit hoc Anno Trecentesimo nonagesimo septimo. Adde, quod Luna decima quarta fuit hoc Anno vigesima nona Martii; quare & dies Paschatis fuit quinta Aprilis, sub Littera Dominicali D. Cum igitur ista omnia concurrant, quæ in die Depositionis Sancti Ambrosii desiderantur; dicendum necessario est, eum mortuum hoc Anno, & non alio. Ad Sanctum Martinum nunc deveniamus. Videndum est primo quo tempore & die ordinatus est Episcopus, quotque annos sederit in Episcopatu, & quo Anno dicatur mortuus ab hoc, vel ab illo. Quoad primum: certissimum est ex Tabulis Ecclesiasticis, eum ordinatum fuisse Episcopum quarta Julii: & ex Historicis, sub Valentiniano Imperatore, die Dominico, ex more antiquo ordinandi Episcopos diebus Dominicis, currente Littera Dominicali C; sub hac enim cadit quarta*

A *Julii. Sed ista Littera Dominicalis C non currit tempore Valentinia, nisi Anno Trecentesimo septuagesimo; ergo hoc Anno, & non alio, ordinatus fuit Episcopus. Rursus ex Sulpitio Sanctus Martinus sedit in Episcopatu annos viginti quinque, menses quatuor, dies septem: quos si addas Anno Trecentesimo septuagesimo; tantum ascendes ad Annum Trecentesimum nonagesimum quintum; ergo hoc Anno Trecentesimo nonagesimo quinto Sanctus Martinus mortuus est. Quod si dicas, eum fuisse ordinatum Anno Trecentesimo octuagesimo primo, quo Anno etiam currit Littera Dominicalis C; dico, inde multa inconvenientia sequi. Nam si addas Anno Trecentesimo octogesimo primo annos vigintiquinque, menses quatuor, dies septem,*
B *quos sedit in Episcopatu; utique ascendes ad Annum Quadringentesimum septimum; quo Anno non currit Littera Dominicalis G, sub qua legitur obdormisse in Domino. Quare nec hoc Anno mortuus est; neque Anno Trecentesimo octogesimo primo ordinatus est. Præterea cum omnes constanter affirment, Sanctum Martinum ordinatum tempore Valentiniani: & Valentinianus mortuus sit Anno Trecentesimo septuagesimo quinto; certissimum est, non potuisse ordinari Anno Trecentesimo octogesimo primo, tempore Theodosii Imperatoris. Dicunt nonnulli moderni Censuratores, Sanctum Martinum mortuum Anno Quadringentesimo secundo. Sed*
C *cum constet ex Tabulis Ecclesiasticis, & ex Vita ipsius, eum mortuum undecima Novembri, die Dominico, sub Littera Dominicali G: & hæc Littera G non currat Anno Quadringentesimo secundo; impossibile est, eum hoc Anno Quadringentesimo secundo mortuum esse. Mortuus est igitur Anno Trecentesimo nanagesimo quinto, quo Anno currit Littera Dominicalis G. Quod si dicas, eum mortuum Anno Quadringentesimo, vel Quadringentesimo sexto, quibus Annis occurrit Littera Dominicalis G; tunc respondeo, non esse possibile, ob difficultates, quas superius de Ordinatione tetigi; nempe non fuisse ordinatum tempore Valentiniani Imperatoris, nec Anno currente Littera Dominicali C. Cum igitur ista hoc modo se habeant; restat, ut dicamus,*
D *Sanctum Martinum mortuum Anno Trecentesimo nonagesimo quinto; & Sanctum Ambrosium Anno Trecentesimo nonagesimo septimo, atque hunc illius funeri potuisse esse præsentem;* MALEQUE DIXISSE EOS, QUI HOC NEGARUNT, ET CURARUNT, UT HÆC VERITAS EX BREVIARIO ABRADERETUR; *Antiquos tamquam mendaces taxantes, & Mediolanenses nostros veteres stultitia* QUOD OPERE MUSIVO IN CHORO SANCTI AMBROSII HANC HISTORIAM AD PERPETUAM MEMORIAM, JAM FERE FORSAN A MILLE ANNIS (vide, quantam crediderit ejus operis antiquitatem) DESCRIBI CURARUNT.
E *Alias possem afferre rationes ad hanc veritatem probandam; sed, has demonstrativas sufficere existimans, illas reticeo.* Hactenus Pater ille *Franciscus Stavolus*: quibus causam nostram efficacissime propugnat contra *Baronium*, ceterosque ipsius asseclas: tum etiam contra eos, qui Sanctum *Martinum* censuerunt vel Anno *Christi* Quadringentesimo quadragesimo quinto, ut *Rigordus*: vel Quadringentesimo, ut *Bucherius*, & *Miræus* in Fastis & in Annalibus *Belgicis*; sicut in sua *Gallia Christiana* tradit *Claudius Robertus*, de Sancto *Martino*, inter Archiepiscopos *Turonenses* tertio, agens; ubi etiam non improbat præallatam Patris *Stavoli* calculationem. Inquit enim ad ex-
F tremum: *In Annum Christi Trecentesimum nonagesimum quintum potuit incidisse nobilis ille transitus* (Sancti Martini) *media nocte, Dominica, G, tertio Idus, seu undecima Novembris, post sedem annorum vigintiquinque, mensium quatuor, dierum septem, a quarta die Julii, Tricentesimi septuagesimi.* QUA RATIONE SANCTUS AMBROSIUS MEDIOLANENSIS INTERESSE POTUIT, RAPTU QUODAM MENTIS DIVINO, EXEQUIIS IPSIUS SANCTI MARTINI.

LXXXVIII.

LXXXVIII. Sed, præter eam Patris *Stavoli* schedam, nobis etiam longe commodius in publicum Anno *Christi* Millesimo sexcentesimo decimo octavo *Neapoli*, & Anno subsequenti *Coloniæ Agrippinæ*, primum processit *Illustrium Controversiarum Biga*, & argute quidem, veluti Currus, duorum equorum jugo ad litterarium certamen vectus: hoc est, *De Sancti Jacobi Apostoli accessu ad Hispaniam*, & *De Funere Sancti Martini, a Sancto Ambrosio procurato: Auctore Antonio Caracciolo, Ordinis Clericorum Regularium Presbytero*, re quidem vera ingeniosissimo eruditissimoque, talique prorsus, ut obfirmato in alicujus veritatis inquisitionem animo potuerit etiam in Cardinali *Baronio*, tam multis ceteroqui hac illac intento, mendum aliquod emendare. Cui quidem Libro, nobis etiam summopere placet, quod e Sancto *Basilio Magno*, in Oratione *De Jejunio*, præfixerit in fronte auream illam, & rei præsenti opportunissimam sententiam, OMNE, QUOD VETUSTATE PRÆCEDIT, VENERABILE EST. Hac igitur ille secunda Controversia nimium quantum exagitat, oppugnat, expugnat *Baronii* argumenta; decemque subinde argumentis sententiam Sancti *Gregorii Turonensis* propugnat. Quocirca nos Lectorem obnixe rogamus, ut, velut ad fontem, adeat eam ipsius Controversiam. Exinde siquidem nos aliqua tantum, velut in transcursu, delibabimus: ac si forte pluscululum aliquando immoremur; hoc utique fiet, ut aliquid etiam nos claritatis, ac roboris afferamus.

LXXXIX. Primam ille Controversiam per octoginta Numeros, præcipuis rerum capitibus præfixos, prosecutus; ab octogesimo primo Numero secundam exorditur in hæc verba: *Quod tradit Beatus Gregorius, Turonensis Libro 1. de Miraculis Sancti Martini, Cap. 5 Sanctum Ambrosium, dum Mediolani degeret, miro tamen modo interfuisse Turonibus, & celebrasse funus Beati Martini: sciunt Theologi, id ex eo capite in dubium verti non posse, quod ejusdem individui (ut Scholæ loquuntur) replicatio divina potentia fieri nequeat. Nam gravissima sunt rationum momenta: quæ, e sacris Fontibus deducta, periti harum rerum Viri in medium afferunt, ut id Divino Numini possibile esse adstruant. Nobis, qui nunc Historicum agimus, sat fuerit e vetustis Christianorum Historiis obiter hoc loco recensere exempla aliquot testatissima: videlicet, Sancti Gregorii Thaumaturgi, absentis simul, & miro tamen modo præsentis Troadio Martyri; hortantisque, ne cederet cruciatibus; ut habetur apud Nyssenum Tractatu De Thaumaturgo: Nicolai, Myrensis Episcopi juxta Martyrologium Romanum die sexta Decembris) Constantino Magno, dum longe abesset, apparentis, admonentisque, ut Tribunos, calumniis pressos, absolveret: Severi, Episcopi Ravennatis (apud Surium Tomo primo) simillimo huic, de quo disputamus, exemplo, funus Geminiani, Episcopi Mutinensis, procul remoti, admirandum in modum procurantis: Antonii Patavini (Rancion) dum Patavii concionaretur, Ulyssiponem adeuntis, ut moribundum pia ope juvaret patrem. Si cui autem minus verisimile videatur id, quod eodem loco Gregorius Turonensis narrat, Ambrosium, sacrificantem, totas duas horas indormiisse, ut interim celebritatem funeris Martino persolveret; is in Prato Joannis Moschi, Cap. 150. libro videlicet a secunda Nicæna Synodo sæpe laudato, similem prorsus legere poterit historiam; qua narratur, Rumellensem Episcopum, coram Agapeto Romano Pontifice & frequentissimo populo Sacris operantem, Divini Spiritus consueta luce perfusum, tres propemodum horas, cunctis admirantibus, per excessum substitisse. Rem gestam Baronius ipse Tomo Sexto Annalium recitat recipitque. Itaque id solummodo restat firmandum, quod de Anno obitus Ambrosii atque Martini ab Amplissimo Cardinale, Cæsare Baronio, nostra ætate in controversiam adductum est.* &c. Talia *Caracciolus*: quibus ille præsentis Controversiæ statum præmittit.

A XC. Ego tamen non illi facile assentior, quod ajebat: *Sciunt Theologi, id ex eo capite in dubium verti non posse, quod ejusdem individui (ut Scholæ loquuntur) replicatio divina potentia fieri nequeat.* Immo vero (dicam ego) sciunt Theologi, hoc ipsum miraculum, si per ejusdem individui, sive Sancti *Ambrosii*, replicationem, hoc est, replicatam eodem simul tempore in diversis & inter se distantibus locis præsentiam, explicetur; ex hoc etiam capite certe posse in dubium vocari. Constat enim, nonnullos, nec obscuri nominis, Theologos Scholasticos, in ea esse opinione ut negent, duas præsentias quantitativas adæquatas & discontinuas posse simul eidem corpori convenire, etiam de potentia Dei absoluta; quamvis

B de aliis præsentiis sacramentalibus, vel solis, vel cum una naturali, hoc negare non possint, propter Catholicam Fidem, oppositum docentem. Sic enim verissime inter alios tradit *Franciscus Suarez* in Tertiam Sancti *Thomæ Aquinatis* Partem Disput. 48. Sect. 4. ubi etiam eidem illi opinioni adnumerat ipsummet Sanctum *Thomam*, necnon etiam Sanctum *Bonaventuram*, præterea vero *Capreolum*, *Paludanum*, *Durandum*, *Henricum*, *Godofredum Ægidium*, *Herveum*, *Ferrariensem*, *Dominicum a Soto*, & *Ledesmam*. Hi ergo Doctores miraculum istud, ita explicatum, sine dubio ex eo capite in dubium verte-

C rent. Quocirca ego, qui ab illis hac in parte dissentio, neque tamen in præsenti ullam mihi cum ipsis esse volo litem super hoc Sancti *Ambrosii* miraculo; ne in præsenti quidem contendam, quali modo peractum illud fuerit; satisque contentus ero, si tale aliquod in universum fateantur fuisse miraculum, qualia citra controversiam non negabunt ea fuisse, quæ paulo post de Sanctis præsertim *Severo* Episcopo *Ravennate*, atque *Antonio Patavino* proferemus.

XCI. Quod vero *Caracciolus* de Sancto *Nicolao* inter plura miraculorum insignia memorabile illud innuebat, quo scilicet per visum & in somnis *Constantino Magno* apparuit. *Noctu enim per quietem*

D (sicuti legitur apud *Surium* in ejus Vita sub sexta die Decembris) *Imperatori Nicolaus apparuit, ore profecto, sicuti venerando, ita & terribili, formidolosoque: atque ille imminens, Surge confestim Imperator (inquit) & Nepotianum, Ursum, & Herpilonem vinculis & custodia solve. Falso enim & per invidiam accusati sunt, & injuria abs te damnati. Id nisi feceris, intolerabile tibi bellum indico: & fœdam insuper stragem, turpissimumque tibi domuique tuæ interitum, verus Dei præco denuncio.* Quod igitur ejusmodi miraculum *Caracciolus* innuebat; hoc ego alterum addiderim, nonminus insigne; quod Sanctus *Augustinus*, narratam sibi a viro gravi & nobili, & dignissimo credi, re-

E censet Libro *De cura pro mortuis*, Cap. 17. Siquidem loquens de Sancto illo *Joanne* Monacho, cui spiritus etiam prophetiæ non deerat, quemve de belli civilis eventu Major *Theodosius* consuluit Imperator, isthæc scribit: *Joannes ergo iste cuidam mulieri religiosissimæ, impatienter eum videre cupienti, atque ut hoc impetraret per maritum suum vehementer instanti, cum ille nollet, quoniam id nunquam permiserat feminis; Vade, inquit: dic uxori tuæ, Videbit me nocte proxima, sed in somnis. Et factum est: monuitque illam, quicquid fidelem conjugatam moneri oportebat. Quæ cum evigilasset; talem se vidisse hominem Dei viro suo, qualem ille eum noverat; &, quid ab illo audierit,*

F *indicavit.* Dubitat subinde *Augustinus*, ac, si potuisset, ab eodem *Joanne* quæsiisset, *Utrum ipse ad illam feminam venisset in somnis, id est, spiritus ejus in effigie corporis sui, sicut nos ipsos in effigie corporis nostri somniamus; an, ipso aliud agente, vel, si dormiebat, aliud somniante; sive per Angelum, sive quocumque alio modo in mulieris somnio talis facta sit visio.* Subdit vero deinde: *Si enim ipse interfuit somnianti* (ecce tibi, quemadmodum *Augustinus* possibile censuerit, ut una eademque

res eodem ſimul tempore diverſis eſſet in locis; quemadmodum acute colligit etiam Bellarminus, *De Sacramento Euchariſtiæ*, Lib. & Cap. 3.) *mirabili gratia utique id potuit, non natura; ſed Dei munere, non propria facultate.* Quod quidem ipſum ſimiliter dici poſſet de prædicto Sancti *Nicolai* miraculo.

XCII. Venio nunc ad reliqua generis hujus miracula. Certe autem illud *Severi*, *Ravennatis* Epiſcopi, tam ſimile noſtro Sancti *Ambroſii* eſt, maxime vero ſicut a nobis explicabatur, ut illud a Lectore conferri cum iſto ſummopere cupiam ex ejuſdem Sancti *Severi* Vita apud *Surium* ſub die prima Februarii ubi geſtum narratur in hunc modum: *Quodam die cum ſacra Miſſarum Solemnia eo more, quo ſolent Pontifices, celebraret; ea hora, qua Lectio ex Apoſtoli Epiſtolis erat recitanda, extra ſeſe Vir Sanctus rapitur; & Altari aſſiſtens, ſomno ſuavi correptus videbatur Sed cum jam longior mora intercederet; Miniſtri Altaris, cum exiſtimantes de improviſo obdormiviſſe, celeriter accurrunt; ſacraſque concutientes veſtes, eum excitant. Quid habes, inquiunt, Pater? Tam multus te populus expectat, & tu ſopore deprimeris? Ille, ſubito ad ſe reverſus, veluti ſubſtomachans nonnihil, ait ad eos: Quid facitis, fratres? cur me interturbare voluiſtis? Ego, etſi vobiſcum hic corpore fui, at ſpiritu alibi verſabar. Tum vero illi multa inſtantia ab eo percontati ſunt, ubinam in terea fuiſſet. Quibus ille reſpondit: Ignoſcat vobis Deus, filioli, quod me adeo attonitum reddidiſtis. Ego eram in ſancta Mutinenſi Eccleſia, & animam Coepiſcopi mei Geminiani Domino commendabam: manſique illic, donec humatum eſſet corpus illius. His auditis, Ravennates clam mittunt celeres nuncios ad Mutinenſes, qui in ſtatu ſint res Geminiani, exploraturos. Qui ubi Mutinam venere, ante omnia percontantur de ſalute Epiſcopi: diſcuntque e civibus, ante aliquot dies illo ſe egregio Paſtore & Pontifice ſuo eſſe deſtitutos. Addebant vero cives: Certe Dominus Severus, Archiepiſcopus veſter, immo & noſter, illo decedente, præſens hic adfuit, ejuſque animam Deo ritu pontificio commendavit: nec abſceſſit, donec ejus corpus eſſet ſepulturæ datum: deinde vero ab oculis noſtris repente ablatus eſt. His auditis, celerrime nuncii Ravennam repetunt, & civibus ſuis omnia explicant: deprehenſumque eſt diligenti collatione, eo tempore mentis ſtuporem Sanctum Severum pertuliſſe, quo Sanctus Geminianus migravit ad Dominum.* Idem vero *Severus* indicio Columbæ cœlitus allapſæ deſignatus fuit Epiſcopus Anno *Chriſti* Trecenteſimo tertio, quemadmodum *Hieronymus Rubeus* ſcribit initio Libri ſecundi Hiſtoriarium *Ravennatum*.

XCIII. Sed enim alterum illud miraculum, quod Sancto *Antonio Vlysbonenſi*, ſeu *Patavino*, adſcribebatur, ego quidem, quod nam ſit, & quo ex Libero proferatur, ſatis adhuc diſcernere non potui; cum alioqui tale aliquod, atque, ut opinor, idem a *Bellarmino* videam citatum in ejus Doctrina *Chriſtiana*; ubi ſcilicet explicat Euchariſtiæ Sacramentum. Itaque ad alterum illud ego me converti, quod in ejuſdem Sancti Vita legitur apud *Surium* ſub die Junii decima tertia: & eo quidem lubentius; quia illud ibi exemplo *Ambroſiani* hujus noſtri miraculi confirmatur; uſque adeo per ea tempora indubitatum & certum iſtud noſtrum credebatur. *Franciſcanus* eam Vitam Pater, *Surio* teſte, graviter & fideliter conſcripſit, & inter cetera ſic habet: *Eo tempore, quo apud Montem Peſſulanum Vir Sanctus prælegebat, quodam ſolemni die concionabatur, omni & Clero & Populo auſcultante. Sermone inchoato, occurrit animo, ſe officium quoddam, ſibi injunctum, alteri non demandaſſe. Moris illic erat, ut in præcipuis Dei Solemnitatibus duo inſignes Fratres ſub Summo Sacrificio Hallelujah cantarent: quod officium tum incumbebat Viro Dei. Itaque magno quodam mœrore affectus, in pulpitum, caput cucullo operiens, ſeſe reclinabat, & coram omni illa auditorum frequentia ſic aliquandiu permanſit. Interim mirabili quodam modo illud officium peregit:* QUEMADMODUM OLIM SANCTUS AMBROSIUS LEGITUR BEATISSIMI MARTINI FUNUS, LICET PROCUL CORPORE ABESSET, CURASSE; *& Sanctus Franciſcus, ut ſupra annotavimus, Fratribus ſuis in Arelatenſi Conventu, ſive Capitulo, apparuiſſe. Eo autem munere diligenter perfunctus, ad ſe rediit Vir Dei, & Sermonem inchoatum egregie proſecutus eſt.* Hæc ille: qui mox & alterum ſimile miraculum ſubnectit. Obiit autem Sanctus *Antonius* Anno *Chriſti* Milleſimo ducenteſimo trigeſimo primo: credibileque ſic etiam eſt, perantiquum, eique propinquum ævo fuiſſe Patrem illum, ejus Vitæ Scriptorem, nec in eruditum.

XCIV. Poſt ejuſmodi miraculorum exempla *Caracciolus*, præmiſſo Controverſiæ ſtatu, progreditur ad cauſas, quæ illum permoverint ad ſuſcipiendam hujus *Ambroſiani* miraculi defenſionem. Quæ quia nobis item in commune deſerviunt; propterea operæ pretium erit aliquid ex illis huc proferre. *Primum* (inquit) *amor & ſtudium antiquitatis: quam a novitate, ut paſſim fieri video, undique impeti, ac de faſtigio ſuæ auctoritatis, longævo tempore ſibi comparatæ, immerito deturbari, indigne ferebam. Enimvero narrationem iſtam procurati ab Ambroſio Martiniani funeris, non heri derepente fungorum inſtar exortam, ſed ante annos mille a Gregorio Turonenſi (qui procul dubio e Turonenſis Eccleſiæ gravi traditione, certiſque Monumentis eam accepiſſe exiſtimandus eſt) litteris conſignatam, poſteritas habuit. Eadem tot ſæculorum ſtabilita conſenſu, ac plurimorum Scriptorum firmata auctoritate, jampridem meruit in ſacrarum Precum Breviaria inſeri, in lucem edi, & uno omnium ore decantari. Atque rei narratæ teſtatiſſima gravitas, & adeo antiqua, ac Sancti Scriptoris auctoritas promeritam ſibi defenſionem, non a me ſolum, ſed a quovis alio, qui ſacras Hiſtorias ſtudioſius pervolutet, omni jure depoſcebat.* Subdit alia ſubinde nonnulla in ejus primæ cauſæ confirmationem. Tum ſecundam eſſe ait, quod *Baronius* Sancti *Martini* obitum in Annum *Chriſti* Quadringenteſimum ſecundum conjecerit abſque veterum Scriptorum teſtimonio, præterquam unius *Sigeberti Gemblacenſis* Monachi; cujus alioqui Chronicis errata ineſſe plurima, *Baronius* ipſe quam optime ſciat; quive præterea Sancti *Ambroſii* obitum adſcribat Anno Quadringenteſimo tertio. Præterquam quod *Claudius Robertus* (addam ego) paulo ante in teſtem productus, ibidem nominato Anno *Chriſti* Quadringenteſimo ſecundo, quo Sanctus *Martinus* obierit juxta *Sigeberti* Chronicon, ita protinus admonet: *Ubi notabis, Sigebertum præcurrere ſemper Dionyſium* (ſive *Dionyſii Exigui* computationem Annorum *Chriſti*, quam utique *Baronius* ſequitur) *biennio, uſque ad Annum Septingenteſimum quinquageſimum: quod & alii ante nos adverterunt.* Quamobrem qui *Sigeberto* Quadringenteſimus ſecundus eſt *Chriſti* Annus, a *Baronio* debuiſſet nonniſi Quadringenteſimus computari. Tertiam denique cauſam *Caracciolus* eſſe ait, quod *argumenta Baronii pleraque adverſus Turonenſem conflata ſunt, non ex verbis, quæ ille emendate ſcripſiſſe credendus eſt; ſed ex mendis, quæ vitio temporum in Gregorianos Codices irrepſerunt:* quod ipſum variis etiam demonſtrat exemplis, quæ nos brevitatis gratia omittimus, ſicut & reliquam præſentis Controverſiæ ſeriem. Hanc enim breviter in hanc ſummam contrahimus. *Baronio* ille concedit, Sanctum *Ambroſium* Anno *Chriſti* Trecenteſimo nonageſimo ſeptimo ex hac vita migraſſe. Sed ipſius tamen argumenta, in hujus aſſerti probationem allata, ſic elidit, ut bona cauſa male a *Baronio* defenſa videatur. Deinde vero etiam obterit ejuſdem fundamenta, quibus adſtruere contenderat, Sanctum *Martinum* vita functum fuiſſe Quadringenteſimo ſecundo *Chriſti* Anno. Denique

que vero denis e penu suo rationibus (a quibus nihil ea discrepant, quæ supra e Patris *Francisci Stavoli* scripto produximus) ostendit, Sancti *Martini* mortem in Annum incidisse *Christi* Trecentesimum nonagesimum quintum; quocirca primævam constanter etiamnum & inviolatam consistere fidem illius miraculi, quo Sanctus *Ambrosius* defuncto Sancto *Martino* funus celebrasse narratur a Sancto *Gregorio*, *Turonensi* Episcopo.

XCV. Sed enim ex illis duobus manuscriptis Archiepiscoporum nostrorum Catalogis, quos aliquoties adhuc in testimonium adduximus, confirmare denique lubet hoc ipsum miraculum: juvabitque ad aliquid etiam in eo novi discernendum, quod *Gregorius Turonensis* non attigit. Concordes igitur in hæc ipsa de Sancto *Ambrosio* verba ii conveniunt: *Hic super Altare dormiens, inter Lectionem & Epistolam per spatium fere trium horarum in Ecclesia Mediolanensi*, PICTAVII SEPULTURÆ SANCTI MARTINI, CAPPA SERICA INDUTUS, CORPUS BEATI MARTINI SEPELIVIT, UBI CHIROTHECAM DIMISIT PONTIFICALEM. *Tandem a somno excitatur, cum ultimam Orationem super funus Beati Martini dicere incœpisset. Quod postea compertum fuit, quod totus populus Pictaviensis ipsum oculis suis viderat ipsa hora, & Chirothecam ibidem.* Sicut igitur *Ambrosius*, in hac Basilica Missam celebrans, Altari adstabat, Planeta indutus; sic etiam *Martino* funus in Ecclesia *Turonensi* persolvens, non incongrue Cappam sericam gestabat. Verumtamen in hoc Odæo ipsum Planeta utrobique indutum eam forte ob causam expresserunt; ut eo evidentius eandem *Ambrosii* personam uno eodemque simul tempore utrobique commostrarent. Nonne vero novum nobis, & antehac inter hæc Monumenta inauditum erat illud, quod de Chirotheca illic relicta nuper legebamus? *Pictavium* tamen pro *Turone*, populumque *Pictaviensem* pro *Turonensi* per errorem in ejusmodi Catalogis nominatum ego interpretor.

XCVI. Prope *Martini* funus, in Odæo expressum, Tabella visitur, opposita ex adverso similisque illi, cujus characteres, ut *Salvionus* appellat, *Gothos* Num. 62. interpretabamur. In hac vero binæ insunt aves, obtutu invicem converso semet aspicientes. Non defuit prudens Vir & eruditus, qui eas dixerit *Benedictini* Ordinis esse symbola, olim usitata: idque sibi videri suis quondam in schedis ex Auctore gravi observatum. Sed neque ipse inter eas schedas neque nos alibi tale quiddam invenire adhuc potuimus. In tergo Tribunæ jam diximus Num. 70. Cygnum hinc, inde vero Columbam extare; tales enim nobis videbantur. In hac autem Tabella easdem prorsus aves agnoscimus iterum expressas: ipsasque credimus insignia esse unius ejusdemque illius, quo auctore Tribuna & musivum istud in Odæo præsenti opus confecta olim fuerunt.

XCVII. Concameratus est Chorus hic noster: oculosque; dum a lateribus ad concavi verticis medium attollimus, offert se nobis *Christus* Dominus Salvator, in throno sedens: cui a dextro latere Sanctus *Protasius*, a sinistro autem Sanctus *Gervasius* adstant; sicut & supra *Protasii* caput *Michaël*, supra *Gervasii* autem *Gabriel* Archangeli consistunt; propriis quisque in proximo nominibus: illi duo Latinis, hi autem Græcis designati. Quæ porro verba supra *Christi* caput descripta sunt; ea nobis Græci videntur Idiomatis; sed inter se plus justo alicubi confusa vel etiam disjuncta, nec satis apte ad orthographiæ leges conscripta. Primæ duæ litteræ nobis *Jesu*, secundæ *Christi* nomen contractim denotare videntur. Quæ subinde septem succedunt, titulum Regis: tres in eadem linea postremæ articulum subjecti nominis, gloriam significantis; complectun-

A tur. Græce simul ac expresse, necnon etiam secundum scientiam recte scribendi, nos illa reddimus in hunc modum: ΙΗΣΟΥ ΧΡΙΣΤΕ Ο ΒΑΣΙΛΕΥ ΤΗΣ ΔΟΞΗΣ: hoc est, JESU CARISTE REX GLORIÆ: juxta nimirum illud, quod in Græca legitur Psalmi vigesimi tertii & alibi Versione. Unum igitur illud nobis hic restat ut probemus, quod Num. 69. pollicebamur: hoc est, Sanctum *Protasium* hic a dextris *Christi* collocatum fuisse honoris gratia præ *Gervasio* majoris. Qua tamen in re voluntarii & irrequisiti fatebimur, *Ambrosianæ* sensum Ecclesiæ a sensu *Romanæ* discrepare. Quemadmodum enim varias ob causas Ecclesia utraque ut supra
B differuimus Num. 65. nunc Sancto *Petro*, alias Sancto *Paulo* dextram concors adjudicat; sic etiam varias & congruentes ob causas *Romana Gervasio*, *Protasio* autem *Ambrosiana* dextram videntur assignasse. Quod ut in commune ostendamus, recolenda nobis hic est, tamquam certa & explorata, *Roberti* Cardinalis *Bellarmini* doctrina illa, qua Libro 1. *De Romano Pontifice* comprobat Sancti *Petri* primatum supra reliquos Apostolos, vel etiam singillatim supra Sanctum *Paulum*. Capite namque 18. primatum illum ex eo confirmat, *quod cum ab Euangelistis nominantur Apostoli, vel omnes, vel aliqui, semper primo loco ponitur Petrus.* Capite autem 27. dis-
C serens de Sanctis *Petro* & *Paulo*, ad invicem comparatis, *Petri* præ *Paulo* præcellentiam & primatum concludit hoc argumento: *Si nominandi sunt; Petrus præcedit: si in præcibus invocandi; præcedit Petrus: si festi dies in eorum honorem celebrandi; prior est Petrus.* Jam vero in omnibus ejusmodi occasionibus sicut Ecclesia *Romana Gervasium* semper prius nominat, quam *Protasium*; sic *Ambrosiana* ex adverso semper a *Protasio* exorditur. Ac, ut de *Ambrosiana* singillatim differamus, facillimæ probationis hoc est, si tantum inspiciantur ejusdem Breviaria & Missalia, tam manuscripta, quam impressa, ipsorumque tum Calendaria, tum Canon Missæ, tum et-
D iam propria ejusmodi Sanctorum Missa & Officium, præterea vero etiam communes Sanctorum Litaniæ. Sed eundem sic etiam servant ordinem Sanctus *Ambrosius* Epist. 54. ad *Marcellinam* sororem, *Paulinus* in ejusdem Sancti *Ambrosii* Vita, Sanctus *Augustinus* Lib. 9. Confessionum, cap. 7. Lib. 22. *De Civitate Dei*, cap. 8. non procul ab initio & Sermone 39. *De diversis.* Prudenter vero etiam semet, eidem accommodavit ordini Beatus *Petrus Damiani*, cum apud *Mediolanenses* ea peroraret, quæ supra recitavimus Nu. 68. Quidnam vero causæ nos tandem fuisse dicemus, cur Ecclesia *Romana Gervasio*, *Ambrosiana* autem *Protasio* prærogativam ejusmodi &
E honorem adjudicarit? *Protasium* utique ac *Gervasium* fratres uno partu genitos fuisse constat. Itaque in Libello *Philippi*, per Sanctum *Ambrosium* ad caput ipsorum reperto, ita legebatur: *Quos mater Valeria, & pater Vitalis uno ortu geminos genuere.* Ex eo autem, quod protinus additur, *& unum Protasium, alium gervasium vocaverunt*, & *Protasius* ante *Gervasium* nominatur; hinc eo conjecerim, *Protasium* fuisse primogenitum. Quod si conjectura me ista non fallit; per me quidem *Ambrosiana* Ecclesia dicatur naturalem istorum fratrum nativitatem attendisse, ac *Protasio* dextram, utpote primogenito, adjudicasse; cum alioqui *Romana* Ecclesia martyrium
F potius ipsorum attenderit; quo nimirum *Gervasius* ante *Protasium* beatæ in cœlesti Patria vitæ natus est.

XCVIII. Quæ nunc in medio Chori fenestra patet, eadem constructa fuit post Annum *Christi* Millesimum quingentesimum septimum, quando locus iste in Chorum & Odæum fuit e Sacrario conversus. Antea siquidem unumquodque laterum suamet fenestra, quæ adhuc occlusæ muro cernuntur, lumen excipiebat. Ubi vero superior ejus fenestræ pars desinit,

quatuor olim extabant Versus, reliquis in utroque laterum, sicuti dicebam, extantibus congruetes, quorum adhuc reliquiæ aliquot cernuntur. Inter hos autem Versus & Salvatoris nostri sedem, nuper memoratam, etiamnum extant circulis mediocribus inclusæ ac propriis notatæ nominibus imagines Sanctorum, *Satyri* medium locum tenentis, *Marcellinæ* dextrum, *Candidæ* autem sinistrum. De Sancta *Candida* hoc unum apud *Joannem Franciscum a Basilica Petri*, *Paulum Morigiam*, & *Joannem Baptistam Villam*, in illis eorum Libris aliquoties jam citatis, invenio: Virginem, ac Sanctæ *Marcellinæ* sociam fuisse: sacrumque ipsius Corpus in hac ipsa Basilica conquiescere. *Gualuaneus* autem *Flammâ* diem insuper ipsius anniversarium addit. Quo nempe Opusculo contraxit Corpora Sanctorum in Civitate *Mediolani* ejusque Comitatu ac Districtu jacentia, sic etiam recensuit: *Festum Sanctæ Candidæ Virginis die ultimo Augusti. Jacet ad Sanctum Ambrosium.* Ejusmodi autem ipsius Opusculum, in charta pergamena manuscriptum, nobis humanissimus, ac bonarum Artium amans & fautor, *Aloysius ab Ecclesia* commodavit. Ceterum de Sancto *Satyro* multa jam diximus Num. 19. necnon etiam ibidem aliquid de Sancta *Marcellina*. Quamobrem solum tantæ Virginis hoc loco Epitaphium proferemus. Tumulus ejus adhuc visitur in hujus Basilicæ Confessione (vulgo Scurolo) juxta Sancti *Ambrosii* sepulchrum, Altari subjectum, collocatus. Epitaphium etiam, teste *Andreo Alciato*, hic aderat, & a Sancto quidem Archiepiscopo *Simpliciano*, *Ambrosii* successore, compositum. Bene tamen est, quod ipse illud in Antiquario suo manuscripto, atque nondum typis edito, recensuit. Quocirca nos item illud inde huc extrahimus in lucem.

Marcellina, tuos cum vita resolveret artus,
Sprevisti patriis corpus sociare sepulchris,
Dum pia fraterni speras consortia somni,
SANCTORUMQUE CUPIS CHARA REQUIESCERE TERRA.
Nil longinqua domus casto decerpsit amori:
Affectus nec morte perit. Nam munere lethi
Rursus juncta soror fraternæ redderis umbræ;
Quamvis magna pio suspiret Roma dolore;
Tertia quod sacri patitur jam damna sepulchri.
Nec tamen angustam sedem quis dixerit aulæ.
Corporis hæc domus est. Nam te, pia Virgo, supernum
Accepit Imperium placidæ post munera mortis.
Æternæ Christus pretium tebi destinat aulæ,
Præmia dans castis intactæ Matris honorem.
Te medius, Juli, transcendit, fervide, cursus:
Et te, Virgo tuus transvexit ad æthera Sponsus.

XCVIIII. Infra musivum opus, de quo abunde hactenus egimus, picti consident ex ordine decem & octo Provinciales Episcopi, juxta suam quisque sedem marmoream, inferius ipsimet olim parieti insertam; uti jam diximus Num. 20. Sane vero talium Episcoporum effigies nobis videntur ipsomet etiam opere illo musivo vetustiores. Numero autem in unoquoque duorum Chori laterum sunt novem, atque Canonem quisque unum habent infra se descriptum. Vetustate tamen ac temporum injuria sic evanuerunt characteres eorum Canonum, quos primi quatuor in latere dextro, atque tres in sinistro postremi Episcopi habebant, ut nihil eorum discerni a nobis potuerit. En igitur, quos in totum, vel ex parte saltem, intelleximus. Quintus namque in latere dextro, Episcopus *Astensis*, hunc habet: *Subjecti Episcopum proprium non rep.......* Sextus, Episcopus Taurinensis: *Seculares in Ecclesia ad divinum Officium........* Septimus, Episcopus Augustanus: *Clerici non utantur vestibus, nisi quæ religionem decent.* Octavus, Episcopus Aquensis: *Si quis res Ecclesiæ invaserit; ab ipso suo herede cautatur invasum.* Nonus, Episcopus Januensis: *Ut bis in anno Episcoporum, seu Clericorum, Concilia celebrentur.* Contra vero in latere sinistro primus sic incipit, Episcopus Brixiensis: *Si quis Clericus Ecclesiæ furtum fecerit; ab officio deponatur.* Secundus prosequitur, Episcopus Bergomensis: *Si quis Monacham in matrimonium duxerit; anathema sit.* Tertius, Episcopus Cremonensis: *Laici, præsentibus Clericis, docere non audeant.* Quartus, Episcopus Intimiliensis: *Ut per simoniacam hæresim nulla fiat Consecratio.* Quintus, Episcopus Savonensis: *sæculares in diebus Festis M....* Sextus, Episcopus Albigaunensis: *Nullus, invitis Clericis, ordinetur Episcopus.*

C. Ex ejusmodi autem sedibus, suo quibusque Episcopo supra picto destinatis, eodem Num. 20. conjectabamus, eo tempore, quo sedes & Episcoporum imagines illæ confectæ fuerunt, Episcopos, Archiepiscopi *Mediolanensis* Suffraganeos, in Concilio Provinciali sedere solitos fuisse non alio inter se ordine, quam, quem Cathedrales ipsæmet Ecclesiæ, prout hic numeratæ cernuntur, obtinerent. Certe autem postremo lateris dextri loco numeratum videbamus Episcopum *Januensem*. Quocirca conjecturam illam nostram confirmare nunc juvat ex eo, quod nuper in Chronico, *Flos florum*, comperimus. Etenim de Sancto *Honorato*, ad *Mediolanensem* Archiepiscopatum promoto Anno *Christi* Quingentesimo septuagesimo secundo, &, cum sedisset annos duos, defuncto, sic habetur: *Hic Honoratus a timore Longobardorum Januam fugit*, AD JANUENSEM EPISCOPUM, SUFFRAGANEUM SUUM: QUI ULTIMUM LOCUM IN DEXTRA ARCHIEPISCOPI MEDIOLANI POSSIDEBAT IN CONCILIO.

CI. Inter eas Episcopales hinc inde sedes media erat Archiepiscopalis: ea nimirum, quæ similiter adhuc eodem sita loco marmorea conspicitur. In ea igitur sedebat Archiepiscopus, quandocumque illic Provinciale Concilium celebraret. Quinetiam inter solennes ceremonias, quibus Imperatores ac Reges *Italiæ* in hac Basilica coronabantur, hanc quoque reperio, ut coronati hac denique in Sede collocarentur. Corona nimirum Ferrea illi hac in Urbe olim coronabantur: & primo quidem celebritas ista in Ecclesia Sancti *Michaëlis*, huic Basilicæ proxima; deinde autem in hac ipsa Basilica peragebatur. Hinc *Gualuaneus Flamma* in Chronico Majori, cap. 145. narratione prosecutus, quemadmodum *Lambertus*, *Mediolanum* per fraudem ingressus, illud evertisset Anno *Christi* Quingentesimo septuagesimo, Regnumque *Italiæ* sibi usurpasset; inter alia subdit: *Coronam Ferream ad Civitatem Papiensem transtulit: columnas marmoreas, & trabes & lapides marmoreos illuc transvexit.* Deinde autem cap. 149. ad Annum *Christi* Quingentesimum septuagesimum secundum, *Isto tempore* (inquit) *Albuinus Rex uxoris insidiis interficitur: Eleph, nepos ejus, in Papia coronatur. Nam honor Coronæ per Lambertum Regem ad Civitatem Papiensem translatus fuit, ut supra dictum est. Audiens autem Theudebertus Rex Papiensis, quod Rex Albuinus occubuisset: iratusque vehementer contra Papienses, eo quod ipsum tam turpiter prodidissent* (se nimirum inscio, Civitatem tradentes Albuino) *cum Mediolanensibus pacem facit, & ad Civitatem reduxit; & congregans exercitum ex Alemania per maximum, Mediolanensibus præstantibus auxilium, adversus Civitatem Papiensem equitavit, quam faciliter expugnavit. Palatium permaximum, quod ibidem construxerat; evertit: honorem Coronæ, quem ad Papienses transtulerat Lambertus Rex, frater ejus, Civitati Mediolanensi restituit, tradens jus Coronæ nobilibus Civibus de Mediolano, tam in temporalibus, quam in spiritualibus.* QUAM CORONATIONEM FIERI ORDINAVIT IN ECCLESIA PARVA SANCTI MICHAELIS, JUXTA ECCLESIAM

SIAM SANCTI AMBROSII. NONDUM ENIM ERAT FACTUM MONASTERIUM SANCTI AMBROSII, NEC ALTARE AUREUM, SED TANTUM UNA ECCLESIA. *Item columnas marmoreas, & trabes & lapides marmoreos reduxit, Civitatem Maximis sumptibus reædificavit, Civitatem Papiensem tributariam Mediolanensibus fecit. Et moriens, juxta Sanctum Ambrosium, in Ecclesia parva Sancti Michaëlis tumulatur:* UBI LOCUM CORONÆ ORDINAVERAT ESSE. Deinde autem cap. 161. ad Annum *Christi* Quingentesimum Octogesimum quintum, agens de *Authari*, Rege *Italiæ*, qui *Theudolinæ*, sive *Theodelindæ*, primus fuit maritus, ita narrat: *Facta electione Regis Authari, Papienses dicebant quod ad Episcopum Papiensem pertinebat Coronatio, secundum Privilegium Imperatoris Lamberti: & quod de facto Eleph fuerat ibi coronatus. Cives autem de Mediolano ostenderunt, quod Coronatio per Theudebertum Regem fuerat eis restituta: & quod numquam aliquis Rex fuerat coronatus in Papia, nisi unus, quia tunc Civitas Mediolanensis jacebat destructa; ut supra dictum est cap.* 148. TANDEM REX AUTHARI FUIT CORONATUS IN CAPPELLA SANCTI MICHAELIS JUXTA SANCTUM AMBROSIUM CORONA FERREA; SICUT AB ANTIQUIS TEMPORIBUS SERVATUM FUERAT, *secundum quod dicit Chronica Ptolomæi Episcopi.* Hæc in Chronico Majore *Gualuaneus*; quorum pleraque recenset etiam in Chronico, *Manipulo florum*, cap. 61. & 63. Eademque sic etiam habentur in Chronico, *Flos florum*, fol. 94. pag. 2. fol. 95. pag. 1. & fol. 98. pag. 2. Quod si hæc pro rei veritate ita se habent; certe sequitur, ut Corona Ferrea penes *Mediolanenses* jam dudum esset, eaque Reges *Italiæ* coronarentur, antequam *Theodelinda* nuberet *Italiæ* Regi; utque propterea ne ipsi quidem *Theodelindæ* illam dono ab Urbe *Roma* transmiserit Sanctus *Gregorius Magnus*; quemadmodum affirmat *Bartholomeus Zucchius* initio Libri sui, *Breve Historia della Corona Ferrea* &c. Qui quidem in hoc adhærere se putat Carolo *Sigonio*, velut ita scribenti: *Sanctus Gregorius Pontifex Theodolindam Corona Ferrea donavit.* Sed neque *Zucchius* ullum producit locum, in quo *Sigonius* ita scripserit: nec uspiam ego adhuc invenire illum potui; cum alioqui Libro primo *De Regno Italiæ*, ad Annum *Christi* Quingentesimum nonagesimum primum, Coronam illam scribat a *Theodelinda* Regina institutam (quod ipsum e supra recitatis arguitur erroris) & postmodum, ad Annum Sexcentesimum primum, inter alia de hujusmodi Corona, affirmet: *Loco inde* (Modoëtiæ) *accessit dignitas, postquam Corona, de qua dixi, Ferrea ibi custodiri* (tanquam e *Theodelindæ* mandato) *atque ea ibi coronari Reges, sunt cœpti.* &c. *Zucchius* certe, nec imprudenter, existimat, Coronam istam Ferream esse Diadema illud, quod, Sancto *Ambrosio* teste in Oratione habita in funere *Theodosii*, *Helena* Imperatrix, ex uno Clavorum, quibus crucifixus est Dominus, intextum transmisit ad filium suum *Constantinum* una cum Freno, ex altero pariter ejusmodi clavorum confecto, quod *Mediolani* hodieque in Templo Maximo religiosissime conservatur. Fatetur vero etiam, sacrosanctum illud Frenum Sancto *Ambrosio* ab Imperatore *Theodosio* donatum. Sic igitur nos etiam hoc ipsum de Diademate illo, Ferreaque Corona conjectamus. Atque ista fortasse potius causa fuit, cur in dextro Tribunæ latere Majores nostri Sanctum *Ambrosium* expresserint, Corona redimitum, quæ nobis Ferreæ ac *Modoëtiensi* simillima esse videbatur, uti jam diximus Num. 71.

CII. Sed tempus jam est, ut ad Sedem in Odæo Archiepiscopalem, unde huc digressi sumus, revertamur: utque ritus & ceremonias depromamus, quibus in *Ambrosiana* ista Basilica Imperator in Regem *Italiæ* coronabatur. Concordes vero hac de re testes habemus *Gualuaneum Flammam* in Chronico Majori, Cap. 167. & Auctorem Chronici, *Flos florum*, fol. 101. Sed tamen istius potius narrationem, utpote magis dilucidam & ordinatam, consectari ac verbatim exscribere placet, ita prorsus se habentem: *Ordo Coronationis, quæ fit in Ecclesia Sancti Ambrosii est talis, secundum quod legitur ex Chronica Comitum Angleriæ. Quod, quando Rex Romanorum vult recipere Coronam Regni Italici in Ecclesia Sancti Ambrosii, Imperator primo debet ire juxta Columnam marmoream, quæ est extra Ecclesiam Sancti Ambrosii* (reque vera ibi separatim erecta stat adhuc) *& unus ex Comitibus Angleriæ debet præsentare Imperatori unum Missale: & Imperator debet jurare, quod erit obediens Papæ & Ecclesiæ Romanæ in temporalibus & spiritualibus: & de hoc debet fieri publicum Instrumentum.* ET POSTEA ARCHIEPISCOPUS, VEL ABBAS SANCTI AMBROSII, DEBET IPSUM CORONA FERREA CORONARE SUPER ITALIAM, *Quo facto, Imperator debet Columnam illam rectam marmoream amplexari, in signum, quod in ipso erit justitia recta. Tunc Comes Angleriæ debet præsentare Christum in Cruce fixum Imperatori: & Imperator debet osculari pedes Crucifixi. Postea Comes Angleriæ cum Cruce elevata debet intrare Ecclesiam, & Imperator debet sequi: &, cum pervenerint ad introitum Chori in dextra, ubi est imago Herculis, tenentis leonem per caudam, Imperator debet osculari pedes illius imaginis propter reverentiam ad Reges Angleriæ, qui portabant illam imaginem in Vexillo. Deinde Comes Angleriæ cum Cruce elevata debet accedere ad Altare Sancti Ambrosii, & Imperator cornatus debet eum sequi: & Comes debet elevare Coronam de capite Imperatoris & ponere super Altare Sancti Ambrosii: & Imperator debet genuflectere coram Altare:* ET ARCHIEPISCOPUS, VEL ABBAS, DEBET IMPERATORI SUAM BENEDICTIONEM DARE. *Postea Comes Angleriæ restituit Coronam capiti Imperatoris.* TUNC DUO DE COTTIS (nobilissima hæc familia durat adhuc in Urbe) PORTÆ NOVÆ, INDUTI COTTIS ALBIS (clericale istud est indumentum, atque familiæ item illius est Stemma gentilitium) DEBENT IMPERATOREM PONERE SUPER CATHEDRAM MARMOREAM, QUÆ EST POST ALTARE SANCTI AMBROSII (ea nimirum est Archiepiscopalis, de qua nos dicere instituimus) *& Comes Angleriæ debet osculari pedem dextrum Imperatoris, & illi de Cottis pedem sinistrum. Postea debet fieri de hoc publicum Instrumentum: & per tres dies debet Imperator ire viam suam versus Romam:* ET ASSOCIAT EUM ARCHIEPISCOPUS MEDIOLANI. Hactenus de Imperatoris in hac Basilica Coronatione, deque usu, quo Archiepiscopalis ea Sedes eidem Imperttori deserviret.

CIII. Nolo tamen de hac ipsa Sede illud reticere, quod non tantum e traditione Majorum, sed etiam e Visitatione deprehendi, qua Sanctus *Carolus*, Cardinalis & Archiepiscopus, Anno *Christi* Millesimo quingentesimo sexagesimo sexto, Basilicam istam ex officio lustravit. In ea siquidem Visitatione descriptum id quoque fuit: *In Choro dictæ Collegiatæ adest Sedes Archiepiscopalis, ubi quamplures habentur superstitiones, maxime a mulieribus prægnantibus.* Etenim hæ, sine doloris sensu se parituras confidebant; si appropinquante pariendi tempore, semel ei Sedi potuissent insidere. Quamobrem summa solicitudine hoc etiam curabant.

CIV. A Basilica nunc redimus ad Archivum: &, sicut ex ipso denique Num. 60. proferebamus Imperatoris *Hlotharii* Privilegium, Anno ejus Imperii duodecimo, *Christi* autem juxta nostram supputatio-

nem Octingentesimo trigesimo quinto, datum; ita nunc exinde alterum ipsius exhibemus, datum die quinta mensis Maji, Anno decimo octavo ejusdem Imperii, proindeque *Christi* Octingentesimo quadragesimo primo; cum jam solus imperaret post *Ludovicum* patrem, cognomento Pium, anno superiori pie defunctum. Privilegium vero istud ille Basilicæ huic & Monasterio concessit, ab *Angilberto* Archiepiscopo rogatus: atque tenoris est proxime subsequentis:

In Nomine Domini Nostri Jesu Christi, Dei æterni. HLOTHARIUS, *divina ordinante providentia, Imperator Augustus. Dignum est, ut eorum petitiones hi studiose obaudire, & effectuosa deliberatione procurare decertent, qui divina Magestate Imperiali sunt dignitate prælati, quorum studium & benevolentiam in his decertare cognoscunt, quæ ad obsequia divinæ Magestatis pertinent, solatium & tutamen suæ stabilitatis, & æternæ remunerationis compendium. Igitur futurorum Fidelium Sanctæ Dei Ecclesiæ nostrorumque cognoscat solertia, quia Venerabilis Engilbertus Archiepiscopus nostris detulit obtutibus quandam Auctoritatem, quam ipse suo studio ad recuperandum lucrum animarum, obsequiumque Divinæ Magestatis, in locum,* UBI CONFESSOR DEI AMBROSIUS CORPORE HUMATUS REQUIESCIT *: confirma...... videlicet Curtes, quarum hæc sunt vocabula,* OZEDUTIRICAM LEMONTAM, CLEPIADAM, CERESIOLAM, GRATEMVICUM, SINTERIAM, CASTENIADAM, ET GATTUNADAM, SEU DUBLINUM: *addens etiam omnes res, quas nunc eadem Ecclesia justo & legali ordine quoquomodo adquisierat, vel in antea, divina tribuente clementia, adquirere poterit; ut perennis temporibus in usus & utilitates ibidem divina militatione exequentium maneant, absque cujuspiam solecitatione................(& quies Deo famulantium, cum vel justum obsequium, & conditoris, & utilitas publicarum, tum gubernantium: deposcens, ut suam bonam intentionem ad veram decertationem nostra corroboremus Auctoritate; sicuti & fecimus. Quapropter per hanc nostram Auctoritatem decernimus, ut nemo inde quippiam quocumque in tempore Fidelium nostrorum subtrahere præsumat, aut quamlibet contrarietatem ibidem Deo famulantibus inferre; sed hac nostra Auctoritate confirmata sua stabilis maneat institutio.... nullius contrario prævalente, tergiversante.... Et si quandoquidem Abbas ex eodem Monasterio decesserit; secundum suam institutionem licentiam habeant per consensum Archiepiscoporum, qui tunc per tempora fuerint, de ipsa Congregatione eligendi talem Abbatem, qui eis secundum Regulam & justitiam præficere alios possit. Et ut hæc nostra Auctoritas pleniorem obtineat vigorem, manu propria subter firmavimus, & annulo nostro subter sigillari jussimus.*

Signum Hlotharii Gloriosissimi Augusti.

Druetemirus Subdiaconus, atque Notarius, ad vicem Egilmari recognovi, & subscripsi.

Data tertio Nonas Majas, Anno Christo propitio Imperii Domni Hlotharii Imperatoris decimo octavo, Indictione decima tertia. Actum Papiæ Palatio Regio in Dei nomine fæliciter. Amen.

CV. Cum igitur *Angilbertus* Archiepiscopus jam ante, sive *Christi* anno, sicuti nos computabamus, Octingentesimo trigesimo secundo, Basilicæ ac Monasterio isti concessit suum illud Privilegium, quod a Nobis Num. 44 recitatum fuit; hoc tandem Anno Octingentesimo quadragesimo primo videtur illud ipsum Imperatori *Hlothario* ad confirmandum (quantum scilicet ipsius Confirmatione opus erat) obtulisse. Quia tamen aliqua postmodum prædia, & nominatim Limonta, fuerant huic Basilicæ Monasterioque attributa; iccirco igitur eorum fit mentio in hoc Imperatoris Privilegio cum alioqui facta non fuisset in privilegio *Angilberti*. Quod vero attinet ad Imperatorii hujus Privilegii, quem adadmodum & subsequentis, Indictionem, sive potius Indictionis errorem (quacumque hic ex causa provenerit; tametsi hæc quoque ambo authentica sint) satis multa pro instituti nostri ratione jam disseruimus Num. 46. Certe autem, juxta communem atque Imperatoribus etiam nostris per ea tempora usitatam Indictionum calculationem, nonnisi quarta Indictio incidebat in Annum *Christi* Octingentesimum quadragintesimum primum.

CVI. Eodem *Christi* Anno, & Imperii sui decimo octavo, ejusdemque mensis Maji octava die, sive tertia postquam datum fuisset præcedens Privilegium, *Hlhotarius* altero illud confirmavit, quo Limontam Monasterio huic & Basilicæ legaverat, quale jam Num. 60. recensuimus. Forte siquidem aliquid superfuerat ambiguitatis, eo quod Limontæ situm & incolas non ita expresse descripsisset. Vel etiam postea voluit Successoribus suis executionem Legati hujus sui commendare, quod ab initio non fecerat. Nisi forte illud etiam causæ huc accessit; quod universos Limontæ reditus jam vellet solis Basilicæ luminaribus concinnandis alendisque impendi; non autem aliis etiam ullius generis ornamentis, quemadmodum Privilegio primum dato statuerat. Quamquam etiam, quicquid sit de causis, cur ejusmodi Privilegium fuerit à *Hlothario* renovatum, tale profecto istud fuit:

IN Nomine Domini Nostri Jesu Christi, Dei æterni. HLOTARIUS, *divina ordinante providentia, Imperator Augustus. Dignum est, ut Imperialis Dignitas tanto studiosius conjunctorum obaudiat præceptum, quanto magis cognoscit, ad obsequendum Divinæ Majestatis pertinere. Igitur cunctorum Fidelium Sanctæ Dei Ecclesiæ nostrorumque cognoscat solertia, quia dilecta conjux nostra Hirmingardis nostram....... pro emolumento mercedis nostræ, & remedio animæ fratris sui, puerili ætate ab hac luce delati, Hugonius nomine, ad concinnanda luminaria* IN BASILICA BEATI CONFESSORIS CHRISTI AMBROSII, UBI IPSE CORPORE HUMATUS REQUIESCIT, *pro cujus veneratione ibidem ipse puerulus sepultus est, quandam conferrem Curtem ex Fisco nostro super ripam laci Comacini, vocatam* LIMUNTA, *cum casis indominicatis, & Capella in honorem Sancti Genesii, & aliis ædificiis ad se pertinentibus, cum familiis ibidem aspicientibus. Quorum hæc sunt nomina: Ursonem, cum muliere, & infantulis suis quinque: Fosculum, germanum ejus, cum muliere, & infantulis suis quinque: Lobianum, germanum ipsius, cum infantibus suis tribus: Ariulfum, cum muliere, & tribus infantibus suis: Agipertum, cum muliere, & quatuor infantibus suis: cum omnibus peculiolis suis, quas ipsi de pertinentia ejusdem Curtis habent: vel omnibus pertinentiis ejusdem Curtis, casis videlicet, & vineis, olivetis, campis, silvis, pratis, pascuis, aquis, aquarumve decursibus, vel omnibus adiacentiis, seu pertinentiis suis: & alia olivetula in locis Aucis & Conni. Cujus petitionem justam recolentes, ob Dei amorem pro mercedis nostræ augmento, & refrigerium animæ ipsius pueri libenter annuimus. Ideoque hanc nostram Auctoritatem circa* EUNDEM SANCTUM AC VENERABILEM LOCUM *fieri jussimus: per quam nostros Successores obsecramus, ut omni in tempore absque cujusquam contrarietate easdem res nostra indulgentia solummodo in concinnanda luminaria ibidem quieto ordine dimittant: nostrisque Fidelibus præcipimus, ut nemo quippiam inde subtrahere præsumat, aut quamlibet inquietudinem inferre; sed omni tempore hac nostra Auctoritate ibidem ad utilitatem* EJUSDEM ECCLESIÆ *quieto ordine maneat; & omnis redibitio earundem rerum in ornamento luminarum ibidem deveniat, perenniter mansurum. Et ut hæc nostræ Aucto-*

rita-

ritatis largitio pleniorem obtineat vigorem, & a nostris Successoribus diligentius conservetur & a Fidelibus intemerata servetur, manu propria subter eam firmavimus, & de annulo nostro subter sigillari jussimus.

Signum Hlotharii Gloriosissimi Augusti;

Druetemirus Subdiaconus, atque Notarius, ad vicem Egilmari recognovi, & scripsi.

Data octavo Idus Majas, Anno Christo propitio Imperii Domni Hlotharii pii Imperatoris decimo octavo, Indictione decima tertia.

Actum Papiæ, Palatio Regio, in Dei nomine fœliciter. Amen.

CVII. Limonta porro, sicut etiam in hoc ipso Privilegio asseritur, sita est super ripam Laci *Comacini*, sive *Cumani*, desumpta scilicet appellatione ab Urbe *Como*, aliter *Cumo*, ad ejus pariter ripam sita: quem sane Lacum Scriptores communiter etiam *Larium* appellarunt. *Mediolano* ea distat trigintaquinque millia passuum, *Como* autem viginti, ac *Leuco* (quod in eo tractu Castellum & Oppidum est celeberrimum) solummodo decem. Qua enim flumen *Abdua*, ex ipso Lacu emissum, & circiter tria inde milliaria provectum, & adhuc stagnans, tendit *Leucum*, illic visitur *Limonta*, *Vallessinam* inter ac *Bellasium*: & sicut olim majori ex parte planitiem Lacui adjacentem occupabat; ita nunc collem occupat contiguum, ac leniter assurgentem. Nulli subjecta Diœcesi ea est; sed quemadmodum *Ambrosiani* hujus Monasterii Abbas politicam in eam, Comitis titulo (quem postea illi videbimus ab Imperatore concessum) insignis; sic etiam Ecclesiasticam, velut Ordinarius Præsul, exercet jurisdictionem. Itaque suos in utroque Foro, cum Civili, tum etiam Criminali, supremus ipse Judex ac Dominus Ministros constituit, qui secundum Statuta ei populo per semetipsum præscripta judicent: sic etiam ibidem spirituali animarum regimini præficit è suis Monachis unum, quem appellare Vicarium consueverunt; quinetiam peccatorum aliquot graviorum absolutionem sibi uni reservat. *Ambrosianus* illic quoque Ritus in usu est, perinde ac in hoc nostro Monasterio. Quæ vero de *Limonta* nunc narramus, eadem *Civennæ* non multum ab ea distantis, quin etiam *Campillioni* ad *Luganensem* Lacum siti, observantur; excepto, quod Statuta *Campilliono* præscripta, necnon etiam typis edita separatim, paululum ab iis variant, qui *Limontæ* simul & *Civennæ* incumbunt. Harum namque trium *Curtium* & *Villarum*, certe quidem incolis certatim confluentibus abundantium, ex æquo Comes & Præsul Ordinarius est *Ambrosiani* hujus Monasterii Abbas. Ceterum *Limontæ* simul ac *Civennæ* descriptionem Italico ac eleganti stylo prosecutus jam fuit *Robertus Rusca*, Monasterii hujus Monachus: & hac de re librum edidit Anno *Christi* Millesimo sexcentesimo vigesimo quarto, quo tempore Vicarius illic erat & animarum Curator. Quocirca nihil est, cur nos pluribus illas in præsenti describamus.

CVIII. Anno *Christi* Octingentesimo quadragesimo quarto, *Lotharius* Imperator *Ludovicum* filium natu maximum, quem in *Italia* Regem fecerat (ut inquit *Ado Viennensis* in Chronico) *Sergio* Papa Secundo in demortui *Gregorii* Quarti locum suffecto, protinus in *Italiam* cum exercitu ornatissimo contendere jussit, atque a novo Pontifice Regia simul & Imperatoria insignia postulare. Veruntamen, utrum solam *Italici* Regni, an etiam Imperii Coronam *Ludovicus* a Pontifice obtinuerit, Scriptores abeunt in diversa. Sigonius quidem *De Regno Italiæ* ad eum ipsum *Christi* Annum ita disserit: *Ludovicum a Sergio non solum Regem, ut scribit Anastasius, sed etiam Imperatorem inunctum, præter Adonem Scriptorem horum temporum æqualem, & Leonem Ostiensem, vetera etiam Lothari Diplomata fidem faciunt: in quibus anni Imperii ejus cum annis Imperii filii ita jungun-*

A *tur, ut facile appareat, Ludovici Imperium in Italia hoc Anno habuisse initium.* Contra vero Anastasius Bibliothecarius, ab ipsomet jam Sigonio allegatus, ita narrat: *Tunc almificus Pontifex manibus suis ipsum Ludovicum, Imperatoris filium, oleo sancto perungens, Regali ac pretiosissima coronavit Corona, Regemque Longobardorum præfecit: cui Regalem tribuens gladium, illic eo subcingi jussit.* Quocirca Baronius in Annalibus ad eundem Annum, *Audisti, Lector* (inquit) *Anastasium asserentem, nonnisi de Regno Longobardorum Ludovicum fuisse a Sergio coronatum. Cui tamen haud assentiendum facile puto; cum plurimum testificationibus constet, eum coronatum fuisse Romæ Imperato-*
B *rem. Quarum illa certior, quæ in sepulchrali titulo posita legitur istis Versibus.*

HIC UBI FIRMA VIRUM MUNDO PRODUXERAT ÆTAS,
IMPERII NOMEN SUBDITA ROMA DEDIT.

Testatur id ipsum Leo Ostiensis, Chronici Cassinensis Lib. 1. cap. 29. Diplomata prætcrea afferuntur in testimonium a Sigonio, De Regno Italiæ, Lib. 1. hoc Anno, in quibus annus hic primus Ludovici Imperatoris ponitur. Ceterum, quod Acta Romani Concilii, & ipsa quidem legitima, anno septimo Leonis Papæ Quarti celebrati, Anno Domini Octingentesimo quinquagesimo
C *tertio, bis ponant, eum Annum Ludovici Imperatoris esse quintum; plane declarant, nonnisi anno secundo Leonis ipsius, nempe Anno Domini Octingentesimo quadragesimo octavo, eundem Ludovicum coronatum fuisse Romæ Imperatorem, anno secundo Pontificatus ejusdem Leonis Quarti. Porro, quod in sepulchrali Versu dicitur,* IMPERII NOMEN SUBDITA ROMA DEDIT, *non cogit, ut hoc Anno potius factum, quam post annos quatuor id contigisse dicamus; ut ex hac parte verum esse possit, quod Anastasius, Scriptor candidissimus, asserit.* Hæc igitur, hunc in modum a *Baronio* disputata, eo denique tendunt, ut *Anastasii* assertionem illam non improbent. Certe quidem
D illam nos etiam probamus, & Archivi quoque nostri testimonio confirmamus. Ipsiusmet siquidem *Ludovici* Privilegium habemus, vigesimo quarto ejus Imperii anno, ac simul etiam Indictione sexta datum. Quæ tamen sexta Indictio (juxta supputationem Regibus *Italiæ* ac Imperatoribus nostris per ea tempora usitatam, ut alibi jam monuimus) non in alium *Christi* Annum, imperante *Ludovico*, incidere potuit, quam in Octingentesimum septuagesimum tertium. Quomodo autem in hunc ipsum *Christi* Annum incidere potuit vigesimus quartus Imperatoris *Ludovici* annus, nisi primus ejusdem Imperii annus deducatur ab Anno *Christi* potius Octingentesi-
E mo quadragesimo octavo, quam Octingentesimo quadragesimo quarto?

CIX. Ceterum *eodem Anno* (quadragesimo quarto supra Octingentesimum, ibidem subdit Sigonius) *Angilbertus, Mediolanensis Archiepiscopus, ab Ecclesia Romana, parum comperta de causa, descivit: tantumque exemplo in posterum valuit, ut nonnisi post ducentos annos Ecclesia Mediolanensis ad Romanæ obedientiam auctoritatemque redierit.* Et hic vel animus ipse noster, in *Angilbertum* Archiepiscopum gratus, a nobis nunc deposcit, ut ipsum, ejusque Successores, tanto dedecori & probro eximamus; tametsi hoc ipsum ex instituto facere tunc præsertim meditemur,
F cum Sancti Levitæ & Martyris *Arialdi*, *Mediolanensis*, Vitam typis in lucem proferemus. Atqui cum *Sigonio* consensit etiam expresse Erycus Puteanus, Historiæ Insubriæ Libro quarto, in hæc verba: *Ut scires, post Regem esse, qui turbare faciem Reipublicæ posset; Angilbertus, Mediolanensium Archiepiscopus, novo noxioque exemplo ab Ecclesia Romana descivit. Leve damnum: si cum viro pertinacia desiisset. Duravit superstes: causisque subnascentibus robur colligens,*

gens, *ducentos admodum annos traxit.* Subinde autem in ejusmodi Historiæ Commentario, *Et hac* (inquit) *de causa fortassis Drogoni*, *Ludovici Regis patruo*, *reliquisque Episcopis se adjunxerat*, *cum Ludovicus Romam ad suscipiendum Regnum cum exercitu se conferret. Nam Anastasius in hæc verba scribit*: *Deinceps* (hoc est, postquam Ludovicum Sergius Papa Regem Longobardorum coronasset) *per dies singulos conflictum novi certaminis cum Sanctissimo Præsule*, *omnibusque Episcopis & Optimatibus nostris atque Proceribus*, *ipse Drogo Archiepiscopus Metensis Ecclesiæ commovebat : tam ipse*, *quam omnes Archiepiscopi & Episcopi*, *qui cum eo contra hanc Universalem*, *& Caput cunctarum Ecclesiarum Dei*, *sine Metropolitani concessione atque vocatione convenerant : id est*, *Gregorius Archiepiscopus Ecclesiæ Ravennensis*, *& Angilbertus Archiepiscopus Ecclesiæ Mediolanensis* &c. Quid, quod in hanc ipsam *Angilberti* ejusque Successorum ignominiam consentit etiam *Josephus Ripamontius*, Historiarum Ecclesiæ *Mediolanensis* Libro decimo? Tacito tamen *Angilberti* nomine hoc idem ante hos omnes innuerat *Blondus Flavius*, Historiarum ab inclinatione *Romanorum* Imperii Libro tertio Decadis secundæ, his verbis: *Per Stephani Noni Pontificis tempora* (fuere autem novem menses Anni quinquagesimi septimi supra Millesimum) *Mediolanensis Ecclesia*, *quæ per ducentos fere annos a subjectione Romanæ Ecclesiæ insolenter se subtraxerat prima*, *inter alias eam majorem superioremque recognovit*: satagente nimirum Beato *Petro Damiani*, Legato tunc temporis ad *Mediolanenses* Apostolico.

CX. Nos igitur ex adverso commentitiam esse contendemus ejusmodi defectionem *Angilberti*, tamque multorum ipsius Successorum. Verumtamen paucis hic utemur argumentis; quippe pluribus alibi, tamquam proprio in loco, & tamquam è propria instituti tunc nostri ratione; ut paulo ante dicebamus. Quamquam etiam in hujus Operis progressu vanitas ejus figmenti, Ecclesiæ *Mediolanensi* usque adeo probrosi, facile identidem per alias passim occasiones constabit. Quod si quempiam cum *Puteano* illud præcipue in transversum agit, quod *Angilbertus Drogoni Metensi* Archiepiscopo (verius Episcopo) tum etiam *Ravennati*, ceterisque tam multis Episcopis, & Comitibus, quos ibidem *Anastasius* enumerat, sese adjunxerit; numquid ergo ceteri etiam qui se *Drogoni* vicissim & *Angilberto* adjunxerunt, ab Ecclesia itidem *Romana* desciverant? Numquid etiam ipsemet *Drogo*, vel etiam *Ludovicus*, ejusdem nepos? Nihil minus. Atqui contra Pontificem *Romanum* interea illi contendebant. Contendebant illi sane; sed tam initio, quam in fine, citra notam defectionis. Exitum profecto hujusmodi contentionum ita demum *Anastasius* describit: *Sed*, *divina gratia inspirante*, *nec sermones ipsius almi Pontificis* (Sergii) *neque prudentiam superare valuerunt : tantaque ei superna aderat virtus*, *ut nullo sermone eum concludere*, *vel constringere potuissent. Sed ab eo superati*, *pudore operti & confusione*, *discesserunt. Quod videntes*, *omnem iram atque ferocitatem*, *quam in mentibus conservabant*, *omnino deposuerunt.* Quid autem mirum sit, quidve suspicionem defectionis a Pontifice *Romano* injiciat, quod *Angilbertus* sese adjunxerit *Ludovico*, *Romam* proficiscenti, ad *Italici* Regni, vel etiam Imperii, Coronam e manu Pontificis capessendam? Moris utique tunc erat, ut novum *Italiæ* Regem, aut Imperatorem, illuc propterea pergentem, Archiepiscopus *Mediolani*, tamquam ex officio sui proprio associaret; sicut supra jam vidimus Num. 103. Illud vero etiam huc nobis percommode accedit, quod, cur *Angilbertus* ad schisma defecerit, quid item schismatici egerit, muta penitus est omnis historia; cum alioqui quum de ipso narrantur, nonnisi Præsulem spirent catholi-

A cum, & Apostolicæ Sedi *Romanæ*, tamquam omnium Ecclesiarum Capiti Matri ac Magistræ, constanter adhærentem. In cujus rei testimonium legi etiam possunt binæ illæ Synodi *Regiaticinæ* (sive in Urbe regia *Ticino* celebratæ; quod tamen eruditissimus *Henricus Canisius* Tomo quinto Antiquarum Lectionum non intellexit) quas *Severinus Binius* recensent Parte Prima Tomi tertii Conciliorum a se editorum: quarumve una celebrata fuit Incarnationis Dominicæ Anno Octingentesimo quinquagesimo, altera vero quinquagesimo quinto. Ceterum *Angilberto* postea successit Archiepiscopus *Thado*, ac *Thadoni Anspertus.* Ergone vero schismatici pariter

B ipsi, & Ecclesiæ *Romanæ* desertores, *Angilberti* videlicet exemplum affectati? Absit hoc. Et pro *Thadone* quidem nobilissimum habemus *Nicolai* Papæ Primi, *Romanam* tunc Ecclesiam regentis, testimonium, ipsius etiam Decretis insertum in hæc verba: *Scriptum super hoc propriis manibus roboratum efferentes*, *& sententiam*, *quam a Sede Apostolica in Engeldrudam uxorem Bassonis* SANCTISSIMUS FRATER NOSTER ARCHIEPISCOPUS MEDIOLANENSIS THADO, *& ceteri Episcopi nostri petierunt admittendam.* Anspertum vero Tabulæ in primis Ecclesiæ *Mediolanensis* testantur ab *Ha-*

C *driano* Secundo, Pontifice *Romano*, creatum fuisse Archiepiscopum. Sed ipsemet etiam, quam procul ab ejusmodi crimine abesset, ostendit luculentissime in Synodo *Ticinensi*, Anno Dominicæ Incarnationis Octingentesimo septuagesimo sexto, Indictione nona, mense Februario, celebrata. Qua in Synodo *Carolus Calvus*, *Francorum* Rex, ab Episcopis *Italiæ*, inter quos primus erat *Anspertus*, electus fuit Imperator. Ejusdem Synodi Acta & Canones habentur Tomo tertio Conciliorum antiquorum *Galliæ*, quæ doctissimus e Societate Jesu Pater *Jacobus Sirmundus* denique edidit: primusque ac secundus Canon tam luculenter *Ansperto* & nobis at-

D testantur, ut pudendum plane convincant aliter opinantium errorem. Primus namque Canon ita verbatim se habet: UT SANCTA ROMANA ECCLESIA, SICUT EST CAPUT OMNIUM ECCLESIARUM, ITA AB OMNIBUS HONORETUR ET VENERETUR : *neque quisquam contra jus & potestatem ipsius aliquid injuste agere præsumat*; *sed liceat ei debitum tenere vigorem*, *& pro universali Ecclesia pastoralem exhibere curam*, *atque sacris precibus omnium pro omnibus interpellare Auctorem.* Sic etiam subinde Canone secundo legimus decretum: *Ut honor Domno & spirituali Patri nostro*, *Joanni Summo Pontifici*, *& Venerabili Universali Pa-*

E *pæ*, *ab omnibus conservetur*: *& quæ secundum sacrum ministerium suum auctoritate Apostolica decreverit*, *cum summa veneratione ab omnibus suscipiantur*; *& debita illi obedientia in omnibus conservetur.* Sed & vicissim *Joannes* Octavus Pontifex suas inter Epistolas Decretales multoties agit cum *Ansperto*, tamquam cum Archiepiscopo sibi Sedique *Romanæ* fideliter adhærente: quinetiam ipsius Antecessores nonnunquam hoc fidelitatis & obedientiæ titulo commendat. In Epistola nominatim 127. quam ille inscripsit *Reverendissimo & Sanctissimo Confratri Ansberto*, *Venerabili Archiepiscopo Mediolanensi*, sic inter cetera inquit:

F *Quia de statu Sanctæ Ecclesiæ sunt*, *quæ communiter tractare debemus*; *tuæ Sanctitati Apostolica auctoritate mandamus*, *cum cunctis Suffraganeis tuis & Coepiscopis*, *nobis Papiam secunda die post festum Sancti Andreæ occurrere.* ET QUONIAM PROBATA FIDES OMNIUM PRÆDECESSORUM TUORUM (quis hinc *Angilbertum* & *Thadonem*, proximos ipsius Prædecessores, ausit excipere?) SEMPER FUIT ERGA ROMANUM PONTIFICEM; TUA FRATERNITAS OMNIMODIS STUDEAT EORUM IN OMNIBUS ASSEQUI VESTIGIA.

GIA. *Quia (quod absit) si aliter fuerit; vigor canonicus super inobedientes remanere non poterit.* Anspertus tamen ad eam Synodum non porrexit, nec aliquem sui Nuncium ac Legatum, vel excusatoriam Epistolam, misit; sicuti nec ad alteram postea Synodum, *Romæ* convocatam. Quocirca Pontifex una cum Synodo hac *Romana* ipsum Epistola 177. excommunicat, quoadusque tandem veniat, vel mittat: qua de re ipsum etiam postea rogat Epistola 181. & rursus Epistola 182. quæ data fuit Decimo tertio Kalendas Junii, Indictione Duodecima: præterea vero etiam Epistola 196. & 256. e quibus etiam ista juvat excerpere. Siquidem Epistolam illam 196. sic ad *Anspertum* inter cetera conquerens scribit: *Legatos nostros: Joannem Ticinensem & Vualpertum Portuensem Episcopos, e latere nostro ad te directos, non suscipiens, præ foribus portæ diu tibi nostræ commonitionis verba facientes, quatenus Nobis, aut per te, aut per Legatum tuum*, TUAM MORE PRÆDECESSORUM TUORUM CONDIGNAM OBEDIENTIAM EXHIBERE DEBUISSES, *irreverenter stare fecisti, nullamque illis reverentiam, vel auditum, accommodare dignatus es.* Et Epistola 256. *Decuerat* (inquit) *te, Frater charissime, pura animi sinceritate eam reverentiam eumque honorem Sanctæ Sedi Apostolicæ, cui Deo auctore præsidemus, quotidie impendere*, QUÆ USQUE AD TUA TEMPORA OMNES TUI PRÆDECESSORES, LAUDABILITER VIVENTES, HUIC ECCLESIÆ OBTULERUNT PRONA MENTIS DEVOTIONE: *pro qua re ejus gremio suscepti quidam præ nonnullis amore dilecti sunt.* Data vero fuit hæc Epistola mense Novembris, Indictione Decima quarta. Per hæc igitur apertissime videmus, quemadmodum *Anspertus* nullum a Prædecessoribus suis acceperit foveritque schisma, quale *Angilberto* imputabatur auctori. Sin vero postmodum eam ipse ob causam excommunicatus a Pontifice fuit; non tamen propterea conflavit schisma, universæ *Mediolanensi* Ecclesiæ commune (maximeque patet hoc ex ejusdem Pontificis Epistola 220.) præterea vero etiam ipsum denique ab ejusmodi excommunicatione absolutum, Sedique Apostolicæ reconciliatum, debitamque professum fuisse obedientiam, liquidissime constat ex ejusdem Pontificis ad ipsum Epistola 260. & ex Epistola 261. ad *Anselmum*, Archidiaconum *Mediolanensem*. Quocirca nec ad suos Successores *Anspertus* ullum schisma transmisit. An vero tale quid ab aliquo postea Successorum fuerit excitatum, & ab ipso reliquisque deinceps pertinaciter ad multos saltem annos retentum: attendat Lector, quæ Monumenta isthæc nostra deinceps complectentur. Ego quidem spero fore, ut ne ad tempora quidem *Stephani* Papæ Noni, & Cardinalis *Petri Damiani* apud *Mediolanenses* Legati Pontificii, tale unquam monstrum in Ecclesia *Mediolanensi* comperiat. Nunc ad propositam nobis ex ordine seriem temporum revertamur.

CXI. Anno *Christi* Octingentesimo quadragesimo
A.C. 849. nono Archivi nostri Documenta nobis Abbatem Monasterii hujns nominant *Andream*. Itaque nos ipsum interpretamur in demortui *Gaudentii* locum successisse.

A.C. 855. CXII. Anno *Christi* Octingentesimo quinquagesimoquinto *Hlotharius Hludovici* pater, abdicato a se Imperio, semet vitæ monasticæ addicit. Juxta Sigonium autem, *De Regno Italiæ*, Monachus obiit eo ipso anno. Sed *Arnoldus Wion Ligni* Vitæ Libro Quarto eundem affirmat post decennium obiisse: & ita quidem, *ut Sanctorum Catalogo ad scribi meruerit.*

A.C. 859. CXIII. Anno *Christi* Octingentesimo quinquagesimo nono, die vigesima nona Februarii creatus offert se nobis Monasterii hujus Abbas *Petrus*: & in hoc ipso regimine continenter perseverat usque ad Annum *Christi* Nonagesimum; sicut infra suo tempore constabit ex ipsius Epitaphio.

CXIV. De *Thadone* Archiepiscopo, *Angilberto* suc-
A cessore, Scriptores hoc saltem communi tradunt consensu, Ecclesiam *Mediolanensem* ab ipso fuisse administratam septem annos cum dimidio, sub initium mensis Junii terminato. *Anspertum* vero ex ipsius Epitaphio, quod infra sub Anno Octingentesimo octuagesimo secundo proferemus, certissime nobis constat eidem *Thadoni* suffectum fuisse Anno Dominicæ Incarnationis Octingentesimo sexagesimo nono, die vigesima quinta Junii. Quamobrem nos inde conjicimus, eodem similiter Anno *Thadonem* obiisse, cum antea regimen hujus Ecclesiæ suscepisset Octingentesimo sexagesimo primo Anno. Sed & conjectura ista eousque provehimur, ut *Angilbertum* etiam facile nobis A.C. 861.
B persuadeamus obiisse hoc ipso pariter Anno: nimirum paulo ante, quam illi Archiepiscopus *Thado* substitueretur: itaut Archiepiscopatum istum in id usque tempus ille rexerit jam inde ab Anno *Christi* Octingentesimo vigesimo septimo, a quo exorsum computabamus Num. 44.

CXV. Certe autem insigne *Thadonis* habemus Privilegium, mense datum Februario, Indictione undecima, Dominicæ Incarnationis Octingentesimo se- A.C. 866.
xagesimo sexto Anno. Etenim per ea tempora tam nostri Archiepiscopi, quam Imperatores & *Italiæ* Reges Annum quemque *Christi* computabant ab ejus Incarnatione, id est, a vigesima quinta Martii mensis
C die; cum alioqui *Romana* Ecclesia computare soleret ab ejusdem *Christi* Nativitate, sive a Calendis Januarii ad alteras subsequentis Januarii Calendas. In *Gallia* sic etiam id servabatur, ut vel ab Incarnatione, vel a Resurrectionis Dominicæ Paschate, singulos *Christi* Annos computarent. Idemque mos illic viguit ad Annum usque Millesimum quingentesimum sexagesimum quartum: quo scilicet Anno *Carolus* Rex Nonus publico cavit Edicto, ut in publicis privatisque Tabulis exordium Anni deinceps a Calendis Januariis peteretur. Sic enim accurate *Aubertus* etiam *Miræus* observavit in suo Chronico *Belgico* ad eum ipsum *Christi* Annum, & jam ante ad Sexcentesimum sexagesimum secundum.
D Inspice vero jam tandem Lector, quale sit illud Archiepiscopi *Thadonis* Privilegium, & quidem rogatu *Petri* Abbatis concessum.

IN Nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis, THADO, divinæ pietatis gratia largiente, Sanctæ Mediolanensis Ecclesiæ Archiepiscopus: Omnibus nostri ordinibus sequacibus, cunctisque nostræ Ecclesiæ Fidelibus, præsentibus scilicet atque futuris. Cum nos omnipotentis Dei misericordia Vicarium Beatissimi nostri Patroni instituisset Ambrosii, atque sacerdotales ad infulas pervenire donasset; hoc nobis potissimum studium fuit, ut, si qua aut negligentia prætermissa, aut aliquo casu immutata, emendanda, vel melioranda cognosceremus; omnia juxta Vene-
E *rabilium instituta Patrum, vel morem antiquum, ad rectitudinem status reduceremus. Igitur dum tali studio insisteremus*, PETRUS, NOSTRI ABBAS COENOBII, QUOD JUXTA TUMULUM BEATISSIMI EST SITUM AMBROSII, *nostram adiit solertiam: videlicet referens, quod* OLIVETUM ILLUD IN LEMONTAS, ATQUE IPSIUS OLIVETI CUSTODES, *nostri Episcopii parte injuste detinerentur, suppliciter petens, si hoc nobis rectum videretur, ut suo Monasterio præfatum concederemus Olivetum habere. Hujuscemodi ejus assertionem audientes, & diligenter rei veritatem pariter cum nostris Sacerdotibus perquirentes, invenimus, qualiter Gloriosissimæ memoriæ*
F *Domnus Hlotharius Imperator Augustus per suum Præceptum ipsos colonos atque Olivetum cum omnibus adjacentiis & pertinentiis in ipsum Venerabilem concesserat Locum. Rectum igitur nobis nostrisque paruit Sacerdotibus, ut ipsos homines & Olivetum atque omnia ad ipsum Locum pertinentia, quæque a nostri Episcopii parte detinebantur, ditioni & potestati supradicti concederemus Monasterii; sicuti & in præsenti per hoc nostræ Auctoritatis Præceptum concessimus, atque tenendum corroboravimus.*

Insuper etiam petiit, ut intra (non *intra*, sed *juxta* legendum videtur) *Ecclesiam Sanctorum Vitalis & Agricolæ, in honore Sanctorum Petri & Pauli* ECCLESIAM INFIRMORUM *ei construere concederemus: atque semitam, per quam Monasterium minus munitum erat, claudere, & in aliam partem transmutare permitteremus:* ILLOSQUE SACERDOTES, QUOS PRO SUA UTILITATE AD CELEBRANDUM MISSARUM SOLEMNIA IN EADEM ECCLESIA OLIM NOVITER COLLOCAVERAT, INTRA NOSTRORUM CONCILIUM SACERDOTUM CONSORTIUM ANNUMERARI CONCEDEREMUS. *Nos vero per consensum omnium nostrorum Sacerdotum petitioni ejus adsensum præbuimus:* ET IPSOS PRESBYTEROS, AB EO IN ECCLESIA SANCTI AMBROSII NOVITER ORDINATOS, IN NOSTRORUM CONCIVIUM CONGREGATIONE PRESBYTERORUM SUSCEPIMUS; QUATENUS IPSE ABBAS SUCCESSORESQUE EJUS, PERPETUALITER IPSORUM OBSEQUIUM POSSIDENTES, UNA CUM MONACHIS SIBI SUBJECTIS PRO STABILITATE REGNI ATQUE STATU HUJUS ECCLESIÆ OMNIPOTENTIS DEI MISERICORDIAM JUGITER VALEANT EXORARE. *Insuper etiam confirmamus atque concedimus præfato Abbati, Successoribusque ejus,* SICUT PRISCA CONSUETUDO EX ANTIQUO TENERE VIDETUR: UT IN DOMINICIS, SEU IN SOLEMNIBUS DIEBUS, INDUTUS SANDALIIS CETERISQUE ORNAMENTIS EPISCOPALIBUS .... MORE ORNATUS, IN ECCLESIA BEATI AMBOSII DIVINUM CELEBRARE OFFICIUM. *Præterea concedimus atque confirmamus præfato Monasterio & Fratribus* OMNES OBLATIONES, *quæ a Christi fidelibus in eadem Ecclesia Sancti Ambrosii quoquo modo, a majoribus, sive a minoribus, delatæ fuerint: omnesque res, omnesque possessiones ibidem collatas, cunctasque videlicet Curtes, earumque appendicias, simulque decimas omnium laborum, seu dominicatus eorum: simulque omnes aldiones & aldionas, servos & ancillas, seu colonos sed & omnia, quæ nunc habere videntur, vel quæ deinceps Deo propitio adquirere valuerint. Omnia superius dicta quieto jure tenere liceat, absque mea & Successorum meorum molestia. Et qui temeraria mente violare aut exterminare maluerit; exterminetur a Deo & a Patrono nostro Ambrosio; & deleatur nomen ejus de Libro Vitæ, donec prælibati Cœnobii Abbati & Monachis satisfecerit.* ET NEQUE ABBAS IBI ORDINETUR, NISI DE IPSA CONGREGATIONE; *si talis persona ibi reperta fuerit; qui eos valeat secundum Regulam gubernare. Et si ibi talis persona reperta non fuerit; de alia Congregatione facultatem eligendi habeant, sine alicujus majoris minorisve contradictione personæ; tantum, ut cum auctoritate Regulæ Beati Benedicti faciant electionem. Et ut hoc nostræ Auctoritatis Præceptum abhinc firmius habeatur, & a cunctis diligentius inviolabiliter observetur, Ansperandum, nostræ Ecclesiæ Premitcerium, scribere jussimus, & propria manu confirmavimus, atque Sigillo Beati Ambrosii ad corroborandum insigniri jussimus, Anno Domni Hludovici Vigesimo quarto, mense Februarii, Indictione Undecima, Anno Dominicæ Incarnationis Octingentesimo sexagesimo sexto, Indictione supradicta, feliciter.*

Ego Thado, indignus Archiepiscopus, subscripsi.
Ego Valbertus, Archipresbyter, subscripsi.
Ego Odelmanus, Archidiaconus, subscripsi.
Ego Oddo, Presbyter, subscripsi.
Ego Tenzo, Presbyter, subscripsi.
Ege Vido, Presbyter, subscripsi.
Ego Walo, Diaconus, subscripsi
Ego Wilielmus, Diaconus, subscripsi.
A *Ego Witelmus, Diaconus, subscripsi.*
Ego Anspertus, Subdiaconus, subscripsi.
Ego Petrus, Notarius, subscripsi.
Ego Gisilbertus, Notarius, subscripsi.

CXVI. Ceterum de Privilegii hujus Indictione, ab Imperatorum Regumque tunc *Italiæ* usu aliquantum diversa, dictum jam satis est superiori Num. 46. Quod autem datum legitur Anno Dominicæ Incarnationis Octingentesimo sexagesimo sexto, Domni *Hludovici* vigesimo quarto, sine ulla expressione, annusne hic deductus fuerit ab initio ejus Regni, an Imperii: certe deductum fuisse constat ex Anno *Christi* B Octingentesimo quadragesimo secundo, quo *Hludovicus* a Pontifice *Romano* necdum fuerat in *Italiæ* Regem, vel Imperatorem, coronatus. Jam tum igitur, ut opinor, *Hlotharius* pater ipsum fecerat *Italiæ* Regem: atque hoc ipsum fortasse *Ado Viennensis* in Chronico iis innuit verbis, quæ nos Num. 108. in principio recitavimus. Quid si vero etiam *Mediolanensis* item Archiepiscopus, *Angilbertus*, ipsum *Italiæ* jam tum Regem coronaverat? E regia igitur dignitate, qualitercumque jam tum *Hludovico* impertita, mihi quidem *Thado* videtur quartum illum & vigesimum *Hludovici* annum computasse. Sed ex eo insuper, quod Imperator a *Mediolanensi* Archiepiscopo Corona Ferrea insigniri *Mo*C *doëtiæ* jam soleret prius, quam *Romæ* a Pontifice Aurea; icciro *Hludovicum* ego ausim affirmare ab *Angilberto* coronatum etiam fuisse Imperatorem ipsomet Anno *Christi* Octingentesimo quadragesimo quarto, antequam Imperatoriæ pariter Coronæ a *Sergio* Papa Secundo capessendæ causa *Romam* incassum contenderet; si tamen incassum contendit. Atque hinc ego quidem ulterius crediderim postea factum, ut nonnulla Imperatoris hujus *Hludovici* Diplomata, qualia *Carolus* etiam *Sigonius* recensuit, ejus Imperii præferrent annos, ab Octingentesimo quadragesimo quarto *Christi* Anno computatos.

D CXVII. Quemadmodum *Limontam* duplici *Hlotharius* Imperator Privilegio legaverit *Ambrosianæ* huic Basilicæ, ac Monasterio, ejusdemque sancti Loci Rectoribus, & proinde Abbati ac Monachis: hoc utique superioribus Numeris, 60. & 106. comprehensum relegi potest. Quod si quis forte discedit inde irrequietus adhuc, nec satis persuasus; ecce *Thadonis* habet Privilegium, quo sibi omnem jam demum ambiguitatem discutiat. Nec enim aliam ob causam *Limonta* per *Thadonem* conceditur (hoc est, injuste Sedis Archiepiscopalis nomine usurpata redditur) huic *Monasterio*, sive ipsius Abbati & Monachis nisi quia *Hlotharius* Imperator eisdem illam olim re vera, & jam denuo comperta, confessaque, concesserat.

E CXVIII. Ex hoc ipso *Thadonis* Privilegio intelligi etiam datur, quo auctore, quove tempore constructa olim fuerit in honorem Sanctorum *Petri* & *Pauli* Apostolorum Ecclesia, quam *Thado* nominat INFIRMORUM, quæve postea nuncupata fuit SANCTORUM PETRI ET PAULI IN INFIRMARIA: cujus mentionem nos fecimus Num. 78.

CXIX. Advertistine vero, Lector quemadmodum *Petrus* Abbas nonnullos Sacerdotes in *Ambrosiana* ista Basilica recenter ante datum ejusmodi Privilegium collocasset ad hoc, ut ibidem Missarum solemnia celebrarent: quos itidem *Thado* Archiepiscopus, a *Petro* rogatus, intra Concivium suorum Sacerdotum (congregaF tionem atque consortium susceperit? Ab iis nempe Sacerdotibus originem postea progressu temporis accepisse hodiernum in hac Basilica nobilissimumque Canonicorum Secularium Collegium, Majores hactenus nostri crediderunt. Quod si forte vetustiores ipsius origines nobis aliunde jam tandem proferantur; eas utique tanto lubentius, quanto vetustiores, amplexabimur. Hoc interim nos fideliter & amice damus, quod ex Archivo nostro haurire potuimus. Reliqua porro Privilegii hujus satis superque patent ex ipsius contextu.

Quo-

Quocirca nos hinc ad ulteriora progredimur.

CXX. Locus hic & tempus a nobis deposcunt, ut *Garibaldi* cujusdam Episcopi *Bergomensis*, erga Monasterium istud *Ambrosianum* in præsentem usque diem benefici, mentionem faciamus. Ac frater quidem *Cælestinus*, e sacro Cappucinorum Ordine Sacerdos, qui forte adhuc etiam vivit, Volumine Secundo Secundæ Partis quadripartitæ *Bergomensis* Historiæ, *Italico* sermone conscriptæ, Libro 15. Cap. 5. *Garibaldi* ejus Episcopi, quem cognomento *Calepium* & Civem *Bergomensem* appellat, mentionem ita facit, ut in locum *Haganonis*, Octingentesimo octogesimo tertio anno (quemadmodum superiori dixerat Capite) defuncti, successisse illum asserat; & anno denique Octingentesimo octogesimo octavo obiisse concludat initio Capitis subsequentis. Itaque Libro etiam postea 22. bina recitat Imperatoris *Caroli* Tertii, sive *Crassi*, Privilegia, eidem *Garibaldo* Episcopo concessa, Incarnationis Dominicæ Octingentesimo octogesimo tertio Anno, ejusque Imperii tertio in *Italia*, in *Francia* secundo, apud *Murgulam Curtem* regiam, tertio Calendas Augusti. Nos tamen ante aliquot etiam inde annos præfuisse ipsum ei Ecclesiæ arbitramur. Publicum enim habemus Instrumentum, actum Civitate *Mediolanium*, quo multa ille pia Legata in remedium animæ suæ instituit, Anno Imperii *Hludovici* Imperatoris vigesimo, mense Martio, Indictione tertia. Eccujus autem *Hludovici*? Certe non Tertii, cognomento *Balbi*, qui duos inter *Carolos*, *Calvum* & *Crassum*, duos tantum imperavit annos, vel paulo amplius; sed Secundi, qui ab Anno saltem supra Octingentesimum quadragesimo (ut jam disseruimus) octavo imperavit usque ad septuagesimum quintum, sicut infra memorabimus. Quoniam igitur vigesimus imperantis *Hludovici* Secundi annus juxta supputationem, cui nos lubentius adhæsimus, in Annum incidit *Christi* Octingentesimum sexagesimum nonum; iccirco *Garibaldum* concludimus eo ipso jam anno præfuisse *Bergomensi* Ecclesiæ; ac sine dubio post Episcopum *Haganonem*. Certe autem sexagesimo tertio Anno supra Octingentesimum vivebat hic ipse *Hagano*, nec non etiam pessime audiebat; tum quia *Hlothario*, *Hlotharingiæ* Regi, fratrique *Hludovici* Secundi Imperatoris, etiam ipse suasisset, ut legitimam ceteroqui conjugem dimitteret Reginam *Theutpergam*; tum etiam quia fuisset auctor contumeliosæ cujusdam in Pontificem *Nicolaum* Primum Epistolæ. Sic enim narrat in ejus Pontificis Vita *Anastasius* Bibliothecarius, & ex ipso *Baronius* ad eundem Annum Octingentesimum sexagesimum tertium. Sed hinc tandem ad pia *Garibaldi* Episcopi Legata, eo contenta Instrumento, veniamus. In primis ergo Xenodochium instituit in Vico juris sui *Antiziago* (Vicus est Agri *Mediolanensis*, vulgoque jam dicitur INZAGO) in quo singulis annis alantur decem pauperes: ejusque regimen committit *Antelmo* cuidam, & post ipsius obitum *Gandelasio*, ejusdem filio: *ipsisque defunctis*, *Xenodochium ipsum cum omni integritate sua deveniat in jus & potestatem* MONASTERII CHRISTI CONFESSORIS AMBROSII, UBI EJUS SANCTUM CORPUS QUIESCIT, *fundati in suburbio Urbis Mediolanii. Gottinæ* item, prædicti *Antelmi* uxori, assignat varia juris sui bona immobilia, in fundis *Antiziago Glassiate* *Biliciaco* consistentia; sed & aurum & argentum, aliaque multa mobilia; quæ tandem omnia post ipsius obitum transeant in ejusdem *Xenodochii* potestatem. Sic etiam *Garibergæ*, *Antelmi* filiæ, ac Monachæ Monasterii Sanctæ Dei Genitricis *Mariæ*, quod infra Civitatem *Mediolanii* fundatum appellabatur WIGELINDÆ, tres in variis fundis domos attribuit ipsi primum, & post ipsam *Gandelasio* fratri. Post ipsos vero ambos partem illarum legat Monasterio Sanctorum *Gervasii* & *Protasii*, sito infra Civitatem *Mediolanii*; itaut in perpetuum sit in potestate Monachorum, Deo ibidem famulantium: partem vero legat Monasterio Beati Levitæ & Martyris *Vincentii*, quod situm est non longe a Civitate *Mediolanii*. Hæc summatim e prædicto *Garibaldi* Episcopi *Bergomensis* Instrumento. Certe autem Monasterium istud *Ambrosianum* in hanc usque diem multa possidet prædia domosque in prædictis fundis, *Xenodochio* illi per *Garibaldum* assignatis, & in Villa præsertim *Inzago*. De Monasterio autem illo Monialium, WIGELINDÆ appellato, nobis hactenus non constat, qua situm in parte Urbis esset. Illud autem Sanctorum *Gervasii* & *Protasii* Monasterium intra Urbem, illic erat, ubi nunc Parochialis est Ecclesia, Sancti *Protasii* ad Monachos nuncupata: & ubi olim Sanctos illos fratres traditio est Cœnaculo conclusos lectioni & orationi per decennium adhæsisse, sicut habetur in Libello *Philippi*, jam in superioribus allegato. Ejusdem vero Monasterii mentionem videre item licet in *Joannis* Papæ Octavi Epistola 264. quo tempore tam illius, quam Sancti etiam *Simpliciani*, necnon etiam Xenodochii Sanctorum *Cosmæ* & *Damiani* quod *Romanorum* dicebatur, unus idemque Abbas erat, nomine *Hadericus* de *Ansperto* Archiepiscopo deque *Mediolanensi* Ecclesia quam optime meritus. De *Vincentiano* autem illo non procul ab Urbe Monasterio nihil ambigimus, quin illud sit, quod Sancti *Vincentii* in Prata, vel Prato, dictum fuit: de quo jam ante disseruimus Num. 47. Itaque jam hoc tempore conditum illic fuisse Monasterium, Monachosque illic habitasse, comperimus.

A.C. 869. CXXI. Eodem Anno Domini Octingentesimo sexagesimo nono, sub initium mensis Junii defunctus, ut Num. 114. concludebamus, *Thado* Archiepiscopus, in *Ambrosiana* ista Basilica sepelitur; ut plerique nostrorum Archiepiscoporum Catalogi affirmant. Ille nominatim, cujus textum Numero sequenti proferemus, sic habet: *Obiit autem prædictus Thado Anno Domini Octingentesimo sexagesimo nono, sexto ante Calendas Junii.* JACET AD SANCTUM AMBROSIUM, Præsul hic ob ingenii subtilitatem, ac rerum divinarum scientiam cognomento SAPIENS appellatus fuit. Quemadmodum etiam *Nicolaus* Papa Primus ipsum nominarit SANCTISSIMUM FRATREM SUUM, jam vidimus Num. 110. Verumtamen ea nos Pontificis verba exscripsimus e Libro, Successores Sancti *Barnabæ* inscripto, ubi periodus illa nonnisi manca & mutila recitatur. Qui ergo integram voluerit, eam inveniet apud Incertum illum Auctorem Annalium *Francorum* ab Anno Dominicæ Incarnationis Septingentesimo decimo quarto usque ad Octingentesimum octogesimum tertium: quem ante alios undecim Scriptores Annalium itidem *Francorum*, volumine uno comprehensos, edidit in lucem *Petrus Pithœus*. Inveniet autem ad Annum *Christi* Octingentesimum sexagesimum tertium, intra Caput ac Decretum secundum Actorum Concilii *Romani*, tunc a *Nicolao* Papa celebrati, cujus Acta illic recensentur. Sic enim ex ipsomet Auctore illa eadem recenset *Baronius* ad eundem Annum Octingentesimum sexagesimum tertium: qui tamen pro *Thadone*, vel *Tadone*, *Mediolani* Archiepiscopo, legit *Tudonem*. Quamobrem illa pariter ibidem apud *Baronium* inveniet. Quod autem *Nicolaus* Pontifex meminit, *Thadonem* ac ceteros cum ipso Episcopos a Sede Apostolica sententiam illam petiisse admittendam, vel, ut Incertus ille Auctor legit, emittendam: *quam & nos* (idem Nicolaus subdit) *divino succensi zelo*, *sub anathematis obtestatione canonice protuleramus*: certe innuit eam Synodum *Mediolanensem*, cujus ipsemet Pontifex mentionem facit Epistola 58. Sic enim primum ipse ibi scribit: *Cum Engeltrudis*; *uxor Bosonis Comitis*, *ad Gallias*, *relicto proprio viro*, *cum adultero* (nempe *Hlothario*, *Hlotharingiæ* Rege, Im-

peratoris autem *Hludovici* Secundi fratre, sicut etiam ipsum Numero præcedenti indicabamus) *adultera transmigrasset: & vir ejus eam cum multo labore reducere voluisset, nec tamen aliquo modo potuisset; Ecclesiastica cœpit auxilia postulare; ordinemque servans, primam in toto terrarum Orbe Sedem appellans, ut Ecclesiastico decreto eam ab his, qui eam muniebant, erui, & sibi reddi præciperet, supplicavit.* Et paulo post: *Decretoque & auctoritate præmissa* (scilicet Apostolicæ Sedis) *jussum est, Mediolani Episcoporum Concilium fieri: ad quod ipsa* (Engeltrudis) *vocata, si certo tempore non occurreret; ab ipso sacrato Collegio vinculis anathematis vinceretur. Quodque, illa statuto tempore non occurrente, patratum est: sententiamque in ipsam a Synodo, auctoritate nostra, nos quoque, vi sacri Canones præcipiunt, consensu nostro firmavimus.* Talia de Synodo ista *Mediolanensi Nicolaus* Pontifex. Quod si schismaticus fuisset Archiepiscopus noster *Thado*, si ab Ecclesiæ *Romanæ* obedientia & auctoritate descivisset; an vero Pontifex eam Synodum (quam ceteroqui sacratum etiam Collegium appellavit) jussisset *Mediolani* celebrari, *Thadoque* ipse celebrasset? Sane vero e *Gratiani* etiam Decreto in Secunda Parte, Causa 17. Quæst. 4. Can. 4. *De Presbyterorum flagellatoribus*, manifeste patet, quemadmodum *Thado* debita erga Sedem Apostolicam observantia, procul ab omni schismatis vitio, *Nicolaum* super Casu illic expresso consuluerit, vicissimque *Nicolaus* paterna in universam *Christi* Ecclesiam solicitudine atque auctoritate ipsi responderit. Sed de *Thadone* satis hactenus. Ipsi porro die vigesima quinta Junii eodem Anno successisse *Anspertum*, Numero item illo 114. supputabamus ex ipsius Epitaphio, quod suo tempore proferemus.

CXXII. Moris jam esse observabamus Num. 43. ut novus *Mediolani* Archiepiscopus, Urbem solemniter ingrediens ad capessendam Sedis Archiepiscopalis in Basilica Metropolitana possessionem, tamquam ex certa lege prius ad *Ambrosianam* veniret. Ecce nunc tibi, quemadmodum *Anspertus* quoque legem ac morem servaverit eundem. De ipso siquidem in Archiepiscoporum nostrorum Catalogo, quem nobis Metropolitanæ commodavit Archipresbyter, hæc verbatim leguntur; quæ similiter quoad præsens institutum se habent etiam in altero Catalogo, quem nobis Urbis Secretarius commodavit: *Anspertus, Albrici filius de Blasono, natione Mediolanensis, Archiepiscopus Quinquagesimus-septimus. Hic, dum studium agitaret Mediolanensis Ecclesiæ, Archidiaconatum obtinuit. Postea Anno Domini Octingentesimo sexagesimo nono, die vigesimo quinto Junii* PER HADRIANUM SECUNDUM, PAPAM CENTESIMUM DECIMUM TERTIUM, IN ARCHIEPISCOPUM CONFIRMATUR (heus tu, quisquis *Anspertum* etiam hereditario schismate tam fœdo pertinacique maculabas) *& per nobiles affines, suos Confalonerios honorifice comitatus, per Portam Cumanam introitum faciens, obviam habuit nobiles Cives; in quibus erant illi de Glusiano, & illi de Casate*: CUM QUIBUS, ET CUM CLERO GRATANTER ORNATO, IN PROCESSIONE AD ECCLESIAM SANCTI AMBROSII PERVENIT: *postea in Sede sua Metropolitana per supradictos consanguineos suos collocatus fuit. Et sedit annis tredecim, mensibus quinque, diebus duodecim*: quemadmodum scilicet in ejus etiam Epitaphio continetur. Ceterum *Angilbertus* Archiepiscopus, hujus nominis primus, Numero illo 43. conspiciebatur Urbem ingressus per Portam *Romanam*; nunc vero *Anspertus* per *Cumanam*, & fortassis etiam e *Blasono*, ditionis suæ Vico, cui hæc est obversa. Hinc ergo liberum per ea tempora nihilominus fuisse dignoscimus, qua quisque Porta ingredi. Urbem vellet; dummodo prius ad *Ambrosianam* veniret, quam ad Metropolitanam Basilicam.

CXXIII. *Tristanus Chalcus*, Historiæ *Patriæ* Libro Quinto, inter ea, quæ gesta narrat ex Anno *Christi* Octingentesimo septuagesimo usque ad initium septuagesimi quarti, *Thadonis* denique collocat obitum, & *Ansperti* substitutionem. Paulo post ea vero, quæ ab Anno septuagesimo dicere orsus fuerat, in hæc verba prosequitur: *Ergo ad obsidendam Capuam Ludovicus duxit: quam, dedentibus se oppidanis, recepit. Atque hic dum morantur, Angilberta uxor consors Imperii & Thado Mediolanensis Archiepiscopus intercesserunt, ut confirmaret Petro Abbati ea, quæ Majores Ambrosiano Cœnobio concesserant. Archetypum adhuc extat Diploma.* Sed interim *Chalcus* fallitur in duobus. Quia nimirum tempore, quo datum fuit hoc Diploma, superstitem adhuc fuisse putat Archiepiscopum *Thadonem*: quia insuper illius etiam rogatu concessum arbitratur. Exemplar ipsius nos authenticum habemus: nec in eo ulla mentio *Thadonis*. Quia vero datum cernitur Anno *Hludovici* Imperatoris vigesimo quarto, Indictione, sexta; ipsum propterea sicuti Num. 108. computabamus datum Anno *Christi* Octingentesimo septuagesimo tertio; sic etiam constanter in præsenti computamus. A. C. 873. Quinetiam in computationis ejusmodi nostræ confirmationem huc addimus, quod *Ticinensis* ille Conventus, a *Severino Binio* inter alia Concilia Tomo Tertio Parte Prima relatus, & Anno Dominicæ Incarnationis Octingentesimo quinquagesimo tertio celebratus, nihilominus traditur celebratus Anno tantum sexto Imperii Domni *Hludovici* Imperatoris Augusti. Quid, quod Carolus etiam Sigonius *De Regno Italiæ Libro Quinto* fatetur, *Hludovicum* Imperatorem Anno *Christi* Octingentesimo septuagesimo tertio *Romam* ex Urbe *Capua* repetiisse, cum integrum ibi annum transegisset? Qua quidem in Urbe Pridie Idus Junii datum ejusmodi, sive subsequens, Privilegium conspiciemus.

IN Nomine Domini nostri Jesu Christi, Dei æterni. HLUDOVICUS, *divina ordinante providentia, Imperator Augustus. Quicquid circa Dei famulos divino afflati amore impendimus, illi profecto damus, a quo bonum suscepimus. Ideoque omnium Sanctæ Dei Ecclesiæ nostrorumque Fidelium, præsentium scilicet & futurorum, comperiat unanimitas, eo quod Angilberga, dilectissima conjux nostra, & consors Imperii, suggessit Majestati nostræ* PRO QUODAM PETRO, VENERABILI ABBATE MONASTERII BEATISSIMI CONFESSORIS CHRISTI AMBROSII UBI EJUS SACRATISSIMUM CORPUS VENERABILITER HUMATUM EST, NON LONGE A MURO URBIS MEDIOLANI: *ut eum, pro nostræ mercedis incremento, cum universis, qui cum ipso degunt, Servis Christi, cunctaque Venerandi Cœnobii substantia, sub nostrum Mundburdum, & immunitatis nostræ perpetuam tuitionem suscipere dignaremur. Nos vero, tam nostræ mercedis amplificandæ gratia, quamque pro supra nominati Gloriosissimi Confessoris intercessione promerenda, pie assensimus rata & competentia suggerenti: suscipientes antelatum Abbatem, & omnes ei commissos, cum universis ipsius sancti Loci possessionibus, quantascunque Deo auspice nunc habent, aut in posterum habituri sunt, cum familiis, commenditis, cartulariis atque aldionibus utriusque sexus, sub Imperialis Mundburdi tutelam, nostræque providentiæ immunitatem perpetuam: confirmantes etiam, nostræque Magnitudinis auctoritate stabilientes quicquid vel nostra munificentia, vel Prædecessorum nostrorum liberalitate, promeruerunt. Quicquid etiam quorumlibet Christi fidelium oblatione, donatione, seu qualibet contractione, comparando, commutando, sive precariam dando, acquisierunt, aut in antea Deo propitio acquisituri sunt; ut ea habeant illuc Dei Famuli divino amore congregati, & fruantur jure quie-*

quieto, atque possideant, pro nostri statu Imperii Altissimum Dominum jugiter implorantes. Super hæc præcipiendo præcipimus, & pro Dei summi & Beati Ambrosii Protectoris nostri reverentia modis omnibus interdicimus, ut nullus Sedis ipsius Pontifex, aut Oeconomus, aliquam diminorationem in rebus vel familiis ipsius reverendi Loci ingerere præsumat: nullasque præstationes, vel annuas donationes, seu quaslibet angarias, & superimpositas exactiones contra morem canonicum, sive regularem constitutionem, superimponere, exigere audeat. Ubicumque autem, aut undecumque opus habuerint, tamquam de dominicatis nostris, ita de rebus ipsorum, vel familiis, inquisitionem fieri volumus. At vero ipsorum commenditos, libellarios, sive cartularios, sine Abbatis, aut Præpositi (hoc est, post Abbatem Præfecti) *conscientia pignerare, aut distringere, nemini permittimus. Sed nec in Cellula Monasterii ejusdem, sita Papiæ, quemquam ad hospitandum ingredi sine ipsorum consensu permittimus. Si quis autem ex his, qui sub nostro Imperio degunt, aliquam subtractionem, injustamque exactionem, vel angariam, aut superimpositionem, antefatis Christi Famulis sponte ingesserit, in rebus dumtaxat ipsorum mobilibus & immobilibus, in servis & ancillis, aldionibus, libellariis, cartulariis, & commenditis ipsorum: sive sint Præsules, sive Duces, sive Comites, sive Sculdassiones, vel Gastaldiones, aut quilibet publicæ partis Officiales, seu discurrentes Missi nostri: etiamsi in minimo hanc nostræ Majestatis Auctoritatem, atque Augustalis Excellentiæ Immunitatem inventus & convictus fuerit violasse; Immunitatis nostræ pœnam triginta librarum argenti probatæ monetæ publicæ sæpe dicendo sacratissimo Loco componere compellatur. Et ut hoc nostræ Sublimitatis Imperiale Præceptum inconvulse retineatur, & pro futuris temporibus attentius observetur, manus propriæ subscriptione insignitum ac roboratum ex Bullis nostris jussimus adsignare.*

Signum Domni Hludovici, Serenissimi Imperatoris Augusti.

Data pridie Idus Junii, Indictione sexta.

Giselbertus, Presbyter & Notarius, scripsi.

Actum Civitate Capua, Anno Imperii Domni Hludovici,

Serenissimi Imperatoris Augusti, Vigesimoquarto, in Dei nomine fæliciter.

CXXIV. Hactenus Imperatoris hujus Privilegium. Quo quidem inter cetera dum Cellulam istius *Ambrosiani* Monasterii sitam *Papiæ* nominat, in eamque vetat quempiam ingredi ad hospitandum sine Abbatis & Monachorum ejusdem Monasterii consensu: inde profecto nos colligimus, eo Cellulæ vocabulo significatam quidem fuisse Ecclesiam, sed insuper etiam nexum aliquod ipsius hospitium, vel etiam Monasterium. Atque hoc etiam sensu locutum cernimus *Blondum Flavium* in sua *Lombardiæ* descriptione, dum ita scribit: *Luthprandus, Longobardorum Rex, ossa Beati Augustini ex Sardinia Papiam, ubi veneratissime servantur, deferri curavit. Idemque Rex* MONASTERIUM BEATI PETRI, CELLULA AUREA APPELLATUM, *&c. ædificavit.* Sicut autem ex ea Sancti *Petri* Cellula aurea nuncupatum deinde fuit Monasterium & Ecclesia Sancti *Petri* IN CÆLO AUREO, quemadmodum non hodie tantum, sed etiam tempore *Petri* Archiepiscopi *Oldradi* appellabatur, ut constat etiam ex ejus ad *Carolum Magnum* Epistola, conscripta Dominicæ Incarnationis Anno Septingentesimo nonagesimo sexto; sic etiam ea similiter Sancti *Satyri* Cappella, de qua disseruimus Num. 19. quæ antea dicebatur SANCTI VICTORIS AD COELUM AUREUM, quid si fortasse hanc inde nomenclaturam postea obtinuit ex eo, quod antehac SANCTI VICTORIS CELLULA, vel CELLA, AUREA diceretur? Utcumque tamen ista se ha-

A buerint: certe Cellula illa *Papiæ* sita, quæ in Privilegio nominatur, illic erat, ubi nunc est Ecclesia & Monasterium Sancti *Petri* in Viridario, vel, ut *Italice* communiter nominant, *in Verzolo:* & ubi nunc Monachi *Cistercienses* inhabitant. Ejusdem vero Cellulæ mentio item alias, in aliis facta Privilegiis, aliquoties redibit. Ceterum per hanc occasionem obiter hic addam, Cellæ nomen pro Ecclesia olim etiam in usu fuisse apud *Lupum* Abbatem *Ferrariensem*, sive Cryptæ Ferratæ, dum Epistola undecima Cellam nominat Sancti *Judoci:* & apud *Leonem Hostiensem* in Historia *Casinatis* Monasterii, Libro primo, Cap. 19. memorantem Monasterii B ejusdem Cellas, Sanctorum Martyrum *Georgii* ac *Stephani* titulis insignes; quarum Cellarum meminit etiam *Baronius* ex iisdem illis Auctoribus ad Annum *Christi* Octingentesimum quadragesimum sextum.

CXXV. Memorandus offert se nobis Annus *Christi* Octingentesimus septuagesimus quintus. De quo loquens Carolus Sigonius, Libro Quinto *De Regno Italiæ*, sic inquit: *Postero Anno Ludovico, sævum morbum nactus, mense Augusto mortem Mediolani oppetiit. Extat adhuc vetus ejus in Æde Ambrosiana sepulchri Elogium.* Itaque *Sigonius Ludovicum* istum Imperatorem tam *Mediolani* mortuum fuisse, quam in Æde *Ambrosiana* sepultum, & Elogio (quod utique paulo post proferemus) celebratum existimat. A.C. 875.

C In hæc tria similiter etiam consentit *Bernardinus Corius* in Historia *Mediolanensi* ad Annum *Christi* Octingentesimum sexagesimum nonum: designatque præterea locum, in quo sepultus ille fuit, hoc est, apud Altare primarium, ad latus ad ejus dexterum, quod nos intelligentiæ facilioris gratia latus & cornu Epistolæ nominabimus: quinetiam Elogium ipsum verbatim recenset. Scribebat vero suam *Corius* Historiam ante Millesimum quingentesimum *Christi* Annum: quo tempore necdum fuerat è medio sublatus paries ille, de quo diximus Num. 20. nec Elogii tabula suo fuerat è loco amota. Hoc ipsum D Elogium sic etiam recitat *Baronius* ad Annum *Christi* Octingentesimum septuagesimum quintum in eo tamen a *Sigonio* & *Corio* diversus; quod Imperatorem istum asserit huc translatum; tamquam non *Mediolani*, sed alibi obiisset. Non illud quidem recitat integrum, sed certissime tamen innuit *Tristanus Chalcus* ad Annum Octingentesimum septuagesimum quartum. Hæsitabundus hæret tamen, an illud ipsum ad hunc potius Imperatorem *Ludovicum* Secundum, quam ad Primum, sive Pium, pertineat. Quamobrem ille ita scribit: *Cum ageretur Christi Annus Octingentesimus septuagesimus quartus, e vita Ludovicus excessit. Ac nescio, an in hujus potius, quam* E *superioris, memoriam compositum Epigramma fuerit: quo, & statim genito, ne prima dies Regno solioque vacaret, Hesperiæ sceptra Avum reliquisse & Saracenorum jugo liberatum fuisse Romam, dicitur. Prægrandi tabulæ marmoreæ inscripta carmina in Aede Ambrosiana leguntur.* Veruntamen & *Andreas Alciatus*, in Antiquario suo manuscripto, & *Erycus Puteanus* Historiæ *Insubricæ* Commentariis illustratæ Libro Quarto, illud recitantes integrum, nihil tale ambigunt. Reliquum igitur est, ut ne nos quidem in eo vel tantillum ambigamus: utque carmina tandem illa proferamus, sicut incisa quam optime recenter etiam dedita opera legimus in ea ipsa tabula, in eo- F dem adhuc latere consistenti, sed omni circum viduata ornamento, ac nonnisi clavis extrinsecus affixa parieti; ob eam utique causam, quam Numero illo 20. e diruto illic muro eruebamus. Ex hoc itaque, quod nos fidelissimum exhibemus, exemplari carmina ista licebit emendare, ubicumque aliter apud alios exarata cernantur. Nonnulla enim eorum verba perperam immutata fuerunt, & præsertim apud *Baronium*.



Hic cubat æterni Hluduvicus Cæsar honoris,
Aequiperet cujus nulla Thaliæ decus.
Nam, ne prima dies Regno solioque vacaret,
Hesperiæ genito sceptra reliquit Avus.
Quam sic pacifico sic forti pectore rexit,
Ut puerum brevitas viceret, acta senem.
Ingenium mirerne, fidem, cultusve sacrorum,
Ambigo virtutis, an pietatis opus.
Hinc ubi firma virum Mundo produxerat ætas,
Imperii nomen subdita Roma dedit:
Et Saracenorum crebras perpessa secures,
Libera tranquillam vexit, ut ante, togam.
Cæsar erat Cœlo, populus non Cæsare dignus.
Composuere brevi stamina Fata dies.
Nunc obitum luges infelix Roma Patronum,
Omne simul Latium, Gallia tota dehinc.
Parcite. Nam vivus meruit hæc præmia. Gaudet
Spiritus in Cœlis, corporis extat honos.

Tanti vero facit sepulchralem hanc Inscriptionem *Papirius Massonus* in suis *Francorum* Annalibus Lib. 2. in *Carolo Calvo*, ut illam producturus ita proloquatur: *Extat Mediolani vetus ejus* (Ludovici) *in Aede Ambrosiana sepulchri in marmorea tabula Elogium: quo res ejus gestæ melius & venustius, quàm ullis Annalibus, exprimuntur.* Sed & aliquanto post, alludens ad hunc ipsum locum, inquit: *Ludovicum Cæsarem, Lotharii filium, Mediolani fato functum supra demonstravimus.*

XXVI. *Mortuo Ludovico* (subdit Sigonius) *magna inde pro Imperii titulo Regnoque Italiæ asciscendo certamina concitata sunt. Etenim ad hanc diem ejusmodi decus a patre vivente maximo natu filio deferri*, ID QUE SUBSEQUENTE ARCHIEPISCOPI (Mediolanensis) AC PONTIFICIS (Romani) CONSECRATIONE CONSUEVERAT AFFIRMARI. *Sic Carolus Magnus Pipino & Ludovico, sic Ludovicus Lothario, sic demum Lotharius Ludovico indulserat. Ludouico vero sine ulla virili prole extincto, certatim Franci Italique ad ejus laudis cupiditatem ac studium exarserunt. In Francia patrui Ludovici, Carolus Calvus Franciæ & Ludovicus Germaniæ Reges, cum sine contentione Lotharingiam divisissent, certatim animum ad Italiam atque ad Imperium adjecerunt, haud dubia spe, ejus fore utrumque, qui prius armatus in Italiam descendisset, ac parta pontificia gratia solemnia ab illo insignia accepisset.* Pontifex ergo *Joannes* hujus nominis Octavus *Romam Calvum* accivit ad accipiendam Coronam: profectumque coronavit in solemnitate Nativitatis Dominicæ Anni ejusdem Octingentesimi septuagesimi quinti. *Hinc titulus Imperatoris Augusti* (verba sunt ejusdem Sigonii) *posthac sincerum Pontificis beneficium esse*, ANNIQUE IMPERII A CONSECRATIONE PONTIFICIA REPETI COEPTI. Qui profecto anni si antea computabantur etiam aliunde, quam e pontificia consecratione: quæ nonnisi, postquam *Mediolanensis* Archiepiscopus consecrasset, peragebatur; quid vetat, quominus hinc quoque nos ea confirmemus, quæ Num. 116. disserebamus?

A.C. 876. CXXVII. Sequitur Annus *Christi* Octingentesimus septuagesimus sextus. Intra quem *Carolus Sigonius*, ea prosequens, quæ ad Imperatoris *Caroli Calvi* Coronationem a *Mediolanensi* pariter Archiepiscopo peractam spectant, ita narrat, *Nonis inde Januarii Carolus Urbe* (Roma) *egressus, Papiam venit: atque ei Anspertus Urbis* (Mediolani) *Archiepiscopus Italici Regni Coronam, magno Episcoporum Pro-*

A *cerumque Conventu, ex vetere consuetudine detulit, inquiens: Nos Anspertus, cum omnibus Episcopis, Abbatibus, Comitibus, & reliquis, qui nobiscum convenerunt, Italici Regni Optimatibus, perpetuam optamus prosperitatem & pacem. Et quia divina pietas Vos per Joannem Summum Pontificem* (hæccine schismatici sunt Archiepiscopi verba?) *ad Augustale culmen evexit; Nos unanimiter Vos Protectorem Dominum & Defensorem omnium nostrum, & Italici Regni Regem eligimus: cui & toto cordis affectu subdi gaudemus: & omnia, quæ nobiscum ad utilitatem totius Sanctæ Dei Ecclesiæ, nostrorumque omnium salutem de-*
B *cernitis & sancitis, totis viribus, annuente Christo, concordi & prompto animo servare promittimus, Subscripsere Episcopi, ipse Anspertus Mediolanensis, Joannes Arretinus, Joannes Ticinensis, &c. Inde Anspertus juravit, se, quoad vita suppeditasset, opem atque obedientiam præstiturum. Contraque Calvus, se Anspertum pariter conservaturum, jurejurando interposito affirmavit.* Hæc utique per *Sigonium* deprompta ex Actis illius Synodi *Ticinensis*, cujus nos mentionem faciebamus Num. 110. mense Februari celebratæ.

Præstat autem Archivi nostri beneficio Privilegium & Diploma, priusquam magis absumatur, vel
C etiam penitus dissolvatur, in præsenti recensere: quo *Carolus Calvus* Imperator *Ansperto* se Præsuli nostro gratum eomet ipso Februarii mense ostendit. Sicut autem datum etiamnum discernitur Anno Regni ejus in *Francia* trigesimo sexto (cui Regno jam præerat ab Anno *Christi* Octingentesimo quadragesimo) sic etiam datum intelligitur primo ejus Imperii Anno, Indictione nona. Illud porro est hujusmodi:

CXXVIII. *IN Nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis.* KAROLUS, *ejusdem omnipotentis Dei gratiâ Imperator Augustus. Quanto amplius nostrorum Fidelium, maximeque sacrorum Pontificum votis Au-*
D *gustalis nostra largitas faverit, tanto amplius sibi devotiores efficit, & circa suum obsequium promptiores reddit. Idcirco universorum Mediolanensis Ecclesiæ, nostrorumque Fidelium, præsentium videlicet ac futurororum, comperiat unanimitas, eo quod nos devotissimum circa nostram Excellentiam Ansberti Reverentissimi Mediolanensis Archiepiscopi liquido perpendimus affectum, quasdam Casellas, ad Comitatum Papiensem pertinentes, quæ rejacent in finibus præfatæ Mediolanensis Urbis, in villulisque antiquo vocabulo Cavannacum, & Tuornacum..........terrasque ad easdem Casellas respicientes, quæ sunt per mensuram legitimam juges quinquaginta, eidem Venerando Pontifici, & in-*
E *timo fideli nostro augustaliter donamus, concedimus, atque in perpetuum per hanc nostræ munificentiæ paginam confirmamus; ut habeat atque possideat ex hoc nunc & deinceps tam supirataxatas Casellas, quamque & omnes terrulas, quæ ad ipsas pertinere noscuntur, quantæcunque in prænominatis villulis ex antedicto Comitatu Papiense fuerint inventæ; omni nostra nostrorumqne Successorum, vel quorumlibet partis puplicæ Exactorum, repelitione, deminoratione, aut quacumque injusta contra ipsum, vel cui eas ipse reliquerit, molestatione penitus remota. Præcipientes ergo jubemus, ut nullus Dux, Comes, Gastaldio, aut aliquis puplicus Actionator ullam prælibato Archiepiscopo pro antelatis Casellis, aut rebus ad ipsas pertinentibus, inquietudinem inferre*
F *præsumat. Quod qui temptasse convictus fuerit; tamquam Imperialis Præcepti temerarius contemptor duodecim libras auri obrizi componere cogatur eidem Reverendo Præsuli, vel cui ipse instituerit. Et ut hoc nostræ Celsitudinis donativum stabile atque inconvulsum perpetuis temporibus habeatur, & ab universis Successoribus nostris diligentius observetur.......... illud inscriptione insigniri, & annuli nostri signatum..........................*
Signum Domni Karoli.......... Gloriosissimi Imperatoris.

Au-

Audacher Notarius, ad vicem Gauzlini.
Datum quarto Kalendas Martii, Anno Trigesimo sexto .... Karolo Imperatore In.............. .... juxta Papiam, in Dei nomine fæliciter. Amen.

A.C. 877. CXXIX. Anno deinde *Christi* Octingentesimo
878. septuagesimo septimo *Carolus* idem *Calvus* Impera-
869. tor pridie Nonas Octobris moritur: eique mox in *Italiæ* Regnum succedit *Carolomannus Bavariæ* Rex; nec multo post *Ludovicuo Balbus* in Imperium; Imperator utique a *Joanne* Octavo Pontifice inunctus septimo Idus Septembris, Anno *Christi* Octingentesimo septuagesimo octavo. Perbrevis tamen *Ludovico* dominatus. Quippe Anno subsequenti, quarto Idus Aprilis, mortem oppetiit.

A.C. 880. CXXX. Proximo subinde Anno *Carolomannus* item Rex *Italiæ* septimo Nonas Aprilis occubuit. *Carolus* inde *Crassus*, *Ludovici Germaniæ* Regis filius, & in ejus Regno jam successor, a *Romano* Pontifice accitus, advolat in *Italiam*: *Italicique* Coronam Regni statim ab *Ansperto Mediolani* Archiepiscopo accipit. Imperialem vero etiam deinde ab ipsomet *Romano* Pontifice in *Christi* Natalitiis accepit: at non in proximis, ut *Sigonio* visum est, sed certe quidem in alteris, ut *Baronio Rhegionis* præser-
881. tim testimonium persuasit. Nos igitur huc etiam suppetias per hæc tria feremus Privilegia, quæ proxime sequentur, quæve in Archivo Monasterii archetypa extant. Hæc nempe citra dubium data ante Coronationem Imperialem, ac mense Martio, non Anni a Dominica Nativitate supra Octingentesimum octuagesimi, (quo videlicet mense necdum *Carolomannus* ipse occubuerat, ut *Sigonius* ultro fatetur) sed octuagesimi primi; tametsi mensis ille ad Annum ab Incarnatione Dominica octuagesimum, in iis Privilegiis computatum, pertineret. Ceterum ex iisdem Privilegiis duo sunt, quæ uno eodemque die Martii vigesimo data fuerunt. Ab eo nos incipiemus, quod minus est amplum, quodque cetero qui etiam suapte natura & ordine nobis anterius videtur.

IN Nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. KAROLUS, *divina favente clementia, Rex. Noverit igitur omnium Fidelium nostrorum, præsentium scilicet & futurorum, industria, quod Vutuardus Reverendus Episcopus, dilectus Consiliarius & Archicancellarius noster, suggessit humiliter Majestati nostræ* PRO QUODAM PETRO, VENERABILI ABBATE MONASTERII BEATISSIMI CONFESSORIS CHRISTI AMBROSII, UBI EJUS SANCTISSIMUM CORPUS REVETENTER HUMATUM EST, *non longe a Muro Urbis Mediolanii: postulans, ut eum pro nostræ mercedis incremento cum universis, qui cum eo degunt, Famulis Christi, cunctaque intrinsecus & extrinsecus Venerandi Cœnobii substantia, sub nostrum Mundburdum, & perennem immunitatis nostræ tuitionem suscipere dignaremur. Nos vero, tam nostræ mercedis amplificandæ gratia, quamque & pro supranominati gloriosi Pontificis Ambrosii intercessione promerenda, pie assensum dedimus rata & congrua suggerenti: suscipientes antelatum Abbatem Petrum, & omnes, qui ei commissi sunt, Servos Dei, cum universis ipsius sancti Loci possessionibus, quantascunque Deo auspice nunc habent, aut in posterum habituri sunt: cum Familiis, Commendaticiis, Libellariis, Cartulariis, atque Aldionibus utriusque sexus, sub regiminis Mundburdi tutelam, nostræque providentiæ immunitatem perpetuam confirmantes insuper* MONASTERIUM INFRA IPSAM URBEM CONSTITUTUM, QUOD NOMINATUR AURUNÆ (de hoc alibi postea nos agemus) *quod Engilberga olim Imperatrix devotissime obtulit in ipsum Monasterium pro remedio animæ divæ memoriæ Hludovici quondam Imperatoris Augusti, cum Familiis promiscui sexus & ætatis, & omnibus quæ ad eum pertinent rebus, tam mobilibus quam immobilibus, cum universis Curtibus & casis, massaritiis, aldionaritiis, & cunctis pertinentiis earum, in jure & potestate jamdicti Monasterii ad integrum præsentialiter taxamus & stabilimus; ut habeat ea atque possideat, fruaturque jujure quieto. Confirmamus etiam* CURTEM LEMONTAM *cum massariis, & adjacentiis, vel pertinentiis, ad eandem Curtem respicientibus; sicuti divæ memoriæ Hlotharius per suum Præceptum statuit eidem Monasterio ad habendam pro remedio animæ suæ, vel nostræ, & Regni stabilitate. Confirmamus etiam eidem Monasterii Sancti Ambrosii* CASALES DUOS, UNUM IN MELIANICO, ALIUM IN VILLA, QUÆ DICITUR CLEPIATE, *cum mancipiis ibidem pertinentibus, & omnibus adiacentiis suis, vel pertinentiis, ad eosdem Casales pertinentibus, pro remedio animæ nostræ, vel Genitoris nostri, & Regni stabilitate. Confirmamus etiam quicquid in ipsis supradictis Monasteriis, rebus, vel beneficiis, nostra, vel Prædecessorum nostrorum, munificentia atque Imperiali liberalitate promeruerunt, quinetiam Reverentissimorum ejusdem Urbis Pontificum concessione atque largitate adepti sunt, seu quorumlibet Christi fidelium oblatione, donatione, seu qualibet traditione, vel commutatione, ex nostra parte, vel Abbatiis, seu Comitatibus, comparando, commutando, seu pretium dando, acquisierunt, aut inantea Deo propitio acquisituri sunt; ut habeant ea Famuli Dei, qui nunc illic sunt, aut qui futuri sunt, possideant fruanturque jure quieto atque pacifico, pro nostri statu Regni Altissimum Dominum supplicantes. Super hæc præcipiendo præcipimus, & pro Dei summi, ac sæpe nominandi Beati Ambrosii Protectoris nostri reverentia modis omnibus interdicimus, ut nullus ex his, qui nostro Regno subjacent, aliquam supra taxato Venerando Cœnobio, vel ejus Rectoribus, violentiam, invasionem, in rebus vel familiis ad ipsum respicientibus, vel ullam diminorationem inferre præsumat, nullasque præstationes, vel redibitiones, seu quaslibet angarias, aut annuas exactiones, contra morem canonicum, sive regularem constitutionem, obponere illis, vel ab ipsis exigere audeat. Ubicumque autem, & undecumque necesse habuerint, tamquam de Dominicatis nostris, ita de rebus ipsius sacrati Loci, vel familiis, inquisitionem fieri volumus; ita duntaxat, ut ipsorum Commendatos, Libellarios, seu Cartularios, absque Abbatis ipsius Monasterii, aut Præpositi, conscientia contra leges pignerare, aut aliquid contrarium facere nullus præsumat. Confirmamus etiam semitam illam, pro qua supradictus Petrus Abbas a Venerabili Antistite Ansperto, seu Comite Alberico, seu cuncto Clero & populo, devotissime petiit; quia pro ipsa semita minime Monasterium ipsum munitum habere potuerat. Unde pariter considerantes congruitatem ipsius Monasterii, & Civitatis salvationem, & quod Monachi ibidem commorantes quieti manere non valebant, per ipsorum omnium consensum Petro Abbati a parte ipsius Monasterii infra claustra ipsius Monasterii claudere licentiam dederunt. Sed nec* IN CELLA EJUSDEM COENOBII, SITA PAPIÆ, *quemquam hospitium habere absque ipsorum Dei Servorum consensu permittimus. Si quis autem ex Præsulibus, Ducibus, Comitibus, Sculdassiis, Gastaldionibus, aut alicujus partis publicæ Officialibus, seu discurrentibus Missis nostris, hanc nostram Majestatis atque Regalis Excellentiæ Auctoritatem convictus fuerit violasse: duplam immunitatis nostræ pœnam, sexaginta libras argenti probatæ monetæ publicæ, jam dicto sacratissimo Loco componere compellatur. Et ut hæc nostræ Sublimitatis atque Regalis Præcepti Pagina inconvulsa retineatur, & pro futuris temporibus attentius observetur, nostræ manus inscriptione insignitam ex annulo nostro jussimus adsignari.*
Signum Domni Karoli Serenissimi Regis.

In-

Inquirinus, *Notarius*, *ad vicem Vutuvardi Archicancellari*, *recognovit & subscripsit*.

Data Duodecimo Kalendas Aprilis, *Anno Incarnationis Domini Octingentesimo octogesimo*, *Indictione decima tertia*: *Anno vero Regni Regis Karoli*, *in Francia quarto*, *in Italia primo*. *In Dei nomine feliciter. Amen.*

CXXXI. Sequitur nunc alterum ejusdem *Caroli Crassi* Regis Privilegium, sane quidem copia rerum, quæ ab ipso donantur, præ ceteris adhuc Privilegiis eximium & prædicandum. De ipso *Tristanus Chalcus*, a se inspecto, ita scribit in Annum *Christi* Octingentesimum octogesimum primum: *Anno deinde Octingentesimo octogesimo primo Carolus ex Germania in Italiam profectus*, *universos pene populos obsequentes habuit*: *& Papiæ agens*, *precibus & religione Petri Abbatis*, *Ambrosianum Mediolani Cœnobium mirifice locupletavit*: *nec domos solum & prædia*, *sed Oppida & jurisdictiones est largitus*, *Felicianum & Roborerum in Transpadanis*, *& Palatium Mediolani*, *duabus turribus insigne*, *& adhuc nomine Maximiliani celebre*. *Et hoc dixerim illud*, *ex quo regioni Urbis* AD PALATIUM *durat*: *quod Merula*, *vulgarem imperitiam secutus*, *Trajano adscripsit*. Georgius quippe Merula Libro primo *Antiquitatis Vicecomitum*, non procul ab initio, ita scriptum reliquerat: *Trajanus*, *non solum Urbem* (Mediolanum) *frequentavit*, *sed nobilissimum Palatium ædificavit in ea Urbis parte*, *quæ adhuc nomen* PALATII *servat*. Prosequitur Chalcus: *Diplomati quod archetypum vidimus*, *subscripsit Petrus Vicecomes*. *Et hæc prima mentio Vicecomitis*, *quod observaverim*. *Ac nescio*, *an tum officii dignitatisve appellatio foret*: *quæ postea crebrius frequentata in Gentis Mediolani clarissimæ cognomen transierit*. Subscripsit vero etiam *Guido* Episcopus *Papiensis*. Quamobrem par est, ut hunc quoque *Papienses* suis Episcoporum Tabulis inserant: quem hactenus omiserunt. Sed ab his, pene impatienter prælibatis, ad ipsummet Privilegium veniamus.

IN Nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. KAROLUS, *divina favente clementia*, *Rex*. *Noverit igitur omnium Fidelium nostrorum*, *præsentium scilicet & futurorum & industria*, *quia Reverendus Vutuvardus Episcopus*, *dilectus Consiliarius & Archicancellarius noster*, *suggessit humiliter Majestati nostræ* PRO QUODAM PETRO, VENERABILI ABBATE MONASTERII BEATISSIMI CONFESSORIS CHRISTI AMBROSII, UBI EJUS SACRATISSIMUM CORPUS REVERENTER HUMATUM EST, *non longe a Muro Urbis Mediolanii*: *postulans*, *ut eum pro nostræ mercedis incremento cum universis*, *qui cum eo degunt*, *Famulis Christi*, *cunctaque intrinsecus & extrinsecus Venerandi Cœnobii substantia*, *sub nostrum Mundburdum*, *& perennem immunitatis nostræ tuitionem suscipere dignaremur*. *Nos vero*, *tam nostræ mercedis amplificandæ gratia*, *quamque & pro supra nominati gloriosi Pontificis Ambrosii intercessione promerenda*, *pie assensum dedimus rata & congrua suggerenti*: *suscipientes antelatum Abbatem Petrum*, *& omnes*, *qui ei commissi sunt*, *Servos Dei*, *cum universis ipsius sancti Loci possessionibus*, *quantascumque Deo auspice nunc habent*, *aut in posterum habituri sunt*: *cum Familiis*, *cum Massaritiis*, *Libellariis*, *Cartulariis*, *atque Aldionibus utriusque sexus*, *sub regiminis Mundburdi tutelam*, *nostræque providentiæ immunitatem perpetuam*. *Confirmantes insuper* MONASTERIUM INFRA IPSAM URBEM CONSTITUTUM, QUOD NOMINATUR AURUNÆ: *& ipse Abbas dominetur eum cum omni honore*. *Concedimus*, *donamus*, *atque tradimus*. CURTES JURIS NOSTRI, *videlicet* CURTEM DE PASILIANO, *cum omnibus ad se pertinentibus*, *cum omni honore*, *cum districto*, *cum servis & ancillis*, *cum omnibus Ecclesiis inibi ædifica-*

A *tis*, *cum ingressibus & egressibus*, *cum pascuis*, *silvis*, *vineis*, *pratis*, *paludibus*, *rupis*, *rupinis*, *omniaque*, *sicut est determinatum*, *cum omni subjectione*: *&* CURTEM DE FILICIANO, *cum omnibus ad se pertinentibus*: *&* CURTEM DEMONTE, *cum Cappellis & Castellis ibidem constructis*, *cum servis & ancillis*, *& cum vineis*, *pratis*, *campis*, *silvis*, *aquis*, *aquarum decursibus*, *molendinis*, *piscationibus*, *ripis*, *paludibus*, *montibus*, *collibus*, *vallibus*, *planitiebus*, *omnibusque rebus ad præfatam Curtem pertinentibus*, *cum decimis & primitiis*, *cum omni honore & subjectione*, *cum omni districto*, *cum fotro* (sive *fodro*) *& intraturam Abbatis*, *omnia in integrum*. *Et donamus* VILLAM, QUÆ DICITUR

B SARMAZA, *sicut est terminata*, *cum omni honore & subjectione*, *omnia in integrum*. *Et similiter donamus* IN ALTAVILLA *sex mansos*, *cum omni honore*: *&* IN VIGNALE *similiter sex mansos*, *cum omni honore*. *Et similiter donamus* CURTEM, QUÆ DICITUR BERDEDO, *supra Ticinum*, *cum pascuis*, *silvis*, *molendinis*, *piscationibus*, *aquis*, *aquarum ductibus*, *omnia in integrum*. *Et donamus* IN PAPIA, UBI DICITUR AD MURUM, *domum juris nostri*; *ut Abbas supradicti Cœnobii habeat potestatem ædificandi inibi Ecclesiam*, *& possideat totam terram jacentem in illo circuitu*, *pertinentem ad supradictam domum*: *hortos*,

C *qui jacent extra murum*, *similiter possideat*. *Et concedimus* IN ROBORETO *tertiam partem illius loci*, *cum omni honore & subjectione*. *Confirmamus* CAPIATE, VILLAM CARCAOTINUM, MELLONIDUM, CREXIAGUM, *cum omni honore*, *cum omni districto*, *cum decimis & primitiis*, *cum Ecclesiis inibi fundatis*, *cum pratis*, *silvis*, *pascuis*, *piscationibus*, *paludibus*, *rupis*, *rupinis*, *aquis*, *aquarum conductibus*, *cum servis & ancillis*, *cum fotro*, *albergaria*, *intraturam Abbatis*. *Et donamus similiter Curtem unam*, *quæ vocatur* CAMPILIONUM: *& villam unam*, *quæ dicitur* VUIDINUM, CADULO, CANOBIO, *cum Ecclesia una inibi fundata*: *&* BIS-

D SONUM, *cum servis & ancillis*, *cum omni honore*. *Et* INTELAMO *similiter dono*, *cum servis & ancillis*, *cum omni honore*. *Et similiter de* OLEDUCTO, *cum omni honore*, *& districto*, *fotro*, *intratura Abbatis*, *albergariam*, *omnia in integrum*. *Et dono similiter* LIMONTEM, ET CIVENNAM, *cum omni honore*, *cum adiacentiis & pertinentiis suis*, *cum servis & ancillis*, *cum fotro*, *& albergaria*, *intratura Abbatis*, *omnia in integrum*. *Et dono similiter* GIGNANUM *cum omni honore*, *cum molendinis*, *piscationibus*, *aquis*, *aquarum ductibus*. *Et dono similiter in* CLAVECO *quatuor mansos*, *cum omni honore*, *fotro*, *albergaria*, *intratura Abbatis*, *pascuis*,

E *silvis*, *pratis*, *cultis*, *& incultis*, *omnia in integrum*. *Et dono similiter* IN BASELLO *quartam partem cum Ecclesia inibi fundata*, *cum adiacentiis & pertinentiis suis*, *cum pratis*, *pascuis*, *silvis*, *cultis*, *& incultis*, *piscationibus*, *omnia in integrum*, *fotro*, *albergaria*, *intratura Abbatis*. *Et similiter dono* IN COLONIA *omnia in integrum*, *cum omni districto*, *albergaria*, *cum pratis*, *pascuis*, *silvis*, *vineis*, *cultis*, *& incultis*. *Et dono similiter* IN BARAZA ECCLESIAM UNAM, QUÆ VOCATUR SANCTUS DAMIANUS, *cum omnibus suis pertinentiis & adiacentiis*, *cum decimis*, *primitiis*, *cum molendino uno*, *cum pratis*, *silvis*, *vineis*, *omnia in integrum cum omni ho-*

F *nore*. *Et dono similiter* CURTEM UNAM, QUÆ NOMINATUR ANTICIAGO, *cum omnibus suis adiacentiis & pertinentiis*, *cum omni districto*, *fotro*, *albergarias*, *& intraturam Abbatis*, *cum Ecclesiis inibi fundatis*, *cum omni honore*. *Et dono similiter* PALATIUM, QUOD DICITUR MAXIMIANI, *cum tota terra ex una parte jacente*, *cum duabus turribus*. *Et similiter dono quatuor mansos* IN CASTERNO, *cum duabus Ecclesiis inibi fundatis*. *Et dono si-*

mili-

militer in BALASEGLO quartam partem cum omnibus suis adpertinentiis, cum pratis, vineis, silvis, cultis, & incultis, omnia in integrum. Similiter dono & offero IN VITEALBA hoc, quod possideo, cum omni honore, & districto, fotro, albergarias & intraturam Abbatis. Et similiter offero CURTICELLAM UNAM, QUÆ NOMINATUR SANCTUS SYRUS A VEVRA, cum turri una ibi fundata, & molendina, & prata, cum omnibus & adjacentiis & pertinentiis suis, cum decimis & primitiis. Et similiter dono ECCLESIAM UNAM, QUÆ NOMINATUR SANCTUS PETRUS A SALA, cum omnibus suis juribus, cum decimis, & primitiis. Et dono similiter ECCLESIAM UNAM, QUÆ NOMINATUR SANCTUS MICHAEL, NON LONGE A PALATIO NOSTRO: & terram juxta ipsam Ecclesiam, AD ÆDIFICANDUM HOSPITALE, ad recipiendum pauperes. Et offero eidem Monasterio TOTAM CURTEM PALATII JUXTA SANCTUM AMBROSIUM. Et dono similiter mansos A LEXA cum omnibus suis adjacentiis & pertinentiis. Et dono similiter IN EPISCOPATU LAUDENSI ECCLESIAM UNAM SANCTI SALVATORIS, juxta Casale sex mansos habentem, cum omnibus adjacentiis & pertinentiis, cum pratis, silvis, molendinis, vineis, decimis, primitiis, cum omni honore. Et similiter dono ALIAM ECCLESIAM FUNDATAM JUXTA CODONIUM IN HONOREM SANCTI AMBROSII; cum omni honore, & sex mansos juxta se habentem. Et dono similiter VILLAM UNAM IN EPISCOPATU PAPIENSI, QUÆ NOMINATUR VILLA REGIA, cum Ecclesia una inibi fundata, cum omnibus adjacentiis & pertinentiis, cum silvis, pratis, pascuis, cum omni honore. Et similiter dono eidem Monasterio LOCUM, QUI DICITUR SPIGNUM, medietatem cum Ecclesiis inibi fundatis, cum omnibus adjacentiis & pertinentiis, cum omni honore, omnia in integrum. Et dono similiter MONASTERIUM UNUM NON LONGE A SUPRA NOMINATO SPIGNO, QUOD NOMINATUR SANCTUS QUINTINUS; ut sit in ordinatione & regimine Abbatis Sancti Ambrosii, cum omnibus suis juribus, adjacentiis & pertinentiis, cum omni ordinatione & tuitione, in omni tempore ad honorem Dei & Sancti Ambrosii; & non habeant licentiam ullo tempore excutiendi se desub potestate & regimine Abbatis Sancti Ambrosii. Et dono similiter IN FONTE CURONO quatuor mansos cum omni honore, & cum Ecclesia inibi fundata in honorem Sancti Petri, cum adjacentiis & pertinentiis suis, omnia in integrum. Et dono similiter in IN SUPRA NOMINATA PAPIA ECCLESIAM UNAM INIBI FUNDATAM IN HONOREM SANCTI SIXTI, nostri juris, cum casis & sediminibus juxta se manentibus, cum omnibus suis pertinentiis, omnia in integrum. Similiter dono CURTEM UNAM, QUÆ DICITUR DUBINI, cum Ecclesia una, cum servis & ancillis, cum omnibus montibus, collibus, alpibus, vallibus, planitiebus, pratis, silvis, pascuis, vineis, molendinis, piscationibus omnia in integrum, cum omni honore & subjectione, cum fotro, albergariis, intratura Abbatis. Similiter dono & offero eidem Monasterio Sancti Ambrosii supradicto in sumptu Monachorum, hoc est, ECCLESIAM SANCTI SEPULCHRI, cum omnibus suis juribus, adjacentiis & pertinentiis, cum sediminibus, pratis, silvis, pascuis, cultis, & incultis, rupibus, montibus, paludibus, piscationibus, cum servis & ancillis, cum omni honore. Similiter dono IN EPISCOPATU VERCELLENSI, IN QUINTO, sextam partem, cum silvis, pratis, pascuis, aquis, aquarum conductibus, cum omni honore. Et IN VILLA, QUÆ DICITUR HERBORUM, similiter cum omni

A honore. Et similiter dono IN EPISCOPATU TERDONENSI CASTRUM UNUM QUOD NOMINATUR ARQUADA, cum honore, cum servis, & ancillis, cum pratis, pascuis, silvis, vineis, aquis, aquarum conductibus, cultis, & incultis, cum omni honore. Similiter dono IN EPISCOPATU PLACENTIÆ VILLAM UNAM, QUÆ NOMINATUR CERESOLA, cum centum mansis de terra, cum omni honore, cum silvis, pratis, pascuis, cum Ecclesia una Sancti Ambrosii, cultis, & incultis, egressibus, & ingressibus, aquis, aquarum conductibus, omnia in integrum. Et similiter dono supra nominato
B Monasterio sex mansos IN LOCO OCCIMIANO, cum totidem sediminibus IN CASTRO ET IN VILLA, cum silva una, quæ dicitur LEVMANA, cum omni honore & subjectione, cum pratis, silvis, & pascuis, omnia in integrum. Et dono similiter IN CUMANA CURTE .... CUM ECCLESIA. Et insuper statuimus, ut in toto Italico Regno, si quis aliquid adjudicaverit, vel aliquo modo donaverit, vel Monasterium emerit; libere & absolute possideat; ita ut nullus scilicet Episcopus, Archiepiscopus, Dux, Marchio, vel Communitas, aliquam molestiam ei Monasterio inferat; sed solummodo sub nostrum Mundburdum custodia remaneat. Statuimus, regalique auctoritate sancimus, sicut supra diximus, ut nullus Ar-
C chiepiscopus, vel Abbas. vel Monachi .... ullo unquam tempore easdem Curtes supra nominatas, vel si post has aliquis in tempore dederit, non habeant potestatem tollendi, vendendi donandi, libellum faciendi, aut per alicujus scripturæ seriem à sumptu & stipendio Cœnobitarum alienandi; sed remota egestate, alimoniis quoque ex eisdem Curtibus manentibus, pro nostra ac Patris nostri anima Omnipotentis clementiam libere valeant exorare. Si quis igitur hoc Præceptum infringere, quod absit, temptaverit, nostræque dispositionis .... manere noluerit; conatus ejus apud Omnipotentem reus maneat;
D cogaturque componere auri obrici libras mille; atque à Sanctorum Martyrum Gervasii Protasiique & Confessoris Ambrosii Justorumque omnium consortio segregetur. Et insuper anathematis ultione perculsus in extremi Examinis die cum Juda traditore ejusque contribulibus participetur. Quod ut verius credatur, diligentiusque ab omnibus observetur, manibus propriis rob .... jussimus.

Signum Domni Karoli Serenissimi Regis.

Signum Domni Ansprandi Cancellarii, & Guidonis Episcopi, & Bosoni.

Ego Bosus Episcopus firmavi.

Ego Risus Cardinalis interfui, & firmavi.

E Ego Guido Episcopus Papiensis interfui, & firmavi.

Ego Gisulphus Guarmasiæ Episcopus firmavi.

Petrus Vicecomes firmavi.

Data duodecimo Kalendas Aprilis; Anno ab Incarnatione Domini Octingentesimo octogesimo, Indictione decimatertia: Anno vero Regni Regis Karoli, in Francia quarto, in Italia primo. In Dei nomine fæliciter. Amen. Actum Papiæ.

CXXXII. Plurima (quis enim neget?) hoc nominatim Privilegio nobis indicantur, quæ curiosius inquiri jam possent. Sed in præsenti tamen ad ea solummodo verba nonnihil illustranda nos obvertimus: Et dono similiter ECCLESIAM U-
F NAM, QUÆ NOMINATUR SANCTUS MICHAEL, NON LONGE A PALATIO NOSTRO: & terram juxta ipsam Ecclesiam, AD ÆDIFICANDUM HOSPITALE, ad recipiendum pauperes. Et offero eidem Monasterio TOTAM CURTEM PALATII JUXTA SANCTUM AMBROSIUM. Hæc utique; Sancti Michaëlis Ecclesia non alia est, quam ea, cujus mentionem Num. 101. tam honorificam fecimus, ut illic olim coronari solitos fuisse Reges Italiæ ostenderimus.

Eandem ceteroqui constans est traditio primis e fundamentis à Sancto *Ambrosio* constructam, & Archangelo *Michaëli* Sanctisque omnibus Angelis consecratam, nec non etiam frequentatam fuisse. Sic enim vidimus affirmatum in Libello quodam *Italico* De Indulgentiis, & Sanctorum Corporibus, in Ecclesiis *Mediolani* extantibus, hac ipsa typis edito in Urbe Anno Domini Millesimo quingentesimo decimoquinto: sic etiam in altero tum *Joannis Francisci a Basilica Petri*, tum etiam *Joannis Baptistæ Villæ*, De aliquot hujus Urbis Ecclesiis. E Monasterii hujus nostri concessione (de qua suo loco ac tempore agemus) Moniales illic hodie degunt *Cistercienses*: vulgoque *Monasterium & Ecclesia Sancti Michaelis* AD DORSUM (sicut interpretor, e situ loci paululum edito) nuncupatur. Hospitale autem illud, cui juxta eam Ecclesiam ædificando terra concedebatur, illud itidem sine dubio est, quod ibidem adhuc juxta eandem Ecclesiam Hospitale Sancti Ambrosii appellatur. Quod vero Palatium item Regis non longe ab eadem Ecclesia, itemque Curtes & Area, seu Platea, illius juxta Sanctum *Ambrosium*, *sive* juxta Basilicam istam *Ambrosianam*, esse dicebatur: hoc ego Palatium existimo illud fuisse, de quo *Gualuaneus Flamma* in Chronico Majori, Cap. 115. ac deinde Chronici *Flos florum* Auctor fol. 82. pag. 1. testantur: & hic quidem Auctor paulo uberius, quam ille, his verbis: *Interim Eugenius, Comes Palatinus, mortuo Valente Imperatore in lecto apud Viennam, dolo Abrogastis Imperium Mediolani usurpavit, & quendam Victorem sibi in Imperio associavit. Quod multum Beato Ambrosio displicuit. Unde Theodosium juniorem, Magni Theodosii filium, Imperatorem Constantinopolitanum, advocavit: cui Imperium Mediolani promisit. Theodosius cum forti exercitu Mediolanum properavit, & Eugenium usurpatorem Imperii prostravit. Tunc Beatus Ambrosius in Civitatem Mediolani revertitur. Cui Imperator concessit privilegium, quod, cum in Constantinopoli esset Sedes Imperii, de cætero nullus Imperator Civitatem Mediolani intraret, cum ea per Duces de cætero regeretur.* ET EXTRA CIVITATEM VETEREM JUXTA ECCLESIAM SANCTI AMBROSII ÆDIFICATUM FUIT PALATIUM PERMAXIMUM, UBI IMPERATORES HABITABANT TEMPORE CORONATIONIS SUÆ; *quia Civitatem Mediolani propter reverentiam privilegiorum intrare nolebant. Quod servatum fuit usque ad adventum Frederici Imperatoris, dicti Barbæ rubeæ, qui Civitatem Mediolani destruxit Anno Domini Millesimo centesimo sexagesimoquinto* (verius dixisset *sexagesimosecundo*) *licet & ipse in sua Coronatione servasset; sed post destructionem ipsius Civitatis illud privilegium abstulit.* Quod si hæc ita se habuerunt; satis nos quidem probare non possumus, quæ de Palatio Imperatoris prope Basilicam istam olim sito *Carolus a Basilica Petri* scribebat in Historia *Mediolanensi*, nimirum in Sancto *Cajo*, Archiepiscopo Tertio. Cum enim *Philippi Oldani* amplam domum, lateque patentes hortos, ei solo, ubi postmodum extructa fuit Basilica ista, circumjectos describeret; inter cetera sic etiam inquit: *Fama vero est etiam (quod loci sanctitatem magis commendat) aliorum Imperatorum temporibus, qui Christianos sunt persecuti, circa eundem locum Martyres solitos excruciari. Certe ibi fuit Palatium Imperatoris, quod postea Canonicis donatum esse scribitur, & in authenticis Monumentis habetur, quæ in Ecclesia Ambrosiana asservantur. Cujus Palatii vestigium adhuc extat, marmorea scilicet columna, quæ ad sinistram Ecclesiæ partem foris posita est.* Palatium igitur aliquod Imperatoris donatum fuisse Canonicis hujus Basilicæ: hoc utique nos nec affirmamus, nec

A negamus: fidesque sit penes authentica illa Documenta, quæ innuuntur. Certe quidem vetus illud Palatium, quod hic erat, negamus Imperatoribus illis deserviisse, qui *Christianos* fuerint hac in Urbe persecuti. Conditum siquidem, uti diximus, illud fuit a *Theodosio* Juniore, quo tempore Sanctus *Ambrosius* Ecclesiam *Mediolanensem* administrabat. Quod vero marmorea illa columna separatim erecta monstrabatur tamquam Palatii, quod illic antiquitus extaret, vestigium: ne id quidem a nobis admitti patiuntur ea, quæ Num. 102. commemoravimus: quemadmodum scilicet in Coronatione Imperatoris & *Italiæ* Regis ea columna usui esset. In

B hunc igitur potius usum eam illic ex industria collocatam opinamur. Daturne vero nobis, ut etiam dicamus, ubinam situm fuisse nobis videatur Palatium illud, quod in præcedenti Privilegio describebatur ita, ut Ecclesia Sancti *Michaelis* non longe ab ipso abesset, utque ipsius Curtes juxta Basilicam esset *Ambrosianam*? Nobis profecto illud non alibi situm fuisse videtur, quam ubi vetus & turris & adhærens domus, e firmis ac bene latis constructa parietibus, adhuc conspicitur inter Ecclesiam Sancti *Michaelis* & Hospitale Sancti *Ambrosii*: quibus ferme intersita ex æquo est domus illa & turris. Sed enim hoc præterea monemus, tam turrim eam, quam quicquid

C domuum illi olim nexum erat, in potestate postea, non Canonicorum, sed Monasterii hujus extitisse. Quocirca, si quod Regium Imperatoriumve Palatium, prope Basilicam istam situm, Canonicis re vera donatum aliquando fuit; hoc utique interim diversum existimamus ab eo, quod in superiori *Caroli* Regis Privilegio & in duobus illis Chronicis describebatur.

CXXXIII. In primori ex hisce duobus Privilegiis *Carolus* Rex Monasterio huic *Ambrosiano* confirmaverat CASALES DUOS, UNUM IN MELIANICO, ALIUM IN VILLA, QUÆ DICITUR CLEPIATE, &c. Post paucos inde dies rogatus,

D ut alia quædam bona ibidem consistentia idem Monasterio in subsidium Monachorum largiretur; ecce tibi, quale Privilegium trigesima mensis ejusdem Martii die in hoc ipsum concesserit:

IN Nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. KAROLUS, *divina favente clementia, Rex. Noverit omnium Fidelium nostrorum, tam præsentium quam & futurorum, industria, quod Vutavardus Reverendus Episcopus, dilectus Consiliarius & Archicancellarius noster, suggessit humiliter Majestati nostræ quatinus divini cultus amore concederemus jure proprietario, ad subsidium Monachorum, in Monasterio Beati Ambrosii, ubi Petrus Venerabilis Abbas præest, degentium, Kasas, & res illas omnes*

E *in integrum* IN MELIANICO, ET VILLA CLEPIATE, *quæ pertinent de Comitatu Mediolanensi. Cujus suggestione aurem mansuetudinis inclinantes, pro divæ memoriæ Genitoris nostri, nostrique æterna remuneratione concedimus, ac perenniter confirmamus præfato Sancti Ambrosii Cœnobio, & Monachis ibidem Deo famulantibus, prænominatas Kasas & res* IN MELIANICO, ET VILLA CLEPIATE, *cum mancipiis scilicet ibidem commanentibus, vel inde pertinentibus: & quicquid ad partem Comitatus Mediolanensis in ipsis duobus locis & fundis pertinere videtur, cum omni integritate sua. Ita sane, ut a modo prælatas res idem Monasterium absque alicujus vexatione sub immunitatis*

F *vinculo* .... *Et ut hæc nostræ Sublimitatis atque regalis Præcepti pagina inconvulsa retineatur, & pro futuris temporibus attentius observetur, nostræ manus inscriptione insignitam ex annulo nostro jussimus adsignari.*

Signum Karoli Serenissimi Regis.

Gaidulfus Diaconus, ad vicem Ernusti Cancellarii recognovi, & subscripsi.

Data tertio Kalendas Aprilis, Anno Incarnationis Domi-

Domini Nostri Jesu Christi Octingentesimo octogesimo, Indictione decima tertia: Anno vero Serenissimi Regis Karoli, Regni in Francia quarto, & in Italia primo.

CXXXIV. Quando nobis jam mentio de *Ansperti* Archiepiscopi obitu & Epitaphio facienda occurrit; libenter hic etiam præmittemus, quæ *Tristanus Chalcus* ad octogesimum secundum supra Octingentesimum *Christi* Annum hisce verbis recenset: A.C. 882. *Proximo Anno Anspertus, Archiepiscopus Mediolanensis, vir magnificus, cum Ecclesiæ præfuisset tresdecim annos & dimidium, fato fungitur. Laus ei marmorea Tabula scripta manet; quod dirutæ Urbis mœnia restituerit; Stiliconis domum (durabat adhuc illud nomen) restauraverit; Templa refecerit; & propriis opibus collatis Ambrosiano Cœnobio octo Monachorum in perpetuum alimenta constituerit.* Talia *Chalcus.* In quorum confirmationem operæ pretium erit ipsosmet Tabulæ illius versus in medium attulisse. Parieti autem illa clavis item affixa est in altero primarii Altaris latere, ad cornu Euangelii. Unde, Præsulem istum illic adhuc sepultum jacere, nos quidem argumentamur.

Aω B ☧ M̄ ✠

Hic jacet Anspertus, nostræ clarissimus Urbis
Antistes vita, voce, pudore, fide:
Aequi sectator, turbæ prælargus egenæ:
Effector voti, propositique tenax
Mœnia sollicitus commissæ reddidit Urbi
Diruta: restituit de Stilicone domum.
Quot sacras Ædes, quanto sudore refecit?
Atria vicinas struxit & ante fores.
Tum Sancto Satyro Templumque domumque dicavit.
Dans sua sacrato prædia cuncta Loco;
Ut Monachos pascant æternis octo diebus
Ambrosium pro se qui Satyrumque rogent.
Obiit Anno Incarnationis Domini Octingentesimo octogesimo secundo, septimo Idus Decembris, Indictione decima quinta. Rexit Episcopatum suum annis tredecim, mensibus quinque, diebus duodecim.
Præsulis Andreas præfati captus amore,
Hoc Levita sibi condecoravit opus.

Igitur *Ansperti* Epitaphium, ejusque similiter auctorem ita prodidimus. Nunc obscura quædam, quæ ipso fuerunt indicata, pro virili parte illustremus.

CXXXV. Ante omnia singularem *Ansperti* erga pauperes liberalitatem illud maxime commendat, quod in Libro, *Successores Sancti Barnabæ*, his conceptum verbis affirmatur: *Hic Archiepiscopus Anspertus in teterrima peste, quæ suo tempore omnem Italiam, populumque Mediolanensem præcipue invaserat, pestilenti lue tabescentes perpetuo studio visitasse, eisque Sacramenta omnia ministrasse fertur: idque ipsum officium ejus exemplo & jussu Parochi etiam accurate præstitisse dicuntur. Ille omni Europa, Italia, & Urbe Ditioneque Mediolanensi præsertim, pestilentiæ morbo vexata atque afflicta, cum ea ipsa officia præstitisset, tum cibum etiam ac victum tabe languentibus manu sua ministrasse commemoratur.* Certe autem, *Ansperto* Archiepiscopatum istum administrante, magnam in *Italia* fuisse caritatem annonæ, pestisque luem, satis constat e *Tristano* item *Chalco* sub Annum Octingentesimum septuagesimum quartum. Sic itaque sit explicatum quod *Anspertus* in Epitaphio dicebatur TURBÆ PRÆLARGUS EGENÆ.

CXXXVI. Sequitur autem: MOENIA SOLLICITUS COMMISSÆ REDDIDIT URBI, DIRUTA. Et hinc colligendum ego quidem arbitror, quemadmodum *Anspertus* Archiepiscopus non modo Ecclesiasticam sed etiam secularem potestatem in Urbem istam exerceret; ut propterea pro regiminis sui ratione mœnia ejus, olim diruta, restituerit; mœnium scilicet ac murorum etiam Dominus. Hinc etiam ego pariter eo facilius in id consentio, quod eodem Libro, Successores Sancti Barnabæ, in *Petro Oldrado*, Archiepiscopo Quinquagesimo, his præcise verbis asseritur: *Hic Archiepiscopus a Carolo Magno in tanto honore & reverentia habitus est, ut ei & Archiepiscopis successoribus Urbis Mediolani dominium & jurisdictionem concesserit temporalem. Quæ Privilegia & Concessiones usque ad Othonem Vicecomitem durarunt.* Sed & in Privilegio etiam, quod ibidem postea recitatur, ab eodem *Carolo Magno* eidem *Petro* Archiepiscopo ipsiusque Successoribus concessum, isthæc in primis habentur: *Ei concedimus, & Successoribus ejus legitime intrantibus, quidquid ad nostram jurisdictionem pertinere in Urbe Mediolani videtur: terras scilicet, atque omnem districtum, domos publicas,* MURUMQUE IPSIUS URBIS, *cum fisco & teloneo integro, & cum omni jure civili, intus, & foris in circuitu usque ad fines: Cortes etiam ipsius Civitatis,* AC CIVITATEM PROPRIAM, *&c.*

CXXXVII. Age vero: illud item investigemus, quidnam sit, RESTITUIT DE STILICONE DOMUM. *Gaudentius Merula* Libro primo *De Gallorum Cisalpinorum antiquitate ac origine*, *Andreas Alciatus* in Antiquario, & ex ipso *Bonaventura Castillioneus* in Libro *Gallorum Insubrum antiquæ sedes* inscripto, itemque *Fontana* in Annotationibus ad eum Archiepiscoporum nostrorum Catalogum, quem nobis *Aloysius ab Ecclesia* commodavit: hi omnes unanimiter existimant, quinetiam ex hoc Epitaphio confirmant, eam *Stiliconis* domum *Castillioneæ* fuisse Gentis, eandemque sic e *Stillicone* appellatam, quemadmodum & egregium illud Ditionis *Mediolanensis* Oppidum, quod postea communiter appellatum fuit hodieque *Castillionum* appellatur. Idem *Alciatus* (verba sunt Bonaventuræ ab Alciato eadem mutuati) *Castillionum putat olim Castrum Stiliconis extitisse: a quo & Familia* (nempe Castillionea) *per longa temporum intervalla originem traxerit. Cujus quidem Familiæ domum, quæ ab Attila multos ante annos cum Urbe ipsa Mediolani direpta & solo æquata, reparavit Anspertus Mediolanensis Antistes. Hanc rem satis ostendit marmorea Tabula, ad sinistram oranti ad Altare Majus in Templo Divi Ambrosii in Urbe. In qua carmine Musis (ut inquit ille) & Apolline nullo, & Stiliconis & domus memoria legitur. Stilico* autem ille tempore Sancti *Ambrosii* sub *Theodosio* claruit Imperatore: qui eum tanti fecit, ut & *Serenam*, ex *Honorio* fratre neptem, suamque adoptione filiam, in matrimonium illi collocarit; & illum novissime *Honorio* filio curatorem ac rerum arbitrum constituerit. De quo quidem *Stilicone* pluribus item agit *Tristanus Chalcus*, Historiæ *Patriæ* Libro 3.

CXXXVIII. QUOT SACRAS ÆDES, QUANTO SUDORE REFECIT? Epitaphii subdit Auctor. Et id quidem clarissimum est. ATRIA VICINAS STRUXIT ET ANTE FORES. At cuinam vicinas? Huic utique *Ansperti* Epitaphio ac Sepulchro. Quis enim neget? En igitur, ut *Anspertus* ante Basilicæ istius *Ambrosianæ* fores & januas ea struxerit atria, easque amplas & altas porticus, quibus omniquaque in hanc usque diem cingitur AREA, sive CORTINA, iisdem foribus præjacens: quasve magno sumptu reficiendas atque repoliendas studiosissime curavit (ut suo tempore narrabimus) eximium illud *Ambrosiani* Nominis Columen, piissimus & amantissimus ille Basilicæ istius Cultor, *Fredericus* Cardinalis & Archiepiscopus *Borromæus*, non multo ante, quam moreretur. De quo pariter quis nostrum ignorat, quam vere in elogium cam-

cani possit: QUOT SACRAS ÆDES, QUANTO SUDORE REFECIT? Sequitur Epitaphium: TUM SANCTO SATYRO TEMPLUMQUE DOMUMQUE DICAVIT. Atqui non soli *Satyro* eadem dicavit. *Tristanus* proinde *Chalcus* in autographo Codice, quem *Ambrosiana* Biliotheca gratissimum conservat, ad Annum *Christi* Octingentesimum septuagesimum nonum (quem arbitratur *Carolomanni* Regis *Italiæ* secundum) ex ipsomet *Ansperti* Archiepiscopi Testamento tunc condito, & a se inspecto, istud quoque observavit: IDEM DOMUM IN URBE DIVIS SATYRO, AMBROSIO FRATRI (non autem AMBROSII FRATRI, quemadmodum in editione typographica perperam legitur) ET SYLVESTRO DICAVIT. *Nostra ætas collapsam restituit, pulchrioremque longe & laxiorem fecit.* Ceterum *Anspertus* illud ipsum Templum ac Domum, & octo Monachos, illic (ut præceperat, ipsumque testatur Epitaphium) divina ministeria in perpetuum peracturos, regimini subjecit Abbatis hujus *Ambrosiani*; perinde ac si unicum inde corpus conflatum voluisset, quod ab unico propterea Capite regi etiam oporteret. Quod vero idem *Chalcus* e prædicto *Ansperti* Testamento pariter animadvertit verum ejus cognomen *de Blassono*: idipsum nos item confirmamus ex altero ipsius Instrumento, quo varia sui bona variis personis assignavit. Rogatum vero illud legitur tempore *Karoli* Regis (nempe *Crassi*) filii quondam *Hludovici* Regis (hoc est, *Germaniæ*) Anno Regni ejus in *Italia* primo, die undecimo mensis Novembris, Indictione tertia decima.

CXXXIX. *Anspertus* igitur, sicut e probatissimo illius Tabulæ indicio certissime jam constat, obiit Anno Dominicæ Incarnationis Octingentesimo octogesimo secundo, die septima Decembris, Indictione decima quinta. Sic itaque necesse est, ut eadem isthæc Indictio, Septembri scilicet proxime transacto inchoata, de more protenderetur ad proximum postea Septembrem: quo pariter mense decimamquintam Indictionem protinus ordine renovato prima exciperet. *Ansperto* autem successit *Anselmus*, de
A C. 883. Monasterio isto benemeritus, & in hac Basilica sepultus. De quo vide, quid in Libro, *Successores Sancti Barnabæ*, scriptum legatur: atque vel hinc, quam procul ab eo fuerit schismate, cujus commentum supra exagitavimus, dignosce. *Anselmus* (illic legitur) *hujus nominis Secundus, Capra, Civis, intuitu Caroli Imperatoris a Joanne Octavo Pontifice, cum e Galliis Romam rediret, in Urbe Mediolani summa populi lætitia Archiepiscopus creatus est.*

CXL. Verumtamen *Baronius* ad Annum *Christi* Octingentesimum octogesimum secundum, & qui cum eo senserint de tempore, quo *Joannes* hic Pontifex obierit, facile nobis adversabuntur. *Joannes* (inquient) Pontifex absque dubio iter illud hoc Anno in *Gallias* destinaverat: *Supponemque* propterea Comitem monuerat Epistola 307. ut illuc properanti quantocyus ad *Cinisem* occurreret Montem, quinetiam ut *Anspertum* quoque hoc idem rogaret. *Quapropter* (scribebat Pontifex) *vestræ Dilectioni fidentissimæ, & probatæ Fidei mandamus, ut Nobis cum officio decentiæ vestræ ad Montem Cinisem obvii quantocyus veniatis; ut pariter convenienter, quæ ad utilitatem congruunt, Domino permittente, tractare valeamus. Simulque hoc precamini Dilectam Filiam nostram Angelbergam Imperatricem* ATQUE ANSPERTUM ARCHIEPISCOPUM MEDIOLANENSEM, *Wbbodumque Parmensem Episcopum, aliosque fideles atque amicos.* Et hæc quidem data denique notatur Epistola *quinto Calendas Septembris, Indictione decima quinta.* Verumenimvero, ne Pontifex iter illud in *Gallias* arriperet (inquit *Baronius*) mors intercessit. In fine siquidem Anni hujus, decimo

A octavo Calendas Januarii (hoc est octavo post *Ansperti* obitum die) in Urbe scilicet *Roma* occubuit. Ita nimirum nos differimus adhuc ex *Baronii* sententia. Qui tamen jam ante inter prima hujus Anni gesta recensuerat Epistolam illam (est autem numero 299. & Augusto mense data) qua idem Pontifex *Anselmo Mediolanensi* Archiepiscopo (quasi vero e *Baronii* sententia hic *Ansperto* adhuc vivente fuerit *Mediolani* Archiepiscopus, nec in illius defuncti locum successerit) facinus etiam illud significavit, quo sceleratus quidam homo pluribus aliis manus amputaverat. In hoc igitur excusandus humaniter est *Baronius*, tam multis intentus: sed & Carolus Sigonius,
B *De Regno Italiæ*, ad eundem Annum *Christi* Octingentesimum octogesimum secundum. Ejus verba, tacito tamen *Anselmi* Archiepiscopi nostri nomine, sunt hujusmodi: *Mense Augusto inter cetera detrimenta homo quidam Vidonis Marchionis* (Spoletani) *octingentatres* (legendum est *octogintatres*) *homines e Ditione Pontificia cepit, ac manus eis apud Narniam amputavit: quorum plerique interierunt. Cujus rei dolore ardens Pontifex,* REM AD MEDIOLANENSEM ANTISTITEM DETULIT: *atque, transacto Misere Sacerdotio, post decimum octavum Kalendas Januarias vita cessit.* Talia *Sigonius*. Quem si forte interrogemus, quisnam fuerit Antistes ille *Mediolanensis*, ad quem Pontifex hac de re scripsit; *Anspertum*, & non *Anselmum*, fuisse dicet; atque uni
C errori alterum cumulabit. *Anspertum* siquidem Anno *Christi* Octingentesimo octogesimo septimo postea scribit obiisse: quem deinde *Anselmus* exceperit. Nos igitur & a *Sigonio* & a *Baronio* libere non minus, quam constanter, hac in re dissentimus.

CXLI. Cum enim *Anspertus* Archiepiscopus hunc item Annum *Christi* Octingentesimum octogesimum secundum vixerit usque ad septimam diem Decembris: cum præterea illi postmodum successerit *Anselmus*, ad quem postea idemmet Pontifex *Joannes* Epistolam illam mense Augusto conscripsit; certe sequitur, ut Pontifex non obierit eomet illius Anni Decembre, quo Archiepiscopus obiit *Anspertus*; sed ad posterioris usque Anni, scilicet Octin-
D gentesimi octogesimi tertii, Decembrem supervixerit. Quoniam vero iter quoque in *Franciam* festinare tunc parabat, cum *Anspertus* adhuc viveret, proptereaque per *Supponem* rogaretur (& hoc sub exitum mensis Augusti) ut una cum ipso aliisque sibi obviam procederet; inde sic etiam concludimus, mortem Pontifici neutiquam obstitisse, quominus iter illud in *Franciam* perageret, atque *Mediolani* postea in reditu *Anselmum* crearet Archiepiscopum; quemadmodum nos paulo ante narrabamus.

CXLII. Sed placeat insuper, a nobis inquiri paulo adhuc curiosius, quonam præcise die illum Pontifex Archiepiscopum creaverit. Ecce vero, quid in eo Archiepiscoporum Catalogo, per Archipres-
E byterum Ecclesiæ Metropolitanæ nobis commodato, ac tempus *Ansperti* Archiepiscopi tam veraciter prosecuto, tradatur. *Anselmus Secundus* (hoc nempe traditur) *Mediolanensis Archiepiscopus Quinquagesimus octavus, Anno Domini Octingentesimo octogesimo secundo* (hunc videtur ab Incarnatione Dominica computasse, ut mox differemus) *sedit annis quatuordecim, mensibus sex, diebus vigintiduobus.* Ac denique: *Obiit autem prædictus Anselmus die quarto ante Calendas Octobris, Anno Domini Octingentesimo nonagesimo septimo.* JACET AD SANCTUM AMBROSIUM, ANTE ALTARE SANCTÆ MARCELLINÆ; nam istud quoque per occasio-
F nem huc præmature adjicimus. Nonne autem, universo ejusmodi tempore, quo *Anselmus* Ecclesiam rexit *Mediolanensem*, calculis ab extremo ad initium revocato, consequitur, ut post *Ansperti* obitum nonnisi sexta Martii mensis die creatus ille Archiepiscopus

piscopus fuerit? Si ergo Annos *Christi* computemus ab ejus Incarnatione, hoc est, a vigesima quinta Martii die, sicut etiam in *Ansperti* Epitaphio nuper videbamus computatos; tum *Anselmus* nobis dicetur creatus Anno *Christi* Octingentesimo octogesimo secundo; quippe qui Annus nonnisi vigesima quinta concluditur die mensis ejus Martii, cujus die sexta nobis traditur ac supponitur creatus. Sin autem juxta ritum & usum Ecclesiæ *Romanæ* computemus ab ejusdem *Christi* Nativitate, sive a Calendis Januarii; tum vero creatus absque dubio dicetur Anno *Christi* Octingentesimo octogesimo tertio; quippecum hic ipse Annus a Calendis Januarii proxime præteriti jam fuerit incœptus. Alterutrinque vero Annos *Christi* computemus; utrinque profecto pariter & ex æquo consequitur, ut *Joannes* Pontifex Octavus, quinta decima illa Decembris die defunctus, Octingentesimo octogesimo tertio Anno *Christi*, occubuerit. Sed satis hactenus de *Anselmi* hujus promotione ad Archiepiscopalem hanc Sedem.

CXLIII. Nunc illud etiam juverit expressisse, quod Augusto mense *Joannes* Pontifex ad eundem Archiepiscopum *Anselmum* rescripsit Epistola illa 299. *Mediolanensis* igitur Ecclesiæ Privilegia, rogatus ab ipso, confirmat. Hortatur, ut in Ecclesiam *Romanam* sit fidelis. *Inter hæc Dilectionem tuæ Fraternitatis hortamur* (verba sunt Pontificis) *Sanctæ Matris vestræ, Romanæ Ecclesiæ, quæ pro vobis omnibus, vestraque salute, utpote Caput pro suis membris, laborare non cessat, toto annixu mentis, omnique devotione fideles existere omnimodis satagatis; quoniam in ejus exaltatione atque incolumitate (sicut ab initio) erit omnium vestrum apud Deum & præsens sæculum certa salvatio.* Sed narrat etiam *Sarracenorum* & iniquorum *Christianorum* injurias, & hanc singillatim, quam supra ex *Baronio & Sigonio* innuimus: *Inter innumeras rapinas, deprædationes & mala quamplurima, ad augmentum doloris nostri, quidam sceleratus, Longobardus nomine, homo Widenis Marchionis, octogintatres homines cepit manibus singulis detruncatis apud Narniensem Civitatem: plures ex tali sunt incisione sine mora perempti.* Anselmum denique rogat, ut pro Ecclesia Dominum suppliciter exoret. Quod si forte schismaticus fuisset *Anselmus*; itane Pontificem rogasset, ut sibi *Mediolanensis* Ecclesiæ Privilegia confirmaret? itane vero etiam Pontifex erga ipsum se gessisset? O commentum & calumniam nefandam!

A.C. 883.

CXLIV. Oborta fuerat altercatio inter *Petrum* *Ambrosiani* hujus Cœnobii Abbatem ab una parte, ab altera vero inter incolas *Civennæ*, *Cauronici*, *Salvaniaci*, & *Madronini*, eorumque vicinos & consortes, eidem una omnes Curti *Limontæ* subjectos: eaque fuerat oborta super annuo censu, quem de personis rebusque suis Monasterio persolvere deberent. Ipsi namque hoc nominatim debiti negabant esse sui, ut ex Olivetis illic extantibus olivas colligerent ac premerent, oleumque proveniens ad Monasterium deferrent. Contra vero Abbas hoc sibi vendicabat: idemque similiter contendebat ab ipsis, seu ab ipsorum Majoribus, olim factitatum erga *Hlotharium* Imperatorem; ad cujus propterea Curtem, quæ Deus dedit vocabatur, oleum illud advexissent, priusquam Monasterio ille traderet *Limontam*, eaque loca ipsi subjecta. Quæstione igitur hujusmodi delata in judicium coram *Ariprando* Diacono, & Vicedomino Sanctæ hujus *Mediolanensis* Ecclesiæ cum inspecta fuissent Imperatoris ejusdem *Hlotharii*, ac deinde *Caroli Crassi* Regis, hoc jam tempore Imperatoris, Privilegia, Monasterio in idipsum concessa: cumque testes etiam super facto & usu interrogati, asseveranter affirmassent, rei veritatem ita prorsus se habere, quemadmodum Abbas contendebat; *Ariprandus* in favorem Monasterii Sententiam pronunciavit; hoc est; *Ut, sicut parentes eorum antiquis temporibus fecerunt, ita facere deberent a modo in antea; olivas ex ipsis Olivetis colligere, premere, & oleum evehere deberent ad ipsum Monasterium.* Sic autem authenticum Sententiæ hujus exemplar in hæc denique desinit verba: *Et finita est causa: & hanc notavi pro securitate ipsius Monasterii ego Aupaldus Notarius, scripsi, & interfui. Anno Domni Karoli Imperatoris secundo, bonæ memoriæ Domni Hludovici Regis* (hoc est Germaniæ) *filii, pridie Kalendarum Decembrium, Indictione prima.* Quod si primam istam Indictionem computare liceat ex ea decima quinta, quæ in superiori Epitaphio nominabatur; Annus hic erit *Christi* Octingentesimus octogesimus tertius; cujus Septembri mense jam inchoata foret Indictio illa prima. Sed aliter ea profecto computanda est; itaut Annus ille nonnisi sit octogesimus secundus, idemque *Carolo Crasso* sit etiam secundus Imperii Annus; ut paulo magis mox constabit. Sequuntur vero etiam subscriptiones hujusmodi: *Ariprandus, Diaconus & Vicedominus Sanctæ Mediolanensis Ecclesiæ, ut supra, interfui. Leo, Judex Domni Imperatoris, interfui. Achinaldus Judex interfui. Adalgisus de Roveniasco interfui. Hilderaldus Notarius interfui. Bonus interfui.*

CVL. Nonnullos Sacerdotes Num. 119. c *Thadonis* Archiepiscopi Diplomate observavimus in *Ambrosiana* ista Basilica collocatos a *Petro* Abbate, ut Missarum ibidem solemnia celebrarent: atque ab eodem Archiepiscopo susceptos intra Concivium suorum Sacerdotum congregationem atque consortium. Ejus igitur ordinis Sacerdotes Anno jam *Christi* Octingentesimo octogesimo septimo nobis occurrunt numero septem, atque proprio muneris & honoris cognomento insigniti. Nobis utique præsto est Instrumentum Commutationis, quo illi bona quædam sua, in Loco & fundo *Cremellina* prope fluvium *Abduam* jacentia, commutarunt cum aliis quibusdam in Vico & fundo Octavo bonis, quæ cujusdam erant *Arnulfi de Vico Blassono.* Quod quidem Instrumentum, ad ipsam Basilicam Sancti *Ambrosii* actum, & a *Teuderulfo* Notario scriptum & post tradita completum & datum, sic incipit: *In Christi nomine* KARULUS, *divina ordinante providentia, Imperator Augustus, Anno Imperii ejus septimo, mense Julio, Indictione quinta. Commutatio bonæ fidei noscitur esse contractus, ut ad vicem emptionis obtineat firmitatem. Ideoque dederunt Leo, Ingefredus, Rachifredus, Ceuspertus, Paulus, Arifredus, atque Agibertus,* PRESBYTERI CUSTODES ET OFFICIALES ECCLESIÆ BEATI CHRISTI CONFESSORIS ET EPISCOPI AMBROSII, UBI EJUS SANCTUM QUIESCIT CORPUS HUMATUM, *fundatæ foris Muro Civitatis Mediolani, incommutationis nomine &c.* Hinc igitur ejusmodi Sacerdotes jam videmus proprium sortitos cognomentum, & in unum veluti corpus redactos, necnon etiam in commune bonis aliquibus potientes. Septimus hic autem Imperii Annus, cujus Indictio mense Julio esset quinta, sine dubio erat *Christi* Octingentesimus octuagesimus septimus.

A.C. 887.

CXLVI. Eodem Anno *Christi* Octingentesimo octuagesimo septimo *Carolus Sigonius Arnulfi* promotionem ad Regnum, atque Imperatoris *Caroli Crassi* obitum sic enarrat: *Crassus Novembri mense Triburias in festum diem Sancti Martini Conventum Transalpinis Proceribus habuit, atque ad eos de Republica retulit. Ea occasione oblata Germani, Italicorum exemplo adducti, eum accusarunt, quod, sive ætatis (erat enim adolescens) sive naturæ vitio, tantis tractandis rebus parum consilii ac nervorum haberet. Et communi consensu Regnum ei abrogarunt, & Arnulfum Carolomani filium suffecerunt: qui extemplo Regnum occepit. Qua ex re Crassus tantum animo mœrorem contraxit, ut mox pridie Idus Januarii migrarit e vita.* Sic itaque *Carolus* hic Imperator, ineunte Anno *Christi*

Christi Octingentesimo octuagesimo octavo interiit, & improlis. Quamquam vero tam *Sigonius* eo loci, quam *Baronius* ad Octingentesimum istum & octogesimum octavum *Christi* Annum, existiment *Arnulfum* tunc temporis creatum fuisse solius *Germaniæ*, non autem *Franciæ*, Regem; nos tamen ipsum postea in suo ipsius archetypo Diplomate videbimus ex illomet etiam tempore Regem *Franciæ* inscriptum. Quod quidem, quomodo pro rei veritate se habeat, alii discutiant.

A.C. 893. CXLVII. Transitum jam nobis nunc ad Annum *Christi* Octingentesimum nonagesimum tertium facientibus archetypum sese Diploma offert Archiepiscopi *Mediolanensis Anselmi*, *Ambrosiano* huic Monasterio in hanc sententiam concessum:

IN Nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. ANSELMUS *superno juvamine Sanctæ Mediolanensis Ecclesiæ Archiepiscopus:* MONASTERIO ALMIFICI ET BEATISSIMI AMBROSII, NUTRITORIS ET PROTECTORIS NOSTRI, *simul etiam & Petro, Venerabili Abbati ipsius Cœnobii, & Successoribus ejus in perpetuum. Quantum quidem Famulorum Christi utilitatibus clementer consulere pastorali cura compellimur, siquidem & Venerabilitas tua hoc a nobis fiducialiter postulando atque impetrando speraverat, ut aliquantam terram, tuo Monasterio contiguam, ex Corte item Sancti Ambrosii dominicata ibidem rejacente, tibi commisso Cœnobio largiri & concedere dignaremur, opportunæ petitioni tuæ pias aures accommodare providimus. Idcirco omnibus sanctæ Dei Ecclesiæ nostrisque Fidelibus cognitum fieri volumus, Nos*, OB AMOREM ET DEBITAM REVERENTIAM SUPRADICTI BEATI AMBROSII, GLORIOSISSIMI INTERCESSORIS NOSTRI, *jam dictam terram per hoc nostræ munificentiæ Præceptum, una per consensum nostrorum Sacerdotum, tibi quoque Monasterio ex hoc nunc & in posterum contulisse, & modis omnibus confirmasse. Est autem mensura ipsius terræ secundum hujus temporis Geometras, perticas jugiales septem, & tabulas sedecim. Situs vero loci ab Oriente & Meridie suprataxato cohæret Monasterio, habens ab Occidente viam regiam, & a Septentrione murum & porticum, quibus sacratum munitum est atrium. Eandem igitur terram per supradesignatam mensuram & cohærentiam prælibato Sancti Ambrosii Monasterio, Deique Servorum inibi degentium opportunitatibus habendam & possidendam a presenti undecimo Pontificatus nostri Anno, seu etiam Domni nostri Imperatoris Vuidonis Anno secundo, hac nostra Auctoritate in perpetuum decernimus, & omnimodis stabilimus, omni nostra nostrorumque Successorum repetitione vel refragatione penitus remota. Insuper etiam confirmamus atque concedimus per hujus nostri Præcepti Auctoritatem præfato Monasterio omnes res, cunctasque possessiones, & Cortes, Domnorum Regum, seu aliorum quorumlibet Fidelium, liberalitate ibidem collatas. Quarum vocabula sunt,* CLEPIATE, LEMUNTA, PASILLANUM, MONTEM, ANTICIAGO, ODEODUCTUM, CAMPILIONEM, *& cætera loca, quæ nunc idem Cœnobium possidet, vel aliquando, Deo propitio, aquirere valebit. Ita videlicet, ut nulli Successorum nostrorum, vel alicujus ordinis magnæ parvæque personæ, liceat aliquando, absque voluntate seu concessione Abbatis, aliquam violentiam, vel exactionem, pastum, sive albergariam, in eodem Cœnobio, seu in ejus Cortibus & locis, requirere, neque Aldiones ejus seu Colonos aliqua occasione vexare. Concedimus quoque Monachis, ut, cum Abbas ipsius Monasterii ab hac luce fuerit subtractus, habeant licentiam ex ipsa Congregatione, qui eos regere queat regulariter, eligendi Abbatem: cum quo simul libere & quiete Deo servientes*, ANTE SÆPENOMINANDA ALMI PATRIS NOSTRI AMBROSII, PRETIOSORUMQUE MARTYRUM PROTASII ATQUE GERVASII PIGNORA SACRATISSIMA *Laudes ac Missarum solempnia sedulo concelebrent, nullius interjecto impedimento. Quod ut certius clarescat, Audoaldum, nostræ Ecclesiæ Notarium, hanc nostri Præcepti formulam scribere jussimus, manuque propria subter confirmavimus, feliciter. Amen. Actum est hoc Anno ab Incarnatione Domini nostri Jesu Christi Octingentesimo nonagesimo tertio. Indictione Undecima.*

Anselmus, Archiepiscopus, subscripsi.
Petrus, Archipresbyter, subscripsi.
Adelprandus, Presbyter, subscripsi.
Aredeus, Presbyter, subscripsi.
Ego Lanfrancus, indignus Presbyter, subscripsi.
Ego Romaldus, Presbyter, subscripsi.
Garibaldus, Presbyter, subscripsi.
Ego Gregorius, Presbyter, subscripsi.
Petribertus, Presbyter, subscripsi.
Celsus, Presbyter, subscripsi.
Ego Amaldus, Presbyter, subscripsi.
Andreas, humilis Diaconus & Scriniarius, subscripsi.
Udelbertus, Diaconus, subscripsi.

CIIL. Quam vere autem congruenterque Annus hic *Christi* Octingentesimus nonagesimus tertius, quo datum fuit hoc Diploma, undecimus vocetur annus, ex quo Pontificatum istum *Mediolanensem Anselmus* administrabat: hoc satis jam liquet e Numeris 139. & 140. & hinc rursum error ille convincitur *Sigonii*, *Anspertum* narrantis mortuum Anno *Christi* Octingentesimo octogesimo septimo, & *Anselmum* ipsi postea substitutum. Quomodo autem sic etiam ille idem *Annus* Christi asseratur secundus *Vuidonis* Imperatoris Annus: consuli potest idemmet Sigonius Libro Sexto *De Regno Italiæ*. Mortuo siquidem *Carolo Crasso*, *Berengarius* Dux *Forojuliensis*, cujus ditioni *Verona* itidem suberat, illico Regnum *Italiæ* occupavit: atque, *Papiam* agmine pacato ingressus, Coronam sumpsit ab *Anselmo Mediolani* Antistite, necnon etiam vetere instituto Sedem ibi regiam collocavit. Verumtamen non multo post *Vuido* Dux *Spoletanus*, cum se frustratum spe Regni *Franciæ* potiundi jam videret; animum & ipse viresque omnes ad Regnum *Italiæ* sibi usurpandum convertit: nec irrito conatu. Quippe sub ejusdem illius Anni exitum, Pontifice Romanisque enixe faventibus, Rex adversus *Berengarium* salutatus a suis fuit: cumque *Berengarium* præterea ipsum, duplici prælio victum, ex *Italia* fugasset; universa potitus *Lombardia*, demum Anno *Christi* Octingentesimo nonagesimo primo, *Romæ* nono Kalendas Martii a *Stephano* Pontifice consecratus etiam fuit Imperator. Sic itaque Anno *Christi* Octingentesimo nonagesimo tertio secundum ille agebat Imperii sui annum. Non destitit propterea tamen *Berengarius* ab inceptis: quinimmo semel & iterum Regis *Arnulfi* fultus auxilio, & jam *Veronæ* ab ipso constitus, se denuo tamquam *Italiæ* Regem gerebat. *Extant enim* (teste Sigonio) *Diplomata hoc Anno, nempe Octingentesimo nonagesimo tertio, quinto Idus Novembris, Veronæ ab illo data, anno Regni illius sexto.* Arnulfus A.C. 894. enimvero ad ulteriora progressus, novo ineunte Anno, *Bergomum* primo sibi per vim subegit, ejusque Comitem, nomine *Ambrosium*, ante Portam Urbis in exemplum aliorum suspendio strangulari jussit. *Quo terrore* (sequitur Sigonius) *adacti Mediolanenses, Papienses, & Placentini, confestim ei se præmissis nunciis tradiderunt. Harum rerum secundo successu lætus, Othone, Othonis Magni avo, ad recipiendum Mediolanum misso, ipse Papiam perrexit: ac, Berengario restituto, Vuidonem, cum Filio atque Uxore Spoletum versus fugientem, insequi cœpit. Placentiam inde progressus, haud ultra sibi tendendum existimavit. Verum transgressus Alpes, exercitum adversus veterem hostem, Rodulfum, Burgundiæ Regem, adduxit. Qua re cognita, Vuido, collecto animo, fugam continuit, & con-*

converso impetu ipsum insequi cœpit. Verum ad Tarum, Agri Placentini amnem, cum pervenisset, vomitu sanguinis repentino oppressus interiit. Berengarius autem, cum eodem fere tempore perfectionem Arnulfi ac mortem Vuidonis audisset; subito Verona Papiam se cum exercitu retulit, ac Regiam rursus obtinuit. Hactenus ex Sigonio. Quæ quidem a nobis commemorari oportebant, ut Italicum tam Vuidonis Imperium in superiori Diplomate jam indicatum, quam Berengarii & Arnulfi Regnum, cujus mentio etiam proxime fiet, eo facilius & commodius inter hæc Monumenta dignosceretur.

CIL. Arnulfus igitur cum exercitu venerat in Italiam hoc obtentu, ut Berengario patrocinaretur, eique Regnum istud, à Vuidone postea invasum, recuperaret. Atqui, postquam Bergomo, Mediolano, Papia, & Placentia potitus ille fuerat, sibimetipsi hoc idem Italiæ Regnum vendicavit. Nimirum abunde hoc constabit etiam e subsequenti Privilegio, quod Arnulfus, in Urbe Placentia consistens, huic Monasterio indulsit undecima mensis Martii die.

In Nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. ARNOLFUS, *divina favente clementia, Rex. Si circa Dei famulos nostræ largitatis munificentiam impendimus; devotiores illos pro nobis in Divinis reddimus; ac per hoc supernum auxilium nostro Regno propitiari non diffidimus. Ideoque omnium Sanctæ Dei Ecclesiæ nostrorumque Fidelium, præsentium scilicet ac futurorum, nosse volumus industriam, eo quod Hattho, Sanctæ Mogontiensis Ecclesiæ Venerabilis Archiepiscopus, nostræ humiliter suggessit mansuetudini pro quodam Ven. Abbate, qui nominatur Petrus,* MONASTERI BEATISSIMI CONFESSORIS CHRISTI AMBROSII, UBI EJUS SACRUM CORPUS VENERABILITER HUMATUM EST, *non longe a muro Urbis Mediolanii: quatinus ei pro nostræ mercedis incremento Præcepta & Auctoritates Piissimorum Augustorum & Prædecessorum nostrorum, id est, divæ memoriæ Magni Caroli, necnon & Gloriosi Hlotharii, & filii ejus Lodouvici, nostræ immunitatis ac liberalitatis munimine stabilire & confirmare, & insuper ex nostra parte aliquid eidem Loco concedere dignaremur. Nos vero* PRO DIVINI CULTUS AMORE, SANCTIQUE AMBROSII PROMERENDA INTERCESSIONE, *decrevimus ita fieri: confirmantes Dignitatis nostræ auctoritate Monasterio præfati Abbatis, quicquid prænominati Reges, seu Reginæ, vel cæteri Deum timentes, ipsi Monasterio per Præcepta & Testamenta contulerunt, & sub auctoritate roborarunt, & quicquid a Pontificibus ipsius Civitatibus collatum est. Quicquid etiam per quaslibet commutationes ex parte Reipublicæ, sive cum Pontificibus, Comitibus, Abbatibus, vel qualicumque contractu ingenii, ad prædictum Monasterium juste pertinere videtur, stabile & inconvulsum nostris futurisque temporibus in Abbatis ejusdem Monasterii perenniter maneat potestate. Et ut nullus Comes, vel Judex publicus, seu quælibet persona, in jam dicto Monasterio, seu in Cellis ipsius Monasterii, aut in locis, vel in agris, seu reliquis possessionibus, quæ ad ipsum Monasterium ex donatione Regum & Reginarum, vel reliquorum Deum timentium, pervenerunt, & quicquid idem Monasterium ad præsens habere dignoscitur, vel quæ deinceps in jus ipsius Monasterii divina pietas voluerit addere, vel amplificare: nullus, sicut diximus, superioris aut inferioris ordinis Reipublicæ procurator, vel quælibet persona ad causas audiendas, vel freda exigenda, aut mansiones, vel paratas faciendas, parafredos aut fidejussores tollendos, vel homines tam ingenuos libellarios, quamque servos, super terra ipsius Monasterii commanentes, ullo modo distringendos, nec ullas publicas factiones, aut redibitiones, vel inlicitas occasiones, aut illas quas arbustaritias vocant, ex rebus jamdicti Monasterii requirendas consurgere audeat, vel exigere*

A *præsumat. Sed liceat Abbati suisque Successoribus res prædicti Monasterii, cum omnibus sibi subjectis, & rebus vel hominibus ad se pertinentibus, sub immunitatis nostræ defensione, remota totius judiciariæ potestatis molestia, quieto ordine possidere, atque pro incolumitate nostra, seu totius Regni a Deo nobis collati, una cum Fratribus sibi subditis immensam Dei misericordiam jugiter exorare. Insuper etiam confirmamus, nostræque Magnitudinis auctoritate stabilimus ad prælibatum sacrosanctum Locum, in usus Fratrum divinum Officium ibidem persolventium, quandam Curtem nostram, ad Comitatum Mediolanensem pertinentem, quæ dicitur* PALATIOLO, *quæ sita est juxta Villam Meloenno*
B *nuncupatam, omnibus mobilibus & immobilibus, mansis & colonis vel colonabus, seu utriusque sexus familiis, ad prænominatum locum aspicientibus, seu rite pertinentibus, in perpetuam Parentum nostrorum, seu etiam nostram commemorationem; ut idem Abbas suique Successores, sed & illuc Dei Famuli divino amore congregati, exinde jure fruantur quieto, atque possideant, pro statu Regni nostri, seu & pro animabus Parentum nostrorum, Altissimum Deum jugiter implorantes. Concedimus quoque & confirmamus suprataxato Abbati & Successoribus ejus omnem integritatem ipsius Monasterii usque ad murum ejusdem Mediolanensis Civitatis, sicut modo parietibus circumdata esse videtur; ut nullus Co-*
C *mes, vel quælibet persona publica, ambulandi ingressum exigere præsumat. Cellulæ etiam crebro dicti Monasterii, intra Papiensem Urbem locatæ, concedimus murum ejusdem Civitatis, quantum ejusdem Cellulæ vel terra ipsius cohærere videtur; ut sæpedictus Abbas & Successores sui potestatem habeant superædificandi quicquid voluerint, omni publico penitus timore remoto. Præcipiendo quoque præcipimus, ut nulla majoris vel minoris ordinis persona, absque consensu & voluntate ipsius Abbatis, ad manendum, vel parum per ibidem commorandum, introire præsumat. Si quis autem (quod non credimus) contra hanc nostræ Munificentiæ Paginam agere, vel eam infringere præsumpserit; tamquam temerarius*
D *nostri Præcepti contemptor duo millia mansosos auri obrizi componere cogatur, medietatem Cameræ nostræ, & medietatem prælibato Abbati, vel Successoribus suis, cui violentiam intulerit. Et ut hoc nostræ Sublimitatis Regale Præceptum inconvulse retineatur, & futuris temporibus attentius observetur, manus propriæ subscriptione insignitum ac roboratum Annulo nostro subtus sigillari jussimus.*

Signum Domni Arnolfi......................... Piissimi & Invictissimi Regis.

Engil-Pero Notarius, ad vicem Deot-Mari Archicappellani, recognovi, & scripsi.

Data quinto Iduum Martii die, Anno Domini Octin-
E *gentesimo nonagesimo quarto, Indictione duodecima, Anno septimo Regni Domni Arnolfi Serenissimi Regis in Francia, & in Italia primo.*

Actum Placentiæ, in Dei nomine fæliciter. Amen.

CL. Si Berengarius, Veronæ nuper ab Arnulfo constitutus, Italiæ se Regem, ut paulo ante diximus, inscribebat; quanto magis hoc potuit post Arnulfi ex Italia profectionem, ac Vuidonis mortem? cum se protinus ab Urbe Verona in Urbem Papiam cum exercitu intulisset, cumque vel etiam Mediolanum jam obtineret. Ad Basilicam vero istam tunc ille habitavit: hic etiam Sacerdotibus illis & Basilicæ hujus Officialibus, quos paulo ante nominabamus, regiæ munificentiæ testimonium, Diploma
F concessit illud, quod nobis nullatenus est hoc loco prætermittendum. Absit enim, ut minus, quam par est ingenue cum Sacerdotibus illis agamus, utque fraudemus unquam ipsos Archivi nostri Monumentis, quibus eorumdem opes & apud Principes viros gratiam posteritati, ad majorem Basilicæ hujus splendorem, commendare poterimus. Berengariani ergo ejus Diplomatis exemplar, apud nos asservatum, ita se habet: IN

IN Nomine Domini nostri, Jesu Christi, Dei æterni. BERENGARIUS, *gratia Dei Rex. Si circa Dei famulos nostræ Concessionis benignitatem impendimus; devotiores illos pro nobis ad divinum implorandum auxilium reddimus; ac per hoc supernam pietatem nostro Regno proficere non diffidimus. Ideoque omnium Sanctæ Dei Ecclesiæ nostrorumque Fidelium, præsentium ac futurorum, nosse volumus cognitionem, Hermenulfum, nostræ militiæ Comitem, nostræ suggessisse Sublimitati* PRO QUIBUSDAM PRESBYTERIS, ATQUE OFFICIALIBUS SANCTI AMBROSII, UBI EJUS CORPUS VENERABILITER TUMULATUM EST, *quatenus eis, vel eorum Successoribus, ob nostræ mercedis cumulum, concessa nostræ largitatis benevolentia, mansum illud, quod est* IN CORNALEDE, *pertinens ex Comitatu Frazionensi, cum finibus & subjacentiis suis, ex integro, omni aliorum impeditione postposita, ad habendum debiti causa concedamus officii. Quod Nos, ratum & congruum omnimodis arbitrantes, ejus petitioni concessum præbuimus. Si quis ergo contra hoc Regale Præceptum temerario ausu aliquid contrarium suæ præsumptione stultitiæ facere (quod absit) temptaverit; a Nobis statuto dampnetur judicio; scilicet mansosos auri duo milia cogatur persolvere; medietatem Regiæ Cameræ, & medietatem ipsis Presbyteris, quibus ausus fuit impedire nequissimus. Et ut hoc nostræ Celsitudinis inviolabile Præceptum firmum & inconvulsum habeatur in posterum, propriæ manus subscriptione innotatum, atque, ut mos est, roboratum Annulo nostro subtus jussimus sigillari.*

Signum Berengarii .... *Gloriosissimi Regis. Restaldus Notarius, jussione Regia, ad vicem Adelardi Episcopi & Archicancellarii, recognovi.*

Data quarto Nonas Decembris, Anno Incarnationis Domini Octingentesimo nonagesimoquarto; Anno vero Regni Domni Berengarii Gloriosissimi Regis Septimo, Indictione tertia decima.

Actum Mediolani, ad Sanctum Ambrosium, in Dei nomine fæliciter. Amen, Amen, Amen.

CLI. Anno *Christi* Octingentesimo nonagesimo septimo *Anselmus* Archiepiscopus quarto Calendas
A.C. Octobris moritur, uti jam diximus Num. 142. ei-
897. que succedit *Landulfus*. De quo Catalogus ille idem, quem ibi producebamus, quemve libentius
898. etiam in hoc sequimur, sic habet: *Landulfus de Grassis, Mediolanensis Archiepiscopus Quinquagesimus nonus, Anno Domini Octingentesimo nonagesimo octavo. Sedit annis tribus. Per Benedictum Quartum, Papam Centesimum vigesimum quartum confirmatur: qui sedit annis tribus, mensibus duobus, diebus sex.* Certe tamen *Landulfus* dicendus videtur confirmatus a *Stephano* potius Papa Septimo; quippe qui, creatus Anno *Christi* Octingentesimo nonagesimo septimo, quatuor inde annos supervixit. Porro sequitur de *Landulfo* idem ille Catalogus: ejusque ingressum in Urbem (ac recta quidem via, sicut ex eo interpretamur, quia per hæc tempora sic erat in more positum, ad Basilicam istam *Ambrosianam*) hisce verbis describit: *Hic per Portam Comanam pontificaliter indutus intravit, sedens super equo albo magni valoris, equester & pedester comitatus honorifice, ut moris est.*
900. Et infra denique: *Obiit autem Landulfus prædictus Anno Domini Nongentesimo, quarto Nonas Novembris Indictione tertia.* JACET AD SANCTUM AMBROSIUM SUPER (in altero Codice legitur ANTE) ALTARE SANCTÆ MARCELLINÆ, CUI CONTULIT TERRAM IN LIEONI.

CLII. Sed enim paucis ante diebus, quam *Landulfus* moreretur, mortuus item fuerat, & ad hanc pariter Basilicam sepultus Abbas ille *Petrus*, cujus creationem jam supra commemoravimus Num. 113. Ubi vetus olim porticus illa Monasterii erat, quam Num. 19. descripsimus, consitum parieti visitur adhuc ejus Epitaphium: infra quod alioqui scimus pavimento loci contectum latere satis amplum e marmore sepulchrum; in quo proinde conditus ille credi possit; maxime vero cum Epitaphium nunquam e primo suo loco amotum videatur. Tabulæ vero marmoreæ illud est in hæc verba inscriptum:

 S -P- M 

Hic sibi constructa tumulatur Petrus in Urna,
Quem Monachis patrem munus herile dedit.
Fratribus hic requies, cibus & solamen egenis;
Alter hic, ut patuit, nam Benedictus erat.
Templa, domos, vites, oleas, pomeria struxit:
Auxit thesauros, conduplicavit agros.
Quem merita Fratres sortiri præmia vitæ
Implorent precibus. Annue Trina Salus.

Obiit vero Anno Incarnationis Domini Nongentesimo, pridie Idus Octubris, Indictione tertia. In regimine autem præfuit annos quadraginta & unum, mensem unum, dies quindecim.

Quantus itaque qualisve fuerit hic Abbas, quamque Monasterio proficuus, vel ipsum profecto Epitaphium fidem nobis indubitatam facere posset. Sed si cuiquam fortasse hoc non sufficit; recolat ille animo, quot quantaque Privilegia intra ipsius regimen, ipsoque satagente, concessa Monasterio nos ipsi hactenus in medium protulerimus.

CLIII. Eodem Anno *Christi* Nongentesimo novum invenimus Archiepiscopum *Landulfo* sublectum, & a *Romano* Pontifice confirmatum. Itaque Catalogus ille, sæpius jam nobis & laudatus & comprobatus, ita nos edocet: *Andreas de Lampugnano, Mediolanensis Archiepiscopus Sexagesimus, Anno Domini Nongentesimo. Sedit annis sex. Per Leonem Quintum Papam Centesimum vigesimum quintum confirmatur.* Et infra: *Obiit Andreas prædictus Anno Domini Nongentesimo sexto, pridie Calendas Martii.* JACET AD SANCTUM AMBROSIUM. Eadem vero leguntur etiam in Catalogo *Aloysii* ab Ecclesia, & in altero Actis Ecclesiæ *Mediolanensis* inserto; nisi quod ab his duobus variat ille tertius in assignando tempore, quo *Andreas* in Archiepiscopatum successerit, & e vivis excesserit. Sed profecto propter ejusmodi varietatem, veritati (quemadmodum arbitramur) magis consentaneam, magis etiam nobis ille placet. Quod tamen attinet ad hujus Archiepiscopi cognomentum, *Lampugnanus*ne fuerit, an *Carcanus*: legi potest *Tristanus Chalcus* post Annum *Christi* Nongentesimum primum.

CLIV. Inter Archivi porro nostri Documenta mox Anno *Christi* Nongentesimo primo Abbatem A.C.
Monasterii, proindeque *Petro* substitutum, nanci- 901.
scimur *Aupaldum*.

CLV. Unus idemque Annus *Christi* Nongentesimus sextus excipit & *Andream* morientem, & *Acho-* A.C.
nem, sive, ut alii nuncupant, *Atthonem*, vel *Atho-* 906.
nem, in Archiepiscopatum illi succedentem. Quove teste primum illud paulo ante deprehendimus: eodem nimirum Catalogo illo, secundum quoque istud comprobemus. *Acho Mediolanensis* (in eo sic legitur) *Archiepiscopus Sexagesimus primus, Anno Domini Nongentesimo sexto. Sedit annis duodecim, mensibus sex.* Et paulo post, quod obiter sit adjectum: *Isto tempore nullus, nisi qui super Italiam imperaret, Imperator reputabatur. Ideo Corradus, Ludovici filius, Alemanorum Rex, inter Imperatores non nominatur.*

CLVI. Nongentesimo decimo *Christi* Anno Mo- 910.
nasterium istud Abbatem habet *Regibertum*, at un- 911.
decimo *Sigefredum*, decimo autem quinto *Vuidonem*. 915.
Sic enim e variis Archivi hujus Documentis deprehenditur. Nullus horum tamen ulla nobis re memorabilis occurrit.

CLVII. *Achonis* Archiepiscopi obitum, ac sepul-

pulturæ locum Catalogus ille subinde sic enarrat: A.C. 918. *Obiit Acho prædictus Anno Domini Nongentesimo decimo octavo, septimo Idus Septembris.* JACET AD SANCTUM AMBROSIUM. Et ipsum quidem hic jacere, similiter affirmant, Catalogus alter *Aloysii ab Ecclesia*, Chronicon *Flos florum* fol. 117. pag. 2. *Beroldus* Custos & Cicendelarius Basilicæ Metropolitanæ in suo Archiepiscoporum Catalogo, *Donatus Bossius* in Chronico *Mediolanensi* ad Annum *Christi* Nongentesimum undecimum, & in suo rursus Archiepiscoporum Catalogo. Contra tamen ab aliis hoc negatur. *Romæ* scilicet ipsum asserunt mortuum, & in Monte *Aventino*, in Ecclesia Sanctorum *Bonifacii* & *Alexii*, sepultum. Catalogus, *Successores Sancti Barnabæ* inscriptus, hæc habet: *Attho Oldradus, Civis, comes itineris Sergii Tertii Pontificis, dum ad Lotharium Gallorum Regem proficiscitur, magna Mediolanensium Civium multitudine est comitatus. Deinde eumdem Pontificem e Gallia usque Romam secutus, & iteneris distractione defessus, & senio confectus, Romæ magno Pontificis & Civium Mediolanensium dolore moritur. Cujus corpus in Monte Aventino, in Ecclesia Sanctorum Bonifacii & Alexii, sepelitur, cum Ecclesiæ Mediolanensi præfuisset annos tredecim. In horto Ecclesiæ hæc carmina, vetustate exesa, vix leguntur.*

Discat qui nescit, quod Episcopus hic requiescit
Attho Oldradus, multa pietate. . . . . . .
Sergium qui Papam . . . .
Per mare, per terras sequitur, per . . . . .

In eadem sententia sic etiam est Catalogus, Actis Ecclesiæ *Mediolanensis* insertus: præterea vero etiam *Joannes Franciscus Besutius* in Historia Pontificali *Mediolani*, conscripta Italice: necnon etiam *Claudius Robertus* in Secunda Parte Appendicis ad suam *Galliam Christianam*. Quid si forte autem *Attho* mortuus quidem *Romæ* fuerat, & in ea primum Ecclesia sepultus; sed postmodum inde a suis Concivibus *Mediolanum* translatus, in hac Basilica conquiescit? Sic enim ambæ istæ opiniones ad concordiam revocari possent. Quamquam etiam nobis credibilia videri non possunt quæ de ipsius obitu narrabantur; quasi vero ille obierit eo itinere defessus, & *Sergio* Tertio Pontifice adhuc superstite. *Sergius* namque obiit Anno *Christi* Nongentesimo decimo, sicut e *Baronio* ad hunc Annum constat; Archiepiscopus autem *Attho* nonnisi octavo inde anno, ac propterea Nongentesimo decimo octavo; quemadmodum nobis Catalogus ille noster attestatur; certaque ab obitu *Ansperti* supputatio deposcit temporum, quibus unusquisque Successorum Ecclesiam *Mediolanensem* in hanc usque diem administrarit.

CLVIII. Juxta eundem, quem tenacius jam sequimur, Catalogum, *Achoni* Archiepiscopo succedit A.C. 920. *Garibertus* Anno Domini Nongentesimo decimo octavo: cumque duobus sedisset annis, obiit Anno Domini Nongentesimo vigesimo. Sed & eodem Anno (quo Monasterii hujus Abbas nobis occurrit *Landulfus*) *Gariberto* succedit *Lambertus*: novemque sedet annos.

CLIX. Anno *Christi* Nongentesimo vigesimo sexto (Sigonii ad hunc Annum verba recitabimus) A.C. 926. *Lambertus Archiepiscopus, ex Joannis Pontificis Principumque sententia, nuncios ad Hugonem Comitem Arelatensem in Provinciam misit. Hic erat Lotharii Comitis Arelatensis filius, Lotharii Lotharingiæ regis nepos, ejus, quem supra mortuum Placentiæ demonstravimus: Berta, quæ post mortem patris Adelberto Tusciæ Marchioni fuerat collocata, progenitus &c. Hunc igitur Lambertus, ut in Italiam iterum cum exercitu trajiceret, invitavit: venisse tempus demonstrans, quo levi momento Regnum* (Italiæ) *Rodulfo in summa populorum defectione auferret, cujus ille jampridem incredibili cupiditate flagraret.* Et paulo post: *Eodem tempore Hu-*

A *go ab Italis accersitus, terrestrem Rodulfi potentiam timens, maritimo itinere mense Julio Pisas lætus accessit: ibique ab Joannis Pontificis, omniumque Principum, qui illum acciverant, occurrentibus Legatis exceptus, recta Papiam contendit. Quo cum venisset, Rex summo omnium studio salutatus,* CORONAM MEDIOLANI AB ARCHIEPISCOPO SUMPSIT. Quocirca sic etiam in *Ambrosiana* ista Basilica illam sumpsit; quemadmodum etiam disertissime affirmat *Gualuaneus Flamma* in Chronico Majori, Cap. 214. Quo enim ex tempore Imperatores ac Reges *Italiæ* supra diximus in hac Basilica coronari cœptos, in B hac itidem ipsa deinceps fuisse coronatos par est intelligamus, quandocumque *Mediolani* absolute ac sine ulteriori Ecclesiæ alicujus expressione coronati legantur. Ceterum e *Sigonii* verbis postremo recitatis corrigendus erit *Bartholomæus Zucchius* in Catalogo Imperatorum ac Regum, qui Corona Ferrea coronati fuerunt. Horum enim quartum decimum enumerans *Hugonem*, testimonio *Sigonii* nixus, hunc perperam inducit ita de ipso narrantem: *Rex summo omnium studio salutatus, Coronam Ferream ab Archiepiscopo Mediolanensi sumpsit.*

CLX. Prosequitur ad Annum *Christi* Nongentesimum vigesimum septimum *Sigonius* electionem *Hil-* C *duini*, tamquam *Lamberto* Archiepiscopo tunc suffecti. Sed nobis hac in re Catalogum potius illum constanter sequi magis placet, ita tradentem: *Alduinus* (aliter, ut dicebamus, Hilduinus) *Mediolanensis Archiepiscopus Sexagesimus quartus, Anno Domini Nongentesimo trigesimo, sedit annis sex.* A.C. 930. Quod autem *Hilduinus* iste a *Sigonio* dicitur antehac fuisse *Laudociensis* Episcopus (hoc est, *Leodiensis*, sive *Leodicensis)* vere hoc quidem. Quocirca de ipso mihi præsto est *Joannis Chapeavilli* Tomus Primus, *Qui gesta Pontificum Tungrensium, Trajectensium, & Leodiensium* (hi enim talibus antehac titulis nuncupati fuerant) *scripserunt, Auctores præcipui:* & inter D hos *Anselmus* Canonicus *Leodiensis* cum Additionibus *Ægidii*, in Monasterio Aureæ Vallis Monachi, ejusdemque *Chapeavilli* Annotationibus, Cap. 42. & 45. Legatur vero etiam *Baronius* ad Annum *Christi* Nongentesimum vigesimum secundum, & vigesimum octavum. Quoniam vero *Chapeavillus* in suis ad Caput illud quadragesimum quintum Notationibus Epistolam recitat *Ratherii*, ad *Joannem* Summum Pontificem, non antea typis evulgatam: in qua nonnihil de hoc nostro Archiepiscopo *Hilduino*, continetur, scitu dignissimum; propterea idipsum hic ego exscribendum putavi. *Ratherius* autem ille *Hilduino* huic nostro, primum *Leodiensi*, E deinde autem *Veronensi* Episcopo, ac denique ad *Mediolanensem* Archiepiscopatum promoto, primum successerat in Episcopatu *Veronensi*, deinde vero post *Farabertum* successit etiam in *Leodiensi*, nimirum Anno Domini Nongentesimo quinquagesimo tertio; sed enim, cum acriter in mores hominum pravos inveheretur, ab ea Sede pulsus fuit altero inde Anno, sive quinquagesimo quinto. Ex hoc igitur tempore ad *Joannem* Duodecimum, in Ecclesia tunc *Romana* sedentem, sic ille inter cetera scripsit: *Notgero, faustæ recordationis Episcopo* (Verodensi) *meliora, ut remur, petente* (sive defuncto) *datum Episcopium est meo Domino Hilduino, jure stipendiario,* F *promissa Regis* (Hugonis) *qui me tunc oppido, ut credebatur, diligebat, manente: Quod, ubi illum altius promovendi locus emergeret, ego petentibus darer Episcopus. Inthronizato Mediolani eo (ut se instabilitas mundanæ sæpe continet volubilitatis) longe aliter atque promiserat, Regi placuit: cupienti potius, ut fama erat, unum e tribus, aut quendam Aquitanum, ant quendam Garafridum, aut Manassen Archiepiscopum Arelatensem, citra jus licet Canonum. Inter agendum,* REVERTOR A ROMANA SEDE, PERAC-

TA LEGATIONE FERENS PRIVILEGIUM, PRO JAM DICTO DOMINO MEO ACTUM (attendant ii maxime, qui ſchiſmaticos per hæc tempora noſtros Archiepiſcopos ſomniarunt) CUM ARCHIEPISCOPALI PALLIO. *Allatæ cum his ſunt & Litteræ Domini Papæ, tunc temporis Joannis glorioſæ indolis* (a trigeſimo uſque ad trigeſimum quintum Annum ſupra Nongenteſimum Papa fuit *Joannes* Undecimus) *quibus continebantur preces ejuſdem, totiuſque Romanæ Eccleſiæ, uti ego Veronenſibus darer Epiſcopus. Diſplicuit hoc non parum Regi, contraria molienti. Sed obtinuit deprecatio Apoſtolica, inſtante rogando meo jam dicto, cum primoribus Regni, Domino,* nempe *Hilduino Mediolani* Archiepiſcopo. De quo quidem, ſicut etiam de *Ratherio*, nec ea diſplicebit legiſſe, quæ *Joannes Trithemius* commemorat Libro Secundo *De Viris illuſtribus Ordinis Sancti Benedicti*, Cap. 57. & Lib. 4. Cap. 97. & 204. itemque in Libro *De Scriptoribus Eccleſiaſticis.*

CLXI. His ad illuſtrandam obiter Archiepiſcoporum noſtrorum Hiſtoriam præmiſſis, ad *Sigonium* revertimur, Nongenteſimo trigeſimo ſecundo *Chriſti* Anno ita narrantem: *His ſeditionibus Hugo perfunctus, ut futuris malis occurreret, ſpemque inimicis novorum Imperiorum adimeret; Lotharium filium, ex Alda uxore ſuſceptum, Regni ſocium ſibi adjungit; eumque Mediolani ab Archiepiſcopo coronari jubet:* nimirum in *Ambroſiana* iſta Baſilica, quemadmodum paulo ante de ipſomet *Hugone* diſſerebamus.

CLXII. Ceterum *Hilduinus* hic noſter Archiepiſcopus *Hugonem* ac *Lotharium* videtur Imperatores præterea *Italiæ* coronaſſe; niſi forte *Hilduino* perperam hoc tribuunt, quos nos *Lamberto* paulo ante, ſecuti *Sigonium* (cui etiam conſentit *Hugonis* & *Lotharii* Diploma, quod poſtmodum proferetur) adſcripſimus. Num. 159. *Gualuaneus* enim *Flamma* in Chronico Majori, Cap. 214. ita narrat: *Anno Domini Nongenteſimo vigeſimo tertio &c. in Civitate Mediolani erat magna diſcordia, quia Imperatores in Civitate Mediolani Coronam Imperii non recipiebant. Unde Ilduinus Archiepiſcopus Mediolanenſis, qui Lamberto Archiepiſcopo ſucceſſerat, convocatis Principibus & Prælatis Eccleſiæ, habitoque Conſilio, rimatiſque Privilegiis ſuis, quomodo Beatus Gregorius Eccleſiæ Doctor, totuſque Senatus conceſſerat Archiepiſcopo Mediolani & Nobilibus, ut poſſent eligere Imperatorem, ſicut ſupra dictum eſt Cap. 155. elegit Imperatorem Italiæ Hugonem, Regem Burgundiæ, qui fuit filius Ludovici, Regis Italiæ, qui fuit filius Boſonis ſupradicti. Quo facto; Ilduinus Archiepiſcopus Mediolanenſis cum magnifico comitatu ivit in Burgundiam, & Hugonem in Italiam produxit: & fuerunt cum eo duo filii ejus, ſcilicet Lotharius (qui poſtea fuit Imperator Italiæ) & Manaſſes &c.* ISTE HUGO HONOREM CORONÆ MEDIOLANENSIUM RESTITUIT, ET IN ECCLESIA SANCTI AMBROSII ESSE VOLUIT. Et paulo poſt: *Iſte Hugo accepta Corona in Eccleſia Sancti Ambroſii, cum dominaretur libere in Civitate Mediolani, &c.* Et rurſus Cap. 215. *Anno Domini Nongenteſimo trigeſimo tertio &c. Hugo, hujus nominis Secundus, fuit per Ilduinum Archiepiſcopum in Eccleſia Sancti Ambroſii coronatus: ſimiliter & Lotharius, filius ejus, pariter coronatus fuit.* Vide autem, quid in eandem ſententiam, ſed & aliquanto uberius, loquatur Auctor Chronici, *Flos florum.* Etenim fol. 119. ſic a tempore *Lamberti* Archiepiſcopi pag. 1. exorditur: *Iſto tempore erat tanta confuſio de Imperio, quod quilibet Rex in quocumque Regno ſe eſſe Imperatorem dicebat. Tunc Lambertus Archiepiſcopus Mediolani, convocatis Prælatis & Baronibus habito diligenti Conſilio, rimatiſque Privilegiis ſuis, per Beatum Gregorium Papam collatis &c. determinatum* A *fuit, quod electio Imperatoris de pleno jure ſpectabat ad Archiepiſcopum Mediolani. Quod de facto complevit Ilduinus Archiepiſcopus, iſtius Lamberti Archiepiſcopi ſucceſſor, ut infra dicetur.* Pagina ergo ſequenti, de *Ilduino* loquens, ita proſequitur: *Hic fuit primus ex Archiepiſcopis Mediolani, qui unquam ſe intromiſit de electione Imperatoris. Ipſe enim, congregato Conſilio Prælatorum & Baronum* IN ECCLESIA SANCTI AMBROSII, *elegit in Regem Italiæ Hugonem, Regem Burgundiæ, filium Ludovici Tertii. Qui cum intraſſet Mediolanum, per Archipiſcopum Mediolani* IN ECCLESIA SANCTI B AMBROSII EXTRA CIVITATEM CORONATUS FUIT. *Et fuit ſimiliter coronatus Lotharius filius ejus cum eo. Imperaverunt ſimul, & Privilegia ſimul conceſſerunt.* Sed & Catalogus Archiepiſcoporum in Acta Eccleſiæ *Mediolanenſis* conjectus, de *Hilduino* agens, ſic habet: *Hugonem, Ludovici Tertii filium, Burgundiæ Ducem* ITALIÆ REGEM IN BASILICA AMBROSIANA MEDIOLANI CORONAVIT. Hæc Auctores iſti: quos itidem obſervare licet a *Sigonio* diverſos in aſſignando Regis *Hugonis* patre. Sane vero Catalogus etiam ille noſter, jam ſæpius in teſtimonium adductus, tam *Hugonem*, quam *Lotharium* C ejus filium, Imperatores appellat in *Alduino* Archiepiſcopo, & in ejus ſucceſſore *Arderico.* Sed interim apud nos potior erit ſequentis ipſorum Diplomatis auctoritas, in quo ſemetipſos tantummodo Reges inſcribunt: & ex quo inſuper annos computamus, quibus ipſi tempore tam diverſo, proindeque nec ab uno eodemque *Mediolani* Archiepiſcopo, coronati fuerunt *Italiæ* Reges; ſed *Hugo* a *Lamberto Lotharius* autem ab *Hilduino.*

CLXIII. *Hilduinus* interim moritur, eique ſuccedit *Ardericus.* Hinc Catalogus ille nobis jam uſitatior ſic inquit: *Obiit autem Alduinus Anno Domini Nongenteſimo trigeſimo ſexto, nono Calendas Auguſti.* Subinde A.C. 936. 940. D vero: *Ardericus de Cottis, Mediolanenſis Archiepiſcopus Sexageſimus quintus, Anno Domini Nongenteſimo quadrageſimo. Hic per Portam Novam intrans cum Proceſſione magna, in Sede collocatur octavo Septembris.* Et hinc quidem rurſum confirmetur, quod Num 122. concludebamus, liberum Archiepiſcopis per hæc tempora fuiſſe, qua quiſque Urbis Porta ingrederetur ad capeſſendam Sedis Archiepiſcopalis poſſeſſionem; dummodo prius ad Baſilicam venirent *Ambroſianam*, quam Metropolitanam.

CLXIV. Catalogus ille noſter, jam toties in teſtimonium productus, hæc item in *Alduino* Archiepiſcopo addit: *Hic Lotharius* (*Hugonis* filius) *dedit maximas* E *ultra Padum poſſeſſiones Monaſterio Sancti Ambroſii:* quibus itidem præciſe verbis hoc ipſum affirmatur ab Auctore Chronici *Flos florum*, fol. 120. pag. 1. Sed hoc ita verum eſt, ut non ſoli *Lothario*, ſed etiam patri ejus *Hugoni* debeatur. Et hoc quidem luculentiſſime mox conſtabit e Diplomate, quod Anno *Chriſti* Nongenteſimo quadrageſimo ſecundo A.C. 942. iidem ambo huic Monaſterio in hæc verba conceſſerunt:

IN Nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. HUGO ET LOTHARIUS, *divina favente clementia, Reges. Humanam hac conditione naturam conſiſtere credimus, ut dignitate ſui ante bene vivendo Creatori deificata conſocietur, ſecundum quod ſcriptum* F *eſt,* EGO DIXI, DII ESTIS, ET FILII EXCELSI OMNES: *aut proprio vitio depravata, in beſtialem inrationabilitatem deturpetur, teſtimonio Scripturæ, qua dicitur,* HOMO CUM IN HONORE ESSET, NON INTELLEXIT; COMPARATUS EST JUMENTIS INSIPIENTIBUS, ET SIMILIS FACTUS EST ILLIS. *Hæc igitur conſiderantes, quibus valemus auxiliis prædia ſanctarum volumus Eccleſiarum ſublimare; qua-*

quatenus, cum in eis Locis Deo servientibus crescit stipendium, Locorum Patronis devotioni nostræ faventibus, apud Omnipotentem retributionis cumulus augeatur. Quamvis enim cæteris sacris Locis sit famulandum; illi tamen Loco operæ pretium est famulari, aut prædia augere, cui post evocationem animæ rosolutum corpus sepulturæ tradendum, si divina permiserit providentia, disposuimus. Proinde notum esse volumus divinæ Religionis Fidelibus præsentium temporum ac futurorum, quod MONASTERIO CONFESSORIS CHRISTI AMBROSII, JUXTA MEDIOLANENSEM CIVITATEM SITO, UBI EJUSDEM SANCTORUMQUE GERVASII AN PROTASII MARTYRUM CORPORA CONDITA QUIESCUNT, *pro Dei amore, animæque matris nostræ Bertæ & nostrarum animarum remedio, per hujus Præcepti Paginam, in usum & sumptum Monachorum ibidem pro tempore Deo servientium, concedimus donamus atque largimur Cortes juris nostri: videlicet* CORTEM DE PASILIANO *cum omnibus ad se pertinentibus, &* CORTEM DE FELICIANO *cum omnibus ad se pertinentibus; quæ nobis hæreditario jure ex parte Matris nostræ advenerunt: &* CORTEM DE MONTE, *juris nostri: cum Cappellis & Castellis Cellis ibidem constructis: cum massaritiis quoque, servis & ancillis, aldionibus & aldiabus, & cum tota districta omnium hominum, in eisdem Cortibus habitantium: cum terris, vineis, campis, pratis, silvis, aquis, aquarumque decursibus, molendinis, piscationibus, ripis, paludibus, montibus, collibus, vallibus, planitiebus, omnibusque rebus, & familiis ad præfatas Cortes pertinentibus, in integrum; ut pars prædicti Cœnobii jam dictas Cortes cum omnibus ad se pertinentibus ad usum & sumptum Monachorum ibi pro tempore Deo famulantium habeat, teneat, firmiterque possideat. Statuimus, regalique auctoritate sancimus, ut nullus Archiepiscopus, vel Abbas, ullo in tempore easdem Cortes, vel ex his, quæ ad eas pertinent, potestatem habeant tollendi, libellum faciendi, aut per alicujus scripturæ seriem a sumptu & stipendio Cœnobitarum alienandi; sed remota egestate, alimoniis quoque ex eisdem Cortibus manentibus........ pro nostræ matris Bertæ anima, & pro nostra, Omnipotentis clementiam libere valeant exorare. Si quis igitur hoc Præceptum infringere (quod absit) temptaverit, nostræque Dispositionis emolumentum, sicut decrevimus, manere noluerit; conatus ejus apud Omnipotentem irritus maneat; cogaturque componere auri obrizi libras mille; atque a Sanctorum Martyrum Gervasii Protasiique & Confessoris Ambrosii Justorumque omnium consortio segregetur; & insuper anathematis ultione perculsus in extremi Examinis die cum Juda traditore ejusque contribulibus participetur. Quod ut verius credatur, diligentiusque ab omnibus servetur, manibus propriis roborantes, Bulla aurea nostris imaginibus insignita subter annotari jussimum.*

Signa Serenissimorum............ Hugonis........... & Lotharii, Regum.

Giseprandus Cancellarius, ad vicem Bosonis Episcopi & Archicancellarii, recognovit.

Data decimo octavo Kalendas Septembris, Anno Dominicæ Incarnationis Nongentesimo quadragesimo secundo, Regni vero Domni Hugonis Regis decimo septimo, filii & Lotharii item Regis tertio decimo, Indictione quinta decima. Actum Papiæ fæliciter. Amen.

CLXV. Diplomatis autem hujus archetypum aureis est litteris conscriptum. Qua de re nobis ne prima quidem cogitatio venerat, quinetiam ne ventura quidem fortasse unquam fuisset in mentem; nisi jam pridem alii, quo tempore qualitas membranæ characterisque discerni facilius poterat, eandem rem, a semetipsis observatam, memoriæ prodidissent. Duo siquidem nobis præterea suppetunt archetypi ejus exemplaria, ex eo postmodum transcripta, & auctoritate publica rite recognita & comprobata, in quibus litteras illas esse aureas, & in corio piscis exaratas, affirmatur. Unum *Mediolani* Anno Domini Millesimo trecentesimo vigesimo secundo, coram *Cathelollo de Medicis*, Ecclesiæ *Mediolanensis* (hoc est, Metropolitanæ) Ordinario, & Fratris *Aychardi*, *Mediolanensis* eo tempore Archiepiscopi, Vicario Generali. Alterum sexto inde Anno, sive vigesimo octavo, in Burgo *Casalis* Sancti *Evasii*, coram *Henrico de Sancto Stephano*, *Theodori*, Marchionis *Montisferrati*, Vicario. Ex ipsis autem insuper constat, Monasterii hujus Abbatem per ea tempora fuisse *Astulfum de Lampugnano*, Priorem vero *Protasium Caymum*. Hac igitur membranæ characterisque qualitate a nobis ejusmodi exemplarium monitu forte animadversa, diligenter archetypum illud contulimus cum aliis Imperatorum Regumve Diplomatibus apud nos authenticis, & hactenus in medium productis: eaque pariter visa nobis fuerunt in corio piscis & aureis litteris conscripta; perinde ac si hac ipsa prærogativa conscribi ea olim honoris gratia solerent.

CLXVI. Quod vero attinet ad *Bertam*, *Hugonis* matrem, ac *Lotharii* aviam, cujus heredes jam illi remanserant, quæve propterea jam ante obierat: hanc utique superiore constat e Diplomate sepultam fuisse ad Monasterium istud Basilicamque *Ambrosianam*, ubi pariter *Hugo* & *Lotharius* sibimet etiam ipsis sepulturam delegerant; si divinæ providentiæ placitum ita fuisset. Quonam vero præcise loco sepulta fuerit: hoc a nobis ignoratur. Reginam quandam, quam nonnulli nomine *Bertam* fuisse autument, in Cappella Sancti *Satyri*, Monasterium inter ac Sacrarium nostrum sita, sepultam fuisse meminimus Num. 19. Non aliam esse ipsam, quam *Hugonis* hujus Regis matrem, sicut ego affirmare, sic etiam negare non ausim; tametsi lubentius negarem.

CLXVII. Sequitur Annus *Christi* Nongentesimus quadragesimus quartus, non aliud nobis afferens memoratu opportunum, nisi *Aupaldum*, Monasterii hujus hoc tempore Abbatem.

CLXVIII. Per hæc tempora, quibus *Ardericus* *Mediolani* Archiepiscopus vivebat, & diutius, quam Rex *Hugo* voluisset, Historici nostrates facinus narrant, tanto Rege indignissimum: cujus deinde pœnitentia ille ductus Nonantulæ Monasterium in Diœcesi *Mutinensi* construxerit, ac *Mediolani* Archiepiscopo donaverit. Catalogus ille nobis familiarior in *Arderico* Archiepiscopo pressius ita factum describit: *Istius tempore Hugo supradictus, qui se fingebat Imperatorem, istum Archiepiscopum occidere voluit; ut Manasses filius suus Archiepiscopus fieret. Ex quo multi sequaces Imperatoris occisi sunt in Papia a Mediolanensibus. Gualuaneus* autem *Flamma* in Manipulo florum, altius ab origine exorsus, & Chronicon *Arnulphi*, *Mediolanensem* suorum temporum historiam stylo prosecuti, assectatus, ita recenset Cap. 132. *Tunc* post *Hilduini* obitum) *vacabat Archiepiscopatus Mediolani. Videns autem Imperator* (Hugo) *filium suum Manassem propter juventutem ad tantam dignitatem incongruum, quendam Cardinalem Mediolanensem* (hoc est, Cathedralis Basilicæ Ordinarium) *Ardericum nomine, grandævum & senem, ordinavit Archiepiscopum Mediolanensem; sperans, eum moriturum cito. Videns autem Imperator, ipsum diutius vivere; in Civitate Papiensi Consilium convocavit, atque omnes Prælatos interesse præcepit. Et Imperator cum Officialibus sui sacri Palatii secreto condixit, quod rixam qualemcumque contra Archiepiscopum Mediolanensem procurarent, in qua subito eum interficerent. Quod cum fieret, Archiepiscopus Mediolanensis evasit; sed nonaginta Nobiles de Mediolanensibus* (mutua siquidem cædes hinc inde fuerat) *propter Archiepiscopi sui defensionem gladio in rixa illa trucidati sunt. Tunc Hugo Imperator tactus*

tactus dolore cordis intrinsecus, quandam nobilem Abbatiam construxit: quam e numero nonaginta occisorum Mediolanensium NONANTULAM *appellavit, & Archiepiscopo Mediolani donavit. Hæc Arnulfus:* concludit *Flamma:* eademque similiter repetit in Chronico Majori, Cap. 215. & 216. quibus etiam Chronicon adstipulatur *Flos florum*, fol. 119. pag. 2. & subsequenti. Atqui si NONANTULAM Rex *Hugo* exinde appellavit Abbatiam illam; non igitur NONANTULÆ illius nomen antehac fuerat in usu; si tamen constanter sentire loquive volumus. Quomodo igitur Monasterium Sancti *Sylvestri* situm NONANTULÆ nominabatur in *Ansperti* Archiepiscopi Testamento? quod Anno Domini Octingentesimo septuagesimo nono conditum dicebamus, verbatimque recitavimus Num. 129. Igitur NONANTULÆ nomen in usu jam præerat: & præerat sane, vel ipsomet teste *Arnulpho*: cujus Historiam forte fortuna videre nobis licuit, cum hæc ipsa mox prælo typographico subjicienda forent. Sic enim ille inquit: *Cumque diutius non posset latere dolus* (Hugonis) *vehementer erubuit, criminis tanti reus; veritus etiam Beatum Ambrosium, cujus fuerat ille* (Ardericus) *Vicarius. Factum est autem, ut conventione dignæ satisfactionis concederet Ecclesiæ pro nonaginta interfectis* ABBATIAM NONANTULÆ, QUÆ PROPTER NONAGINTA SUI JURIS CURTES SIC VOCATA PERHIBETUR. Quod autem Abbatia illa dicebatur *Mediolanensi* Archiepiscopo a Rege donata: hoc de ipsomet *Arderico* solo, & non de ipsius Successoribus, intelligendum ego censuerim. *Sigonius* enim alioqui ad Annum *Christi* Nongentesimum sexagesimum secundum, de *Othone* primo sic tradit: *Reversus inde* (scilicet ex Insula Sancti *Julii*) *Papiam, pridie Nonas Octobris, rogatu Adeleidæ Augustæ Vidoni Episcopo Mutinensi, Archicancellario suo*, OPIMAM NONANTULÆ ABBATIAM *indulsit.*

A.C. 947. CLXIX. Anno *Christi* Nongentesimo quadragesimo septimo *Berengarius, Italiæ* Rex hujus nominis secundus, *Italicas* dignitates in *Ambrosiana* ista Basilica distribuit: ibidemque ipsum ac *Mediolanenses Lotharius* Rex, ne deseratur, suppliciter exorat. Suis *Sigonius* verbis ad eundem *Christi* Annum hæc nobis enarret. *Interim Berengarius* (inquit) *ab Arderico Archiepiscopo accitus, Verona Mediolanum accessit, ibique pro Rege se gerere cœpit. Quo cognito, Hugo Vineolam extemplo reliquit, Papiamque tristis repetiit. Mox cum se vulgo deseri, & Berengarium unum celebrari videret; de se actum existimans, ac Lothario filio consulere saltem cupiens, ipsum Mediolanum ad Berengarium & Populum Mediolanensem mittit, captato tempore, quo Berengarius regio more dignitates Italicas, præsente Populo, ipsis e factione suæ hominibus dividebat. Voluntati Patris Lotharius obsecutus accedit: atque eos* SANCTI AMBROSII IN TEMPLO *nactus, ante Crucem Domini ad pedes eorum se prosternit: supplexque orat, ut, si Patrem repudiare sua aliqua culpa velint; saltem se, omnis expertem noxæ, retineant. Hæc tristi ac flebili voce orantem Mediolanenses tacti misericordia excitarunt, ac bonum animum habere jusserunt. Quinetiam Hugonem, Italia cedere ultro parantem, præmissis nunciis abire prohibuerunt &c. Ita Regnum communi consilio administrari est cœptum. Verum nomen quidem Regis penes Hugonem & Lotharium erat; jus autem imperii penes Berengarium residebat.*

CLXX. *Ardericus* Archiepiscopus opinione *Sigonii* obiit Anno Domini supra Nongentesimum quadragesimo septimo, regnante adhuc moranteque in Italia *Hugone*; sed opinione aliorum ille obiit Anno quadragesimo octavo, vel quadragesimo nono, postquam *Hugo* in Provinciam rediisset, relicto in *Italia Lothario*, simulque hic *Berengario* regnante. Ita scilicet haud obscure colligitur e *Gualuaneo Flamma* in Chronico Majori, Cap. 227. in Manipulo Florum, Cap. 133. necnon etiam e Chronico *Flos florum, fol.* 121. pag. 1. præterea vero etiam e Catalogo illo, jam nobis quoad temporum præsertim supputationem receptiori. Quocumque tamen eorum Annorum *Ardericus* obierit; apud omnes hoc plane constat, subrogatum illi fuisse ab *Italiæ* Rege *Manassem, Lotharii* Regis fratrem; sed a Clero Populoque *Mediolanensi Adelmanum* (aliis *Almanum*, vel *Ademarum*) *de Menclotiis*; graveque inde atque in aliquot annos pertinax obortum esse dissidium, cujus causa neuter eorum interea fuerit in Archiepiscopum consecratus. Propterea igitur, tamquam potissimam dissidii hujus illecebram, tam Catalogus ille proxime nominatus, quam Chronicon *Flos florum*, commemorant, quemadmodum Archiepiscopi *Mediolanenses* multo jam ex tempore potestatem quoque secularem in hanc Urbem tunc exercerent. Quoniam igitur hac de re nos superiori Num. 136. disseruimus, data inde occasione, quod *Anspertus* diruta mœnia reparasset; propterea etiam non abs re fuerit in præsenti recolere, quæ nobis inde in eandem sententiam iisdem ferme verbis suppeditantur, & scitu quidem dignissima, nec hisce Monumentis importuna. Flos ergo florum sic habet: *Isto tempore, & per longa tempora ante, Archiepiscopus Mediolani erat Dominus temporalis & spiritualis Civitatis Mediolani, & in circuitu per tria milliaria: & regebatur Civitas per Consules datos per Archiepiscopum; quibus ensem ipse dabat, cum regere inciperet: aliquando per Capitaneos, factos per Archiepiscopum, in qualibet Porta specialis parentela regebat. Unde fuerunt Capitanei Portæ Romanæ, quibus præferebatur vexillum ex toto rubeum: Portæ Ticinensis Capitaneis vexillum ex toto album: Portæ Vercellinæ balsana rubea superius, & alba inferius: Portæ Cumanæ tabulatum ex albo & rubeo: Portæ Novæ leones quadrati ex albo & nigro: Portæ Orientalis leones nigri, in albo campo depicti. Signa autem dominii Archiepiscopalis Mediolani ex aliquibus vocabilibus apparent. Nam juxta muros Civitatis erat ejus Viridarium, quod adhuc Verzarium dicitur: extra Civitatem erat Brolium ejus, quod nunc intra Civitatem inclusum est, ubi nunc continue fiunt* (in Catalogo illo *feria sexta* superadditur) *nundinæ: juxta atrium Archiepiscopi erat Broletum vetus, ubi fiebat judicium & justitia; ibi statutis horis Archiepiscopus aliquas audiebat causas. Erantque annuales Archiepiscopatus reditus plusquam octoginta millia Florenorum auri: quod ex feudis datis satis apparet, ut infra dicetur. In summitate Turris altissimæ erat Baculus Pastoralis, in signum, quod Ecclesia Civitati dominabatur.* Hæc ibi: quibus etiam consentit Catalogus *Aloysii ab Ecclesia.*

CLXXI. *Hugo* deinde Rex prædicto Anno *Christi* Nongentesimo quadragesimo septimo, ut Sigonius testatur, *relicto in Italia Lothario, cum thesauro in Provinciam rediit, & paulo post vita excessit.* Quocirca neque sepultus ad hanc Basilicam fuit, quemadmodum alioqui jam ante destinaverat. Lotharius enimvero sepultus hic fuit; cum *Papiæ* (ut *Chalcus* affirmat) obiisset. Obiit autem sub finem Anno Nongentesimi quadragesimi noni, teste ad hunc Annum *Sigonio*, in hunc modum scribente: *Lotharius sævo animi dolore confectus, exeunte Anno in phrenesim incidit, ac mox e vita migravit.* Catalogus item ille noster in *Alduino* hæc in primis habet, quæ paulo ante protulimus: *Hic Lotharius dedit maximas ultra Padum possessiones Monasterio Sancti Ambrosii.* Tunc vero protinus addit: ET JACET IN CAPPELLA SANCTI GEORGII VERSUS DOMUM MONACHORUM. *Gualuaneus Flamma* in Chroco Majori, Cap. 218. contentus fuit de ipso dixisse: MORIENS, IN IPSA ECCLESIA SANCTI

CTI AMBROSII, IN CAPPELLA SANCTI GEORGII SEPELITUR. Atqui Chronicon *Flos florum*, fol. 120. pag. 1. JACET (inquit) AD SANCTUM AMBROSIUM SUB STILLICIDIO, IN CAPPELLA SANCTI GEORGII. Ubi quod additum est SUB STILLICIDIO, certe redit in alterum illud, quod dicebatur, VERSUS DOMUM MONACHORUM. Processus (solito namque Notariorum vocabulo utemur) apud nos authenticus extat, Anno *Christi* Millesimo ducentesimo primo auctoritate Apostolica confectus ab Episcopo *Vercellensi Alberto*, & a *Petro* Abbate *Locediensi* super aliquot controversiis, quæ tunc temporis Monachos inter & Canonicos hujus Basilicæ agitabantur. Testata fit in eo mentio, quemadmodum singulis diebus Dominicis unus e Monachis Sacerdos aquam faceret benedictam, ex eaque post adspersum Altare primarium varia item adspergeret alia & inter hæc *Altare Sancti Georgii, & ibi, ubi sepultus est Rex Lotharius*: videlicet non procul ab hoc ipso Altari. Quippe ibi sepulchrum ejus conspicuum extiterit necesse est. Arcam fuisse marmoream, quæ Anno quoque Domini Millesimo quingentesimo decimo quinto viseretur, indicio mihi est Libellus *Italicus*, eo Anno *Mediolani* editus, de Indulgentiis & Sanctorum Corporibus in variis per Urbem Urbisque Comitatum Ecclesiis. In hoc siquidem Libello Altare illud Sancti *Georgii* hoc additamento indicabatur, quod Arca ibi marmorea existeret. Quod ipsum similiter legimus in pergamena Tabula longe vetustiori, qua singillatim Basilicæ hujus Indulgentiæ recensentur. Primo namque inter ea novem Altaria, quibus concessi fuerant anni septem Indulgentiæ, quandocumque ipsorum festi dies celebrarentur, numeratur etiam *Altare Sancti Georgii, ubi est Arca marmorea*. Deinde vero immediate post: *Item Cappella Sancti Georgii in eadem Ecclesia, ubi est Arca marmorea, sunt omni die anni septem de Indulgentia*. Restat igitur, ut ejusmodi Arcam vel occultarint humo supergesta, vel (quod non ita facile crediderim) temere dissolverint tunc temporis, quando postmodum eam denique construxerunt Sancti *Georgii* Cappellam, quæ nunc visitur, *Abduarum* familiæ adscripta. Circiter Annum *Christi* Millesimum sexcentesimum duodecimum *Fredericus* Cardinalis Archiepiscopusque *Borromæus* post ejusmodi Cappellæ tergum (quippe Monachorum domui seu Monasterio obversum) & sub ejus stillicidio terram effodi alte jussit ea spe, ut Regis hujus *Lotharii* sepulchrum illic inveniretur; sed inventum non fuit. Satius fortasse, sicut etiam indiciis convenientius, fuisset, illud intra Cappellæ ipsius ambitum, vel ante ferreos ipsius cancellos, inquiri.

CLXXII. Mortuo *Lothario*, *Berengarius* Secundus una cum filio suo *Adelberto* sibi Regnum *Italiæ* asciverat. Jamque *Lotharii* uxorem *Adeleidam*, sive potius *Adhelegidam* (ex archetypis enim Tabulis *Chalcus* tale observavit ejus fuisse nomen) sibi semel e custodia elapsam, jamque firmissima *Canussii* arce receptam, comprehendere diuturna rigidaque obsidione satagebat; cum *Germaniæ* (nisi malimus dicere *Francorum*) Rex *Ottho*, hujus nominis Primus, ei periculo ipsam eximit; quemadmodum *Sigonius* ad Annum *Christi* Nongentesimum quinquagesimum primum luculenter lateque prosequitur. Ipse pariter hoc etiam inde subdit, quod sequenti Privilegio nonnihil illustrabitur: *Ottho, Canussio liberato, Adeleidam sine mora sibi matrimonio copulavit: perfectisque magna pompa sponsalibus, inde Papiam accessit: eamque, per Octobrem mensem in potestatem redactam, una cum Regina triumphantis in modum inivit.* Ibidem profecto Rex decima mensis ejusdem Octobris die, atque adeo jam ante illuc post victoriam ingressus, suam erga Monasterium istud *Ambrosianum* pietatem ac munificentiam legitur subsequenti complexus Privilegio:

IN Nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. OTTHO, *Dei gratia Rex Francorum & Langobardorum. Noverit igitur omnium Fidelium nostrorum industria, quia dilectus Frater noster Bruno suggessit humiliter Majestati nostræ,* PRO QUODAM AUPALDO, VENERABILI ABBATE MONASTERII CONFESSORIS CHRISTI AMBROSII: *postulans, ut eum, pro nostræ mercedis incremento, cum universis, qui cum eo degunt, famulis Christi, cunctaque Venerandi Cœnobii substantia sub nostri Mundeburdi tuitionem suscipere dignaremur. Nos vero, nostræ mercedis amplificandæ gratia, petitioni ejus assensum præbuimus, ratum & congruum suggerenti: suscipientes eum, & omnes, qui ei commissi sunt, Servos Dei cum universis ipsius sancti Loci possessionibus, quantascumque Deo auspice nunc habent, aut in posterum habituri sunt, cum familiis, commendaticiis, cartulariis, atque aldionibus utriusque sexus: eo tenore, quo sub nostri regiminis sunt tutela, nostræque providentiæ immunitate perpetua. Confirmamus etiam* CURTEM LEMONTAM *prædicto Monasterio, sicuti divæ memoriæ Hlotarius Rex per Præceptum statuit suum cum casa indominicata: & Cappellam ad se aspicientem, in honore Sancti Genesii dicatam: necnon Oliveta, vel mansa sex, in locis sub nominatis,* VILLA SELVANIATE, MADRUNINO, CAUTUNICO, VETO, CIVENNA, *cum servis & ancillis, & aldionibus & aldiabus, ad eam Curtem adspicientibus. Confirmamus insuper* EIDEM MONASTERIO SANCTI AMBROSII *mansa duo, unum* IN MELONICO, *alium* IN VILLA CLEPIATE, *quod præcessor noster Carolus prædicto loco confirmavit. Confirmamus etiam Curtes tres:* UNAM, QUÆ DICITUR PASILIANO, *cum omnibus ad se pertinentibus:* ET CURTEM DE FELICIANO *cum omnibus ad se pertinentibus:* ET CURTEM DE MONTE *cum Cappellis & Castellis & omnibus ibidem adspicientibus: quas Reges Clarissimi Hugo & Lotharius per sui Præcepti Paginam eidem Loco pro remedio animarum illorum in proprium tradiderunt. Si quis autem ex Præsulibus, Ducibus, Comitibus, aut alicujus partis Officialibus, hanc nostram Regalis Excellentiæ Auctoritatem convictus fuerit violasse, duplam immunitatis nostræ pœnam, centum auri pondera, prædicto Loco componere compellatur. Et ut hoc Regale Præceptum pro futuris temporibus attentius observetur, nostræ manus inscriptione insignitum, Annulo nostro jussimus adsignari.*

Signum Domni Otthonis........ Serenissimi Regis.

Brun Cancellarius, ad vicem Manasses Archicappellani, recognovi.

Data sexto Idus Octobris, Anno Incarnationis Domini nostri Jesu Christi Nongentesimo quinquagesimo primo, Indictione decima, Anno Regni Otthonis Regis, in Francia decimo sexto, in Italia primo. Actum Papiæ in Dei nomine fæliciter. Amen.

CLXXIII. Quod autem in præcedenti Privilegio *Aupaldus* nominatur hujus Monasterii tunc Abbas: nos eundem potius *Huppandum* nominabimus. Ita siquidem propria manu suum ipse nomen in aliquot aliis Archivi nostri per id tempus Documentis expressit.

CLXXIV. Ex *Italici* Regni solio dejectus, ut dictum est, ab *Otthone Berengarius*, id consilii cepit, ut cum *Adelberto* filio ad eundem *Otthonem* in *Germaniam* profectus, regiæ ipsius potestati clementiæque semet ambo nexis suppliciter manibus, cuncto exercitu inspectante, permitterent. Quibus propterea *Ottho* in fidem receptis Regnum *Italiæ* reliquit, Marchia *Veronensi* & *Forojuliensi* excepta quas *Henrico* fratri, *Bavariæ* Duci, se tribuisse dixit, ut habet *Sigonius* ad Annum Nongentesimum quinquagesimum secundum. Idem porro ad Annum subsequentem,

tem, *Mediolani* (inquit) *Adelmaro Archiepiscopo mortuo Valpertus adversus Manassem a Clero & Populo est substitutus.* Et postmodum Anno quinquagesimo- 955. quinto supra Nongentesimum hæc item scribit: *Berengarii assiduæ gravesque injuriæ cum neque dissimulari, neque ultra ferri possent; Agapetus Pontifex, & Valpertus Archiepiscopus, simul rei indignitate accensi, simul populorum calamitate permoti, Otthonem Nunciis literisque missis de pravis Berengarii studiis immodicisque imperiis admonent: brevique fore, ut ipse totius Italiæ Imperio potiatur, nisi invictis ejus armis coerceatur, ostendunt: summisque demum precibus, ut saltem laborantibus opem ferat Ecclesiis, orant. Quibus rebus acceptis, Ottho, se nec Reipublicæ saluti, neque eorum voluntati defuturum, respondet: ac consilio ad rem aggrediendam explicito, Lithulfum filium Ducem belli adversus Berengarium Regem destinat. Litulfus* 956. igitur proximo Anno in *Italiam* cum robore militum expedito venit; multasque res adversus *Berengarium* prospere gessit. 957. Sequenti tamen Anno repentina sublatus est morte: indeque *Berengarius* magis inflatus, impotentius se gerere instituit, Pontificique bellum in Ducatu *Spoletano* commovit. *Otthonem* igitur in *Italiam* rursum cum exercitu evocant: Pontifex in primis *Romanus* per Legatos, insignia ipsi Augustalia pollicitus: & *Valpertus Mediolanensis* Archiepiscopus, ad ipsum profectus, atque *Italici* pariter & ipse Regni pollicitus insignia. *Pontificem inde* (subdit *Sigonius* Nongentesimo sexagesimo Anno) *atque Archiepiscopum reliqui etiam Episcopi & Principes Italiæ subsecuti, idem litteris ac nunciis missis summis pro se quisque precibus contenderunt. Quibus omnibus Ottho satisfacere cupiens, se venturum, atque eorum voluntati obsecuturum, respondit.*

CLXXV. Promisso stetit, deinde fide Anno proximo. A.C. 951. Quippe magnas peditum equitumque copias *Ottho* colligit: atque in *Bavariam* progressus, per *Tridentines Alpes* in *Italiam* cum *Adeleide* conjuge transit. *Papiâ* ergo in primis recuperata, ibi Regiam restaurat. De hinc *Mediolanum* venit. Quid hac in Urbe porro actum; ipsiusmet *Sigonii* verbis enarremus. *Interim Mediolani* (verba sunt ipsius) *Archiepiscopus, promissi memor, Principum Episcoporumque de more Concilium advocat: atque ex omnium, qui frequentes convenerant, sententia Regnum, Berengario atque Adelberto abrogatum, ad eum defert: ipsumque* IN ÆDE DIVI AMBROSII URBANA (sine dubio hanc nostram *Sigonius* designat; tametsi suburbanæ potius ea tunc nomen mereretur) *magno apparatu, cæremoniaque inungit, consecratumque Ferrea Corona condecorat, solemni sacramento præsentibus omnibus alligatum, se patrimonium suum pro salute ac dignitate Italiæ profusurum, neque ejus rei gratia se labori periculove ulli parsurum. Contra Ottho, ne liberalitate superaretur, Archiepiscopum multis iisque amplis beneficiis ornat: in primis tres illi in Agro Mediolanensi Ditiones subjiciens, quæ eousque Regibus fuerant subditæ: Comitatum Parabiagi, Seprii, & Bazariæ: Ducatum Burgariæ, Marchiamque Marthesii. Ac Civium alios in Tribubus Urbis quas illi Portas vocabant, & Agri Pagis quas plebes nominabant, Capitaneos, alios Valvasores instituit.* Hactenus Sigonius.

CLXXVI. Neque vero soli munificus Archipiscopo fuit in præsenti Rex *Ottho*, verum Monasterio huic *Ambrosiano*: & in tantum, ut inter alia de *Valperto* Archiepiscopo id quoque in Archipresbyteri Metropolitani Catalogo legatur; tametsi, quo præcise tendat, explicatum ibidem non videamus. Illic utique hoc legitur: *Hic Ottho, suscepta Corona ab Archiepiscopo,* MAGNUM THESAURUM DEDIT MONASTERIO SANCTI AMBROSII. Certe quidem Chronicon etiam *Flos florum*, fol. 123. pag. 1. de hoc ipso pariter *Otthone* Primo, per *Valpertum* Archiepiscopum in *Italiæ* Re- A gem coronato, isthæc etiam protinus testatur: MULTA MONASTERIO BEATI AMBROSII DONAVIT.

CLXXVII. Sed, cujusnam potissimum ac singillatim rei fuerit ejusmodi donatio, *Gualeneus* ipse *Flamma* nos doceat. Tam in Chronico Majori, Cap. 228. quam in Manipulo florum, Cap. 133. intra *Valperti* hujus Archiepiscopi tempus mentionem ille facit *Aldeberti* cujusdam Comitis *Francorum*, ex *Henrico* pariter *Francorum* Comite nati, qui Regnum *Italiæ* sibi vendicans, quinetiam *Mediolano* excidium minitans, occasionem *Valperto* dederit, ut *Otthonem* sibi auxiliatorem ascisceret. Sic etiam se B gerit Auctor Chronici *Flos florum*, fol. 122. pag. 1. ubi, citato *Datii* Chonico, eundem *Aldebertum* asserit de domo Regum *Francorum* natum, Comitem *Franconiæ*, Ducemque *Austeriæ*. Nos quidem ipsum potius arbitramur *Berengarii* secundi fuisse filium, de quo tam multa jam diximus. Itaque tamquam de ipso dicta sic etiam interpretamur, quæ de suo illo *Aldeberto* Scriptores ejusmodi recensent. Ecce vero, quid *Gualuaneus* in Chronico Majori verbatim recenseat. *Quidam* (inquit) *Aldebertus, Comes Francorum, ad Imperium adspirans, cum duobus fratribus suis, Henrico & Aldeberto juniore, Italiam in-* C *travit cum exercitu magno valde: & misit ad Valpertum Archiepiscopum, qui ex toto in Civitate dominabatur, quod intra muros Civitatis sibi præparet Palatium grande, quod Imperator Maximilianus construxerat. Cui Archiepiscopus respondit, quod a tempore Beati Ambrosii ex Privilegio Theodosii Imperatoris* (hic recoli possunt dicta Num. 132.) *Civitas Mediolanensis ab ingressu Imperatoris semper extitisset libera. Attamen extra Urbem,* JUXTA ECCLESIAM SANCTI AMBROSII, ARCHIEPISCOPUS JUSSIT PRÆPARARI PALATIUM MAGNUM (in Manipulo florum *Gualuaneus* hoc absolute PALATIUM SANCTI AMBROSII EXTRA URBEM nominat) UBI IMPERATO- D RES HABITARE CONSUEVERANT. *Quo audito, Aldebertus, Imperii usurpator, furia repletus, juravit Civitatem Mediolanensem funditus evertere. Et dicit Chronica de Barzanono, quod Aldebertus simulavit pacem facere cum Mediolanensibus: & sic intravit Civitatem. Et rumor insonuit, quod Imperator vellet in Civitate dominari: & assumptis armis cum Imperatore pugnaverunt, & Imperatorem turpiter vulneraverunt. Ex hoc Franci contra Cives fortiter dimicaverunt, & prævaluerunt. Imperator, obtenta Civitate ipsam destrui jussit: & destructæ sunt aliquæ domus & Turres, & aliqua Palatia. Tunc Archiepiscopus Valpertus, superbo comitatu accinctus, in Alemaniam* E *convolavit: &, suis nixus Privilegiis, Othonem, Ducem Saxoniæ & Normandiæ, qui contra Berengarium pugnaverat, in servitium Mediolanensium elegit Italiæ Regem, promovendum in Imperatorem &c. Qui, Atheleitæ, Lombardæ uxoris suæ, quæ quondam Imperatrix Mediolani fuerat, precibus inductus intravit Italiam cum Archiepiscopo Mediolanensi: qui Aldebertum Imperatorem in campo prostravit. Et statim Archiepiscopus Mediolanensis, convocatis septendecim Episcopis Suffraganeis suis, & Baronibus, & Comitibus universis, Otthonem in Regem Italiæ designavit; Aldebertum, tanquam Imperii invasorem, excommunicavit, & depositum promulgavit. Ex quo ille Aldebertus, quasi* F *fur, ad Insulam Corsicæ fugit. Data itaque tali sententia,* AD ECCLESIAM SANCTI AMBROSII *cum Episcopis & Baronibus supradictis Otthonem Regem introduxit, & Coronam præparavit. Tunc Ottho omnes regias vestes deposuit, & vestes sacras Subdiaconi induit, scilicet strictum cum Manipulo* (at enim *Postea Stola & Manipulo induitur; erat enim quasi Diaconus,* inquit Flamma idem in Manipulo florum) *& celebratis divinis Mysteriis, Archiepiscopus ipsum Ottho-*

Ottho-

Otthonem, laudatum de virtutibus, confirmavit in Imperio Mediolanensi, perunxit oleo, & Coronam capiti ejus imposuit. Completa Coronatione Ottho Rex SUPER ALTARE BEATI AMBROSII *clamydem Imperialem posuit, in qua coronatus fuerat, baltheum, ensem & bipennem, ac lanceam, in qua erat unus é clavis Passionis Christi. Item Coronæ Mediolanensi addidit Ducatum Saxoniæ, quod erat suum patrimonium, & Ducatum Normandiæ. Valperto Archiepiscopo donavit Ducatum Burgariæ, Marchionatum Marthesanæ, & Comitatum Seprii.* MONASTERIO SANCTI AMBROSII DONAVIT PALATIUM IMPERALE, QUOD ERAT JUXTA ECCLESIAM SANCTI AMBROSII, ET LARGAS POSSESSIONES. Addamus vero & hoc obiter, qualiscumque sit veritatis & fidei, quod protinus idemmet subdit Gualuaneus: *Item fundavit Monasterium Majus, & solemniter dotavit.* Qua de re aliquid jam diximus Num. 129. proprio que alias Opusculo, si Deus nobis aspiret, differemus. Quod præsentis est instituti, Palatium præsertim hoc videamus Monasterio donatum: atque cum iis, quæ nuperrime dicta sunt, ea conferantur, quæ dudum Num. 132. cum ejusdem Palatii situm inquireremus.

CLXXVIII. Quoniam vero *Gualuaneus* nuperrime nobis testabatur de ritu in *Otthonis* Corronatione servato; proferamus, obsecro, *Sigonium* itidem, post Annum *Christi* Nongentesimum septuagesimumtertium ex antiquis litterarum Monumentis inter alios multos per ea tempora ritus, perenni usu receptos, eum quoque verbis hujusmodi describentem: *Italiam ingressus* (qui nempe coronandus esset in *Italiæ* Regem) *rectà Mediolanum adibat. Ibi vero condicto die* IN AMBROSIANAM ÆDEM PROCEDENS, *Archiepiscopo Rem divinam facienti, regiis depositis vestibus, ac Subdiaconi sumptis, ministrabat. Qua re rite peracta, Archiepiscopus sacro ipsum oleo inungebat: atque ad reliqua insignia Ferream ei Coronam imponebat, ipsum solemni adigens sacramento, se Italiæ jura in perpetuum pro viribus tutaturum.* Quod itaque nobis a *Gualuaneo* videri poterat in ancipiti relictum: videlicet, Diaconi ne, an Subdiaconi, vestes sumeret novus Rex: hanc nobis hæsitationem plane *Sigonius* discussit.

A.C. 962. CLXXIX. Proximo deinde *Christi* Anno post Nongentesimum sexagesimosecundo *Romam* cum lectissimo exercitu, ipsomet etiam comitante *Valperto Mediolani* Archiepiscopo, pergit *Ottho*, ut Coronam Imperii, a Pontifice promissam accipiat: nec non etiam accipit.

A.C. 967. CLXXX. *Jam pridem Ottho* (inquit Sigonius ad Annum *Christi* Nongentesimum sexagesimumseptimum) *ad majestatem Occidentalis Imperii pertinere arbitratus, totam in auctoritate sua esse Italiam; Provincias Apuliam & Calabriam bello petere constituerat; ac, pulsis inde Græcis & Sarracenis, Italiæ Regno adjungere; nisi sibi cum Imperatore Nicephoro convenisset. Itaque, huc spectans, Legatum ad eum Constantinopolim destinavit: per quem Theophaniam, sive filiam, sive sororem* (*nam utrumque traditur*) *Otthoni filio postulavit in matrimonium.* Hunc ipsum postea *Otthonem* ipsius filium Pontifex *Romanus* in Festo *Christi* Natalitio Corona decoratum, Imperii cum Patre consortem declaravit.

A.C. 968. CLXXXI. Et hic Annum ingredimur *Christi* Nongentesimum sexagesimum-octavum: atque præfectum huic Monasterio Abbatem nomine *Petrum* invenimus, inventumque luci ac posteritati proponimus.

A.C. 970. CLXXXII. Sequitur aliquanto post Sigonius. *Superiore clade accepta Constantinopolitani a Nicephoro alienati, postero Anno* (*is fuit Nongentesimus septuagesimus*) *ipsum per Joannem Zimiscem interfecerunt, atque Joanni ipsi summam Imperii detulerunt.* Et paulo post, ad posterum inde Annum, *Valperto* (inquit) *Archiepiscopo ex humanis rebus erepto, Arnulfum Subdiaconum instituit* (Ottho) *eumque ad Joannem Imperatorem Constantinopolitanum allegavit; ut Theophaniam, neptem ejus, filio suo iterum in matrimonium postularet. Is, maximo Principum Episcoporumque comitatu assumpto, profectus, comiter ab Imperatore acceptus est. Memorabile verò illud. Cum ab eo, ad thesaurum suum visendum adductus, rogaretur, ut aliquid pro animi sententia sumeret; annulo ingentis pretii sibi detracto, atque ad thesaurum adjecto,* SERPENTEM ÆNEUM SUMPSIT, QUEM GRÆCI EX EO CONFLATUM ÆRE ASSEREBANT, EX QUO OLIM MOYSES SUUM IN DESERTO CONFLAVERAT. *Is deinde Mediolanum delatus,* ATQUE IN ÆDE DIVI AMBROSII COLLOCATUS, *nunc quoque religione sua clarum ejus facti testimonium fama a Majoribus accepta reddit. Quinetiam Joannes Theophaniam* 972. *Otthoni filio in matrimonium libens permisit: eamque Archiepiscopo, ut secum cum honesto comitatu deduceret, tradidit. Ita postero Anno Romam adducta, effusa obviam universa Civitate recepta est &c.* Hæc *Sigonius* de *Arnulfo* isto Archiepiscopo, deque Serpente illo æneo, in hanc usque diem apud nos in *Ambrosiana* ista Basilica supra porphyreticam columnam publice conspicuo. Veruntamen hunc ab altero potius *Arnulfo* Archiepiscopo, nominis hujus Secundo, plerique rerum *Mediolanensium* Scriptores *Constantinopoli* huc allatum, & in hac fuisse Basilica collocatum existimant: quorum potius opinioni ego quoque acquiesco. *Theophaniam* quidem *Ottho* uxorem *Otthoni* filio suo jam ante ab Imperatore *Constantinopolitano Nicephoro* petierat per Legatum illuc missum. Atqui non hic Archiepiscopus aliquis noster fuerat: sed *Luitprandus*, *Cremonensis* Episcopus. Suam ipse Legationem hujusmodi descripsit accuratissime: necnon eam videre licet inter Antiquas *Henrici Canisii* Lectiones, & inde apud *Baronium* Anno *Christi* Nongentesimo sexagesimo-octavo: quem scilicet in Annum illa inciderit; quemadmodum pluribus ibidem argumentis ab eodem *Baronio* commonstratur. Quocirca nos etiam hinc errasse deprehendimus *Blasium Rubeum* in Tabula Diptycha Episcoporum *Cremonensium*, quando *Luitprandum* istum asseruit Anno *Christi* obiisse Nongentesimo sexagesimoquinto. Postea quam vero fuisset *Ottho* tam turpiter a *Nicephoro*, quam *Sigonius* ipse narrat, deceptus: cumque vel etiam inde, tamquam e prima origine, *Nicephorus* necem a suis reportasset; tum vero in ejus locum subrogatus *Joannes Zemisces* protinus. ac nullo penitus expectato *Otthonis* ad se Nuncio, *Theophaniam* videtur ad ipsum transmisisse; testemque nos in hoc damus *Witichindum*. Hic enim res gestas *Otthonum* Imperatorum, quibus extitit coævus, describens, inter cetera sic loquitur: *Populus Constantinopolitanus, a suis audiens male pugnatum* (adversus *Otthonianum* exercitum, ad ulciscendam *Nicephori* perfidiam missum) *consurrexerunt adversus Imperatorem suum; & machinatione Conjugis propriæ, cujusdam militis insidiis occiderunt loco autem domini militem designantes. Fuit iste Joannes, cognomento Zemisces. Constitutus autem Rex, continuo captivos* (quos Græci per fraudem antehac abduxerant ex *Otthonis* militibus) *absolvit: Puellam* (Theophaniam) *cum magno exercitu & claris muneribus ad Imperatorem Otthonem destinavit. Quam ipse, statim filio tradidit: celebratisque magnifice nuptiis, omnem Italiam super hoc & Germaniam lætiores reddidit.* Quid, quod etiam Historiæ *Mediolanensis* ab Anno *Christi* Nongentesimo vigesimotertio Scriptor *Arnulfus* alter, Archiepiscopi hujus *Arnulfi* Primi consanguineus, nullam ipsi *Constantinopolitanam* profectio-

fectionem adscribit? cum alioqui eam Secundo *Arnulfo* Archiepiscopo adscribat. Manuscripta etiamnum extat, nec unquam typis adhuc impressa, illius Historia: tribus comprehensa Capitibus tam prolixis, ut Librorum potius appellatio ipsis debeatur. Eam nobis humanissime tradidit Carthusiæ *Papiensis* Monachus, & per aliquot olim annos Prior benemerentissimus, *Matthæus Valerius*, Civis *Mediolanensis*, & *Jacobi*, cujus mentionem Num. 28. faciebamus, frater dignissimus. Eruditissimus vero & ipse est, atque in Historia, & præcipue *Mediolanensi*, versatissimus. Ex ejus etiam colloquio (ingenue siquidem hoc fatendum & profitendum erat) numquam discessimus, quin exquisitum aliquid ab ipso didicerimus. De multis etiam perutiliter ille adhuc nos admonuit, ad hæc ipsa, quæ tractamus, Monumenta spectantibus. In ea igitur *Arnulfus* Historia Libro primo sic habet: *Eodem tempore* (quo captivus in *Suevia Berengarius* obierat) *obeunte Valperto, Cathedram suscepit Arnulfus, vere declinans à malo, & faciens bonum. Cujus æquivocus existo gestorum Scriptor ego præsentium, fratris vero illius pronepos verus.* Et hinc quidem illos corrigamus, qui *Arnulfum* istum Archiepiscopum asseruerunt Historiam sui temporis scripsisse: quo in errore versantur Catalogus Actis Ecclesiæ *Mediolanensis* insertus, & alter *Successores Sancti Barnabæ* inscriptus. Subinde vero prosequitur hisce verbis idem Historicus Arnulfus: *Hujus in Episcopatu vita fuit triennis, factus nec pro certo meliori dignitate perennis. Cui successit Gothofredus &c.* Vide autem, quam luculenter *Constantinopolitanam* conciliandi gratia matrimonii profectionem *Arnulfo* postea Secundo adscribat; tametsi Serpentis ejus nullam fecerit expressam mentionem: *Tempore autem præterito decreverat Imperator* (Ottho Tertius) *maternæ gentis sociari conjugio. Hujus causa consilii præfatus Arnulfus, Venerabilis Archiepiscopus, regia jussione præmonitus, mare transiens,* CONSTANTINOPOLIM PROFICISCITUR. *Qui ab ipso admirabili Monarcha magna susceptus honorificentia satis episcopaliter conversatus est in Urbe Regia:* ITA CHARUS, UT, QUICQUID POSCERET, FACILE IMPETRARET. *Composito tandem, propter quod venerat, negotio; ab eodem Basileo* (sive Imperatore *Constantinopolitano*; quem ita nominare moris erat apud Græcos, quemadmodum prædictus etiam testatur *Luitprandus* in suæ Legationis narratione) *decenter absolutus, reversionem accelerat. Interea Imperator primo juventutis flore defungitur Ottho: in quo omnium est Otthonum consumpta propago.* Has igitur etiam ob causas Basilica isthæc *Ambrosiana* æneum ejusmodi Serpentem per nos quidem Archiepiscopo potius *Arnulfo* Secundo referet acceptum, quam Primo. Itaque cum ad illius tempora ventum fuerit, de hoc ipso Serpente uberius agemus. Innuerit tamen hoc item loco interea præmittere, quæ de suæ Historiæ fide præfatur idem *Arnulfus* ab utroque illo Archiepiscopo diversus. *Nihil igitur* (inquit) *Charissime, quisquis es, præter quod polliceor, exigas: videlicet verbis prolatam communibus simplicem gestorum narrationem, quæ nostri Reges nostrique gessere Pontifices, nostri quoque Concives in Urbe Mediolano, vel extra, Compatriotæ vero nostri in Regno Italico: quæ ipse vidi, vel quemadmodum a videntibus, aut paulo ulterius, audivi: prout etiam de thesauris prodeunt memoriæ; cum nihil sit, quod a me ultra sperare debeas.* Quocirca Historiam deinceps ab eo exorsus tempore, quo *Hugo* & *Lotharius* ejus filius in *Italia* regnarunt: atque progressus ad illud, quo *Heribertus* ad *Mediolani* Archiepiscopatum promotus fuit (nempe circiter Annum *Christi* duodevigesimum supra Millesimum) ab hisce verbis Librum, incipit secundum: *Superiori Volumine audita tantum exsufflare tentavimus. Nunc autem ea, quæ ipsi videndo cognovimus, ex abundanti eructare studeamus.*

CLXXXIII. Anno *Christi* Nongentesimo septuagesimotertio, Nonis Maji, *Otho* Primus Imperator, cognomento vere *Magnus*, *expetita* (quemadmodum *Witichindus* scribit) *Sacramento divini Corporis & Sanguinis, & accepto, sine geminitu, cum magna tranquillitate, ultimum spiritum cum divinis Officiis pietatis Creatori omnium tradidit.* Deinceps vero filius ejus *Ottho* in *Italia* etiam continenter imperavit. A.C. 973.

CLXXXIV. Juxta *Sigonii* supputationem (aliter namque alii supputant) Anno *Christi* Nongentesimo septuagesimoquinto, *Mediolani Arnulfus* (videlicet hujus nominis Primus) *Archiepiscopus mortuus. Populus Gothifredum, Ecclesiæ Subdiaconum, licet ipsi vehementer infensus, Otthoni gratificatus accepit.* A.C. 975.

CLXXXV. Octogesimotertio deinde Anno supra Nongentesimum, Decembri mense, *Ottho* Secundus, nullo nobis erga Basilicam istam vel Monasterium beneficio memorandus, moritur *Romæ*: ipsique *Ottho* Tertius subrogatur. *Postero Anno* (sic enim cum *Sigonio* loquemur) *nunciata Otthonis in Germaniam morte, in magna animorum dissensione, aliis alio inclinantibus, Ottho filius, Magni nepos, de manu Henrici, Otthonis mortui patruelis, qui ad Regnum aspirabat, extorquetur: atque, annos natus octodecim, Rex Germaniæ à Regni Proceribus declaratur. Interim vero, dum ille simul ætatis infirmitate præpeditur, simul tumultibus Germaniæ sedandis occupatur, variis Italia deintegro seditionum tempestatibus æstuavit. In primis autem Romæ & Mediolani sacrorum Comitiorum causa certatum &c.* A.C. 983. 984.

CLXXXVI. *Oldericus* Anno *Christi* Nongentesimo octogesimoseptimo præsidebat huic *Ambrosiano* Monasterio Abbas: nec aliud præterea quicquam nobis de ipso memorandum se offert. A.C. 987.

CLXXXVI. Nongentesimo deinde nonagesimo Anno, juxta Sigonium, *Bonicius Dux, Gothifredo Archiepiscopo mortuo, ab Otthone dignitatem eam Landulfo filio suo impetravit. Populo vero Landulfum repudiante, atque armis ab Episcopii aditu repellente, ipsum tueri commissis certaminibus in Urbe non dubitavit.* Mediolano tamen ejectus demum ille fuit. A.C. 990.

CLXXXVII. Istud interim Monasterium Anno *Christi* Nongentesimo nonagesimoprimo a *Gaidoaldo* regitur Abbate. A.C. 991.

CLXXXIX. *Landulfus* Archiepiscopus, ex Urbe pulsus, comparato exercitu in aciem cum *Mediolanensibus* descendit Anno nonagesimoquarto supra Nongentesimum. Superatur ille tamen; proptereaque ad *Otthonem* accurrens, auxilium ab ipso implorat. *Ita Ottho* (subdit Sigonius) *simul Pontificis* (Romani) *atque Archiepiscopi voluntate commotus, simul ut Regni Imperiique insignia, quæ illi pollicebantur, patrio avitoque more susciperet, ac Regnum, sævis seditionum procellis agitatum, aut jure dicundo, aut bello gerendo componeret, expeditionem in Italiam adornavit.* Cum vero *Mediolanum* etiam obsedisset Anno proximo; *Landulfus* Archiepiscopus promissis ingentibus primores adversæ partis illexit, ut se in Urbem reciperent; atque ita obsidioni finem imposuit. *Inde in Urbem ingressus* OTTHONEM REGIO DIADEMATE DECORAVIT, videlicet in *Ambrosiana* ista Basilica. Sicut enim alias monuimus; sic etiam e talibus hisce *Sigonii* verbis absque periculo erroris argumentari licet. A.C. 994. 995.

CXC. Nonagesimoquinto eodem Anno supra Nongentesimum, teste pariter Sigonio, *Ottho, re Mediolanensi composita, Ravennam versus movit: ac Joannem Pontificem mortuum audiens, ibi usurpato jure Brunonem Saxonem, propinquum suum, ex comitatu suo Presbyterum, decimosexto Kalendas Julii Pontificem declaravit, ac Romam consecrandum misit. Is* Gre-

Gregorius Quintus vocatus. Ejusdemque Diploma postmodum a nobis proferetur.

A.C. 996. CXCI. Sed & Anno subsequente *Ottho* per eundem Pontificem *Romanum* coronatur Imperator. Inde *Sigonius* de ipso: *Ravenna decedens, Romam venit: & Coronam Imperatoriam magna pompa quinto Idus Maji, qui dies erat Pentecostes, a Gregorio una cum Maria conjuge sumpsit: ac rebus Romanis ordinatis, in Lombardiam recessit.* Prosequitur inde *Sigonius* causam, propter quam *Ottho* in Agro *Mutinensi* hanc ipsam sui conjugem *Mariam* eodem anno igne cremari jussit: compertam nimirum & mirabiliter convictam, quemadmodum Comitem *Mutinensem* in amorem sui pellicere conata, postquam libidini suæ reluctari eum vidit, ira furens, se ab illo de stupro tentatam insimulasset apud *Otthonem*; a quo propterea capite plexus ille fuerat. *Baronius* tamen hoc in Annum conjicit Nongentesimum nonagesimum octavum. Exinde igitur solutus ab uxore mansit *Ottho*; ut propterea novam sibi sponsam postea e *Constantinopoli* asciscere potuerit per *Arnulfum Mediolani* Archiepiscopum, nominis hujus Secundum; sicuti paulo ante tradebamus ex Historici *Arnulfi* testimonio, & infra suo tempore in memoriam revocabimus.

CXCII. Eodem Anno Imperator *Ottho*, Conventu ad *Roncalias* perfecto, in *Germaniam* proficiscitur: & octava Februarii die (qui mensis usque ad vigesimam quintam subsequentis Martii diem pertinebat A.C. 997. ad Annum *Christi* Nongentesimum nonagesimum sextum, si ab Incarnatione Domini computetur; secus autem ad septimum, si juxta stylum *Romanum*) & eo, inquam, die *Aquisgrani*, rogatus ab Archiepiscopo nostro *Landulfo*, Monasterium istud *Ambrosianum* sequenti donat Privilegio:

IN Nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. OTTHO, *Dei gratia Romanorum Imperator Augustus. Nihil commodius ad nostræ Sublimitatis honorem, nostrique regiminis.............. facere posse credimus, quam sanctarum Dei Ecclesiarum summa sollicitudine omnes dotes intemeratas conservare, ac votis Fidelium opportune auditum accommodare. Idcirco omnium Sanctæ Ecclesiæ Christianorum nostrique Fidelium, præsentium videlicet ac futurorum .... solertia, Landulfum, Sanctæ Mediolanensis Ecclesiæ Venerabilem Archiepiscopum, nostrum dilectissimum Fidelem, nostræ present............. disse Præceptum, de Cortibus videlicet* PAXILIANO, FELICIANO, ET MONTE, CONLATIS COENOBIO SANCTI AMBROSII........ GERVASII ET PROTASII PRETIOSISSIMORUM MARTYRUM, UBI QUOQUE IPSORUM SANCTISSIMA CORPORA HONORIFICE CONDITA REQUIESCUNT, *ipsis vero Cortibus oblatis, ut superius dictum est, a Serenissimis Regibus Ugone & Lothario, nostris etiam prædecessoribus: & .... ut ipsorum auctoritati nostram superadderemus auctoritatem. Cujus petitionibus etiam digne.............................. eidem prædicto Monasterio istas........................... Paginam habendas, perpetuoque possidendas confirmando concedimus, quemadmodum.............................. cum omnibus...... .... cum servis, ancillis, aldionibus, Cappellis, Castris, vineis, campis, pratis, pascuis, silvis, montibus, alpibus, aquis aquarumque decursibus, molendinis, piscationibus, ac cum universis eisdem.............. ...... Insuper etiam & intimo cordis præcipimus, ut nullus Archiepiscopus, Episcopus, Dux, Marchio, Comes, Vicecomes, seu alia totius nostri Regni magna parvaque persona.......... Cortibus* BEATISSIMI AC SANCTISSIMI AMBROSII, ET PRETIOSISSIMORUM MARTYRUM GERVASII ET PROTASII MONASTERIUM VENERABILE *inquietare vel molestare præsumat. Si quis* A *autem, quod fieri non credimus, istius nostri Præcepti temere violaverit............ auri....... libras mille compositurum.............................. medietatem Kameræ nostræ, & medietatem ipsi Ecclesiæ, cui injuriæ collatæ fuerint...................................... credatur, diligentiusque ab omnibus perpetuo observetur............. .... Sigillis nostri impressione .... jussimus insigniri.*

Signum Domni Otthonis, Serenissimi............ Imperatoris Augusti.

Erebertus Cancellarius, vice Petri, Cumani Episcopi, & Archicancellarii, recognovi & subscripsi.

B *Actum sexto Idus Februarii, Aquisgrani, Anno Tertii Otthonis Invictissimi Cæsaris Imperii primo, Indictione decima.*

De hoc autem *Petro, Cumano* Episcopo, & Imperatoris *Otthonis* Tertii, sicut & postea Regis *Italiæ Arduini*, Archicancellario, videre licet *Benedicti Junii* Librum Secundum Historiæ *Novocomensis*, & Chronicorum ejusdem Urbis Compendium, a *Francisco Ballarino Italice* contextum, Parte Secunda.

CXCIII. Anno *Christi* Nongentesimo nonagesimo octavo regressus in Italiam *Ottho*, in hujus Monasterii favorem præcedenti Privilegio alterum istud superaddit: A.C. 998.

C *IN Nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis.* OTTHO, *Dei gratia Romanorum Imperator Augustus: Universis, præsentium videlicet ac futurorum, Ecclesiis notum fore volumus, nostrisque Fidelibus innotescimus, qualiter interventu Ducis nostri Otthonis* MONACHOS COENOBII SANCTI AMBROSII *per baculum de omnibus rebus ad partem ipsius Cœnobii pertinentibus investivimus, & qualiter ad nostri Mondburdi tutelam suscepimus, cum his omnibus, quæ ad partem pertinent Cœnobii, seu per Præceptum, seu per Testamentum; sive quocumque jure legationis modo alio scriptum. Insuper etiam per hujusmodi nostrum Mondburdum Montem compascuum, qui dicitur* BELASINUS, *usque ad cohærentias sibi adjunctas* D GRASEGALLÆ, LENCILI, NESCINI: BARNASCHI, LEMONTÆ, *ejusdem suprascripti Cœnobii Cortem confirmamus ad partem* MONASTERII SANCTI AMBROSII. *ea videlicet ratione, ut famuli ejusdem Monasterii Sancti Ambrosii* DE LEMONTA ET CIVENNA *potestatem per hujus nostri Mondburdi Paginam deinceps habeant in suprascripto, Monte per jam dictas sibi cohærentias fœnum faciendi, ligna incidendi, & cætera, quæ illis sunt necessaria. Confirmamus igitur hæc & omnia, quæ ad partem pertinent Monasterii, per hoc nostrum Mundburdum Sancti Ambrosii in integrum; ita ut nullus Archiepiscopus, Episcopus, nullus* E *Dux, Marchio, Comes, Vicecomes, Gastaldio, nullaque major mediocris vel minor persona nostri Imperii, contra hujus nostri Mondburdi Paginam agere præsumat. Si quis autem posthac præsumptor contra hoc nostrum Mondburdum agere præsumpserit, & infringere voluerit, quod absit; tamquam obnoxius debitor componat centum libras auri optimi, medietatem Kameræ nostræ, & medietatem prædicto Monasterio Sancti Ambrosii. Quod quidem ut verius credatur, diligentiusque nunc & in posterum ab omnibus observetur, Annuli nostri jussimus impressione quodammodo insigniri.*

Aribertus Cancellarius, ad vicem Petri Episcopi & Archicancellarii, recognovi, & scripsi.

F *Data Nonis Januarii, Anno Dominicæ Incarnationis Nongentesimo nonagesimo octavo, Regni vero Domni Otthonis Tertii quarto decimo, Imperii vero ejus secundo, Indictione undecima. Actum Papiæ fæliciter. Amen.*

CXCIV. Nec vero contentus *Ottho* isthæc Privilegia Monasterio huic *Ambrosiano* indulsisse, tertium præterea ipsi donat. Quod profecto nobis authenticum & archetypum suppetit; tametsi tempore

pore, quo datum est, careat. Quacumque id ex causa provenerit; præcedenti nos quidem hoc subteximus, atque ita prorsus se habet:

IN Nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. OTTHO, *divina favente clementia, Romanorum Imperator Augustus. Justam petitionem Famulorum Dei asserentes, eidem assensum præbemus: apud Omnipotentem Deum remunerari nullo modo dubitamus. Quocirca noverit Sancta Dei omnium Ecclesia Fidelium, præsentium scilicet & futurorum,* MONACHOS COENOBII SANCTI AMBROSII, *lamentantes nos adiisse, pro eo quod ex diversis partibus ventilati penuriæ famem atque infortunia multa sustinerent. Unde quia videntes emolumentum nostræ animæ fore, illos adjuvare, & sub tutela nostri Mondburdi defensare, atque per nostri Paginam Præcepti eorum prædia confirmare; suscepimus omnia* QUÆ AD PARTEM SANCTI AMBROSII PERTINENT COENOBII, *tam prædia, quam & famulos, & universa quæ ad se pertinent, sub tutela & defensione nostri Mondburdi. Confirmamus igitur ad partem ejusdem Monasterii per Præcepti hujus Paginam nostri* CORTEM DE PASILIANO *cum omni integritate sua & pertinentia, sicut eidem legaliter pertinere videtur* MONASTERIO SANCTI AMBROSII. *Confirmamus etiam* CORTEM DE MONTE *cum Castellis, & Cappellis duabus, unam in honorem Sancti Eusebii dicatam, alteram in honorem Sancti Vigilii Confessoris, cum rupibus, & vallibus, piscationibus, aquarum decursibus, molendinis, pascuis, pratis, silvis, paludibus, coltibus, campis, & incoltibus, omnibusque rebus, ac familiis ad prædictas pertinentibus in integrum Cortes. Confirmamus insuper* CORTEM LEMONTÆ *prædicto Monasterio; sicuti divæ memoriæ Lotharius Rex per Præceptum statuit suum. Confirmamus rursus* CORTIDELLAM VILLAM, QUÆ DICITUR ALBA, *cum omni integritate sua, & duo mansa* IN QUARTO. *Confirmamus item, quæ in* CAVENNACO ET IN VEREDERIO *omnia pertinent ad partem supradicti Monasterii Sancti Ambrosii. Confirmamus insuper* CORTEM DE OLEODUCTO *cum omni pertinentia & integritate sua. His itaque prælibatis, & sub nostro constitutis Mondburdo, & per hujus nostri Paginam Præcepti confirmatis, volumus & jubemus, ut ab hac hora in antea quæ a Nobis constituta & firmata sunt vigorem obtineant firmitatis; ita dumtaxat, ut nullus Archiepiscopus, Episcopus, nullus Dux Marchio, Comes, Vicecomes, Gastaldio, Augastaldio, nullaque nostri Imperii major mediocris vel parva vel minor persona irrumpere audeat. Si quis autem contra hujus nostri Præcepti vel etiam Mondburdi Paginam præsumptor infringere aliquid temptaverit; tamquam obnoxius debitor sciat se compositurum libras mille auri obrizi optimi; medietatem Kameræ nostræ, medietatemque prædicto Sancti Ambrosii Monasterio, cui violentiam intulerit. Ut autem hæc nostri Præcepti Pagina nunc & in futurum maneat inconvulsa; nostri Annulo, & impressione Sigilli jussimus insigniri.*

Signum Domini Otthonis, Serenissimi............ Imperatoris Augusti.

Heribertus Cancellarius, vice Petri Cumani Episcopi, subscripsi.

CXCV. Quod sequitur, *Gregorii* Papæ Quinti Diploma, eodem Anno *Christi* Nongentesimo nonagesimo octavo datum, eo lubentius a nobis in medium profertur; quia primum est, quod a Sede Apostolica Monasterio huic concessum inter Archivi nostri membranas invenerimus. Quod si *Mediolanensis* Ecclesia, ipsiusque Archiepiscopi per hæc tempora schismate illo diuturno & obstinato, quod jam sæpius exagitavimus, laborassent; quis unquam credat fore, ut Monasterium istud de obtinendo hujusmodi Privilegio quicquam curasset? Quocirca nos aliquanto etiam inde facti alacriores, en illud offerimus:

GREGORIUS *Episcopus, Servus servorum Dei. Postquam Beato Petro, Apostolorum Principi, Dominus ac Redemptor noster, Jesus Christus, ex utero Virginis pro nostra redemptione, ut erat Deus verus ante sæcula, verus homo in fine sæculorum apparere dignatus est, ligandi atque solvendi in Cœlo & in Terra potestatem tribuit, etiam januas Regni cœlestis reserandas concessit, supra soliditatem fidei suam sanctam stabilire dignatus est Ecclesiam, secundum illius veridicam vocem, dicentis: Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ Inferi non prævalebunt adversus eam, & tibi dabo claves Regni Cœlorum: & quodcumque ligaveris super Terram, ligatum erit & in Cœlo: & quodcumque solveris super Terram, solutum erit & in Cœlo. Postquam & hujus Vicarii, sincerissime Deo famulantes, carentes nebularum densitatibus, tantam dignius perceperunt potestatem, & universi curam sunt sortiti regiminis: inter quos & nostram parvitatem Dei omnipotentis misericordia connumerare dignata est. Ob hoc Universitati Credentium innotescere voluimus, quoniam* ABBATIAM, IN HONORE CELEBERRIMI CHRISTI CONFESSORIS AMBROSII NECNON VENERABILIUM MARTYRUM PROTASII ET GERVASII CONSTITUTAM, UBI EORUM SACRA CORPORA RECONDUNTUR, *per hujus nostræ Auctoritatis Privilegium integerrime corroboramus cum omnibus Ecclesiis, Oraculis, Curtibus, massaritiis, districtis ad ipsam respicientibus: scilicet* BASILIANO, MONTE, FELICIANO, LEVENIANO, CERESOLA, LEMONTA, CAPIATE, OLEODUCTO, CAMPILIONI, ANTICIACO, COLONIA, VEREDERIO, CAVENACO, VILLA ALBA, CUGNIANO *atque cum universis ad præfatam Abbatiam spectantibus: eo scilicet ordine, ut Monachi ipsius Cœnobii simul cum Abbate, qui nunc sunt, vel qui pro tempore fuerint, prætaxatas Ecclesias, Oracula, Curtes, massaritios, servos, ancillas, aldiones, & aldianas, sine alicujus majoris minorisve personæ contradictione habeant, teneant, & possideant: atque in eorum usum ac sumptum, prout melius providerint, distribuant, nostra Apostolica auctoritate concedentes. Si quis vero, quod non credimus, diabolico suasu contra hujus nostræ Apostolicæ Concessionis firmitatem in posterum agere temptaverit, & prælibati Monasterii Cœnobitas in aliquo, quod eis concessimus, inquietaverit; sit anathema horrendum a trecentis decem & octo Patribus; & ex consensu fraudis Iudæ Annaniæque adæquetur flammis; & a Patre, Filio, Sanctoque Spiritu, necnon a Beato Apostolo Petro maledictus, in præsens & futurum rei crimine astrictus semper maneat; atque a Catholica Ecclesia sit eliminatus, donec prænominatæ Abbatiæ Monachos eorumque Patrem digna satisfactione placare studuerit.*

Datum quarto Kalendas Majas per manus Joannis, Episcopi Sanctæ Albanensis Ecclesiæ, & Bibliothecarii Sanctæ Apostolicæ Sedis: Anno, Deo propitio, Pontificatus Domni Gregorii, Summi Pontificis, & universalis Quinti Papæ, in sacratissima Sede Beati Petri Apostoli secundo: imperante Domno Otthone Tertio, a Deo coronato magno & pacifico Imperatore, Anno secundo, in Mense, & Indictione suprascripta, undecima.

Scriptum per munus Petri Notarii & Scrinarii Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, in mense Aprili, & Indictione undecima. ✠ -P- BENE VALETE.

CXCVI. Hactenus *Gregorii* Privilegium. Cujus archetypum nancisci nobis adhuc non licuit. Tria tamen & perantiqua vidimus exemplaria, ex ipso exscripta: quorum duobus subscripta plurium Judicum & Notariorum testimonia majus in nobis ejus visendi desiderium excitarunt. Fidem namque illi faciunt, ea duo consentire penitus cum authentico, a se

a se viso & lecto: atque hoc ipsum concordes asserunt *ex lisca compositum & factum* fuisse: sive, ut interpretamur, e palustri ea contextum herba, quam Italice pariter *lisca* nuncupamus. Quam profecto rem, sicut admiratione, sic etiam observatione memoriaque dignam censuimus.


CXCVII. Anno Domini Nongentesimo nonagesimo nono (ut auctor est Sigonius) *Mediolani Arnulfus Secundus ab Arciago Archiepiscopus Landulfo suffectus.* A.C. 999. *Gualuaneus Flamma* in Manipulo florum Cap. 137. hunc ipsum vocat *Arnulfum de Arsago, de Seprio.* Quo scilicet additamento indicare voluit, tale illi cognomentum hæsisse ab Oppido, sive *Arciago*, sive, quod idem est, *Arsago*, quod tribus tantummodo millaribus distat *Gallarato*, perinsigni Municipio, *Sepriensis* adhuc Regionis capite. *Vir magnæ sanctitatis* ille celebratur in Catalogo tum Archipresbyteri Metropolitani, tum *Aloysii ab Ecclesia*, præterea vero etiam in Chronico *Flos florum*, fol. 127. pag. 1. & novemdecim annos Archiepiscopalem hanc Sedem tenuisse memoratur. De hujus Legatione ad Imperatorem *Constantinopolitanum* aliquid jam præmisimus Num. 128. e testimonio *Arnulfi* Historici: e quo denique constabat, *Otthonem* Tertium Imperatorem interea temporis obiisse, dum Archiepiscopus ad ipsum e *Constantinopoli* reditum acceleraret. Quoniam igitur Ottho, ut bene probat *Baronius*, obiit Anno *Christi* secundo supra Millesimum, quinto scilicet Calendas Februarii; consequens profecto illud est, nt *Constantinopolitanam* ejusmodi profectionem conjiciamus in Annum præcedentem, reditum vero in eumipsum subsequentem.

A.C. 1002 CIIC. *Arnulfus* igitur Archiepiscopus, Anno Domini Millesimo secundo e *Constantinopoli* reversus, æneum Serpentem, inde allatum, in *Ambrosiana* ista Basilica collocat. *Gualuaneus* ante alios universam nobis edisserat rei hujus historiam. In Chronico nempe Majori, Cap. 235. sic ille recensuit: *Imperator* (*Ottho* nimirum Tertius) *Arnulfum, Archiepiscopum Mediolanensem misit in Constantinopolim, ut filia Imperatoris speciosissima sibi in uxorem daretur. Et dicit Chronica Datii* (*Datium* istum vel hinc colligas ab eo diversum fuisse *Datio Mediolani* Archiepiscopo, cujus mentionem facit Sanctus *Gregorius Magnus* Lib. 3. Dialogorum, Cap. 4.) *quod, cum ad Imperatorem accederet, equum suum magnum aureis gaponibus, & argenteis clavis ferratum, super pannum aureum in domo Imperatoris collocavit. Ipse in Pontificalibus cum stola ad collum, quam semper portare solitus erat, associatus duobus Ducibus, Prælatis diversi gradus, Imperatori causam sui adventus aperuit. Consensit Imperator, & filiam suam Archiepiscopo recommendavit. Et ait Archiepiscopo, Intremus Cameram nostri Thesauri, & quidquid vobis gratum fuerit, vobis donabitur. Tunc Archiepiscopus, prout erat vir cordatissimus, Thesauro Imperatoris nihil diminuere, sed addere cupiens; annulum pretiosum, quem digito portabat, in Thesaurum Imperatoris adjecit;* PRO RELIQUIIS VERO ACCEPIT SERPENTEM ÆNEUM, QUEM MOYSES IN DESERTO FECERAT; TULIT, ET POSTEA IN ECCLESIA SANCTI AMBROSII COLLOCAVIT. *Hic petit ab Imperatore unam gratiam: scilicet, quod in ejus hospitio cœnaret. Imperator concessit. Qui considerans, quod suum.................. deformabat, in hospitio comedere; fecit præconizari, quod nullus ligna venderet; credens, quod Archiepiscopus cibum coquere non posset. Tunc Archiepiscopus, liberalior Mundi, porcorum mezenas pro lignis habuit, & mirabilem cœnam paravit. Imperator obstupuit, & dixit: Nullus in Mundo magnificentior Prælatus existit. Interim auditis novis de morte Otthonis Imperatoris, Puella cum Patre in Constantinopoli remansit, & Archiepiscopus Mediolanum rediit.* Eadem vero ferme omnia similiter *Gualuaneus* repetit in Manipulo florum, Cap. 137. nisi quod ita denique paulo expressius concludit: *Attamen, antequam illa Puella ad Imperatorem Otthonem pervenisset, Ottho moritur &c. Arnulfus vero Archiepiscopus Mediolanensis, audita morte Imperatoris juxta Portum Barianum, Puellam in Constantinopolim Patri suo remisit; ipse vero ad Civitatem Mediolanensem repedavit.* Sed & in Chronici ejusdem Majoris exemplari, quod *Ambrosiana* Bibliotheca conservat, comperi ego præterea narratum, quemadmodum *Arnulfus* Archiepiscopus, præter æneum ejusmodi Serpentem, acceperit etiam magnam partem Dominicæ Crucis, eamque hac ipsa in Basilica juxta Serpentem collocarit. Ac de Archiepiscopi quidem reditu sic ibidem legitur: *Adveniente opportuno tempore, Archiepiscopus cum Filia Imperatoris recessit: & cum pervenisset ad Portum Barianum, audivit, quod Stephania uxor Crescentii, quam Imperator viduam fecerat* (illum scilicet *Romæ* Tyrannum e Turri præcipitem dejici jubens: qua de re legi potest *Baronius* ad Annum *Christi* Nongentesimum nonagesimum sextum) *ipsum veneno extinxerat* (de hoc item videatur idem *Baronius* ad Annum Millesimum primum) *Quo audito, Puellam ad Imperatorem remisit, & Mediolanum ad suam Sedem rediit.* Post hæc vero de Serpente ac Dominicæ Crucis parte, in hac Basilica collocatis, sic ibidem Auctor prosequitur: ARNULFUS ARCHIEPISCOPUS CRUCEM MAGNAM EX LIGNO FIERI JUSSIT, ET IN CRUCIS MEDITULLIO LIGNUM DOMINICÆ CRUCIS IMPOSUIT; *propter quod, ut fertur, picturam non recepit:* EX ADVERSO CRUCIS SUPER PILAM LAPIDEAM SERPENTEM EREXIT: Ecce vero, quid item Chronicon *Flos florum* in rem præsentem recenseat. Folio utique 127. pag. 1. inter alia de *Arnulfo* isto Archiepiscopo sic habetur: SERPENTEM ÆNEUM, *quem Moyses exaltavit in deserto, de Constantinopoli Mediolanum exportavit* CUM MAGNA PARTE CRUCIS DOMINICÆ: ET IN SANCTO AMBROSIO SUPER COLUMNAS MARMOREAS EREXIT. Quibus profecto verbis Chronologus hic aperte significat, non Serpentem modo, sed etiam partem illam Dominicæ Crucis erectam fuisse supra suam separatim columnam. Ac Serpens quidem supra suam visitur adhuc erectus in Basilicæ latere, ingredientibus per portam maximam sinistro. Dominicæ vero Crucis pars veteri traditione creditur insita prægrandi ei vetustæque Cruci, quæ in ejusdem Basilicæ dextro latere pendet e lapidea pila, quæ Serpentis columnæ paulo minus quam per lineam rectam ex adverso respondet. Itaque prope hanc ipsam pilam ego mihi facile persuaserim alteram olim extitisse columnam, Serpentis columnæ recta oppositam ex adverso, cui Dominica Crux insisteret erecta; itaut recta in latere dextro figuratum, in altero autem figura conspicerentur. *Mosaycum* enim Serpentem fuisse Crucis Dominicæ typum & figuram, sine dubio constat, multisque Patrum testimoniis ex instituto probant *Jacobus Gretserus* De Sancta Cruce, Lib. 1. Cap. 45. & *Jacobus Bosius* in Tractatu a se inscripto *La tronfante Croce*, Lib. 3. Cap. 16. Forte autem ipsiusmet Serpentis columna, sicuti nunc porphyretica est, & prægrandis; sic ex alio lapide, ac longe minor antehac fuerat; qualis nempe congrueret capitulo illi, e quo Serpens ipse, ad medium ventris plumbo insitus, hodieque se attollit.

CIC. Ejusmodi porro Serpentem, vel ipsummet esse *Mosaycum* (de quo Liber Numerorum, Cap. 21.) ab *Ezechia* postmodum Rege (prout habetur Lib. 4. Regum, Cap. 18.) propterea confractum, quia Israelitæ incensum ei adolerent; sed postea col-

lectis & ex ordine coagmentatis fragminibus redintegratum: vel ex ipsius saltem ære liquefacto conflatum: atque ab *Arnulfo* Archiepiscopo, nominis hujus Secundo, e *Constantinopoli* translatum, & in hac Basilica collocatum: certe consentiunt etiam plures Archiepiscoporum nostrorum Catalogi, nimirum, & insertus Actis Ecclesiæ *Mediolanensis*, & inscriptus *Successores Sancti Barnabæ*, & ii pariter ambo, quos nobis Archipresbyter Metropolitanus, itemque Urbis hujus Secretarius commodarunt: præterea vero etiam *Bernardinus Corius* in Historia *Mediolanensi* ad Annum *Christi* Undemillesimum: *Gaspar Bugattus* in Historia sua Universali, inter Annum *Christi* Nongentesimum nonagesimum sextum & Millesimum secundum: *Paulus Morigia*, *Joannes Franciscus a Basilica Petri*, & *Joannes Baptista Villa*, in Libris illis aliquoties in hoc Opere jam citatis de septem Urbis hujus Ecclesiis: sic etiam *Joannes Franciscus Besutius* in sua *Mediolanensium* Pontificum Historia. Sed enim nonnulli etiam ex his Scriptoribus in eo interim errant, quod ejusmodi Serpentem asserunt Archiepiscopo huic nostro datum a *Constantinopolitano* Imperatore *Nicephoro*: quem alioqui aliquot ante annos necatum fuisse satis jam constat ex iis etiam, quæ nos ipsi jam supra produximus Num. 182. Quibus profecto ii etiam turpius errasse convincuntur, qui Serpentem istum retulere acceptum *Arnulfo* Archiepisco, non Secundo, sed Primo: quo scilicet tempore *Nicephorus* filiam suam *Theophaniam Otthoni*, non Secundo (sicut affirmantem jam vidimus Num. etiam 180. nedum 182. *Sigonium*) sed Tertio dispondisset: quasi vero *Theophania*, quod certissimum est, *Otthoni* Secundo nupta non fuerit.

CC. Placet autem hic etiam separatim recensere quæ de Cruce illa, quæve de Serpente juxta illam posito leguntur in Archiepiscopali Visitatione, qua Sanctus *Carolus Borromæus* hanc Basilicam lustravit Anno *Christi* Millesimo quingentesimo sexagesimo sexto. Ista nempe illic habentur: *Altare, Crucis Rubeæ nuncupatum, secus pilastrum, in medio Ecclesiæ constructum* (ad eam quippe Crucem decursu temporis Altare construxerant) *fuit dotatum a quondam Domno Stephano de Rosate. Possidetur per præfatos Venerabiles Monachos. Hoc Altare, sicut supra, in medio Ecclesiæ constructum, & ornatum Ecclesiæ quodammodo impediens, videretur tollendum* (sicut & re ipsa sublatum fuit) *& ad aliud Altare transferendum. E contra hoc Altare adest quidam Serpens æneus, in summitate cujusdam columnæ marmoreæ impositus: qui vulgo habetur pro illomet, quem Moyses in deserto ex præcepto Dei pro epidemia sedanda fabricare fecit. Est quædam superstitio ibi mulierum pro infantibus morbo vermium laborantibus.* De qua quidem superstitione plerique agunt Scriptorum, quos paulo ante memorabamus. Quamquam etiam *Bugattus* (& ille quidem Ordinis Dominicani Religiosus) acriter contendit, non superstitionis, sed pii cultus fuisse, quod ante Serpentem illum & Crucem infantes sisterentur, prima nimirum die post Dominicæ Resurrectionis celebritatem: quæ tamen consuetudo jam penitus exolevit. Ceterum in veteri Tabella Indulgentiarum, antiquitus huic Basilicæ concessarum, sic etiam scriptum invenimus: *Item cuilibet personæ visitanti gloriosissimam Crucem, quæ posita est in medio Ecclesiæ juxta Serpentem æneum, sunt omni die anni quinque: & in die Veneris duplicantur.* Illud autem nobis observatu similiter dignum videtur, quod in hac Basilica non alibi, quam juxta eum Serpentem; tamquam utique juxta propriam sui figuram, imago Crucis hodieque conspicitur; cum alioqui ea in reliquis Urbis & Diœcesis hujus Ecclesiis, ac præsertim insignibus, ex antiquo solita fuerit collocari sub ipso Cappellæ Majoris fornicato Arcu, inter Alta-



A re Majus & populum; sicut etiam postmodum a Sancto *Carolo* inter Ecclesiæ *Mediolanensis* Acta pluries cernimus præscriptum, ut omnibus in Ecclesiis, & præsertim Parochialibus, servetur.

CCI. Quid, quod autem hujusmodi Serpentem nonnulli asserunt ab ipsomet Sancto *Ambrosio* in hac sui Basilica erectum? In hanc sententiam proferre in primis præstat, quæ doctissimus pariter ac humanissimus Pater *Matthæus Valerius*, Num. 182. memoratus, nobis suppeditavit, e Manuscripto Chronico, quod *Petri Sorexinæ* Theologi Opus esse opinatur, a se verbatim deprompta. *Præfatus Divus Ambrosius* (verba sunt Auctoris) *a Theodosio habuit illum pretiosissimum Clavum, qui erat in Constantinopoli, in forma frœni equi factum per Beatissimam Helenam, matrem Magni Constantini Imperatoris: qui fuit unus ex Clavis infixis in corpore Domini nostri Jesu Christi. Item ipse Sanctissimus Ambrosius in ipsa Civitate Constantinopolitana invenit* UNUM SERPENTEM ÆNEUM, *qui dicebatur & adhuc hodie dicitur* SERPENS MOSAYCUS: *quem fabricari fecit Moyses in deserto jussu Dei: & iste Serpens figurabat futuram Passionem Jesu Christi. Et ista secum tulit & portavit Mediolanum. Clavum autem, scilicet frœnum, cum immensa reverentia, & populi devotione, & lachrymarum effusione, propriis manibus collocavit in Ecclesia Sancti Salvatoris, quæ nunc dicitur Sanctæ Theoclæ:* SERPENTEM AUTEM ÆNEUM COLLOCAVIT IN ECCLESIA SANCTORUM MARTYRUM (Protasii & Gervasii) QUÆ NUNC DICITUR SANCTI AMBROSII SUPER UNA COLUMNA LAPIDEA, *juxta Crucem, quæ est cooperta panno rubro: quæ Crux in diversis temporibus ostendit multa miracula.* Hæc igitur Auctor hujus Chronici loquitur, Sancti *Ambrosii* tempus & acta enarrans. Verumtamen ad *Arnulfi* postea Secundi Archiepiscopatum progressus, eundem Serpentem illimet ipsi asserit ab Imperatore *Constantinopolitano* donatum; sicut idemmet Pater *Valerius* accurate observavit, meque fecit certiorem. *Albertus* porro *Leander* in sua Universæ *Italiæ* Descriptione, qua scilicet parte *Mediolanum* describit, tam de sacro illo Clavo, quam de Serpente hoc *Mosayco*, sic adhæsit Chronologi ejus sententiæ, ut ipsamet ejus verba, nuperrime a nobis recitata, *Italice* reddiderit. Vide autem, quemadmodum *Franciscus Schottus* in suo Itinerario *Italiæ*, Libro primo, eandem sententiam paucioribus hisce verbis expressisse videatur: *Ostenduntur insuper variæ in Sacrario Divorum Reliquiæ sanctæ: atque inter eas* ÆNEUS SERPENS, IN MARMOREA COLUMNA POSITUS: *munus a Theodosio Augusto quondam allatum Mediolanum, cum uno Clavo ex iis, quibus in Cruce Servator noster fixus. Clavus autem in Divæ Theclæ Templo servatur: Serpentis hujus imago habetur pro eadem, quam Moyses in deserto Judeis suis fabricavit.* Loquitur autem hoc loco *Schottus* de *Ambrosiana* ista Basilica: quam tamen perperam (quod extero condonandum est homini) *Ædem Divi Ambrosii in Nemore* appellat; cum hæc alioqui Ædes in *Portæ Cumanæ* suburbio existat, & ab hac nostra Basilica circiter unum milliare distet. Legatur vero etiam Tractatus ille de variis per *Mediolani* Urbem ac Diœcesim Indulgentiis ac Sanctorum Corporibus, Millesimo quingentesimo decimo quinto Anno typis editus, cujus item alias testimonio usi sumus. In eo nimirum tam Serpentis hujus, quam ejus Crucis erectio, tamquam e priscorum Regestorum auctoritate, non alteri, quam Parenti nostro *Ambrosio* adscribitur. Ibidem vero per visum celitus immissum *Ambrosius* in Urbe *Roma* invenisse affirmatur eam Tabellam, cui Pilatus inscripserat JESUS NAZARENUS, REX JUDÆORUM, eandemque occulto *Mediolanum* allatam, Cruci juxta Serpentem hic erectæ inseruisse. Quod a no-

a nobis credi non patitur eamet lignea Tabella, *Romæ* adhuc in Templo Sanctæ Crucis adservata: nisi forte partem solummodo aliquam ipsius interpretemur Cruci huic insertam fuisse. Siquidem *Romæ* item non integra extat, sed ejus solummodo fragmentum; sicuti *Jacobus* etiam *Gretserus* Libro primo *De Sancta Cruce*, Cap. 28. testatur.

CCII. Sic itaque *Mosaycum* adhuc Serpentem, vel ex parte, vel in totum, Basilicæ huic nostræ vendicavimus, sive Sanctus *Ambrosius*, sive *Arnulfus* Secundus Archiepiscopus hic illum erexerit. Sequitur nunc, ut videamus, quemadmodum Scriptores nonnulli, vel etiam nostrates, pro *Mosayco* nobis profanum æthnicumque Serpentem obtrudant. quos alioqui vel ipsemet Serpentis nostri situs (quippe tam sacra & religiosa in Æde; quippe juxta Dominicam Crucem, tamquam figura juxta sui figuratum) saniora docere meditamenta potuerat. Quos quidem ita sensisse, tum vero magis etiam miramur, quando simul in hoc Sancti *Ambrosii* operam nobis æque oggerunt. *Flavius* ante alios *Blondus* ita nobis edisserit e vana pariter ac ridicula *Phœnicum* Theologia, quam coarguere orsus erat: *Unde fælicem Dæmona* (Phœnices) *appellant Serpentem: cui divinissimo, ut dicunt, animali, Ophioni appellato, sicut cæteris Diis, immolabant. Quam admiratus insaniam* BEATUS ECCLESIÆ DOCTOR AMBROSIUS, *ut sacratissimam Dei nostri Jesu Christi Religionem Christianis hominibus redderet gratiorem; hunc* OPHIONEM, *qui & Latine Serpens dicitur, qualis a Gentilibus Italicis, Phœnices imitatis, colebatur,* IN SUA MEDIOLANENSI ECCLESIA CONSERVARI VOLUIT: QUI ETIAM NUNC INTEGER CONSPICITUR. Huic autem *Blondi* commento simile pariter illud est, quod in suo Chronico *Mediolanensi Donatus Bossius* producit, exorsus ab Anno *Christi* Trecentesimo nonagesimo, ac de Sancti *Ambrosii* obitu locutus. Ita namque ille scribit: *Instauravit* (Ambrosius) *hoc idem Templum* (sive *Ambrosianam* istam Basilicam) *quod ejus tempore sub Bacchi titulo colebatur* (nos quidem ista necdum credere potuimus) *verum ante Christi adventum Æsculapii, Medicinæ Inventoris, fuerat.* Sed qualinam, *Bossi* argumento id probabis? *Argumento est* (subdit) *quod adhuc in medio fere Templi, in marmorea columna* ÆNEUS SERPENS ERECTUS EST: *in qua forma Æsculapius colebatur, quem populus in languorum remedia suppliciter visere solebat; Quæ superstitio usque adeo invaluit, ut nunc quoque prima feria post Dominicam Resurrectionem, quo die Sancti Angeli festum celebratur, per singulos annos pueri eo contra lumbricum infestationes deferri soleant.* Atqui, si pueri superstitiose illuc deferebantur; probare *Bossius* debuerat, ejusmodi superstitionem continenter ex ea profectam fuisse, qua *Mediolanenses* olim Ethnici *Æsculapium* sub ea Serpentis figura coluerint. Sequitur porro *Bossius*: *Nec verum est, quod in Chronicis Mediolanensibus scriptum est: a quodam Archiepiscoporum in memoriam ejus, quem Moyses in deserto divina admonitione ad arcendam serpentum sævitiam a populo Israel, quo die eum visitasset, fabricavit, fuisse impositum; cum fideliores de hac re Scripturæ extent.* Quidni vero Scripturas istas proferebat? Sed quænam ea fuerint, forte comperiemus e *Francisco Ciceræo*. Hic Antiquorum Monumentorum Urbis *Mediolani*, ab *Alciato* prætermissorum, binos conscripsit ad *Galeatium Brugoram* Libros: quos *Ambrosiana* Bibliotheca manuscriptos, neque typis hactenus unquam editos, conservat. Libri ergo primi Monumentum duodecimum esse voluit ænei Serpentis in *Ambrosiana* Basilica simulachrum. Itaque hoc præmisso titulo, *Serpentem pro Æsculapio a Veteribus cultum, & eidem dicatum fuisse*, unius *Bernardini Arluni* testimonium tam multis aliorum testimoniis audacter opponit, huncque

A differit in modum: *Admirandum etiam Veterum artificium in hac ipsa Æde* (Ambrosiana) *ostentat Serpens ille, columnæ impositus, & maxime conspicuus, ex ære perfectus: quem imperiti eum esse opinantur, quem Dei Optimi Maximi jussu mandatove de furcula suspendit Moyses. Aliter, & vere (ut opinor) de hoc ipso sentit. Arlunus Jurisconsultus in eo Libro, qui de Originibus Urbis Mediolani inscriptus est* (ipsum ego, tametsi vestigatum, videre adhuc & invenire non potui) *esse videlicet Serpentis Epidaurii simulachrum, pro Æsculapio a Veteribus cultum. Novimus ex Lucii Flori Libro* XI. *Plinio Cæcilio de Viris illustribus Cap.* **B** 22. *Plinio Naturalis Historiæ Libro* 29. *a laborantibus pestilentia Romanis pro Æsculapii simulachro Anguem Epidauro Romam esse advectum: quem Plinius Senior loco jam citato refert ideo Æsculapio esse dicatum, quod inesse ei remedia multa creduntur. Existimant enim veteres Æsculapium Medicinæ potentissimum.* Nec plura in hanc sententiam *Ciceræus*. Bene autem se res habet, quod & ipse notam imperitiæ vicissim a *Josepho Ripamontio* recepit. Libro enim Quinto Historiarum Ecclesiæ *Mediolanensis*, de hoc Serpente *Ripamontius* ita exorditur: *Est in Ambrosiana Æde Anguis æneus: quem, trisulca micantem lingua, & ferociter arrectum, columna vetustissimi operis attollit.* **C** VULGUS IMPERITUM *Insigne hoc ipsius Æsculapii diu credidit esse; cum eam famam accepissent sine capite & authore.* Quæ porro tam hic, quam postmodum etiam Libro Nono de *Arnulfo* Primo Archiepiscopo agens, de hoc Serpente prosequitur: eadem Lector in ejus primo Historiarum Volumine perlegat. Sed multo etiam plura inveniet apud *Tristanum Chalcum*, Historiæ Patriæ Libro Tertio non procul ab initio, & Lib. 6. ad Annum Millesimum undevigesimum: quæ nos brevitatis gratia omittimus; hoc excepto, quo ille pessime accipit opinionem ceteroqui tam multis comprobatam. *Alterum* (inquit Lib. 3.) *signum, marmoreæ columnæ superstat* **D** *ex ære Serpens, arrecto capite, hianti ore, vibranti lingua, cauda in ventos sinuosa, media vero corporis longitudine penitus in orbem convoluta. Cujus auctorem equidem adhuc non probo: neque admitto fabulas, quæ vulgo circumferuntur; quibusdam dicentibus allatum Constantinopoli ab Arnulfo Mediolanensi Archiepiscopo, delectum optione facta ex omni Imperatoris gaza, & ejus vice annulum cum prægrandi gemma ab eo depositum. Vanitatis enim argumentum censui; quod alter Arnulfus, Archiepiscopi gentilis, & rerum diligens Scriptor, nullam omnino mentionem de eo facit.* Vere nullam: non inficiamur: idque jam fassi fuimus Num. 182. Atqui luculentam ille mentionem facit **E** saltem de *Constantinopolitana* ejus Archiepiscopi profectione: ipsumque testatur Imperatori *Constantinopolitano* ita charum fuisse, ut, quicquid poposcit, impetraverit. Quo per eum Historicum testato; quid vetat quin congruenter ad ejusmodi testimonium Archiepiscopus ille noster regium aliquod ejusmodi munus ab eo receperit Imperatore, tametsi munus illud ab eo ipso Historico nullatenus memoretur? Quam multa vero sunt insuper alia, quæ ille idem per ea tempora silentio involvit, penitusque prætermisit? Præ multis aliis, quæ proferri possent, exemplo nobis sit sacri Fratrum Humiliatorum Ordinis origo: quam idem ipse *Chalcus* Anno *Christi* Millesimo decimo nono deducit e quibusdam præ- **F** sertim *Mediolanensibus* & *Comensibus*, quos *Henricus* Imperator, abductos a se in *Germaniam* exules, ac religiosæ postmodum illic vitæ studio ductos, in patriam redire tandem permiserit. Et tamen de hujusmodi Humiliatis muta penitus est *Arnulfi* Historia. Denique vero etiam celeberrimum illud apud Dialecticos pronunciatum nos quidem hac in re fidenter *Chalco* opponimus: Argumentum, negative desumptum ab alicujus auctoritate ac testimonio, nihil pror-

prorsus concludit. *Arnulfus* Historicus, & quidem diligens, non meminit, ejusmodi Serpentem *Constantinopoli* ad hanc Basilicam ab *Arnulfo* illo Archiepiscopo fuisse allatum; igitur ille re vera non fuit ab ipso huc allatus; allatumque dicere, vanitas est, fabula est. Negamus nos utique conclusionem: ac si non ipse meminit; certe tamen alii Scriptores, & docti & graves, meminere; ut supra jam vidimus. Sed enim de Serpente isto æneo satis hæc sunto. Nunc ab *Otthonis* Tertii obitu ad ipsius Successorem, atque ad alia nostro consentanea instituto progrediamur.

CCIII. *Otthonis morte comperta* (inquit *Sigonius* initio Libri Octavi, ad eundem Annum *Christi* Millesimum secundum) *pristinus repente de recuperando Regno Lombardiæ tumultus, ac vetus seditio renovatur. Ejus initium ab Ardoino* (ab aliis *Arduinus*, vel *Harduvigus*, *Harduvicusve* nominatur) *Dodonis filio, Eporediensi Marchione, profectum est &c. Itaque Conventu super ea re Papiæ antiquo Longobardorum more indicto, frequenti Concilio, Rex Italiæ ut creetur, omnium consensione decernitur. Nec dubium fuit, quin Ardoinus ipse, Conventus auctor, consentientibus Principum suffragiis legeretur, idemque extemplo regiis insignibus ornaretur. Itaque, Ardoino regnante, Tabulæ scriptæ Mutinæ adhuc apud Canonicos, Papiæque apud Monachos Sancti Salvatoris leguntur. Arnulfus* Archiepiscopus, quo tempore *Ardoinus* in ea Synodo creatus fuit Rex, nondum e *Constantinopolitana* Legatione redierat; sicuti *Tristanus* etiam *Chalcus* observavit. Cum ergo rediisset; eodem teste Sigonio, *cum dignitatis tum animi altitudine nixus, insignem sibi injuriam factam denunciat, quod injussu suo Rex Italiæ lectus & coronatus sit: cujus a Carolo Magno jus nulla interruptum iniquitate temporum fuerit. Ob eam rem Episcoporum Abbatumque Concilium Laude convocat, atque frequenti concione antiquum decretum Divi Gregorii Pontificis recitat: in quo diserte scriptum sit, ut, vacante Italiæ Regno, Archiepiscopus Mediolani intra dies quatuordecim Suffraganeos suos advocet, atque ex illorum sententia Regem Italiæ creet. Inde in Ardoinum conversus, neque recte neque ordine fecisse illum ostendit: qui, se inscio, Conventum Principum advocarit, ad eosque de Rege creando retulerit, ac lectus denique contra omnia vetustatis exempla ab alio, quam a seipso, regium diadema susceperit. Itaque videndum sibi esse, ut jus suum retineat. Proinde, si eis videatur, Ardoinum Regem vitio factum pronunciare, atque Henricum Bavariæ Ducem, a Germanis Proceribus Regem Germaniæ subrogatum, more instituto Regem Italiæ destinare. Atque ita, sententia ejus approbata, Conventus dimittitur.* Hactenus *Sigonius*. Certe autem hoc ipso Anno *Henricum* istum creatum fuisse Italiæ ac *Longobardorum* Regem, constabit etiam ex ipsius Diplomate, quod paulo post a nobis in medium proferetur.

CCIV. Interim Anno Domini supra Millesimum
A.C. 1003. tertio Abbatem Monasterii hujus nomine *Joannem* habemus: idemque mox in prædicto *Henrici* quoque Regis Diplomate memoratus nobis occurret.

CCV. Eodem Anno validus *Henrici* exercitus, ab ipso in *Italiam* missus, *Otthonique* Duci ad regendum traditus, in Campo *Fabricæ* ad *Alpes* in fugam conjicitur ab *Ardoino*. *Quo audito* (subdit *Sigonius* ad eundem Annum) *Henricus, transalpinis bellis prægravantibus, Ardoinum atque Italiam in præsens omittere est coactus*. Sed interim tamen nihilominus se tanquam Regem Italiæ gerebat; neque *Mediolanenses* una cum Archiepiscopo alium admittebant.

CCVI. Anno siquidem quinto supra Millesimum
A.C. 1005. *Henricus*, Trajecti agens, die secunda Maji Monasterium istud sequenti donavit Privilegio, rogatus a *Joanne* Abbate, hinc ad ipsum profecto:

IN Nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. HEINRICUS, *divina favente clementia, Rex Francorum, atque Longobardorum. Semper enim justum Nobis esse videtur, quatinus justis petitionibus nostrorum Fidelium aures benignas accommodare non differamus, pro quibus eos fideliores esse nobis nullo modo dubitamus. Unde fore notum volumus omnibus nostris Fidelibus, sub nostro jure & regimine degentibus*, JOHANNEM, ABBATEM ABBATIÆ SANCTI AMBROSII SANCTORUMQUE MARTYRUM PROTASII ATQUE GERVASII, UBI EORUM CORPORA REQUIESCUNT NOBILITER TUMULATA, *nostram Dorinburg petiisse clementiam: quatinus Cortes supradictæ Abbatiæ pertinentes cum omni sua integritate per hujus nostri Præcepti Paginam confirmando concederemus. Hanc igitur justam petitionem considerantes & dignam; non ejus petitionis preces turbavimus; sed pro animæ remedio nostræ statim concessimus; & hac Pagina nostri Præcepti confirmare non tardavimus. Quocirca, nullatenus prædicti Abbatis renuntiata petitione, has Cortes, quas Piissimi Reges Ugo & Lotharius, prædecessores nostri, pro salute animarum suarum supradictæ Abbatiæ dederunt, cæterique tam Reges quam Imperatores concedendo confirmaverunt, videlicet* LEMUNTAM, FELICIANUM, PASILIANUM, ET MONTEM, *concedendo confirmamus & corroboramus supradicto Monasterio, cum omnibus ad se pertinentibus, cum superioribus scilicet & inferioribus, cum servis & ancillis, aldionibus & aldiabus, cum Cappellis, castris, vineis, campis, pratis, pascuis, silvis, montibus, alpibus, aquis, aquarumque decursibus, molendinis, piscationibus, ac cum omnibus eisdem pertinentibus. Insuper concedendo confirmamus per hanc nostri Præcepti Paginam* EIDEM MONASTERIO SANCTI AMBROSII, ATQUE SUPRADICTÆ ABBATIÆ SANCTORUM MARTYRUM PROTASII ET GERVASII, *Mansos duos, unum* IN MELONICO, *alium* IN VILLA CLEPIATE, *quos præcessor noster Karolus prædictæ Abbatiæ confirmavit. His itaque prælibatis firma ac stabili mentis intentione omnia supradicta confirmamus in integrum: ea videlicet ratione,* UT ABBATIA PER OMNIA BEATI AMBROSII ATQUE BEATORUM MARTYRUM PROTASII ATQUE GERVASII SUPRADICTAS CORTES, LEMONTAM, FELICIANUM, PASILIANUM, ET MONTEM, *necnon & suprascriptos duos* IN MELONICO ET CLEPIATE *Mansos habeat; ita ut nullus Dux, Marchio, Comes, Vicecomes, Gastaldio, nullusque Episcopus, nullaque nostri Regni magna parva mediocris vel minima persona, contra hoc nostrum Præceptum de supradictis rebus agere præsumat. Si quis autem infelici animo, quod absit, corruptus contra hoc nostrum Præceptum agere temptaverit, aut quod semel a Nobis præceptum est infringere voluerit; sciat se compositurum auri optimi libras mille; medietatem Kameræ nostræ, & medietatem prædictæ Abbatiæ, cui violentiam intulerit. Quod ut verius firmiusque credatur, diligentiusque ab omnibus observetur; manu propria corroborantes, Sigilli nostri impressione subtus jussimus insigniri.*

Signum Domni Heinrici Regis............ Invictissimi. Egilbertus Cancellarius, vice Vuilligisi Archicappellani, recognovit: Anno Dominicæ Incarnationis Millesimo quinto, Indictione secunda, Anno vero Domni Heinrici secundi Regis tertio. Data sexto Nonas Maji, Actum Trajectum fæliciter. Amen.

CCVII. Perhonorificum fuisse olim Custodis nomen in Ecclesia *Mediolanensi*, satis jam e superioribus liquet, ac nominatim etiam e Num. 18. Ibi A.C. 1007. *Eribertum de Antimiano*, qui post *Arnulsum* Secundum *Mediolanensis* Archiepiscopus fuit, asserebamus Anno *Christi* Millesimo septimo Ecclesiæ Metropolitanæ Subdiaconum, ac simul etiam *Vincentianæ* apud

apud *Canturium* Ecclesiæ Custodem fuisse. Tempus ergo jam est, ut hoc ipsum comprobemus. Certe autem lapidea & antiqua Inscriptione ita comprobabimus, ut posteritati non displiceat eam inspexisse qualem nos proferemus. Eandem recitant etiam *Carolus a Basilica Petri*, qua parte inter Fragmenta Historiæ *Mediolanensis* agit *De Corporibus Sanctorum Innocentii*, *Adeodati*, *& aliorum*, *qua sunt Canturii:* & *Philippus Ferrarius* in Catalogo Sanctorum *Italiæ*, sub secunda Julii die, in Sancto *Adeodato* Presbytero *Galliani*. Sed illi non sine mendo aliquo, vel lacuna; sicuti constabit e collatione, quæ fiat cum nostro exemplari, quod mox dabimus hic exscriptum. Idipsum nos accepimus olim descriptum ea ipsa characterum figura, qualis in utroque lapide conspicitur adhuc, sed ægre, sed vetustate admodum exesa. Etenim rogatu nostro recenter etiam per nostrum illic amicum recognita fuit. Ejusmodi vero exemplar ab Hæredibus *Joannis Pauli de Clericis* accepimus. Sacerdotis ejus, Sacrarum præsertim Cæremoniarum ac Rituum peritia celeberrimi fama etiamnum durat. Tempore autem Sancti Cardinalis & Archiepiscopi *Caroli* summa cum laude Magisterium Cæremoniarum per aliquot annos in Ecclesia ille *Metropolitana* exercuerat: & postquam dilectissimæ *Carolo* Congregationis Oblatorum Sancti Sepulchri Præpositus aliquandiu fuisset, *Nazarianæ* demum Basilicæ Canonicus fuit: cumque *Antonium de Clericis*, suum ex fratre nepotem, Theologum ac Philosophum Rhetoremque præcellentem, sibi substituisset, interiit. Ipse siquidem inter alias sui schedas exemplar ejusmodi habebat. Prope *Canturium* igitur, agri *Mediolanensis* Municipium insigne, vetus extat Ecclesia, Sancto *Vincentio* sacra, Plebsque *Galliani* nuncupata: ubi Præpositus demum & Canonici erant, priusquam Sanctus illos *Carolus* inde transtulisset. De hac vero Sancti *Vincentii* Ecclesia sic in ea legitur scheda, quam ego multis ab hinc annis apud me charissimam conservo: *In Confessione* (sive Scurolo) *Sancti Vincentii*, *supra Mensam Altaris.*

B. M.

Hic requiescit in pace Sanc. M. Adeodatus Presb. qui vixit in sæculo ann. plus minus octoginta quinque. Depositio sub die nono Kalendas Julii, Probo Jun. CConsule per. Indictione tertia. Dehinc vero protinus: *Post dictum Altare, in lapide, quem dicunt fuisse in fronte Altaris:* ✠ *Sexto Nonas Julii Translatio S. Adeodati, & Dedicatio istius Ecclesiæ. Et ibi requiescunt in pace B.M. Ecclesius & Manfredus Presbyteri, seu Savinus Diaconus. Qui fuerunt inventi juxta Sepulchrum ipsius Sancti Adeodati Anno Domini Millesimo septimo, Indictione quinta, tempore Domni Ariberti de Antimiano, Subdiaconi Sanctæ Ecclesiæ Mediolanensis, & Custodis istius Ecclesiæ, seu tempore Henrici Regis.* Hæc apud nos in ea scheda: e quibus suppleantur, vel emendentur, quæ desunt, vel diversa sunt, apud *Carolum a Basilica Petri* & *Philippum Ferrarium*, ac si qui forte sunt alii. Sed enim ea Sanctorum Corpora inde tandem in Collegiatam *Canturii* Ecclesiam solemniter translata fuerunt post Annum Domini Millesimum sexcentesimum trigesimum primum.

CCVIII. *Baronius Henricum* Anno *Christi* quinto supra Millesimum tradit a *Mediolanensi* Archiepiscopo coronatum *Italiæ* Regem in Urbe *Papia* fuisse: testemque profert *Dithmarum* Historicum, *Henrici* hujus Vitæ accuratissimum Scriptorem: cujus tamen Historiam ego hactenus invenire non potui. Attestante igitur *Baronio*, sic ille scribit Libro Sexto: *Post hæc Papiam* (Henricus) *visitans Urbem, ab Archiantistite hoc, nempe Mediolanensi, & a Primis illius Regionis susceptus, cum ad mirabili laude ad Ec-*
A *clesiam ducitur, & communi electione sublimatus, in solium regale collocatur.* Quid autem vetat, quominus Papiæ collocari regio in solio potuerit, ac postmodum *Mediolani* coronari? Summatim porro *Baronius* subinde alia quædam prosequitur a *Dithmaro* narrata, & hoc nominatim: *Inde vero* (scilicet ex Urbe *Papia*) IDEM REX MEDIOLANUM AMORE SANCTI AMBROSII ACCESSIT. Et hic quidem ipsum tunc ego potius crederem coronatum de more fuisse. *Sigonius* Coronationis hujus locum reticet, A.C. 1013. atqui tempus asserit fuisse Annum decimum tertium supra Millesimum. *Gualuaneus* enimvero *Flamma* in Manipulo florum Cap. 138. expresse testatur in hæc verba:
B *Hic Henricus &c. in Italiam venit: & intrans Civitatem Mediolani*, IN ECCLESIA SANCTI AMBROSII DE MANU ARNULFI ARCHIEPISCOPI, AMICI SUI, IMPERII CORONAM ACCEPIT. Quod ipsum alterius etiam Chronici testimonio confirmat in Chronico Majori, Cap. 237. Sed & hoc ipsum præcise affirmatur in Catalogo cum Archipresbyteri Metropolitani, tum etiam Secretarii hujus Urbis, excepto quod pro *Arnulfo* Secundo Archiepiscopo successorem ipsius *Heribertum* perperam nominant. Uterque siquidem sic habent: *Istius* (Heriberti) *tempore Henricus Primus, Imperator nonagesimus nonus,*
C *imperavit annis sexdecim. Ab Heriberto Archiepiscopo prædicto* IN ECCLESIA BEATI AMBROSII CORONATUR *super totam Italiam, Saxoniam, & Normandiam.* Sic itaque nos item illum in hac ipsa fuisse *Basilica*, nedum in Urbe, coronatum existimamus: quodque attinet ad tempus, *Sigonio* potius assentimur.

CCIX. Quemadmodum autem *Sigonio* eidem ad Annum *Christi* Millesimum septimum, sic etiam nobis in præsenti visum est illud animadversione dignum, *cum horum etiam temporum consuetudo ferret, ut omnes ederent, qua quisque Lege vivere vellent, Romana, Longobarda, an Salica; Bonifacium* (pater hic
D fuit Comitissæ Mathildis) *Longobardam esse professum, Mathildem vero Salicam: quod ex eorum Tabulis, quæ plurimæ in Ecclesia Mutinæ asservantur, cognoscitur.* Vide autem, quemadmodum in aliqua ejusmodi Legum servanda filii non deberent semet accommodare patri, sed certe quidem uxor marito. Sic ergo subdit idem *Sigonius*: *Quod in patre & filio* (sicut exemplo *Bonifacii* patris ejusque filiæ *Mathildis* nuperrime ostenderat) *non idem in viro & conjuge observatum. Unde in eodem Tabulario per hæc tempora sic scriptum invenitur: Maria, quæ professa sum Lege vivere Romana, sed nunc pro ipso viro meo Lege Longobardorum vivere videor, qui professus est ex Natione*
E *sua Lege vivere Longobardorum.* De hac ipsa Legum ejusmodi professione *Chalcus* itidem ad Annum Millesimum decimum nonum in hæc verba disserit: *Per ea quoque tempora, & in trecentos amplius ab hinc annos, video, invaluisse morem distinguendi homines ex trifaria legis professione. Nam ut olim Romæ ex Tribubus Civitatis, & nunc ex Porta Parochiaque; ita tunc alius Lege Romana, Longobarda alius, alius Salicha se vivere profitebatur, quoties nomen in publicum Monumentum dabant. Duarum primarum nomina satis clara per se sunt; de Salicha vero diu dubitavi. Demum occurrit Gallicanarum rerum Scriptor: qui tradidit, Faramundum, Francorum Regem, temporibus Honorii & Ar-*
F *cadii Cæsarum, ejus Legis auctorem fuisse &c.* Talia igitur *Sigonius* & *Chalcus*. Atqui nos talem *Longobardorum* Legis professionem jamdudum legimus etiam in *Ansperti* Archiepiscopi Testamento: quod Num. 129. Annoque *Christi* Octingentesimo septuagesimo nono proferebamus.

CCX. Annus *Christi* nobis sequitur supra Millesimum A.C. 1014. decimus quartus, Imperiali Regis *Henrici* Coronatione insignis. Ut enim optime probavit etiam *Baro-*

Baronius ad initium hujus Anni, *Henricus* ejusque conjux *Chunegundis*, ambo deinde separatim a Deo inter Sanctos in Cœlis coronati, una simul *Romæ* a *Benedicto* Papa Octavo Augustali Corona decorantur vigesima quarta mensis Februarii die. Primusne vero an Secundus hujus nominis Imperator sit dicendus: in hoc variant Scriptores: totaque pendet inde varietas, quod alterum quendam *Henricum*, Primi *Otthonis* patrem, nonnulli computant inter Imperatores; alii vero non computant; eam quippe ob causam; quia electus ille quidem, sed a Pontifice *Romano* coronatus non fuerit. Videri potest hac de re Sanctus *Antoninus* Secunda Parte Chronicorum, Tit. 16. Cap. 4. Nos interim, sicut ipsum paulo ante videbamus a semetipso nominatum *Henricum* Regem hujus nominis Secundum; sic *Henricum* Primum Imperatorem appellabimus.

A.C. 1016. CCXI. Anno Imperii *Henrici* Imperatoris secundo mense Septembris, Indictione quarta decima (qui fuit Annus *Christi* Millesimus decimus sextus) actum in Vico *Anticiaco* (vulgo jam & Italice *Inzago*) & a *Guilielmo* Sacri Palatii Notario coram *Petro* Judice scriptum se nobis offert publicum Documentum: quo quamplures ejusdem Vici incolæ, quorum ibidem nomina recensentur, sub pœnis ibidem præscriptis ita se obligant Monasterii hujus Abbati, tamquam ejusdem Vici domino, quemadmodum sequentibus hisce verbis continetur: *Habitantes in Vico Anticiaco* DOMMI GOTEFREDI, VENERABILIS ABBATIS MONASTERII BEATI CHRISTI CONFESSORIS AMBROSII, UBI EJUS REQUIESCIT CORPUS HUMATUM, *fundati foris & prope Civitatem Mediol. itaut a modo in antea non debeant prædicti homines aliam potestatem, aut alium Seniorem in prædicto Vico Anticiaco conducere; nec infra Castro de eodem Loco, nec infra Villa, quod aliquam potestatem aut violentiam faciant eidem Domno Gotefredo Abbati Venerabili, nec ejus Misso, nec Scarioni* (legendum potius arbitrarer *Seniori*) *ejusdem Loci, quem ipse, vel ejus Successor, in eodem Loco præposuerint; sed per eundem Domnum & Venerabilem Gotefredum, & per ejus Successorem, aut eorum Missum, se distringere & pacificare debeant de omnibus, quæ inter illos acciderint; & omnem legem sequi, & finire, tamquam ante Comitem finita fuissent.* Hactenus ibi. Quandonam vero & quomodo Vicus hic *Anticiacum* venerit in hujus Monasterii potestatem, satis ea declarant, quæ Num. 120. narravimus, a *Garibaldo Bergomensi* Episcopo pie legata. Ecce autem, quemadmodum prædicto *Christi* Anno supra Millesimum decimo sexto Monasterium istud a *Gotefredo* Abbate post *Joannem* regeretur.

CCXIII. De *Arnulfi* ætate ac fide in scribenda Historia relegi possunt quæ supra collegimus Num. 182. Eo igitur, tamquam Scriptore temporibus istis proximiore, qui propterea minus falli aut fallere potuerit, nos libentius utemur in describenda Episcopi *Astensis* a nostro Archiepiscopo defectione, itemque pœna, quam ille cum fratre suo demum persolvere compulsus fuit, non sine Basilicæ hujus emolumento, ad nominis *Ambrosiani* gloriam perinsigni, perennique. *Tristanus Chalcus* ista conjicit in id temporis spatium, quod, vivente adhuc *Arnulfo* Secundo Archiepiscopo, ab Anno *Christi* supra Millesimum decimo quarto usque ad decimum nonum excurrit. Sic enim deprehendimus in ipsius autographo, quo *Ambrosiana* Bibliotheca jure merito gloriatur: eoque refellimus errorem, typographicæ ipsius editioni præpostere illapsum. In exteriori siquidem margine juxta contentionis hujus narrationem adjectus cernitur Annus *Christi* Millesimus vigesimus tertius: & hic quidem dispositus ante Millesimum decimum nonum, quo postea idemmet *Arnulfus* ex hac vita migrasse ab eodem *Chalco* narratur. *Sigonius*

A autem ista eadem Anno adscribit decimo quinto supra Millesimum. Nos itaque, mediam æque ac in- A.C. definitam secuti viam, circiter Annum decimum 1016. sextum hæc ipsa contigisse opinabimur. Quæ quidem *Arnulfus* prope finem Libri Primi describit his verbis: *In fortitudine ejus* (Imperatoris Henrici) *omnis terra contremuit: usque adeo, ut, si qui reperti fuerint Arduini savisse partibus, aut fugerent, aut deditionem facerent. E quibus Astensis Episcopus, relicta propria Sede, Mediolani usque ad libitum latuit. Dederat enim Imperator* (Henricus) *vivente ipso & abjecto, Episcopatum cuidam Olderico* (Ardericum alii nonnulli appellant) *fratri Manfredi, Marchionis eximii.*
B *Quod factum Archipræsul Arnulfus vehementer exhorrens, consecrationem, quæ sibi competebat, omnino vetuit. Oldoricus autem ille, sua fretus ac fratris potentia, Romam proficiscens, subreptione quadam consecrari se fecit a Romano Pontifice. Quod ubi innotuit Arnulfo, justa satis accenditur iracundia: non tantum regia institutione, quantum Romana* (*quod deterius videbatur*) *indignatus consecratione. Veniens igitur in Conventu Mediolanensis Ecclesiæ, anathematis jaculo Consecrati transfixit audaciam: deinde, collecto undique exercitu copioso, cum Suffraganeis simul Episcopis Civitatem aggressus Astensem, clausis in Urbe Marchione cum Episcopo, densissima obsidione vallavit: nec a populatione belloque destitit, donec, pace composita, illius*
C *satisfactum est voluntati. Hæc autem fuit pacis conditio: Quod venientes Mediolanum, tertio ab Urbe milliario, nudis incedendo vestigiis Episcopus codicem, Marchio canem bajulans*, ANTE FORES ECCLESIÆ SANCTI AMBROSII *reatus proprios devotissime sunt confessi. Præterea Episcopus Virgam & Annulum suscepti Pontificatus* SUPRA SANCTI CONFESSORIS ALTARE *posuit: quæ postea, largiente Archiepiscopo, pie resumpsit.* FRATER VERO ILLIUS MANFREDUS MARCHIO DONAVIT ECCLESIÆ (nimirum ejusdem Sancti Confessoris Ambrosii) AURI TALENTA QUAMPLURIMA. UNDE PRODUCTA EST CRUX ILLA PULCHERRIMA, QUÆ US-
D QUE HODIE PRÆCIPUIS TANTUM GERITUR IN DIEBUS. *Deinde nudis, sicut venerant, pedibus per medium Civitatis ad Ecclesiam Majorem Sanctæ Theotoces usque deveniunt, ab Archiepiscopo & Clero cunctoque recepti in pace Populo.* Hæc igitur *Arnulfus*. Quæ libenter eam quoque ob causam protulimus; quia per hæc alii multi rerum *Mediolanensium* Scriptores ad veritatis lucem revocantur. *Gualuaneus* utique *Flamma* in Chronico Majori, Cap. 238. & in Manipulo Florum, cap. 139. non *Henricum*, sed *Arduinum Italici* Regni usurpatorem asserit Episcopatu illo *Astensi* donasse *Oldericum*: eique suasisse, ut consecrationem a *Romano* Pontifice acciperet: idque, non *Arnulfi*, sed *Heriberti* Successoris
E immediati tempore factum esse; quocirca *Heribertum* etiam de ipso eam sumpsisse vindictam. Idipsum *Heriberto* expresse adscribit etiam Chronicon *Flosflorum*, fol. 128. pag. 2. *Sigonius* autem *Arnulfum* quidem fatetur vindicem; atqui, non ab *Henrico*, sed ab *Ardoino* collatum *Arderico* fuisse *Astensem* Episcopatum, & quidem cum decessor ipsius jam obiisset: *Romamque* ab illo præterea missum, ad capessendam illic consecrationem. Sed mirum profecto est, quanto longius a vero hac in re *Bernardinus Corius* aberraverit. Etenim, quæ *Sigonius*, immo vero & *Arnulfus* & *Chalcus*, aliique inter *Henricum* Primum & *Ardoinum* acta narrant, postquam *Ottho* Tertius Im-
F perator obiisset, cumque Archiepiscopus *Mediolani* esset *Arnulfus* Secundus: eadem *Corius* ad Annum *Christi* Millesimum centesimum decimum nonum eidem tribuit *Ardoino*, & *Henrico* nominis hujus Quarto Imperatori: ac pro *Arnulfo* Secundo Archiepiscopum *Anselmum Pusterlam*, nominis hujus Quintum, male

male cautus, & tempora pariter ac personas confundens, obtrudit. Veruntamen *Arnulfo* consentiunt etiam Catalogus Actis Ecclesiæ *Mediolanensis* insertus, & *Joannes Franciscus Besutius* in Historia Pontificum *Mediolanensium*, in *Arnulfo* Secundo. Ex adverso autem Catalogus *Successores Sancti Barnabæ Bernardino* potius *Corio* adhærescit. Sic enim habet in *Anselmo* illo Quinto: *Hic Archiepiscopus fregit audaciam Episcopi Astensis, qui nolebat inter Suffraganeos Ecclesiæ Mediolanensis numerari.* Quod si forte alii etiam Scriptores in ejusmodi narratione ab *Arnulfo* dissentiunt; ex hoc illos putamus emendandos, & non *Arnulfum* ex illis.

A.C. 1019. CCXIII. Anno Domini Millesimo decimo nono, quemadmodum *Carolus* etiam testatur *Sigonius*, *Arnulfo Archiepiscopo Mediolanensi mortuo*, *Herebertus* (aliter Heribertus, vel Eribertus, vel Aribertus) *de Arciago locum Henrici beneficio tenuit: qui Ecclesiæ ejus jura virtute ac prudentia sua plurimum auxit, neque Arnulfo in ullo munere obeundo concessit.* *Gualvaneus Flamma* in Chronico Majori, Cap. 238. & in Manipulo florum, Cap. 138. sic etiam Chronicon *Flos florum* fol. 128. pag. 1. ipsum denominant ab *Arzago* ultra *Abduam*, velut ad distinctionem ab *Arzago Seprii*. Nonnulli tamen alii Scriptores eundem non de *Arciago Arzagove* (qualecumque illud sit) sed de *Antimiano* prope *Canturium* appellant, & verius, ut infra constabit. Ipsius autem decessor *Arnulfus* Archiepiscopus jacet in Basilica Portiana, *ubi Monasterium Sancti Victoris ad Corpus fundavit.* Sic enim testatum est in tribus prædictis Operibus: primi Cap. 237. secundi Cap. 137. tertii folio 127. pag. 1. Catalogus vero Archipresbyteri Vicecomitis, & alter *Aloysii ab Ecclesia* sic tantummodo habent: *Monasterium Sancti Victoris ad corpus dotavit, ubi ejus corpus requiescit.* Quemadmodum igitur Basilicæ Portianæ primam originem in superioribus sæpe, ac præsertim Num. 5. judicavimus; sic etiam ecce jam primum auctorem Monasterii, prope Basilicam illam constructi.

A.C. 1024. CCXIV. Anno Domini Millesimo vigesimo quarto *Henricus* moritur Imperator. De quo *Sigonius* ad hunc Annum sic tradit: *Henricus, morbo ingravescente sibi timens, Episcopos & Principes advocavit: ac de Regno consultare, quasi certam mortem oppetiturus, instituit. Ibi, quoniam filios non habebat, de Successore consultus: Conradum, inquit, Franconiæ Ducem, virum consilio manuque promptum, eligite. Idem, cum se morti proximum cerneret, Chunigundem uxorem & propinquos ejus accivit: eosque intuens, Recipite, inquit, quam mihi tradidistis, Virginem vestram. Atque his actis, maxima apud homines castitatis opinione relicta, tertio Idus Julias expiravit.* Quocirca inter Sanctos etiam jure merito relatus ille fuit: atque in Martyrologio itidem *Romano* id sibi elogium promeruit sub ejusdem Julii die subsequenti, sive decima quarta: *Bambergæ, Sancti Henrici Primi Imperatoris: qui tum uxore sua Chunegunde perpetuam virginitatem servavit &c.* sic etiam de *Chunegunde* ipsa, quæ postmodum facta Monialis aliquandiu supervixit, legitur sub tertia Martii die: *Bambergæ, Sanctæ Chunegundis Augustæ: quæ Henrico Primo Imperatori nupta, cum virginitatem ipso annuente servasset, bonorum operum meretis cumulata, sancto fine quievit, & post mortem miraculis claruit.* *Baronius* ergo ibi multa in suis Annotationibus. Ejusdem vero *Henrici* Vitam legere licet apud *Henricum Canisium* Tomo Sexto Antiquæ Lectionis, & inde apud *Bellarminum* Libro Tertio *De Officio Principis*, ubi etiam nonnulla denique extant collecta e Vitis Sancti *Popponis* Abbatis ac Sancti *Hericerti Coloniensis* Episcopi, tum etiam ex *Bonfinio De rebus Hungaricis*, Decade 2. Lib. 5. sic etiam in Libro inscripto *Sancti Augustani, sive Imagines*

A *Sanctorum Augustanorum Vindelicorum, æneis Tabellis expressæ*, Tabella 17. & in *Matthæi Raderi Bavaria* Sancta. In qua similiter cernere licet Sanctæ *Chunegundis* Imperatricis Vitam; præterquam quod hæc apud *Surium* item habetur Tomo Secundo, ab alio veteri gravique Auctore conscripta. *Aubertus Miræus* in Chronico Belgico de ipsa strictim hæc denique habet: *Post obitum Mariti vitta sacra loco Coronæ sumpta, solemni cæremoni sese rebus humanis omnibus abdicavit: & in Cœnobio Virginum Benedictinarum, Bambergæ a se constructo, totam se Deo mancipavit: ac demum Anno Millesimo quadragesimo sanctissime obdormivit.*

B CCXV. Eodem subinde Anno supra Millesimum vigesimo quarto *Conradus*, cognomento *Salicus*, *Henrico* substituitur. *Comitiis inde creando Regi in Germania institutis* (hæc utique *Sigonii* verba sunt ad eundem *Christi* Annum) *nonnullis Principibus in Cononem Ducem animo propendentibus; reliqui, Abbone Moguntino Archiepiscopo contendente, Henrici testimonium auctoritatemque secuti, Conrado Regnum confirmarunt: eumque adversus opes Cononis, omnia regnandi gratia permiscentis, sustinuerunt. Qua re audita, Herebertus Mediolanensis Archiepiscopus, antiquo jure revocato, Concilium Episcoporum Principum qui in Roncaliis habuit, atque ad eos de legendo Rege Italiæ*
C *retulit. Exquisitis inde singulorum sententiis, cum, aliis alio trahentibus, rem ad exitum perducere non potuisset; relictis Italicis, in Germaniam adiit, & Conradum Regem auctoritate propria salutavit.* Vide autem, qualia in eandem sententiam scribat etiam *Arnulfus.* Etenim non procul ab initio Libri Secundi prosequens ea, quæ post Imperatoris *Henrici* mortem facta sunt, isthæc quoque scribit: *Factum est autem, ut simul convenientes in commune tractarent de constituendo Rege Primates. Diversis itaque in diversa trahentibus, non omnium idem fuerat animus: interque talia fluctuante Italia, suorum comparium declinans Heribertus consortium, invitis illis ac repu-*
D *gnantibus, adiit Germaniam, solus ipse Regem electurus Theutonicum. Cumque Theutones sibi Conradum eligerent; eundem ipsum laudavit, omniumque in oculis coronavit* (legendum ego arbitror *salutavit*) *accipiens ab eo, præter dona quamplurima, Laudensem Episcopatum: ut, sicut consecraverat, similiter investiret Episcopum.* Veruntamen, *Italici* Regis eligendi gratia, multos etiam *Italiæ* Principes una cum *Heriberto* Archiepiscopo in *Germaniam* perrexisse, satis constat e *Vuippone* Presbytero, & ipsimet *Conrado a Sacris*, in ejusdem *Conradi* Vita: in cujus Epistola Nuncupatoria se profitetur ea tantum scripsisse, quæ vel ipse viderat, vel aliorum relatu didi-
E cerat. Ejusmodi autem *Vuipponis* Opus in lucem primitus e Bibliotheca sua edidit *Francofurti* Anno Millesimo sexcentesimo septimo *Joannes Pistorius* in Volumine sic inscripto: *Rerum Germanicarum veteres jam primum publicati Scriptores sex.* Sicut igitur *Vuippo* iste narrat Titulo *De Conventu Principum*, *Italiæ* Principes, cum propter temporis ab *Henrici* obitu brevitatem convenire non potuissent ad regiam *Conradi* electionem, inter *Moguntiæ Vuormatiæque* confinia factam; in Urbe postmodum *Constantiensi* eidem Regi occurrerunt una cum Archiepiscopo *Mediolanensi*; eique fidelitatem libenti animo juraverunt.

F CCXVI. *Conradus* eodem pariter Anno, vigesimo quarto supra Millesimum, *Moguntiæ* in die Nativitatis Beatissimæ Virginis consecratur in Regem; sicut idemmet *Vuippo* testatur Titulo *De Consecratione Regis.* Idemque postea Titulo *Qualiter Rex cum Italis placitavit*, hæc item subnectit: *Anno primo Regni sui Chuonradus Rex diem sanctum Pentecostes in Constantia Civitate celebravit. Ibi Archiepiscopus Mediolanensis Heribertus cum cæteris Optimatibus*

Italicis Regi occurrebat: & effectus est suus, fidemque sibi fecit per sacramentorum & obsiduum pignus; ut, quando veniret cum exercitu ad subjiciendam Italiam, ipse eum reciperet, & cum omnibus suis ut Dominum & Regem publice laudaret, STATIMQUE CORONARET. *Similiterque cæteri Longobardi fecerunt, præter Ticinenses, qui & alio nomine Papienses vocantur &c. Reliqui vero Italici, amplissimis donis a Rege honorati, in pace dimissi sunt.*

CCXVII. Prosequitur *Arnulfus* ea, quæ proxime nos ex ipso recitabamus: atque sic inquit: *Rediens vero securus in omnibus* (Heribertus) *totam suis Legationibus evertit Italiam, alios re alios spe benevolos faciens, donec suum Electum laudavere fere omnes suscipiendum. Tali fultus remigio veniens Conradus Italiam*, AB EO, UT MORIS EST CORONATUR IN REGNO. Quonam vero præcise Anno venit in *Italiam Conradus?* Ipsum primo vere Anni Millesimi vigesimi sexti venisse *Sigonius* ad hunc ipsum Annum affirmat in hæc verba: *Conradus autem, simul ut nutantes res Italicas opportune inviseret, simul ut Insignia Regia & Augastalia de more acciperet, primo vere expedito cum exercitu in Italiam transit. Ibi ab Hereberto rogatus, Paschate Vercellis acto, Mottenses* (ita nuncupati e loco inter *Mediolanum* & *Laudem* munito, in quem illi se contraxerant) *qui in armis erant, invasit: atque eis, vixdum inito prælio fusis, veniam pacemque petentibus, haud gravate, ipso permittente Archiepiscopo, gratiam patriamque restituit. His gestis, magno inde honore* MEDIOLANUM INTRAVIT, AC REGIUM AB ARCHIEPISCOPO DIADEMA SUSCEPIT. In eundem vero *Christi* Annum consentit etiam *Vuippo*, Titulo *Quod Rex Papienses afflixerit.* Neque porro discrepat *Vuibertus* Archidiaconus, ejus ævi Scriptor, in Vita Sancti *Leonis* Papæ Noni, *Leucorum* antea Sedis Episcopi, ac nomine *Brunonis.* De quo ille ita tradit Capite Septimo: *Anno igitur ætatis vigesimo tertio, cum jam alteram adolescentiæ hebdomadum fuisset ingressus, & ab incarnato Dei Patris Verbo Millesimus vigesimus quintus excurreret Annus, vice sui Pontificis* (nempe Leucorum in Belgio) *Herimanni, in expeditione præfati Conradi Imperatoris, Longobardiam (& maxime super Mediolanum) tunc rebellem præclarus Bruno est profectus, Levitico Officio insignitus. Namque, illo suo Antistite annis morbisque prægravato, ipse auxiliares militum copias, Imperatori venientes a Tullo, ducendas & disponendas suscepit, tam ejusdem Episcopi quam Augusti placito; salvo tamen per omnia proprii gradus Sacramento.* Et postea Capite Octavo: *Denique instante Anno ab Humanitate Filii Dei Millesimo vigesimo sexto, Leucus Præsul Herimannus abstractus est carnis ab hospitio; cum quadragesimali tempore moraretur Coloniæ in quodam suo prædio. Extemplo Clerus & Populus, Provisore orbatus, concordi voto eademque sententia confœderatus, diu sibi desideratum & dilectum Brunonem consonis & continuatis expetit vocibus.* Agebat vero jam tum in *Italia* tam *Conradus*, quam *Bruno*; sicut ex hujus Operis contextu liquidissime constat. Itaque protinus huc ad ipsos ab eo Clero & Populo litteræ diriguntur. Sed, uti jam vidimus, *Vuibertus* Annos *Christi* computat ab ejus Incarnatione: qui proinde singuli ad vigesimam quintam Martii diem protenduntur. Quocirca, sicut aliquoties in superioribus jam monuimus, qui dies a Calendis Januarii usque ad vigesimam quintam Martii diem *Romano* more pertinent ad Annum Millesimum vigesimum sextum: iidem, juxta *Vuibertum* aliter computantem, pertinent ad Millesimum vigesimum quintum. Lubet autem per hanc opportunitatem commemorare Ditionis hujus *Mediolanensis* Oppidum, cujus memoria penitus jam intercidit, ut opinor: quod a *Conrado* tunc oppugnabatur, quando *Bruno* reditum ad *Leucos* parabat, ut Episcopatum ipsorum susciperet. *Nam illis forte diebus* (tradit *Vuibertus* Cap. 10.) *regius exercitus Orbam, Mediolanium Oppidum, oppugnabat; quia inibi infidi infidelitatis apostatæ, Imperatori subjectionem abnegantes latitabant.* Sed ab his ad *Conradi* Coronationem revertamur: & quoniam *Mediolani*, sicuti moris, coronatus ille fuit; eundem propterea concludamus in hac ipsa Basilica coronatum fuisse. *Gualvaneus* porro *Flamma*, & Auctor Chronici *Flos florum*, quos Auctores paulo post proferemus, idipsum expresse testantur: sed & Catalogus Archipresbyteri Metropolitani, alterque *Aloysii ab Ecclesia*, his præcise verbis: *Hic* (Conradus) *per prædictum Heribertum* IN ECCLESIA BEATI AMBROSII CORONATUR. Quam falsum vero, sicut abunde constat e dictis hactenus; tam profecto mirum, ne dicam pudendum, est illud, quod in Catalogo *Successores Sancti Barnabæ* legitur in hæc verba, de Archiepiscopo isto *Heriberto* concepta: *Primus omnium Archiepiscoporum in Urbe Mediolani coronavit Conradum Imperatorem.* Non enim coronavit eum in Urbe, quasi vero intra muros Urbis coronaverit: quo quidem sensu primus fortasse coronasset. Coronavit ergo in Urbe ita, ut Basilica quoque isthæc *Ambrosiana* velut intra Urbem comprehenderetur. Itaque re vera non ipse primus, sed nonnisi post multos alios Decessores suos, Imperatorem in Urbe *Mediolani* coronavit.

A.C. 1026.

CCXVIII. *Conradus* enimvero, Coronatione ista *Mediolani* peracta non contentus, *Modoëtiæ* præterea coronari voluit. Inde *Gualvaneus Flamma* in Chronico Majori, Cap. 240. *His* (inquit) *visis, Archiepiscopus Heribertus iterum in Alamaniam ivit, & Conradum Imperatorem in Italiam perduxit, per Veronam, faciens transitum*, ET IPSUM IN ECCLESIA SANCTI AMBROSII REINCORONAVIT IN IMPERATOREM ITALIÆ. Cur autem a *Gualvaneo* dicatur hic eum reincoronasse: hoc e præcedenti ejus Capite patet, cum scriberet: *Quibus* (Italiæ Primatibus) *discordantibus, in Alamaniam* (Heribertus) *ivit: ubi reperit, quod Conradus Gibellinus esset in Imperatorem electus. Quem ipse de plenitudine potestatis ipsum elegit in Regem Italiæ, & ibidem in Alamania in Regem Italiæ incoronavit.* Et hoc ipsum fortasse significabat *Arnulfus* iis verbis, *omniumque in oculis coronavit:* ubi pro *coronavit* legendum ego ex aliis Scriptoribus quin etiam ex ipsomet postmodum *Arnulfo* conjectabam *salutavit.* Quomodocumque tamen istud se habeat: *Gualvaneus* eodem Cap. 240. ita protinus sequitur: *Imperator tunc ait: In Modoetia volo similiter incoronari. Respondit Archiepiscopus: hoc non oportet. Ait Imperator:* MODOETIAM. *Ex, tunc illa Terra dicta fuit* MODOETIA. *Ubi cum fuisset coronatus, rediit Mediolanum.* Eadem affirmat Chronicon *Flos florum* fol. 129. pag. 1. sed ordine inverso. Etenim *Conradum Modoëtiæ* prius, quam *Mediolani*, coronatum hisce scribit verbis: *Hic* (Conradus Gibellinus, de Villa dicta Gibellina natus) *ab Heriberto Archiepiscopo primo* IN VILLA DICTA VARENTIA, *quæ nunc, quia Imperator dixit* MODO ETIAM, dicitur MODOETIA, *deinde* MEDIOLANI IN SANCTO AMBROSIO CORONATUR *super totam Italiam, Normandiam, & Saxoniam. Carolus* tamen *Sigonius* eo loci, quem denique proferebamus, *Gualvaneo* potius adhæret, hunc in modum narrans: *Inde* Mediolano) *Modoetiam progressus, ibi iterum coronari se, vetere renovata consuetudine, petiit: & cum id necessarium esse Herebertus negaret; se Caroli Magni & Posterorum ejus exemplo permoveri respondit. Conradum inde imitati Posteri ac Successores ejus plerique Modoëtiensem quoque Coronam appetivuerunt.* QUAM CO-

CORONAM *Mediolanenses*, *invidia perciti*, *ad contemptum* PALEAREM *vocarunt*. Hæc utique *Sigonius*. Quibuscum ea nunc conferas oportet, quæ tot ante *Sigonium* annis *Blondus Flavius* Decadis Secundæ Libro Tertio, descripta *Conradi* Cæsaris electione, primoque in *Italiam* adventu, sic tradiderat: *Hoc primum in loco tradi invenimus*, *quod supra*, *ubi de Sanctione Imperatoris deligendi scripsimus*, *desideratum a nobis fuisse non dubitamus*: *voluisse*, *sive Pontificem Gregorium Quintum*, *sive Otthonem Primum*, *sive primos Imperatori deligendo constitutos Electores*, *ut is*, *qui Cæsar in Germania declaratus Romam venisset confirmandus*, DUAS MEDIO ITINERE CORONAS ACCIPERET: EX PALEA UNAM MODOETIÆ, EX FERRO ALTERAM MEDIOLANI, AB ARCHIEPISCOPO IMPONENDAM. *Quod quidem ad tempora usque nostra servatum videmus*. *Itaque*, *Conradus Italiam ingressus Modoëtiamne adierit*, *non invenimus*, *Mediolanum vero cum venisset*; *armis est repulsus*. Ecce enim, quemadmodum *Blondus* huic primo *Conradi* in Italiam ingressui ea perperam immisceat, quæ post octo circiter inde annos atque post secundum ejus adventum contigerunt, ut infra suo tempore ac loco recensebimus: qua in re similiter aberrat etiam *Joannes Nauclerus* Volum. Secundo Chronographiæ, Generatione Trigesima quinta. Subdit ergo *Blondus*: *Quamobrem Conradus*, *agro vastato*, *Mediolanum obsedit*. *Cumque Mediolanenses obduratis animis se repellendo obstinatiores cerneret*; *suburbia incendit*; *non prius inde moturum se comminatus*, *quam pariter incensam Urbem solo æquaret*. *Sed dum in die Pentecostes* (*quod omnes tradunt Scriptores*) *Coloniensis Archiepiscopus Missarum solemnia in propinqua Urbi Ecclesia celebraret*, *per spiritum vidit*, *Conradoque dixit*, *Beatum Ambrosium Germanis excidium*, *nisi abscederent*, *comminari*. *Itaque Conradus*, *motis a Mediolano castris*, *Romam veniens* (hoc utique factum est anno post, quam ille prima vice *Mediolanum* advenisset) *aurea a Joanne Decimo nono Corona & Imperii titulis est ornatus*. Hactenus *Blondus*: & hactenus nos item satis de hac *Conradi* Coronatione, tam *Mediolani* quam *Modoëtiæ* peracta.

CCXIX. *Conrado* inter æstivos ardores ad opaca montium & amæna divertente, nos quoque paululum ab instituto nostro digrediamur: testandæque Archiepiscopi nostri *Heriberti* opulentiæ simul ac magnanimitati, e qua plurimum ille commendari solet, proferamus id, quod citra omnem venditationis & exaggerationis suspicionem *Vuippo* Germanus Scriptor narrat Titulo *Rex propter calorem in montana secessit*, quodque non *Arnulfus*, non alii rerum per hæc tempora *Mediolanensium* Scriptores, quos ego quidem adhuc legerim, usquam meminere; tametsi mentione ceteroqui dignissimum esset. Loquitur de actis Anni supra Millesimum vigesimi sexti, & in hunc loquitur modum: *Eo tempore maximus calor Italiam vexabat*, *ita ut animalia multa*, *& hominum multitudo inde periclitaretur*. *Rex vero Chuonradus*, *nemini cedens nisi soli Deo & caloribus æstivis*, *ultra Athim fluvium* (Italice *la Tosa*, in Lacum influens Verbanum) *propter opaca loca & aeris temperiem*, *in montana secessit*: IBIQUE AB ARCHIEPISCOPO MEDIOLANENSI PER DUOS MENSES, ET AMPLIUS, REGALEM VICTUM SUMPTUOSE HABUIT. *Hinc decedens tempore autumnali*, *Italiam planam iterum peragrans &c.*

A.C. 1027. CCXX. Titulo *Quod Rex Chuonradus Romæ Imperator est effectus*, ita narrare pergit idem *Vuippo* Historicus: *Rex Chuonradus Romam ingressus eodem Anno*, *ut supra*, *id est*, *a Nativitate Salvatoris Millesimo vigesimo septimo*, *Indictione decima*, *a Papa Joanne & universis Romanis regio honore mirifice receptus est*: *& in die sancto Paschæ*, *qui eo Anno septimo Kalendas Aprilis terminabatur* (Tabulæ tamen Paschales diem istum, non præsentis, sed subsequentis Anni Paschati adscribunt) *a Romanis ad Imperatorem electus*, *imperialem benedictionem a Papa suscepit*, *Cæsar & Augustus Romano nomine dictus*. *Quin etiam Regina Gisela Imperatricis consecrationem & nomen ibidem accepit &c.* Sed & *Romæ* aderat Archiepiscopus noster *Heribertus*, *Conradum* illuc ex officio comitatus: cumque *Ravennas* Archiepiscopus id sibi munus arrogasset, ut eundem *Conradum* Pontifici coronandum Imperatorem offerret; tunc enimvero celebris orta est ea dissertatio, utri eorum munus ejusmodi deberetur; nostroque deberi Archiepiscopo decretum denique fuit. Qua de re nostri communiter agunt Scriptores, ac nominatim *Arnulfus* Libro Secundo proxime memorato, *Tristanus Chalcus* Historiæ Patriæ Libro Sexto, *Carolus Sigonius De Regno Italiæ* Libro Octavo, ad Annum *Christi* vigesimum septimum supra Millesimum. *Gualuaneum* enim *Flammam* in Chronico Majori & in Manipulo florum, Chronicon item *Flos florum*, & alios ejusmodi Codices manuscriptos lubens volens prætermitto. Ceterum ex hac ipsa *Heriberti* ad Urbem *Romam* profectione, ut *Conradum*, a se coronatum in Regem, Sancto *Petro* ejusque Vicario repræsentaret, imperiali Diademate coronandum, ego quidem facere non possum, quin itidem certa ratione concludam, non igitur schismaticum tunc temporis Archiepiscopum nostrum.

CCXXI. *Conradus*, superiori Anno in Dominicæ Resurrectionis solemnitate coronatus Imperator, secundum jam inde peragebat Imperii sui annum Septembri mense, Annusque propterea *Christi* vigesimus octavus supra Millesimum agebatur, quando Ecclesia quædam, non multum ab Urbe distans, in honorem Sancti *Michaëlis* Archangeli & Beati *Petri* Apostoli consecrata, cum aliis quibusdam bonis illi adnexis irrevocabiliter huic *Ambrosiano* Monasterio donantur. Donarunt autem unus ex Presbyteris Officialibus Basilicæ hujus *Ambrosianæ* (quales nimirum memorati nobis jam fuerunt Num. 145. & 150.) necnon etiam ipsius rogatu Vidua quædam, religiose tandem velata. Utriusque Testamentum apud nos cernitur, eodem tempore atque coram iisdem Judicibus ac Testibus ab eodem *Joanne* Notario & Judice Sacri Palatii scriptum, & post tradita compilatum & datum. Atque ut ab ipsius Presbyteri Officialis Testamento exordiamur, illud sic incipit: *IN Christi nomine*. CHUNRADUS, *gratia Dei Imperator Augustus*, *Anno Imperii ejus secundo*, *mense Septembris*, *Indictione undecima*, MONASTERIO BEATI CHRISTI CONFESSORIS AMBROSII, UBI EJUS SANCTUM HUMATUM QUIESCIT CORPUS, *constructo foris in suburbio hujus Mediolanensis Civitatis*, UBI NUNC DOMNUS VUIDO VENERABILIS ABBAS ESSE VIDETUR (ecce novum Abbatem Gotefredo suffectum) *ego in Dei nomine Ottho*, *qui & Bezo*, *Presbyter*, *deinter Decumanos Sanctæ Mediolanensis Ecclesiæ* OFFICIALIS BASILICÆ IPSIUS SANCTI AMBROSII, *& filius quondam Andrei*, *qui fuit de Loco Quarto*, *qui vixit Lege Longobardorum*, *offertor & donator*, *in eodem sancto & venerabili Monasterio principibus dixi*: *Quisquis in sanctis ac venerabilibus Locis ex suis aliquid contulit rebus*, *juxta Auctoris vocem centuplum accipiet*, *& insuper vitam æternam possidebit*. *Et ideo ego*, *qui supra*, *Ottho Presbyter volo & judico*, *ut a præsenti die & hora deveniat in potestatem ipsius Monasterii Sancti Ambrosii in perpetuis temporibus*, *eo ordine*, *sicut hic subter statuero*: *id est*, *Cappella una cum arca*, *in qua extat*, *cum campo in simul tenente juris mei*, *quam habere visus sum*, *foris & non multum longe ab hac Civitate Mediolani*, *ad*

ad locum, *ubi* SALE ROZONI *dicitur*: ET EST IPSA ECCLESIA CONSECRATA IN HONORE SANCTI ARCHANGELI MICHAELIS, ET BEATI PETRI APOSTOLI. *Cohæret ab ipso campo & ab ipsa Cappella da mane Sanctæ Mariæ, da meridie Petri de Seravia. Et area & ipsa Cappella cum eodem campo insimul per mensuram justam cum cisa sua vigias tres nominative* (ne mireris Lector hanc verborum dispositionem incongruam, qua sæculum istud ad pudorem ac tædium abundabat) *quas mihi campo ipso ante hos dies per chartam venditionis advenit inter cætera ab Gandulfo Monetario de ista Civitate Mediolani &c.* Hanc igitur Cappellam & aream & campum Monasterio huic & Abbati tradit in perpetuam potestatem; cum ea tamen conditione, ut in eadem Cappella Presbyterum ille ordinet (sive Titularem collocet, ut ego interpretor) qui divinum ibidem Officium faciat (sive canat, ut expresse dicitur in altero Testamento) in perpetuum; & hoc ad remedium animæ suæ; tum etiam *Gandulfi* jam defuncti, a quo illa, ut vidimus, coëmerat; ac denique *Raidrudæ* (quæ itidem *Rigeza* fuit appellata) eidem *Gandulfo* antehac nuptæ. Quæ quidem *Raidruda*, sive *Rigeza*, illa est, quæ altero illo, quod innuebamus, Testamento eandem illam Cappellam & campum & alia quædam bona similiter huic Monasterio & Abbati legavit. In hujus igitur Testamento, præmissis verbatim iis, quæ mox ex altero recitabamus, sic inter cetera legitur: *Ego Raidruda, quæ & Rigeza, veste velaminis sanctæ Religionis induta, & filia Quondam Barii, qui & Amizo, & relicta Quondam Gandulfi Monetarii de ista Civitate Mediolani, & rogatis Otthoni, qui & Bezo Presbyter, deinter Decumanos Sanctæ Mediolanensis Ecclesiæ* OFFICIALIS BASILICÆ SANCTI AMBROSII *&c.* Meminit autem subinde, Cappellam ejusmodi noviter a se constructam fuisse, necnon a Domno *Eriberto* Archiepiscopo consecratam in honorem illorum Sanctorum: seque olim ab *Otthone* illo Presbytero per suum ipsius Judicatum institutam fuisse Rogatricem. Nec plura opus est ut inde a nobis proferantur. Hoc unum denique addemus: ejusmodi Cappellam non alibi sitam nobis videri, quam in eo suburbii extra Portam Vercellinam tractu, qui SALA hodieque nuncupatur. Indicio nobis est; quod *Otthо Bezoque* hic Presbyter paulo ante dicebat *ad locum, ubi* SALE (nisi potius SALA legendum sit) ROZONI *dicitur*; quodque infra sub Anno Millesimo quadragesimo apertius dicet, ECCLESIA SANCTI MICHAELIS ARCHANGELI *&c. ad locum, ubi* SALA *dicitur*. Sic etiam Num. 131. jam legimus a *Carolo Crasso* Rege donatam huic Monasterio inter alia quamplurima ECCLESIAM UNAM, QUÆ NOMINATUR SANCTUS PETRUS A SALA. Cujus quidem nominis Ecclesia Parochialis in eo certe tractu consistit adhuc: quam nonnisi tempore Cardinalis & Archiepiscopi *Caroli* Sancti Monasterium istud nostrum a se tandem abdicavit, ut nos quoque suo tempore memorabimus.

CCXXII. Anno *Christi* Millesimo trigesimo secundo Abbatem istius Monasterii habemus *Gotefredum* Juniorem: scilicet absque dubio, ut per ejusmodi additamentum ab eo discernatur Abbate *Gotefredo*, cujus mentionem jam fecimus Num. 211. Annoque *Christi* Millesimo decimo sexto. Porro intra regimen Junioris hujus *Gotefredi* factum est, ut Archiepiscopus noster *Aribertus* (sic enim sua ipsius manu nomen ille suum scribebat, ut in multis legimus archetypis) pro pastorali sua cura erga Ecclesias sibi subjectas ea perageret ac statueret in hujus nominatim Monasterii favorem, quæ Scripto sequenti continentur. Quamobrem istud, nullo ceteroqui notatum Anno, nos in eundem conjiciemus Annum *Christi* Millesimum trigesimum secundum. Verbatim vero ita prorsus se habet:

A.C. 1032.

IN Nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. UT DOMNUS ARIBERTUS, SANCTÆ AMBROSIANÆ ECCLESIÆ VENERABILIS ARCHIEPISCOPUS, *Ecclesiarum sibi commissarum temporalia immo spiritualia negotia diligentissime sub pastorali cura dirimeret, & adhibitis sibi Senioribus superioris suæ Ecclesiæ, Cardinalibus, Presbyteris, & Diaconibus, sub eorum testimonio universaliter & clementissime consuleret Gregi Ecclesiastico, ex nutu Pastoris, & ex consensu Gregis; ante ejus præsentiam in unum convenit sacer Ordo Monachorum suo regimini subditorum. Sacrosanctum consilium; quod prius illis placuit misereri per auxilium, quos Deus elegit per summæ religionis obsequium; dignam vicissitudinem rependens sacro Ordini: quem sicut Deus computat servitio chariorem; ita spiritalis Judex salutari censura voluit illum fieri priorem. In unum igitur ante tantum Judicem collectis, Abbatibus scilicet & Monachis, præcepit idem Domnus Archiepiscopus, ut singuli singillatim quæque Monasteriorum suorum necessaria ferrent in medium, & si aliquid molestiæ paterentur injuria persequentium. Inter quos* DOMNUS GOTEFREDUS JUNIOR, ABBAS MONASTERII SANCTI AMBROSII, UT INTER RELIQUOS PRIMUS, *sic prius suæ Ecclesiæ detrimentum lamentari incœpit coram Seniori & Testibus: & rogare, ut in cunctis, in quibus ejus Monasterium patiebatur diminutionis læsionem, idem Domnus Archiepiscopus dignaretur revocare ad integritatis informationem. Universis itaque necessitatibus pie subveniens, & persecutorum rabiem mordaciter compescens, quicquid in Monasterio cognovit esse languidum, saluti restituit per suæ defensionis antidotum: & sicut Venerabilis Abbas illi retulit per ordinem; sic Domnus Archiepiscopus traxit omnia ad finem. Cunctis igitur querimoniis ad incrementum Monasterii legaliter determinatis, & injuste perditis sanctæ Ecclesiæ restitutis; Decimam de quibusdam dominicatis ipsius Monasterii ad statum & honorem ipsius Ecclesiæ in æternum colligendam, tenendam, & ad votum Abbatis disponendam, idem Domnus Archiepiscopus laudavit; sicut clementia Regum, & Mediolanensium Pontificum antiquo usu instituit; quorum beneficiis idem Monasterium crevit. Et ne ex hoc error cresceret in sæcula sæculorum; placuit eidem Domno Archiepiscopo, ut nominatim exprimerentur nomina Locorum. In primis* DE CURTE SANCTI SYRI, *ubi antiquitus fuit Cella:* DE CAPIATE, *ubi fuit similiter Cella:* DE OLEODUCTO, *ubi fuit cella ut supra. Sicut proprietario jure istorum Locorum ipsum Monasterium possidet terram; ita debet recipere Decimam. Super hæc omnia, ad signum integritatis, & ad opem defensionis, idem Domnus Archiepiscopus jussit, hoc Scriptum fieri causa confirmationis; ut nemo in æternum cadat in culpam præsumptionis de his omnibus, quæ ad Monasterium pertinent Privilegio antiquæ Concessionis, & hac præsenti institutione piæ defensionis. Quod ut verius credatur, & diligentius ab omnibus observetur, idem Domnus Archiepiscopus hoc Scriptum subscribendo firmavit, & suis Cardinalibus firmandum optulit, & firmatum Abbati perpetuo conservandum tradidit.*

✠ *Ego Aribertus, Dei gratia Archiepiscopus, subscripsi.*
✠ *Ego Petrus, Dei gratia humilis Archipresbyter, subscripsi.*
✠ *Ego Ildegarnus, Archidiaconus, subscripsi.*
✠ *Ego Vualpertus, Presbyter, subscripsi.*
✠ *Ego Vuido, Presbyter, subscripsi.*
✠ *Conradus, Presbyter, subscripsi.*
✠ *Magifredus, Presbyter, subscripsi.*
✠ *Odelricus, Presbyter, subscripsi.*
✠ *Ego Berengarius, nomine Presbyter, subscripsi.*
✠ *Vuido, Presbyter, subscripsi.*

✠ *Ego*

✠ *Ego Anselmus, Presbyter, subscripsi.*
✠ *Antonius, Presbyter & Vicedominus, subscripsi.*
✠ *Gezo, Presbyter, subscripsi.*
✠ *Azzo, Presbyter, subscripsi.*
✠ *Adelmanus, Presbyter, subscripsi.*
✠ *Vuibertus, Presbyter, subscripsi.*
✠ *Ego Vuibertus, Diaconus, subscripsi.*
✠ *Ego Geromus, Diaconus, subscripsi.*

CCXXIII. Sed paulo præterea uberior ea nobis venia concedatur, ut hoc item loco recenseamus constructionem atque consecrationem Ecclesiæ Sancti Sepulchri prope Villam TRINADE, Italice TERNATO nuncupatam, nec admodum procul ab oppido *Besutio*: quæ postmodum Ecclesia venit in hujus Monasterii potestatem; sicut etiam constructum ibi Monachorum Monasterium ab hoc ipso *Ambrosiano* in sui regimine pependit; prout e plurimis apud nos Documentis publicis constat. Archetypa ergo in hanc sententiam Tabula, & ab ipsomet *Ariberto* Archiepiscopo subscripta est hujusmodi:

IN Nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis Tempore DOMNI ARIBERTI, SANCTÆ MEDIOLANENSIS ECCLESIÆ VENERABILIS ARCHIEPISCOPI, *quidam......... veniens de partibus Galliæ, Civis Aurelianensis, nomine Ansegisus, divina inspirante gratia* ÆDIFICAVIT ECCLESIAM IN HONORE.... SEPULCHRI REDEMPTORIS MUNDI, *prope Villam, quæ vocatur* TRINADE, *in loco qui dicitur* CRUSICULA, *infra Parœciam Plebis Sancti Petri...... Qua condita, adiit eundem Domnum Archiepiscopum rogando, ut eandem Ecclesiam consecrare dignaretur. Venerabiliter igitur............ quas idem Ansegisus adtulit, & consecratione facta, tanta illic signa Dominus ostendere dignatus est, ut multi Fideles Dei ibi... ...... dum ei concurrerent, & ut ibidem vota Deo facerent, & suas eleemosinas offerrent, quas idem Basilicæ Conditor suscipiebat, & moderamine spiritalis discretionis partem unam pauperibus ibi confluentibus erogabat, alteram ad ejusdem Loci incrementum retinebat. Igitur per misericordiam Dei & devotissimum obsequium ejus Servi in tantum profecit Locus, quod idem Ansegisus velit ibi Officiales ordinare, qui sine intermissione ibi Deo serviant, & pro populo interveniant. Quo audito idem Domnus Archiepiscopus accersivit eundem Servum Christi...... & pius Pater certam spem ipsum Locum ordinandi secundum voluntatem suam dedit illi. In unum igitur convocatis Venerabilibus suæ Ecclesiæ Cardinalibus, Presbyteris videlicet & Diaconibus, communi eorum consilio laudavit & firmavit, ut ille Locus in perpetuum inviolabiliter permaneat secundum quod...... Ansegisus instituerit, remota omni controversia Archiepiscopi, & Clericorum, & Laicorum. Quod ut certius credatur, & diligentius ab omnibus observetur; idem Domnus Archiepiscopus hoc scriptum fieri jussit; quod, suis manibus inferius subscriptum, eidem Ansegiso conservandum obtulit. Et hoc Capitulum addidit: Si quis Ecclesiam Sancti Sepulchri de potestate Ansegisi, ejusdem fabricatoris, malo ingenio tollere præsumpserit, & eam secundum suam institutionem stare non permiserit; Anathema sit. Dictum est ab omnibus: Anathema sit.*

✠ *Ego Aribertus, Dei gratia Archiepiscopus, quamquam indignus, subscripsi.*

CCXXIV. Verumtamen suo proprie loco ac tempore Testamentum *Ariberti* Archiepiscopi nunc proferimus, & tanta profecto alacritate ac lætitia, quanta dici vix possit. Ex eo siquidem inter alia multa scitu dignissima datur etiam intelligi, quænam tunc temporis præcipuæ forent Urbis hujus Ecclesiæ, necnon etiam sexus utriusque Monasteria: quorum aliqua ne fama quidem ac nomine apud nos in præsens perseverant. Sed forte nonnihil etiam delectabit in eo, velut in speculo, conspexisse, quanta
A Linguæ Latinæ hoc sæculo barbaries, quanta fœditas & corruptela esset apud nostrates Notarios & Instrumentatores, e quibus utique communem aliorum etiam usum abusumque metiri facile licet. Quamquam etiam in hoc, ne forte stomachum alicui moveamus, consilium nobis est ea præsertim errata, majori saltem ex parte, corrigere, quibus passim contra casus & genera in verborum constructione peccatum fuit: sed ita etiam corrigere, ut ex ipsorum sensu ac Testatoris sententia ne tantillum quidem immutemus. Septimo *Conradi* Imperatoris anno, ac proinde Anno *Christi* Millesimo trigesimo A.C.
B quarto conditum illud fuit, & in hanc quidem sententiam: 1034.

IN Nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. CHUNRADUS, *Dei gratia Imperator Augustus, anno Imperii ejus septimo, mense Martii, Indictione secunda.* EGO ARIBERTUS, DEI GRATIA SANCTÆ MEDIOLANENSIS ECCLESIÆ ARCHIEPISCOPUS, *& filius bonæ memoriæ* GARIARDI, *qui fuit de Loco Antemiano, & vixit Lege Longobardorum principibus dixi: Dum homo, a Christo Jesu conditus vivit in hoc sæculo, erit fælix, si ponit diem exitus sui ante oculos suos: & dum recte loqui potest, sic semper eam cogitet, unde futuram mercedem accipiat; ut cum Dominus eum de hoc sæculo vocari jus-*
C *serit, non de negligentiis judicetur, sed de bona dispositione ut pius gratuletur. Et ideo ego, qui supra, Aribertus, Dei gratia Archiepiscopus, volo & judico, seu per hanc Paginam Judicati & Ordinationis meæ confirmo, ut castra, Cappellæ, casæ, atque omnes res territoriæ illæ juris mei, quas habere visus sum in Locis & fundis, ubi dicitur Fossato alto Casale, Sancto Sebastiano, Sanctus Georgius, Vicopanzoniso, Aicho, Gambroni, Cerredello, Pozalingo Cascinæ, Roncode Gandino Sablone, Silva de Paulone, Vico Munari, Campo da Pello, Serta longa, Vagarioli, Garfaniana, Miradolo in Sancto Columbano, seu in Horreo Senna, Vicopizolani, Roboreto, Cozemanno, Scardavaria, Vicocanino, Vicofranconi, Vico Sancti Petri Breconi-*
D *go, Camariago, Cavacurta: quæ sunt omnes in Comitatu Laudense, seu in Habiate, qui dicitur Crasso, & in Ogialo, ut in eorum Territoriis: quod sunt rebus ipsis, tam infra ipsis Castris, quam & foris, sedimina cum ædificiis, clausuris, hortis, brolis, campis, pratis, vineis, & silvis, castaneis, roboreis, ac stellariis, cum areis earum, pascuis, gerbis, coltis & incoltis, divisis & indivisis, molendinis, & piscationibus, usibus aquarum, aquarumque ductibus, districtis, & teloneis: omnia & in omnibus quantacumque de meo jure in prænominatis locis omnibus, ut superius habetur, inventa fuerint: vel quod in antea in eis diebus vitæ meæ acquisiturus fuere .... præsenti die & hora post meum decessum deveniant in jus & potestatem Ecclesiarum Sanctorum,* AMBROSII UBI EJUS SAN-
E CTUM QUIESCIT CORPUS, *Victoris quæ vocatur similiter* AD CORPUS, *Martini, Vincentii, Naboris, Simpliciani, Eustorgii, Laurentii, Celsi, Nazarii, Stephani, Dionysii: seu intus ab hac Civitate ad Ecclesiam Beatæ Dei Genitricis Mariæ quæ dicitur* HYEMALIS, *& Sanctarium Teglæ & Pelagiæ quæ dicitur* ÆSTIVA, *& Sancti Georgii Christi Martyris: seu ad Monasteria Puellarum omnia, quæ sunt posita intra hanc Civitatem quorum nomina vocantur,* MONASTERIO MAJORE, *aliud Domini Salvatoris quod dicitur* VUIDELINDÆ, *tertium quod dicitur* AURONI, *quartum quod vocatur* DATHEI, *quintum quod nominatur* LENTASII, *sextum quod vocatur* NOVO, *septimum quod appellatur*
F DE GHISONE: *eo ordine, qualiter hic subter commemoratum legitur; ita ut faciant Presbyteri Diaconi & Subdiaconi Cardinales de ordine Sanctæ Mediolanensis Ecclesiæ de fruge & censu, seu vino, & redditu, quæ ex prædictis Castris, casis, Cappellis, atque omnibus*

bus

bus rebus territoriis annue Dominus dederit, ad persolvendum, omnique anno, in die Veneris de secunda hebdomada Quadragesimæ, in Presbyterio Sanctæ Mediolanensis Ecclesiæ. Ad Presbyteros & Diaconos de ordine majore argentum denariorum bonorum solidos triginta & unum, ad Subdiaconos de ipso ordine dent solidos duodecim, ad Notarios solidos quinque, ad Presbyteros Decumanorum ordine libras quatuor & dimidiam, ad Lectores solidos quinque, ad Custodes solidos quatuor, ad Veglones denarios quadraginta: ad Scriptanes majores & minores, quod sunt Breves quinque, solidos quinquaginta: ad Magistrum, qui ipsum Brevem detinet, denarios duodecim: Archipresbyter & Archidiaconus seu Primicerii Presbyterorum & Lectorum, habeant in antea per unus denarios duodecim: pro animæ meæ mercede. In tertio vero die Veneris de tertia hebdomada Quadragesimæ persolvant jam dictos Cardinales in prædicto Presbyterio similiter omnique anno ad Archipresbyterum & Archidiaconum, seu ad alios Presbyteros & Diaconos de ipso ordine, libras duas denariorum. Archipresbyter & Archidiaconus habeant in antea per unusquisque denarios duodecim: ad Subdiaconos de ipso ordine solidos viginti: ad Notarios solidos decem: ad Lectores solidos octo: ad Primicerium Lectorum denarios duodecim: ad Veglones solidos quinque: ad Custodes solidos octo: ad Scriptanes majores & minores, quod sunt Breves quinque, libras tres, & solidos quindecim: ad Magistrum, qui ipsos Breves tenet, solidum unum. Ad Presbyteros Decumanorum ordine dent libras novem denariorum. Primicerius eorum habeat in antea denarios duodecim. AD ABBATEM ET MONACHOS IPSIUS SANCTI AMBROSII DENT SOLIDOS TRIGINTA. Ad Abbatem & Monachos ipsius Sancti Victoris dent solidos viginti. Ad Abbatem & Monachos ipsius Sancti Vincentii dent solidos viginti. Ad Abbatem & Monachos ipsius Sancti Simpliciani solidos viginti. Ad Abbatem & Monachos ipsius Sancti Celsi solidos viginti. Ad Abbatem & Monachos de Monasterio Sanctorum Confessorum Dionysii & Aurelii, quod ego noviter pro remedio animæ meæ ædificavi, solidos dent triginta. Ad Abbatissam & Monachas de Monasterio Sanctæ Dei Genitricis Mariæ, quod dicitur MAGGIORE, dent solidos decem. Ad Abbatissam & Monachas de Monasterio Domini Salvatoris, quod dicitur VUIDELINDÆ, solidos decem. Ad Abbatissam & Monachas de Monasterio, quod dicitur AURONI, similiter solidos decem. Ad Abbatissam & Monachas de Monasterio, quod dicitur DATHEI, solidos decem. Ad Abbatissam & Monachas de Monasterio, quod dicitur LENTASII, similiter solidos decem. Ad Abbatissam & Monachas de MONASTERIO NOVO solidos decem. Ad Abbatissam & Monachas de Monasterio, quod dicitur DE GHISONE, dent solidos decem. Ad Ecclesiam, quæ dicitur DE RONZONE, quæ est condita in honore Sanctæ Trinitatis, solidos sex denariorum. Et ipsi omnes Presbyteri cum Diaconibus Subdiaconibus, Notarii de eodem ordine majore cum Custodibus & Lectoribus, seu Veglones & cæteri Presbyteri Decumanorum ordine, qui superius legitur, cum Abbatibus & Monachis de prædictis Monasteriis, & duæ Monachæ per unumquodque Monasterium Puellarum, quæ superius leguntur, cum jam dictis Scriptanibus, qui sunt Breves quinque, veniant omnes insimul in eodem die Veneris de prædicta hebdomada Quadragesimæ in prædicto Presbyterio Sanctæ Mediolanensis Ecclesiæ, ad recipiendam prædictam benedictionem, sicut superius legitur, omnique anno. Et statim cum receptam habuerint, cum Processione omnes insimul ambulare debent ibi, ubi ego corpus meum requiescere desidero, canendo, & Dominum nostrum Jesum Christum deprecando: & ibi duos Psalmos & Cantica canant, pro mea & bonæ memoriæ DOMNI HENRICI IMPERATORIS, & quondam GARIARDI qui fuit gentior, meus, & quondam BERLINDÆ quæ fuit genitrix mea, & GARIARDI nepotis mei, animabus mercede. Item volo & judico, ut quantum exinde superfuerint fruges & census, seu vinum, & reditus de prædictis omnibus casis & rebus territoriis: quæ remanserint ex prædicta benedictione ad persolvendum omnique anno per jamdictas constitutas sicut superius legitur; tunc jamdicti Presbyteri Diaconi & Subdiaconi Cardinales habeant ad reficiendum in Canonica ipsius Sanctæ Dei Genitricis Mariæ, sicut illorum ordo & consuetudo esse debet. Et qualiter inde fecerint, Deum omnipotentem habeant retributorem. Jamdicti vero Archipresbyter & Archidiaconus, seu Primicerii Subdiaconorum Notariorum & Presbyterorum Decumanorum ordine & Lectorum, atque ABBAS IPSIUS MONASTERII SANCTI AMBROSII, & Abbatissa de Monasterio Sanctæ Mariæ, quod dicitur MAJORE, jamdictis rasis castris atque omnibus rebus territoriis investire debent sine servitio in ipsis Ordinariis: qui de jamdictis casis castris atque rebus territoriis curam peragere debent ad perficiendum hoc quod supra legitur, omnique anno. Et si servitium tulerint: vel si in prædicta Canonica ipsi Ordinarii non refecerint, sicut supra legitur; illam maledictionem habeant, quæ in centesimo octavo Psalmo legitur; & cum Juda traditore in æterna pœna participent. Itemque volo & statuo, ut nullus Presbyter aut Diaconus vel Subdiaconus de jamdicto ordine majore, seu Abbas & Abbatissa de prædictis Monasteriis, & Presbyter Decumanorum ordine de prædictis Ecclesiis, neque ullus Pontifex hujus Sanctæ Mediolanensis Ecclesiæ Archiepiscopatus, habeant licentiam de prædictis casis & rebus territoriis, quod supra legitur, partem, aut super totis, commutandi, nec libellum faciendi, neque per nullum ingenium alicui in beneficium dandi, aut invadendi. Et si fecerit; vacuum & inane permaneat; & illi, qui acceperint, ad proprium non habeant; cum Juda traditore in æterna pœna habeant portionem. Quia omnia sic decrevit mea bona voluntas. Et si propter honorem Pontificatui meo mihi aliquid impetit de Lege Romana: & nec me liceat a modo ullo tempore, nolle quod volui; sed quod a me hic semel factum, vel conscriptum est, sub jus jurandum inviolabiliter conservare promitto cum stipulatione subnexa. Actum ista Civitate Mediolanensi. Unde quatuor Chartulæ Judicati uno tenore scriptæ sunt. EGO ARIBERTUS, DEI GRATIA ARCHIEPISCOPUS, a me facto subscripsi.

Ardericus, Judex Domni Imperatoris, rogatus subscripsi.

Ardonatus, Judex Domni Imperatoris, rogatus subscripsi.

Silo, Notarius, rogatus subscripsi.

Signatum manibus Ambrosii & Vualperti, patris & filii: de ista Civitate Mediolani, Lege viventes Romana, Testes.

Ego Vualdo, qui & Lanzo, Notarius & Judex Sacri Palatii, scriptor hujus Chartulæ Ordinationis, post tradita complevi & dedi.

Sic itaque jam, Lector amice, sine dubio vides, quam multa passim sese nobis in hoc offerant Testamento dignissima notatu. Nonnulla nos cursim præ ceteris indicabimus.

CCXXV. Notissimum vero est in primis, quanti *Aribertus* fecerit hanc Sancti *Ambrosii* Basilicam, ejusque Rectores, Abbatem ac Monachos; cum alioqui Officiales illos, de quibus aliquoties jam diximus, ne nominandos quidem seorsim ab ipsis esse censuerit.

CCXXVI. Sic etiam illud constat, extra muros Urbis hoc etiam tempore omnes illas fuisse Ecclesias, quæ ante Metropolitanam Hyemalem ac Æstivam numerabantur. Ex iis autem nonnullæ a *Clero* regebantur sæculari; a Monachis aliæ; illæ scilicet, quarum Abbati & Monachis certam videmus assignatam stipem. Quocirca penes Clerum sæcularem adhuc

adhuc erant Ecclesiæ Sanctorum, *Martini*, *Naboris*, *Eustorgii*, *Laurentii*, *Nazarii*, ac *Stephani*. Et istæ quidem adhuc extra muros Urbis. Nam intra muros ejusdem generis erat non tantum Basilica Metropolitana Hyemalis & Æstiva: verum etiam Sancti *Georgii* Martyris; ea nempe, quæ AD PALATIUM in hanc usque diem nuncupatur: ac demum Ecclesia DE RONZONE.

CCXXVII. Vin autem Lector, aperiamus, quid nobis causæ videatur, cur in tanta ejusmodi Ecclesiarum, quæ a *Clero* sæculari regebantur, multitudine, solis tamen Ecclesiæ Hyemalis & Æstivæ Ministris, Ecclesiæque DE RONZONE, præstitutam vidimus stipem, qualis cæteroqui reliquis Monachorum ac Monialium Ecclesiis singillatim præfinita fuit? An fortasse suis Ecclesiæ illæ Ministris carebant? Nihil minus. An illarum Ministri convenire quidem ad ejusmodi Supplicationes debebant, sed sine omni stipe? Ne hoc quidem. Alioqui enim *Aribertus* Archiepiscopus non instituisset, ut ea ipsius bona venirent in jus ac potestatem illarum similiter Ecclesiarum. Sic enim consequenter sine dubio sancivit, ut Ecclesiæ propterea ipsæ, sive ipsarum Ministri, venirent in partem proventuum, qui ex iisdem fundis ac bonis annuatim perciperentur. Quidnam igitur causæ nos tandem proferemus? Nos nimirum, hac ipsa etiam ratiocinatione persuasi, censuimus, earum *Cleri Sæcularis* Ecclesiarum Ministros simul etiam fuisse Metropolitanæ Basilicæ *Decumanos*; stipemque propterea *Decumanis* ejusmodi assignatam, perinde censendam esse, ac si Ecclesiis etiam illis earumque Ministris assignata fuisset. In idipsum nobis documento sit etiam illud, quod e *Nazarianæ* Basilicæ Archivo perhumaniter suppeditatum, nuperrime legimus in *Landulfi Carcani* Archiepiscopi nostri Testamento. Imperatoris *Otthonis* Tertii anno secundo, ac propterea *Christi* Nongentesimo nonagesimo octavo, conditum illud fuit, atque sic incipit: *In nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis*. OTTHO TERTIUS, *Dei gratia Imperator Augustus*, *anno Imperii sui secundo*, *mense Novembris*, *Indictione undecima*. EGO LANDULFUS, DEI GRATIA ARCHIEPISCOPUS MEDIOLANENSIS ECCLESIÆ, *filius bonæ memoriæ Ambrosii patris &c.* Assignat ergo Archiepiscopus Abbati Monasterii Sancti *Celsi*, a semetipso constructi (*foris*, *& prope Mediolanensem Urbem*, *ad locum*, *ubi antiquitus* TRES MOROS *vocabatur*) quædam bona, ibidem commemorata, suisque limitibus descripta; sed cum hac tamen conditione; *ita ut faciat Abbas ipsius Monasterii Sancti Celsi de rebus*, *seu reditibus*, *quibus ex ipsis molendinis*, *seu rebus ipsis*, *Anniversarium vitæ meæ in festivitate Sancti Celsi*, *honorifice pascat* PRESBYTEROS ILLOS DECUMANOS, OFFICIALES ECCLESIARUM SANCTORUM NAZARII MARTYRIS ET AMBROSII CONFESSORIS, UBI EORUM SANCTA REQUIESCUNT CORPORA, *& det pro unoquoque denarios tres*, *& cereum unum &c.* Vel hinc igitur, nedum ex iis, quæ jam ante a nobis dicta sunt, aperte dignoscitur, Ecclesiæ Metropolitanæ Decumanos simul etiam fuisse aliarum istius Urbis Ecclesiarum Officiales; prout nimirum certus ipsorum numerus singulis earum erat adscriptus. Quin etiam exinde præterea nos colligimus, in ejusmodi Collegiatis nostræ Urbis Ecclesiis ne hoc quidem tempore in usu fuisse Canonicorum ac Præpositi nomenclaturam, hodie vulgatissimam. Si enim ea necdum usitabatur in antiqua illa & insigni Basilica *Nazariana*, quam Sanctus ipsemet *Ambrosius* ante Basilicam istam suo e nomine *Ambrosianam* condiderat, conditamque consecrarat; quanto minus in aliis, & præsertim ea posterioribus, credi poterit eo jam tempore usitata? Sed attende, obsecro, Lector etiam, quemadmodum in hoc *Landulfi* Testamento Officiales *Nazariani*, ut apparet, honoris gratia nominentur ante *Ambrosianos*: quod quidem ipsum in aliis pariter Documentis posterioribus, super eo *Landulfi* Anniversario confectis, constanter retentum ego etiam observavi. Hoc igitur etiam interea factum interpretor ob causam; quia Officiales isti *Ambrosiani* Metropolitanis Decumanis aggregati multo post tempore fuerint; sicut etiam ex iis intelligi potest, quæ nos antehac de ipsis per intervalla ostendimus, quæve jam breviter in anacephaleosin ac recapitulationem redigere placet. Primus omnium *Petrus*, Monasterii hujus Abbas, ejusmodi Sacerdotes paulo ante Octingentesimum sexagesimum sextum Annum *Christi* non ad aliud ministerium, quam ut Missarum solemnia celebrarent, in hac Basilica collocaverat & ordinaverat: cujusmodi Ministros ætas nostra receptissimo vocabulo Cappellanos Titulares appellaret. Deinde autem, ipsiusmet Abbatis *Petri* rogatu, eoque ipso Anno, Archiepiscopus *Thado* illos in suorum Concivium Sacerdotum congregationem atque consortium ita suscepit, *quatenus ipse Abbas Successoresque ejus*, *perpetualiter ipsorum obsequium possidentes*, *una cum Monachis sibi subjectis pro stabilitate Regni*, *atque statu hujus Ecclesiæ*, *omnipotentis Dei misericordiam jugiter valeant exorare*. Atque ista jam vidimus Num. 115. & 119. Verumtamen ne propterea quidem ii cœperant Decumanorum appellatione clarescere. Itaque Num. 145. Annoque *Christi* Octingentesimo octogesimo septimo vel iidem ipsi semet inscribebant nonnisi Presbyteros Custodes & Officiales Ecclesiæ istius *Ambrosianæ*. *Berengarius* porro Rex Anno *Christi* Octingentesimo nonagesimo quarto (sicut habetur Num. 150.) abstinuit a vocabulo Custodum, ipsosque solummodo nominavit Presbyteros atque Officiales. Primum igitur Decumanos cernimus appellatos in prædicto *Landulfi* Testamento, Annoque *Christi* Nongentesimo nonagesimo octavo. Sed & Anno postea Millesimo vigesimo octavo, Num. 221. *Ottho Bezoque* ille Presbyter ne Decumanum quidem absolute se inscribebat, sed *de inter Decumanos Sanctæ Mediolanensis Ecclesiæ*, id quod etiam rursus Anno Millesimo quadragesimo factitavit: perinde ac si hoc loquendi modo expressius significare vellet, se suique Collegas e peculiari novoque privilegio aliis Basilicæ Metropolitanæ Decumanis aggregatos fuisse. Cum igitur hæc ita se habuerint; mirum ne sit, quod hujus Basilicæ Decumani olim postponerentur *Nazarianis*: quibus tamen postea, novis cumulati privilegiis, in hanc usque diem antepositi fuerunt. Sed ab his nos tandem ad *Ariberti* Testamentum recipiamus.

CCXXVIII. Quod *Aribertus* a se noviter ædificatum ajebat Monasterium Sanctorum *Dionysii* & *Aurelii* Confessorum: *Gualuaneus Flamma* in Manipulo florum, Cap. 139. sic narrat: *Monasterium Sancti Vincentii phlebotomavit: de cujus sanguine Monasterium Sancti Dionysii construxit.* Chronicon autem *Flos florum*, fol. 128. pag. 2. paulo expressius hæc habet: *De superfluis possessionibus Monasterii Sancti Vincentii*, *quem phlebotomavit*, *Monasterium Sancti Dionysii fecit*, *Christi Anno Millesimo vigesimo tertio.* *Tristanus* ex adverso *Chalcus* Monasterii hujus fundationem, tamquam ex ipsiusmet *Ariberti* bonis factam, conjicit in Annum *Christi* Millesimum trigesimum tertium his verbis: *Per quod tempus Heribertus Mediolani suburbanæ Ædi in honorem Dionysii & Aurelii conditæ Porta Orientali Cœnobium adjecit: quod paternis fundis*, *quoniam census Sacerdotii non sufficiebant*, *locupletissimum fecit*: *ac perhorrendo Edicto sanxit*, *ne quis ullo unquam tempore acta a se immutaret.* Ego autem neque phlebotomiam illam venæque incisio-

cisionem ab illis, neque Annum istum trigesimum tertium a *Chalco* assignatum admitto; sed illum potius vigesimum tertium. Exemplar siquidem apud me habeo Diplomatis, quo *Aribertus* ipse fundationem istius Monasterii sancivit: & in quo Magnus *Henricus* Imperator uti superstes adhuc memorabatur. Quocirca fundatum ad minus jam erat, priusquam ille memoretur. Sed & insuper habeo Diploma, quo successor *Henrici Conradus* Rex idipsum *Mediolani* confirmavit Anno Regni sui secundo, Incarnationis autem Dominicæ Millesimo vigesimo sexto, decimo Kalendas Aprilis, Indictione nona. Certe autem utroque hujusmodi Diplomate phlebotomia illa satis & abunde refellitur.

CCXXIX. Ex iis vero Puellarum, sive Monacharum, Monasteriis, intra Urbem sitis, nec septenarium numerum excedentibus, duo tantum in præsens sibi retinent suum illud vetus cognomentum: Monasterium videlicet Majus, ac *Lentasii*, sive potius *Lantasii*. Quamquam etiam Majus eo tempore titulum Sanctæ Dei Genitricis *Mariæ*, cui sacrum esset, præferebat; deinde vero sibi titulum Sancti *Mauritii* Martyris assumpsit, & in hanc usque retinet diem. Sed & *Lantasii* Monasterium ibi olim media in Urbe situm erat, ubi postea Broletum Novum, sive Forum Mercatorum, Anno *Christi* Millesimo ducentesimo trigesimo tertio constructum fuit, hodieque perseverat. De cujus structura legi possunt *Tristanus Chalcus* & *Bernardinus Corius*, ad eum ipsum *Christi* Annum. Per eam igitur occasionem Monasterium istud translatum inde fuit in Portæ *Romanæ* sinum: eoque adhuc confovetur. Sic enim sacræ illæ Virgines mihi sæpius affirmarunt, perenni Majorum suarum traditione sic edoctæ. Præterea vero idipsum testatur etiam *Paulus Morigia* in suo Civitatis ac Diœcesis *Mediolanensis* Sanctuario, *Italice* conscripto. Ejusmodi vero Monialium traditioni & *Morigiæ* testimonio adstipulantur itidem publica ipsius Monasterii Documenta: e quibus isthæc ego pauca mihi ad proferendum delegi. Primum est conditum *Anno Dominicæ Incarnationis Millesimo ducentesimo vigesimo quarto, die Veneris, nono die ante Kalendas Septembris, Indictione duodecima:* in eoque absolute nominatur *Monasterium Lantasii Civitatis Mediolani.* Secundum vero sic incipit: *Anno Dominicæ Incarnationis Millesimo ducentesimo trigesimo quinto* (duobus nempe annis postquam publicum illud Forum fuerat exædificatum) *die Martis, quinto decimo die ante Kalendas Augusti, Indictione octava:* continetque Venditionem factam *in Domnam Agatabam, Dei gratia Abbatissam Monasterii Lantasii, quod translatum est in Burgo Portæ Romanæ Civitatis Mediolani.* Sic enim etiam tum appellabatur ea Portæ *Romanæ* portio; tametsi jam intra muros Urbis contineretur ex quo illi denique fuerant ampliore ambitu restituti post miserandam illam stragem, Anno *Christi* Millesimo centesimo sexagesimo secundo Urbi nostræ ab Imperatore *Federico Ænobarbo* illatam. Tertium continet Commutationem, a Domno *Alghisio Mantegatio*, Præposito Canonicæ de *Vicoboldono* (erat autem Ordinis Humiliatorum) factam cum *Domna Margarita, Dei gratia Abbatissa Monasterii Lantasii, nuper constructi in Burgo Portæ Romanæ.* Ipsiusque initium est hujusmodi: *In nomine Domini. Anno Dominicæ Incarnationis Millesimo ducentesimo trigesimo septimo, die Martis, decimo die mensis Martii, Indictione decima.* Quamvis autem nullatenus invenire adhuc potuerimus, quonam tempore suo primum in loco extructum fuerit ejusmodi Monasterium, ipsius tamen fundatorem deprehendimus ex ejusdem Necrologio perantiquo, in charta olim pergamena conscripto: quo scilicet defunctæ Moniales ac speciales amici & benefactores ejusdem Monasterii describebantur in unumquemque mensem ad

A hoc; ut statis diebus preces pro ipsis funderentur. Ibi namque intra mensem Januarii trigesimus quartus *Obiit Domnus Lantasius, Archidiaconus* (Ecclesiæ videlicet Metropolitanæ) *qui ædificavit hoc Monasterium:* quive propterea suo e nomine cognomentum eidem Monasterio in hæc usque tempora reliquit. Ex Ordine vero illud est Sancti *Benedicti.* Sed quemadmodum Archiepiscopi curæ ac regimini jam inde ab initio subest; sic etiam Preces Horarias Ritu *Ambrosiano* in hanc usque diem concelebrat.

CCXXX. Quod autem nunc cernimus ab *Ariberto* nominatum WIDELINDÆ Monasterium, B certe unum idemque prorsus videtur cum eo, quod nos antehac Num. 120. Annoque *Christi* Octingentesimo sexagesimo nono appellatum WIGELINDÆ fatebamur a nobis ignorari, qua illud in parte Urbis collocatum esset. *Tristanus* tamen *Chalcus* ignorationem istam nobis, ni fallimur, postea discussit. Etenim Libro Quinto ante Annum *Christi* Nongentesimum decimum nonum sic ille scribit e publico, cum *Berengarius* annum jam decimum quintum in *Italia* regnaret, Documento: *Testatum manet, quemadmodum locupletiorem faciebat* (sive *Andreas Carcanus* Archiepiscopus, sive *Berengarius* Rex; nec enim *Chalcus* mihi satis hoc explicat) *Ædem Raphaëlis Archangeli, media Urbe a se conditam in confinio,* C *ut ipse describit, Ecclesiæ Æstivæ, quæ nunc Majoris pars est, & VINCLENDÆ* (ejusdem *Chalci* autographum, in *Ambrosiana* Bibliotheca conservatum, habet VINNELENDÆ) QUAM POSTERIORES REDEGUNDÆ DIXERE, *& Simpliciani Minoris.* Hodiernum igitur Sanctæ *Redegundæ* Monasterium, jam tandem nos censebimus, olim cognomento etiam *Vuidelindæ* pariter ac *Vuigelindæ* judicatum. Neque vero ab ejusmodi sententia vel illud saltem nos absterrebit; quod *Vuigelindæ* Monasterium Nu. illo 120. a *Garibaldo Bergomensi* Episcopo nominaretur *Sanctæ Dei Genetricis Mariæ,* D *Vuidelindæ* autem ab *Ariberto* jam nominetur *Domini Salvatoris.* Nec enim repugnat, quin a titulo Deiparæ ad titulum Salvatoris transitus interea fuerit factus; quemadmodum in similibus sæpenumero contingit; nosque itidem paulo ante de Monasterio Majore asserebamus.

CCXXXI. Nunc de AURONI Monasterio. Certe autem illius hac in Urbe situm, quinetiam originem ac vetustatem commonstraturos esse nos pollicemur; si tamen id nobis, nec procul a vero (sicut etiam in hujus Operis progressu constabit) concedatur; eidem ad numerum Monasterio inditum primitus fuisse cognomentum AURUNÆ, E deinde vero AURONI, vel AURONIS, ac tandem ORONI, vel HORONI. Quo dato, nec erit mirum, si *Aurunæ* nomen Scriptores in *Horonæ* tandem converterint. Huc igitur in primis spectat, quod in Chronico *Flos florum* fol. 109. pag. 1. legimus de *Theodoro* Archiepiscopo, hujus nominis Secundo: & in quod nostrates alii communiter Auctores & Archiepiscoporum nostrorum Catalogi consentiunt. Ibi enim sic legimus: *jacet* IN MONASTERIO HORONO CUM SORORE SUA HORONA: QUÆ IPSUM MONASTERIUM ÆDIFICAVIT *Anno Domini septingentesimo quadragesimo: ut dicit Gothofredus de Bussero.* Sic F igitur Conditricem jam habemus. Ceterum Num. 130. simulque Anno *Christi* Octingentesimo octogesimo e *Caroli Crassi* regnantis in *Italia* Privilegio deprehendimus, quemadmodum Monasterium infra istam *Mediolani* Urbem constitutum, QUOD NOMINATUR AURUNÆ, *Engilberga* (sive aliter *Angilberga*, vel *Angilberta*) Imperatrix devotissime obtulerit ac donarit huic *Ambrosiano* Monasterio in remedium animæ *Hludovici* Imperatoris, hoc nomine Secundi, maritique sui: & proinde *Carolus* ipse

Rex

Rex tum eo Privilegio, tum etiam rursus altero, quod nos Num. 131. proferebamus, idipsum Sancti *Ambrosii* Monasterium in ejus possessione ac regimine confirmarit. Sic etiam *Hludovicum* istum Imperatorem, Anno *Christi* Octingentesimo septuagesimo quinto defunctum hac in Urbe, atque in *Ambrosiana* ista Basilica cum insigni Elogio, per nos ibi recitato, sepultum fuisse, meminimus Num. 125. Sed & Num. 123. recitaveramus ejusdem Imperatoris Privilegium, ipsiusmet Imperatricis *Engilbergæ* rogatu in favorem istius Monasterii concessum Anno *Christi* Octingentesimo septuagesimo tertio. Quemadmodum igitur (teste *Sigonio*, ad Octingentesimum septuagesimum quintum Annum) *Engilberga* religionis causa nobile Monasterium ad *Placentiæ* Urbem construxerat; sic etiam, defuncto suffragatura Marito suo, alterum in hac Urbe *Mediolani*, tunc AURUNÆ nominatum, atque etiam fortasse a semetipsa ditatum saltem atque amplificatum, Monasterio huic *Ambrosiano* devotissime obtulit ac regendum subjecit. HORONI porro, sive HORONUM, illic erat Monasterium, ubi nunc Cappucinarum Sanctæ *Barbaræ* Monasterium intra Portæ Novæ ambitum extat: idemque cum eo additamento Monasterium Sanctæ *Agathæ* antehac demum appellabatur. Ita videlicet nobis liquido constitit e publicis Tabulis alterius illic propinqui, solaque viæ interjectione divisi Monasterii, quod Monialium Sancti *Augustini* in Porta Nova hodie nuncupatur, & alias Sancti *Augustini* DE VEDANO passim appellabatur. Apostolica vero auctoritate illud isti unitum fuit & in idem corpus redactum Anno *Christi* Millesimo quadringentesimo septuagesimo secundo, die vigesima quinta Januarii per Apostolicum Executorem, *Franciscum de la Cruce*, Metropolitanæ *Mediolanensis* Ecclesiæ Primicerium. Ejusmodi autem HORONI Monasterium erat *Ordinis Sancti Benedicti : & olim habebat reditus ad decentem sustentationem trigintaquinque Monialium, vel circiter, sufficientes; sed incuria negligentia & malo regimine illius Abbatissæ, apud graves personas de diversis criminibus excessibus & delictis ac bonorum ipsius Monasterii dilapidatione multipliciter diffamatæ*, *adeo deformatum erat, & ad tam miserabilem & dolendum statum devenerat, quod in eo præfata illius Abbatissa vitam a Religionis norma penitus ducebat alienam, & tres Moniales dumtaxat tunc inibi degebant, & divinus cultus quodam modo extinctus erat.* Cum igitur hæc ita sese illic haberent; *Sixtus* Papa Quartus jam mandaverat, *ut Abbatissalis dignitas & Ordo prædictus Sancti Benedicti in dicto Monasterio HORONI supprimeretur, & in illo aliquæ ex Monialibus Monasterii Sanctæ Agnetis, quæ illud juxta regularia instituta Ordinis Sancti Augustini ac earum ritus & mores regerent & gubernarent, introducerentur.* Atqui Priorissa & Conventus prædicti Sanctæ *Agnetis* Monasterii *Concessionis gratiæ hujusmodi, Litteris Apostolicis super ea re non confectis, sponte & libere cesserunt.* Itaque *Galeaz-Maria Mediolani* Dux, ejusque uxor *Bona-Maria* Ducissa, (quorum quidem opera illæ cesserant) itemque Monasterii de *Vedano*, sive Sancti *Augustini*, Moniales eidem Pontifici supplicarunt, ut ejusmodi Monasterium HORONI suo uniretur ipsarum Monasterio: quod certe perangustum jam erat, ita ut ne Monialibus quidem jam receptis (erant autem numero sexaginta ultra Conversas) sufficeret, nedum iis puellis, quæ ad vitam illic religiosam recipi magno in numero peroptabant. Et hæc quidem apertissime constant e duabus ejusdam *Sixti* Quarti Bullis. Quarum prima fuerat *data Romæ apud Sanctum Petrum de Vincula Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo quadringentesimo septuagesimo secundo, quarto Kalendas Novembris, Pontificatus nostri anno secundo*, atque ad Executorem illum directa: cujus Executoris Acta

A subinde ipsi per omnia consentiunt. Secunda vero in ejusmodi Actorum & Unionis jam factæ confirmationem data legitur Anno subsequenti, pridie Idus Octobris. Bullæ hujus posterioris accurata lectio me admonuit, Moniales istas nonnisi post factam ejusmodi Unionem sese perpetua Monasterii sui clausura voluntarias obstrinxisse. Siquidem pro Unionis ejusdem confirmatione Pontifici *Romano* postea supplicarunt, *quod in ipso Monasterio de Vedano octoginta Moniales, & ultra* (quippe vicenæ interim superadditæ fuerant) *sub perpetua clausura Altissimo famulantur :* cujusmodi clausuræ nulla prorsus in anteriori supplicatione fuerat facta mentio;

B quæ alioqui ad impetrandum, quod petebant, opportunissima, nec ullatenus omittenda fuisset. Forte autem ipsam illis persuaserat Executor idem Apostolicus, *Franciscus de la Cruce*. Quo quidem adlaborante, jam circiter ante annos vigintiquinque factum fuerat, ut Moniales quoque Monasterii Majoris perpetuæ semet subjicerent clausuræ, nec sine magno suimetipsarum & inclytæ hujus Urbis ornamento. Sic enim testatum ego vidi ab ipsomet *Crucæjo* in suis ad Ducissam *Mediolani* Litteris, eo ipso Anno Millesimo quadringentesimo septuagesimo tertio, die Decembris septimo, datis; cum ab ipsa interrogatus fuisset super quadam controversia, inter

C idem Monasterium Majus & Vicinos Sanctæ *Mariæ* ad Circulum excitata. Sed enim usque adeo angustum jam erat illud Sancti *Augustini* Monasterium quo ex tempore, Monialibus illic in duas partes divisis, necesse fuerat ex uno Monasterio conflari duo: quorum unum deinceps Sanctæ *Claræ* diceretur, alterum vero primævum sibi titulum retineret. Quod utique factum est circiter Annum *Christi* Millesimum quadringentesimum quadragesimum quintum. Monasterii hujus Moniales Anno etiam Millesimo quadringentesimo trigesimo sexto erant Humiliatæ. Sic enim ego e quibusdam Ducis nostri Litteris, eo Anno, die septimo Maji, quartadecima Indictione, in earum

D favorem datis, deprehendi: atque tunc Monasterium ipsum *Domus Beatissimæ Virginis Mariæ, nuncupata de Vedano*, appellabatur. Idemque jam ante, sive Anno Millesimo quadringentesimo vigesimo octavo, favore atque opera *Mariæ Mediolani* Ducissæ, Ducisque *Philippi-Mariæ* uxoris, reformatum fuerat per octo Moniales, in hunc finem huc transmissas e Monasterio *Cantulpi*, sito in Porta *Ticinensi*, quod nunc Sancti *Bernardini* nuncupatur, quodque tunc Humiliatarum pariter Monialium erat; sub Regula tamen Sancti *Augustini* (quam & alia nonnulla ejusdem Ordinis Monasteria sibi tunc temporis assumpserant) viventium. Exinde autem tanta huic

E Monasterio accrevit regularis observantiæ ac sanctitatis fama, ut inde pariter assumerentur aliquando aliquæ ad alia itidem reformanda Monasteria juxta suæipsarum Regulæ præscriptum. Itaque Anno supra Millesimum quadringentesimum quadragesimo *Papiense Josaphati*, quinquagesimo quarto *Mediolanense* Sanctæ *Agnetis* (quod pariter Humiliatarum erat, & *Arcagnagi* vocabatur) septuagesimo autem octavo unum *Casalense*, monasteria reformarunt. Quod vero perinde est, non multo post quinquagesimum quartum primæ itidem incoluerant in Urbe *Crema* Monasterium, a primis tunc extructum fundamentis, & Sanctæ *Monicæ* dicatum; scilicet ut suis illud institutis informarent. Ceterum ex eo

F tempore, quo idipsum de *Vedano* monasterium fuerat reformatum, in spiritualibus regebatur a *Franciscanis* de Observantia Fratribus, in Sancti Angeli Conventu, per ea tempora suburbano, degentibus. Quamvis etiam indumentis Humiliatæ candidis uti solerent; eæ tamen cinerei coloris, Italice *beretino*, indumenta gestabant; & hoc, ut ego quidem opinor, a Rectoribus tunc suis persuasæ; qui fortasse jam tum

illas destinassent ad Regulam Sanctæ *Claræ* paulatim traducere, quemadmodum postea totis conati viribus fuerunt. Gravis ergo inde multumque perniciosa & pertinax inter ejusmodi Moniales oborta dissensio. Quadraginta quatuor earum animo repertæ demum fuerunt in id obfirmato, ut sibi deinceps Sanctæ *Claræ* Regulam vellent: quindecim vero, eæque seniores, suam sectatæ Priorissam, sub Sancti *Augustini* Regula perseverare constanter maluerunt. Itaque per Litteras tandem Apostolicas dissidium ita compositum fuit, ut ejusdem ipsarum Monasterii pars una junioribus illis, novæ Regulæ studiosis, tribueretur, eademque Monasterium Sanctæ *Claræ* posthac vocaretur, & a *Franciscanis* illis regeretur, sicut etiam hodieque vocatur ac regitur; pars vero altera, senioribus istis dimissa, primævum ac vetus Monasterii cognomentum retineret, sed Eremitanorum de Observantia Fratrum regimini postea subesset. Qui quidem Fratres paulo ante, a Ducissa *Mediolani Blanca* vocati, venerant ad Incoronatæ Conventum, quem ipsa illis construxerat. Hæc autem, sicuti dicebam, gesta sunt circiter Annum Domini Millesimum quadringentesimum quadragesimum quintum. Nec enim Annum ego præcise assignarim. Quippe in eo Monasterii Libro, in quo isthæc omnia cum propriis Monialium nominibus continentur, Annus ille profecto non fuit expressus: lacunaque nunc etiam extat, quam ejus adjectione Collector explere meditabatur; ego vero ceteroqui nec Litteras super ejusmodi divisione Apostolicas legi; nec aliunde certum hactenus habeo Anni ejus indicium. Certe autem eædem istæ seniores ac Sancti *Augustini* Moniales, Litteris pariter Apostolicis (mihi tamen necdum inspectis) innixæ, habitum cinerei coloris in Eremitanum pariter ac nigrum, Rectoribus & ipsæ suis conformatæ, postea commutarunt. Cum vero eædem ipsæ ad sexagesimum, eoque amplius, numerum intra limites ob eam divisionem angustos excrevissent, multæque præterea cuperent aliæ ipsis aggregari: cumque *Mediolani* Dux & Ducissa ipsis obnixe faverent; una omnes a *Romano* Pontifice postularunt, ut eidem ipsarum Monasterio alterum illud HORONI propinquum, solaque via interjecta divisum, ita uniretur, ut ambo in unicum apte opportuneque coalescerent. Quo quidem impetrato, viæ illi, per Urbem illac communi, qua duo isthæc Monasteria dividebantur, altera deinde in transversum suffossa est via subterranea, & solis in occulto patens Monialibus, ipsarumque usui. Quocirca libere per eam ultro citroque ad sua ministeria commeabant, procul ab extraneorum conspectu. Verumtamen, cum aliquot jam coëmissent ædes, veteri suo Monasterio propinquiores, & citra viam illam communem sitas; Anno denique Millesimo quingentesimo octogesimo tertio vendiderunt quidquid ædium erat ultra viam, ubi situm fuerat HORONI Monasterium: ædesque istæ, interclusa via illa subterranea, solis deinceps Monialibus Cappucinis deservierunt. Ubi ergo (sicuti initio dicebamus) Cappucinæ istæ nunc degunt, ibi olim stabat HORONI ORONI AURONI vel AURONIS AURUNÆQUE Monasterium, ab *Engilberga* Imperatrice *Ambrosiano* donatum Monasterio intra temporis intervallum illud, quod ab Anno *Christi* Octingentesimo septuagesimo quinto, quo *Hludovicus* Secundus Imperator obierat, effluxit ad Octuagesimum usque Annum, quo utrunque illud *Caroli Crassi* Privilegium legitur concessum. De quo tamen Monasterio ne illud quidem hoc tandem loco tacuerim, quod inter cetera ipsius Documenta, penes hodiernas Sancti *Augustini* Moniales asservata, novissime comperi. Unum enim comperi, Anno Dominicæ Incarnationis Millesimo ducentesimo quinquagesimo septimo, die tertia Maji,

A & Indictione decima quinta confectum: in quo istud ipsum Monasterium, similiter ac in *Ariberti* Testamento, non HORONI, sed AURONI nuncupatur. Sed & eædem ipsæ Sancti *Augustini* Moniales Archiepiscopali regimine multos jam annos fruuntur. Etenim ne hoc quidem ullo pacto tacendum nobis erat.

CCXXXII. Atqui sextum illud Monasterium, quod vocabatur NOVO, non alibi profecto fuit, quam ubi nunc Benedictinæ Moniales in Porta *Vercellina* inhabitant: in eo nempe Monasterio, quod communi per Urbem sermone nuncupatur SANCTI
B VINCENTII; tametsi præterea e publicis ipsius Documentis illud hodieque retentum ex antiquo repererim, ut NOVUM itidem appelletur. Istud igitur olim vocatum invenio nonnunquam *Monasterium Novum Portæ Vercellinæ Civitatis Mediolani*: aliquando autem *Monasterium Sancti Vincentii, nuncupatum Novum.* Nominatim autem Anno Domini Millesimo centesimo quinquagesimo tertio, undecimo Kalendas Decembris, Indictione undecima, illius Abbatissa vocatur *Abbatissa Ecclesiarum Sanctæ Mariæ & Sancti Vincentii:* ac Monasterium ipsum dicitur *Novum, constructum infra Civitatem Mediolani, prope Portam Jovis:* cui ceteroqui Portæ nomen est inditum *Ver-*
C *cellinæ*; quippe qua *Vercellensem* ad Urbem recta tendatur. Cum igitur pro certo istud ita se habeat; nonnihil tamen de ipsius Monasterii origine atque antiquitate controvertitur. *Paulus Morigia* in Sanctuario affirmat, ejusdem conditorem Anno *Christi* Septingentesimo septuagesimo fuisse *Desiderium Longobardorum* Regem. Contra vere *Antonius Castillionæus*, Antiquitatum Basilicæ *Vincentianæ* Fasciculo Sexto (cujus loci nos quoque mentionem faciebamus Num. 47.) persuasus, non aliud *Mediolani* constructum ab eo Rege fuisse Monasterium, quam Monachorum & non Monialium, quamque illud,
D quod ad Carrubium Portæ *Ticinensi* erat, ubi nunc Sancti *Sixti* Ecclesia consistit, & unde postea Monachi ad *Vincentianum* in Prato Monasterium discesserunt: sic itaque persuasus, in eam *Morigiæ* aliorumque opinionem hisce verbis invehitur: *Ex his toto cœlo constat aberrasse nostrates non ignobiles Chronographos duos* (quinam sint, nec ipse indicat, nec ego divinare possum) *qui obsequendi fortasse Virginibus Vestalibus desiderio ducti, temere* (*uti par est credere*) *prodiderunt, Monasterium a Rege Desiderio conditum fuisse illud, quod nunc incolunt Divi Vincentii Moniales in Maynorum via, non longe ab ea posita, quam Mirabilium vocant. Cum enim Mo-*
E *nasterium hoc alio translatum fuisse nuspiam legatur, nec aliunde sciatur; diversum illud esse ab eo, quod Longobardus Rex condidit, credere necesse est. Quid, quod Divi illius Vincentii Monasterium* NOVUM *etiamnum dicitur? ut a nostro, quod antiquitus a Longobardorum Rege conditum* VETUS *appellabatur, apertissime distingueretur hac nota.* Debuisset tamen *Castillionæus* aliquo saltem argumento suadere, hujusmodi Monialium Cœnobium appellatum fuisse NOVUM per comparationem ad alterum illud *Vincentianum* Monachorum (de quo insuper nobis non constat, an VETUS appellaretur) & non potius ad alia Monialium, vel etiam Monacho-
F rum, Monasteria, quæ tunc temporis intra Urbem ante ipsum extitissent. Sane quidem illud ab *Ariberto* aliisque jam vidimus ex communi olim usu NOVUM absolute, ac sine additamento *Sancti Vincentii*, appellatum: istudque per antonomasiam Italice ita dicebant IL MONASTERO NUOVO; sicut alterum illud IL MONASTERO MAGGIORE. Utcumque tamen res ista se habeat, quam potius alii discutiant, mirabundus in hæc verba pergit *Castillionæus*: *Et sane allucinatum hac in re fuisse*

fuisse par Scriptorum, alioquin oculatorum, valde miror; cum eos legisse constet Benuenutum in Chronicis &c. Joannem a Monte in Manipulo florum &c. Jacobum Gualuaneum Chronicorum Minorum Titulo 10. *&c. & Chronicorum Majorum Cap.* 192. *&c. & alios priscos Auctores omnes, ab iisque sua ferè omnia desumpsisse. Ii verò omnes una voce testantur, non alibi quam ad Carnubium Ticinensis Portæ Cœnobium a desiderio Longobardorum Rege fuisse conditum: & inde ad Divi Vincentii in Prato planiciem annis labentibus deportatum, Monachis item, non Monalibus, brevi temporis spatio locupletatum.* Hactenus *Castillionæus*, apud quem interserta legere licet etiam *Beneventi*, & *Joannis à Monte*, nec non etiam *Gualuanei*, quos allegabat, testimonia verbatim exscripta. Qui tamen Auctores absque dubio affirmant, hoc Monachorum Monasterium in Porta *Ticinensi* a Rege constructum *Desiderio* fuisse; at non ipsi negant alterum alibi pro Monialibus hac in Urbe ab eodem constructum. Neque porro ex natura rei hoc sequitur, ut, quia illud pro Monachis tantus alioqui Rex condidit in una hujus Urbis parte, alterum item in altera pro Monialibus non condiderit. Quid ergo vetat, quominus nos utramque Auctorum in hac causa classem sine alterutrius injuria æqualiter & amice ita potius sequamur, ut utrumque sic etiam ejusmodi Monasterium ab eodem Rege *Desiderio* fundatum extructumque concedamus? Commemorare vero etiam hic præstat, quid item *Vincentianæ* ipsæ Moniales e Majorum suarum traditione (cui non ita facile ac leviter abroganda est fides) nobis recenter affirmarint. Constans est (aiebant) Monialium nostrarum fama & opinio, jam inde a primis ducta originibus, Monasterium istud nostrum a Rege *Longobardorum Desiderio* inchoatum fuisse pro duabus filiis suis, *Ansilberga* & *Ermingarda*: sed eas postea, *Brixiensis* Urbis cælo ac solo magis oblectatas, religiosam illic traducere vitam præoptasse; indeque factum, ut nobilissimum ibidem amplissimumque Sanctæ Juliæ Monasterium ab eodem Rege construeretur; quemadmodum in Historia Monastica *Petrus* narrat *Ricordatus*. Nobisque protinus Historiam ejusmodi curiose flagitantibus obtulerunt; quippe sibi familiarem: quæve de illo Sanctæ *Juliæ* Monasterio sub Die tertia continerentur, ostenderunt. Consentanea utique illa erant cum iis etiam, quæ *Carolus Sigonius* Libro Tertio *De Regno Italiæ* narrat ab Anno *Christi* Septengesimo quinquagesimo nono, quo *Brixiense* istud Monasterium *Desiderius* ædificare, uxore *Ansa* & *Adalgiso* filio adjuvante, instituit. Quocirca, si modo verax est ejusmodi Monialium traditio; certe sequitur, ut NOVUM istud ipsarum Monasterium prima sui origine jam præcederet Annum illum septingentesimum quinquagesimum nonum, & aliquanto esset anterius *Vincentiano* ad Carrubium Monasterio. Istud quippe conditum (sicut ipsemet exscripsit *Castillionæus*) affirmant *Joannes a Monte*, ac *Gualuaneus* Anno *Christi* Septingentesimo septuagesimo, *Beneventus* autem decimo inde Anno, sive octogesimo.

CCXXXIII. Monasterium porro DE GHISONE illud est, quod nunc SANCTÆ MARGARITÆ appellatur, intra Portæ Novæ fines. In ejus enim Codicis, quem Num. 52. in testimonium proferebamus, Calendario ac Matyrologio sic legitur sub tertio Nonas Septembris: *Passio Sancti Leonis & Marini.* AD SANCTAM MARGARITAM, SIVE AD MONASTERIUM GISONIS: quod absque dubio idem est ac GHISONIS. *Franciscus* sic etiam *Castellus*, Metropolitanæ Canonicus Ordinarius, id ipsum observavit. In eo siquidem Opusculo manuscripto, cui titulus, *Cognomina antiqua certarum Ecclesiarum*, quodque in Capituli Metropolitani Bibliotheca asservatur, sic habet: ECCLESIA GHISONIS *nunc* SANCTÆ MARGARITÆ. Videtur autem familiæ *Mediolanensis* cognomentum: e qua familia fuerit ejus Ecclesiæ ac Monasterii Conditor: qui proinde suum ipsis cognomentum indiderit. *Ghisones* profecto inter nobiles *Mediolani* familias à *Paulo* etiam *Morigia* numerabantur prope finem Historiæ *Mediolanensis*. De Monasterio DATHEI hoc solum interea censemus: ab eo forte *Datheo*, Metropolitanæ Archipresbytero, de quo diximus Num. 23. constructum fuisse: sive quia Xenodochium illud, quod pro Infantulis primo fuerat institutum, progressu temporis transierit in Monialium Monasterium: sive quia non modo Xenodochium illis, sed istis etiam Monasterium ædificarit.

CCXXXIV. A Puellarum ac Monialium Monasteriis verto me tandem ad Ecclesiam, QUÆ DICITUR DE RONZONE, QUÆ EST CONDITA IN HONORE SANCTÆ TRINITATIS. Ecclesia vero isthæc sine dubio non alia est, quam quæ hodie SANCTI SEPULCHRI appellatur: ubi Præpositus residet inclytæ illius Oblatorum Congregationis, quam ego meritissimè divinum Ecclesiæ *Mediolanensis* Columen ac Præsidium & Decus, quale scilicet ejus Fundator, Cardinalis & Archiepiscopus noster *Carolus* Sanctus, in votis habuerat, appellandam semper ac prædicandam existimavi. Sicut autem septimo Imperatoris *Conradi* anno, *Christique* Millesimo trigesimo quarto *Aribertus* hoc suum condidit Testamentum; sic Ecclesia ista (utpote quarto ejusdem Imperatoris anno) tribus ante annis condita fuerat. Scite præ ceteris *Tristanus Chalcus* Libro Sexto ita testatur: *Anno quarto Imperii Conradi Benedictus, qui & Rocio vulgo nuncupabatur cum Ferlenda uxore Ædem proprio solo media Urbe struxere in honorem Divæ Trinitatis, & in memoriam Locorum, quæ Christus Deus nascendo moriendoque, & interim baptizatus, excruciatusque a Judæis, & novissime cælos ascendens, sacravit. Singulaque Sacella singulis nominibus distincta diu mansere, donec celebrius vocabulum* SANCTI SEPULCHRI *invaluit. Ejus cultui quatuor Canonicos & octo Monachos adscriptos fuisse lego; licet posterorum negligentiâ illos jamdiu desideremus. Durat tamen nobilis structura, subterraneo specu pensilibusque Cellis, marmoreo pavimento & duabus turribus egregia.* Et hactenus *Chalcus*. Non igitur apte ad temporis veritatem *Gualuaneus Flamma* (& si qui generis ejusdem sunt alii) hæc scribit in Chronico Majori, Cap. 240. *Anno Domini Millesimo trigesimosexto Rozus de Cortosella, sive de Cancellariis, construxit Ecclesiam Sancti Sepulchri.* Ac multo minus vere scribit infra, Cap. 249. *Eodem Anno, scilicet in Millesimo centesimo, Ecclesiam Sancti Sepulchri per Rozum de Cortesellis construitur.* Non enim hoc Anno primum constructa illa fuit, sed restaurata, & in honorem Dominici Sepulchri consecrata; posteaquam nimirum ab expeditione *Jerosolymitana* feliciter peracta *Mediolanenses* in patriam rediissent. Qua de re nos quoque tunc temporis aliquid innuemus.

CCXXXV. Quod vero ad ipsum per se Legatum illud *Ariberti* attinet: dubium esse non potest, quin eidem exequendo reditus admodum copiosi & uberes tam multis ex bonis, quæ hunc ad finem assignabantur, proventuri deinceps in perpetuum supponerentur. Atqui tanta postmodum secuta est rerum ac temporum perversitas: tamque tenues hodie reditus pro ejusmodi Legato colliguntur, ut juxta ipsius contractionem, rite ac legitime demum factam, nonnisi semel unoquoque quadriennio solum Capitulum Metropolitanum die Veneris hebdomadæ primæ quadragesimalis procedere deinceps teneatur ad ejusmodi Supplicationem in Ecclesia Sanctorum *Dionysii* & *Aurelii* peragendum. Ibi quippe sepultus idem

fuit *Aribertus*; quemadmodum etiam nos in tempore dicemus.

CCXXXVI. *Ariberti* Archiepiscopi Testamento curiosè hactenus a nobis per ejusmodi observationes atque adnotamenta illustrato, *Gualuaneus Flamma* & Auctor Chronici *Flos florum* ab Anno *Christi* supra Millesimum trigesimo quarto nos ad trigesimum A.C. 1036. evocant sextum. Huic enim Anno iidem adscribunt, quæ proxime sequentur. *Gualuanei Flammæ* Codex, quem nonnulli autographum credidere, in *Ambrosiana* Bibliotheca servatur, aliquatenus nonnunquam diversis ab eo, quem nobis *Aloysius ab Ecclesia*, non sine grati obstrictique animi nostri sensu jam sæpe nominatus, commodavit, quove uti utplurimum solemus. In ejus ergo Codicis Capite 736. hoc singulariter de *Ariberto* Achiepiscopo perhibetur: *Duos Abbates, scilicet Sancti Ambrosii & Sancti Vincentii, qui dicebant se exemptos, sibi subjecit auctoritate summi Pontificis. In cujus signum Papa donavit Archiepiscopo Corpora Sanctorum Martyrum, Quirini, Nicomedis, & Abundii: quæ in Monasterio Sancti Dionysii* (legendum est *Vincentii*) *tumulavit. Eodem tempore, scilicet in Millesimo trigesimosexto* (qua de re nos paulo ante disseruimus) *Rozus de Cortesella, sive de Canzellariis, construxit Ecclesiam Sancti Sepulchri, ut dicit Gothofredus de Bussero, die decimaquinta Iulii: & die decimasexta Octobris* ECCLESIA SANCTI SATYRI IN PORTA ROMANA FUIT CONSECRATA: quam videlicet Num. 134. & deinceps videbamus ab *Ansperto* Archiepiscopo constructam, & huic *Ambrosiano* Monasterio subjectam. *Flamma* itaque Abbati etiam huic *Ambrosiano* hanc inurit notam, ut Archiepiscopi *Mediolanensis* jurisdictioni ac regimini sese subtrahere voluerit. Ejusdem opinionis etiam est *Joannes Antonius Castillionæus* Fasciculo illo Sexto jam citato, pag. 186. in eo tantum à *Gualuaneo* discors, quod hoc ipsum *Ariberti* factum, ut ambos ejusmodi Abbates in officio contineret, non trigesimo sexto adscribit Anno, sed vigesimo tertio. Præterquam quod autem nobis, Monumenta hucusque nostra computantibus, commentitium & incredibile de Abbate nostro id videtur; certe quidem Chronologos idem habemus, qui soli *Vincentiano* Abbati ejusque Monachis hoc tribuant. Ecce nobis Auctor Chronici *Flos florum*, fol. 238. pag. 2. *Hic a Papa obtinuit Sancti Vincentii subjectionem qui dicebant exemptos: in cujus signum Papa dedit Corpora Sanctorum Quintini* (lege *Quirini*) *Nicomedis & Abundii, qui sunt in dicto Monasterio &c.* Ecce itidem novus nobis nec antehac citatus testis, *Petrus Azarius*, in *Heriberto* Archiepiscopo ab Anno Domini Millesimo decimo nono. Inquit enim: *Monasterii Sancti Vincentii subjectionem a Papa obtinuit; quia se exemptum dicebat. In cujus rei testimonium Papa Corpora Sanctorum Quirini Nicomedis & Abundii eidem Archiepiscopo donavit &c. Petrus* hic vero *Azarius* fuit Notarius (Novariensisne, an Derthonensis, hoc incertum) atque *Mediolanenses* Annales scripsit ab initio Urbis usque ad Annum *Christi* Millesimum quadragintesimum secundum. Quibus in Annalibus Anno Millesimo trecentesimo quinquagesimo quinto semetipsum narrat à Magno *Matthæo Vicecomite*, Vicario Imperiali, & *Mediolani* Domino, missum una cum *Leone de Muriculis*, ut Militiam reformarent ad hoc, ut sumptus minuerentur. Nec vero typis editi sunt ejusmodi Annales. Manuscriptus igitur ipsorum Codex tribus circiter ab hinc annis commodatus in pauculos dies mihi fuit ab ultroneo illo studiorum meorum fautore in omne tempus predicando, *Matthæo Valerio* Carthusiano: qui, cujusnam ille foret, adjecit se ignorare; sed certe tamen commodatum sibi pariter fuisse ab Amico suo charissimo, ac per ipsum meo. Defendens videlicet *a Lauda* hic erat (& vivit adhuc vivatque diutissime) Jurisconsultus peregregius, antiquitatum peritissimus, & Cathedralis Ecclesiæ *Laudensis* *Canonicus, pluribus etiam eruditionis suæ fœtibus, in lucem jam editis, de illamet Ecclesia & Urbe benemerentissimus. Sicut igitur ex eo Codice nonnulla tunc ego raptim exscripsi, quæ ad Ecclesiam spectarent *Mediolanensem*; sic etiam in præsenti Auctorem ipsum mihi testem adhibui; & eo quidem lubentius, quia per tales tantosque Viros forte fortuna mihi datum fuerit, ut illum asciscere possem. Quoniam vero Archiepiscopus noster *Aribertus* non sua tantum sed etiam *Romani* Pontificis auctoritate *Vincentianum* Abbatem ad officium & in ordinem redegit, & ab eodem quidem Pontifice muneratus, uti jam vidimus; quis illud item non videat, quod pluries adhuc ostendimus, Archiepiscopum nostrum, & una cum ipso Ecclesiam *Mediolanensem* universam, per hæc etiam tempora *Romanæ* Sedi Apostolicæ procul ab omni schismate reverenter adhæsisse? Quo enim propius ad ejusmodi schismatis commentitii finem acceditur, eo magis ex propinquo vanitatem ipsius a nobis convinci, dante semet ipsam occasione, oportet. Sancti vero etiam *Satyri* Ecclesiam dicebamus hoc tempore ab *Ariberto* Archiepiscopo consecratam. Nunc itidem scito Lector, sacras ibi Reliquias magno in numero asservari: quæ olim ex antiqua consuetudine semel tantum in anno, scilicet in Epiphania Domini, publice ad cultum exponebantur; sed Anno postea Millesimo sexcentesimo duodecimo exponi præterea cœperunt in Paschate Resurrectionis & Pentecostes; ita nimirum jubente *Frederico* Cardinali & Archiepiscopo *Borromæo*. Nos autem in tanto earum numero hasce tantum nominabimus, quæ præsertim ad nostrum spectant institutum. Sunt autem unus e Sancti *Protasii*, alter e Sancti *Ambrosii* dentibus: præterea vero Sancti *Gervasii* mentum inferius cum quinque dentibus ipsi etiamnum insertis, ac sexto separatim custodito.

CCXXXVII. Quidam in *Aribertum* Archiepiscopum immoderate paululum dominantem conjuraverant. Contra illos igitur *Conradum* evocat Imperatorem; sicut expresse testatur Libro secundo *Arnulfus*. Inde *Vuippo* in ejusdem Imperatoris Vita, Titulo *Quod Rex Heinricus filiam Cunittonis Regis in conjugium duxerit*, hunc in modum tradit: *Eodem Anno, ut dictum est* (Millesimo trigesimo sexto) *Imperator Chunradus cum filio Heinrico Rege Italiam intravit cum exercitu: & celebravit Natalem Domini Veronæ Anno Dominicæ Incarnationis Millesimo trigesimoseptimo.* A.C. 1037. INDE AD MEDIOLANUM VENIENS, AB HERIBERTO ARCHIEPISCOPO MAGNIFICE RECEPTUS EST IN ECCLESIA SANCTI AMBROSII.

CCXXXVIII. Narrare postmodum pergit *Vuippo* tumultum *Mediolani* mox obortum, generale Colloquium *Papiæ* a *Conrado* propterea inductum, *Aribertum* Archiepiscopum ad Urbem *Placentiam* in carcerem amandatum, nec multo post fuga inde ad suos reversum: sic etiam in exilium actos *Vercellensem*, *Cremonensem* ac *Placentinum*, Episcopos. *Quæ res* (idem Vuippo subdit) *displicuit multis, Sacerdotes Christi sine judicio damnari. Referebant nobis quidam, piissimum nostrum Heinricum Regem, filium Imperatoris, salva reverentia Patris, clam detestari præsumptionem Cæsaris in Archiepiscopum Mediolanensem, atque in istos tres: & merito. Quia sicut post judicialem sententiam depositionis nullus honor exhibendus est; sic ante judicium magna reverentia Sacerdotibus debetur.* Et paulo post: *Eo tempore Imperator Mediolanenses nimium afflixit: & quoniam Urbem, antiquo opere & maxima multitudine munitam, capere non poterat; quod in circuitu fuerat, igne & gladio consumpsit.*

CCXXXIX. Sed Titulo subinde etiam *De miraculo, quod accidit in die Pentecostes*, sic ille itidem nar-

narrat: *Eodem tempore, dum Imperator quoddam Castrum Sancti Ambrosii, quod Curbitum dicitur* (Scriptores nostri *Corbetam* vocabulo etiam in præsens usitato dixerunt) *juxta Mediolanum obsideret, accidit ibi, quod plures pro miraculo habuerunt. In Dominica sancta Pentecostes, ante horam tertiam, de magna serenitate cœli subito fulmina cum tonitruis eruperunt tantæ fortitudinis, ut multa pars hominum & equorum periret in castris. Quidam præ tanto terrore in excessum mentis venerunt, ita ut post aliquos menses vix illis sensus redierit. Venientes autem qui extra castra fuerant, nec vidisse nec audivisse aliquid tale, dicebant. Eo tempore Imperator Archiepiscopatum Mediolanensem Ambrosio Mediolanensi Canonico dedit; licet illi ista donatio parum profuisset. &c.* Hactenus *Vuippo*: neque noster ab ipso dissentit *Arnulfus*. Cujus hæc denique sunt verba, quibus eventum illum, a pluribus pro miraculo habitum, describit *Igitur recedens ab Urbe Cæsar jubet cuncta in circuitu prope longeque vastari loca. Cumque flammis universa consumeret; crebris fulminum jactibus & grandinea tempestate correptus, a cœpto desistens recessit mœrens. Quinetiam Bertaldus, Regius a Secretis, cujus cuncta fiebant consilio, insanæ mox mentis efficitur. De quo cum Rex leniri debuerat, magis intumuit, in tantum, ut Heribertum adjudicaret dignitate propria privandum. Stabilita igitur deliberatione, Præsulatum tradidit Ambrosio, Modiolanensis Ecclesiæ Cardinali Presbytero, suoque Cappellano; etsi videntibus, non tamen volentibus Episcopis. Quo Heribertus audito, de Rege similiter tractavit honore privando. &c.* Sic itaque videmus, quemadmodum antiquiores illi Scriptores reticuerint, quonam præsertim pro *Mediolanensibus* Oratore apud Deum cœlestes illæ minæ iræque fuerint in asseclas *Conradi* effusæ. Atqui non ita se gessere posteriores. *Vincentius* ante alios, *Bellovacensis* Episcopus (& hic Anno *Christi* Millesimo ducentesimo quinquagesimo florebat) in Speculo Historiali, Lib. 25. Cap. 17. sic insuper habet: *Die vero Pentecostes cum Imperator in parva Ecclesia secus Urbem coronaretur* (sive potius *coronatus staret*, ut legit Sanctus *Antoninus* Secunda Parte Chronicorum, Tit. 16. Cap. 4. §. 1.) *ad Missam, tam gravia fuerunt tonitrua & fulgura, ut aliqui mente excederent, aliqui spiritum exhalarent. Bruno vero Episcopus, qui Missam celebrabat, & Secretarius Imperatoris, cum aliis tribus, dixerunt, se inter Missarum solemnia* VIDISSE SANCTUM AMBROSIUM IMPERATORI INDIGNANDO COMMINANTEM. *Tunc Imperator ab Italia discessit.* De qua quidem Sancti *Ambrosii* apparitione, atque in parva secus Urbem Ecclesia, *Vincentium* sequuntur testemque proferunt unanimiter *Gualuaneus Flamma* in Chronico Majori, Cap. 141. & in Manipulo florum, Cap. 145. tum etiam Chronici *Flos florum* Auctor, fol. 129. pag. 2. *Petrus Azarius* in Annalibus *Mediolanensibus*. Ejusdem vero apparitionis meminit quoque Auctor Magni Chronici *Belgici*, ab Anno *Christi* Quinquagesimo quarto usque ad Millesimum quadringentesimum septuagesimum quartum (quo, sicut & trigesimo nono, ille vivebat) deducti, & una cum Historia *Vuipponis* in lucem editi: præterea *Georgius Merula* Libro 2. Antiquitatis Vicecomitum, & *Tristanus Chalcus* Lib. 6. *Hieronymus Rubeus* Historiarum *Ravennatum* Libro Quinto, ad Annum *Christi* Millesimum trigesimum septimum, *Gaspar Bugatus* in Historia Universali, quin etiam *Blondus Flavius* & *Joannes Nauclerus* jam citati Num. 218. necnon etiam alii quam plures.

CCXL. Præ illis *Carolum Sigonium* proferre præstat, isthæc sub eodem Anno scribentem: *Cœterum Ambrosium* (illum videlicet Ecclesiæ *Mediolanensis* Cardinalem, quem *Conradus* in *Ariberti* a se dejecti locum substituerat) *die Pentecostes Bruno Episcopus* IN ÆDE DIVI AMBROSII SUBURBANA *consecraturus, cum præsente Imperatore Rem divinam faceret;* SANCTUM AMBROSIUM EPISCOPUM, GLADIUM IN COELO VIBRANTEM, ATQUE IMPERATORI MINITANTEM DICITUR CONSPICATUS. *Quo facto, statim tonitrua & fulgura adeo sæva sunt consequuta; ut Bertrandus, a Secretis Regis, ingenti fragoris magnitudine exanimatus, e potestate decesserit; aliique, qui aderant, plures extincti sint. Quibus rebus permotus Conradus, Mediolani oppugnationem reliquit &c.* Quærisne vero, Lector, quamnam Sancti *Ambrosii* Ædem *Sigonius* hoc loco suburbanam vocet. Basilica isthæc *Ambrosiana* in multos etiam hinc annos absque dubio sibi nomen *suburbanæ* promerebat; quippe cum extra muros Urbis consisteret: nec ab ejusmodi nomine *Sigonius* abhorret Anno Millesimo quadragesimo sexto. Idem tamen *Sigonius* ipsam (ut etiam nos Num 175. animadvertimus) *urbanam* vocabat: & hanc fortasse ob causam; quia propinquior aliquanto ipsa esset Urbi, quam ea, quæ SANCTI AMBROSII AD NEMUS appellatur. Hanc igitur AD NEMUS (cui re vera nomen etiam *Ecclesiæ parvæ* conveniret) quispiam fortasse dixerit a *Sigonio suburbanæ* additamento indicatam: patronumque nostrum e cœlo *Ambrosium* sese ibi conspicuum simul ac minacem obtulisse. Expresse quidem *Besutius* ita sensit in Historia Pontificali, sive in *Ariberto* Archiepiscopo Septuagesimo quarto. *Gualuaneus* tamen eo Chronici Majoris Capite, quod nuper proferebamus, & Auctor Chronici *Flos florum*, itemque *Bernardinus Corius* in Historia *Mediolanensi*, Ecclesiam illam, in qua Sanctus *Ambrosius* apparuerit, diserte scribunt, Sancti *Michaëlis* Ecclesiam fuisse, quæ juxta Basilicam istam sita est. Verum enimvero difficile creditu videtur, *Conradum* in præsenti nostræ Urbis obsidione tam propinquum ejusdem muris una cum exercitu suo consedisse; cum præsertim *Arnulfus* eum diserte scribat tertio ab Urbe milliario fixis tentoriis castra metatum. Etenim consedisset ultra Vallum, sive Fossatum, ipsismet muris non sine aliquanto intervallo circumjectum: ultra quod tam Sancti *Michaëlis* Ecclesia quam Basilica ista sine dubio erant. Sin autem tam propinquus illis consedisset; certe vel ipsam consecrationis ejus Archiepiscopalis celebritas Basilicam potius istam sibi vendicabat: in qua ceteroqui pariter ea peragi, magisque *Ariberto* legitimo Archiepiscopo dispicere potuisset. Pro suo tamen quisque arbitratu ista dijudicet. Nos interim neque tale quippiam Basilicæ huic nostræ præfracte vendicamus, neque parvæ invidemus illi Ecclesiæ Sancti *Michaelis*, vel Sancti *Ambrosii* AD NEMUS. Quod si forte quispiam *Sigonium* pro hac Basilica nostra interpretari malit; ut quid nos decus ejusmodi sponte oblatum respuamus?

CCXLI. *Conradus* ex *Italia* in *Germaniam* rever- A.C.
sus, ibi moritur Anno Domini Millesimo trigesimo 1039.
nono undecimo Nonas Junii, feria secunda, Indictione septima: *dum jam in filio suo Rege Heinrico Regni rem, Imperii autem spem bene locatam consideret.* Sic enim loquitur *Vuippo* Titulo *De obitu Imperatoris*: cujus etiam obitum, sane quidem pium, accurate describit. Sed & jam ante, Titulo *Quod Imperator filium suum Heinricum Regem consecrari fecit*, recensuerat, quemadmodum hic ejus filius, magni ingenii & bonæ indolis puer, ætate undecim annorum, consecratus apud *Aquisgrani* Palatium fuisset *Germaniæ* Rex a *Coloniensi* Archiepiscopo, Anno Domini Millesimo vigesimo octavo, Indictione undecima, in Principali Domica Paschæ. Sic etiam Titulo *Quod Imperator filio suo Regi Burgundiam tradidit*, asseruerat hoc illi Regnum tradidisse autumno Anni supra Millesimum trigesimi octavi: fecisseque, ut fidelitas illi denuo juraretur. Cum igitur vigesimum secundum ætatis annum ageret *Henricus*, defun-

functo Patre, jam solus in paterno *Germaniæ Burgundiæque* Regno perseverat. *Cæterum Italici de Regni possessione solicitus* (verba sunt *Sigonii* ad eundem Annum Millesimum trigesimum nonum) *Legatos protinus ad Herebertum Archiepiscopum misit, Coronam in præsens, amicitiam in perpetuum postulatum. Quorum utrumque cum se daturum Archiepiscopus ostendisset; continuo ab armis discessum est.* Hinc item *Arnulfus*, *Defuncto autem* (inquit) *Conrado, Henricus, adolescens ejus filius Rex vivente Patre creatus, Augustus ab omnibus appellatur: vir Reipublicæ gerendæ satis idoneus: qui paterni animi non imitatus affectum, suorum consultu Fidelium cum Archiepiscopo pacis fœdera stabilivit, ab illo deinde fideliter honoratus.* Coronam tamen in præsens postulatam vicissimque promissam *Henricus* non recepit in præsenti, sed aliquanto post tempore. Quocirca *Sigonius* hæc ibidem subdit: *Bellis tamen Boëmico & Ungarico impeditus Henricus, rebus Italiæ vacare per multos annos non potuit.* Eumque propterea nonnisi Anno Millesimo quadragesimo sexto venisse postea scribit in Italiam, ut solemnia quoque *Italici* Regni a *Mediolanensi* Archiepiscopo insignia susciperet. De qua tamen mora nos paulo post abunde differemus.

A.C. 1040. CCXLII. Annum *Christi* Millesimum quadragesimum ingressi, Lectorem admonemus, ut ea recolere animo non gravetur, quæ Num. 221. Annoque *Christi* supra Millesimum vigesimo octavo tradebamus de *Otthone* illo Presbytero, deinter Decumanos Sanctæ *Mediolanensis* Ecclesiæ Officiali Basilicæ istius: deque illa Ecclesia, in honorem Sancti Archangeli *Michaëlis* & Beati *Petri* Apostoli consecrata, & huic *Ambrosiano* donata Monasterio. Idem igitur Presbyter, ita prorsus hic etiam quemadmodum & illic descriptus, hoc ipso Anno supra Millesimum quadragesimo, mense Decembris, Indictione nona, in Civitate ista *Mediolani* novum condit Testamentum, aliaque rursus bona irrevocabiliter eidem illi donat Ecclesiæ: quam tamen hic absque Sancti *Petri* Apostoli titulo nominat solummodo *Ecclesiam Sancti Michaëlis Archangeli extra Civitatem Mediolani, ad Locum, ubi* SALA *dicitur, quæ est non multum de longe a Porta, quæ nuncupatur Vercellina.* Vivebat vero etiam tum *Raidruda* illa vidua, sacro postmodum velamine insignita. Ei ergo Ecclesiæ *Ottho* donat rursus alia quædam sedimina, & *petiam unam campi, quæ rejacet foris ab hac Civitate Mediolani in isto Loco* SALA, *ante Ecclesiam ipsius Sancti Michaelis, tantum via intermedia.* Cum hac tamen conditione donat: *ut habeat prædicta Raidruda, quæ & Rigeza, diebus vitæ suæ usufructuario nomine, & faciat in ipsis casis & rebus de fruge & censu, quæ Deus dederit diebus vitæ suæ, quod voluerit*; post ipsius autem decessum *deveniant in jus & potestatem ipsius Ecclesiæ Sancti Michaëlis proprietario jure, pro anima* (inquit) *mea, & ipsius Raidrudæ, & Quondam prædicti Gandulfi*, ejus utique mariti; cedantque in usus Presbyteri *Teusprandi*, ejusque Successorum, *qui perpetuis temporibus in eadem Ecclesia Officiales fuerint.* Ceteras porro Testamenti ejusdem conditiones & clausulas omitto: satisque sit dicere, idipsum fuisse a *Gotefredo* Notario scriptum, ac post tradita compilatum & datum.

A.C. 1043. CCXLIII. Dubium profecto nemini debet esse, quin *Henricus* in *Italiæ* Regem coronatus a *Mediolanensi* Archiepiscopo fuerit, quo primum tempore in *Lombardiam* postea ille venit. Venisse autem Anno *Christi* Millesimo quadragesimo tertio, *Tristanus Chalcus* Lib. 6. luculenter in hunc modum testatur & confirmat: *Henricus adolescens adhuc paterno Regno suffectus est, & pacem Mediolanensibus dedit: & postea Anno Millesimo quadragesimo tertio cis Alpes profectus, Ticini Conventum habuit, decimoque tertio Kalendas Majas immunitate donavit Cœnobium Sancti Fælicis: cui annuerunt Heribertus Mediolanensis, Raynaldus Papiensis, Luitprandus* (in Auctoris autographo *Riutprandus*) *Novariensis, & Litigerius Comensis, Episcopi: tum Ricardus Vicecomes, sacri Palatii Judex, subscripsit.* Contra tamen *Carolus a Basilica Petri*, Libro Secundo suæ *Novariæ* agens de *Riprando Novariensi* Episcopo, ita sentit: *Est ejusdem* (Riprandi) *mentio apud Tristanum: dum narrat, Henricum, qui Conrado patri mortuo in Regno successerat, Cœnobium Sancti Fœlicis Papiæ (in quo jus datum Petro Novariensi Episcopo diximus a Conrado) immunitate donasse, cum Papiæ esset, annuente Heriberto Archiepiscopo Mediolanensi, Raynaldo Papiensi Episcopo, & Riutprando Novariensi; ita enim ipse appellat. Quod licet ipse tribuat Anno Millesimo quadragesimo tertio; ex aliorum tamen auctoritate Anno Millesimo quadragesimo sexto est assignandum. Tunc enim demum in Italiam Henricum venisse ad insignia Regni & Imperii accipienda, Sigonius narrat, & Papiæ conventum habuisse. Qui quidem, mortuo Patre, pacem fecerat cum Archiepiscopo & aliis, exulesque restituerat.* Itaque *Carolus a Basilica Petri*, repudiato *Chalco*, *Sigonium* potius affectatur. Videamus autem, quidnam tandem illud sit, quod & *Sigonius* in hanc sententiam conscribit. Scilicet ad Annum Millesimum quadragesimum sextum sic ab illo traditum videmus: *Rebus autem omnibus trans Alpes tandem aliquando ex sententia administratis, statim de expeditione Italica* (Henricus) *cogitavit. Iter autem ejus accendit cum Vido Archiepiscopus, qui a Populo Mediolanensi respuebatur, tum novi Romæ Comitiorum Pontificiorum causa suscitati tumultus.* Quos ubi *Sigonius* recensuit, hæc statim prosequitur: *His de causis Henricus, & ut solemnia Regni atque Imperii insignia sumeret; necessariis rebus omnibus comparatis, ineunte autumno, cum exercitu & Agnete uxore Alpes superavit.* Et rursus paulo post: *Ille autem benigne a Lombardis acceptus, continuo accessit Mediolanum: ac Mediolanensium cum Vidone lite composita*, FERREAM ILLIUS MANU DE MORE CORONAM IN ÆDE DIVI AMBROSII SUBURBANA RECEPIT. *Papiam inde profectus sexto Kalendas Novembris Conventum egit: atque exules Longobardos, quos superioribus annis propter conjurationes initas Conradus in Germaniam relegarat, restituit.* E quibus nimirum exulibus initium sumpsisse *Sigonius* existimat (sed non sine errore, sicut ex dictis Num. 202. colligi potest) Ordinem Fratrum Humiliatorum. *Papia* postmodum *Henricus Placentiam* proficiscitur, Decembrique mense *Sutrium*, ac *Sutrio Romam* pridie Nativitatis Dominicæ accedit; sicut idem narrat *Sigonius*. Cujus hæc item sunt, quæ sequuntur, ab ipso conjecta in Annum *Christi* Millesimum quadragesimum septimum: *Postridie, in ipso Natalitiorum festo, Clemens Pontifex consecratus Henricum Imperatorem cum Agnete conjuge consecravit: atque, perfectis in Vaticano solemnibus, Pontifex Imperator & Imperatrix, maximo totius Populi Romani plausu in Lateranum, Coronis quisque suis redimiti, de more procedentes, oculos in se omnium tanti majestate spectaculi converterunt.* Quocirca e *Sigonii* testimonio *Henricus* Anno quadragesimo sexto supra Millesimum, mense Octobri, Coronam *Italici* Regni a *Mediolanensi* Archiepiscopo (& quidem *Vidone*, in *Ariberti* locum suffecto) accepit; Imperialem vero a *Clemente* Papa Secundo ipsamet Dominicæ Nativitatis die; a qua Millesimum quadragesimum septimum Annum *Sigonius* more suo auspicatur. Alioqui enim juxta supputationem Anni a Kalendis Januarii (qualem sequitur etiam *Baronius*) vel ab Incarnatione Domini, sive a vigesima quinta Martii die, isthæc Imperatoris Coronatio facta dicetur Anno Domini Millesimo quadragesimo sexto. His igitur per nos e *Sigonio* etiam exscriptis, aperiendum est tandem, quid in præ-

præsenti controversia sentiamus. *Henricum* in primis ultro fatemur, quinetiam contendimus nonnisi Decembri eo mense, in die Nativitatis Dominicæ, Annoque illo, juxta *Sigonium* Millesimo quadragesimo septimo ineunte, juxta *Baronium* vero & alios quadragesimo sexto exeunte, coronatum Imperiali Diademate fuisse a *Clemente* Papa Secundo. Neque vero *Chalcus* idipsum diffitetur. Immo vero ad Annum *Christi* Millesimum quadragesimum tertium, facta præter ordinem temporis mentione *Clementis* Secundi, ab *Henrico* ad Pontificatum electi, hæc subdit: *Tum, sedatis discordiis, coronatur* (Henricus) *atque Imperator hujus nominis Secundus, & Regum Tertius salutatur.* Et rursus infra post Acta quadragesimi quinti Anni supra Millesimum idem *Chalcus* in autographo hæc ipsa interserit, quæ in Editione typographica non extant. *Anno sequenti, id est, Millesimo quadragesimosexto, Henricus Augustalibus insignibus sumptis, sicut Regum Tertius, Imperatorum sui nominis secundus fuit.* Quocirca nos *Henricum* etiam concedimus non ante in Urbe *Roma* fuisse, quo ex tempore *Conradus*, ejusdem genitor, obierat. Ceterum interea temporis eundem nihilominus in *Lombardiam*, & nominatim *Mediolanum* pariter ac *Papiam*, iterato venisse arbitramur: semel ineunte autumno Anni ejus quadragesimi sexti, quemadmodum *Sigonius* narrabat: semel autem ineunte saltem vere superioris anni quadragesimi tertii, quemadmodum nos *Chalcus* eo præsertim edocebat *Henrici* Diplomate, decimotertio Kalendas Majas in Urbe *Papia* dato, cui *Heribertus* etiam noster Archiepiscopus annuisset. Quod quidem ipse facere minime potuit Anno illo quadragesimo sexto. Etenim ejus Anni mense Aprili nec *Henricus Papia* erat in Urbe; neque vero tunc inter vivos agebat *Heribertus*. Hic enim decimo sexto mensis Januarii proxime lapsi die vitam cum morte commutarat; ut nos postea docebimus. Quoniam vero *Litigerius* etiam *Comensis* Episcopus ei Diplomati annuerat; non abs re præsenti fortasse fuerit hoc loco exscripsisse, quæ *Benedictus Jovius Novocomensis* Historiæ Patriæ Libro Secundo commemorat, quæve repetit *Franciscus Ballarinus* suorum *Comi* Chronicorum *Italicè* conscriptorum Parte secunda. *Alberico* (inquit Jovius) *successit Litigerius. Cui Henricus Tertius Anno Domini quadragesimotertio supra Millesimum, Regni sui quinto, Judicialem Sententiam annuæ præstationis Ecclesiæ Comensi vini, suum, & arietum, contra Nonezani, ac de Samerate, & Vertemate Communia latam, confirmavit.* Perinde ac si *Jovius* dicat, eam *Comi* ab *Henrico*, vel hic saltem in *Lombardia*, confirmatam. Per eam igitur opportunitatem, qua *Henricus* hoc ipso Anno *Papiam* venit, per eandem nos ipsum credimus *Mediolani* Corona ferrea in *Ambrosiana* ista Basilica coronatum: nec ab alio quidem Archiepiscopo, quam *Heriberto*. Certe autem idipsum eidem *Heriberto* indubitanter multi rerum *Mediolanensium* Scriptores adscribunt. *Gualuaneus Flamma* in Manipulo florum Cap. 146. hæc habet: *Interim in Alamania Henricus Gibellinus, dictus Henricus Barbanigra, Imperatoris Conradi Gibellini filius, factus est Imperator per Barones Alamaniæ. Hic in nullo paternam est imitatus pravitatem. Unde statim misit in Italiam Legatos ad Heribertum Archiepiscopum: rogans eum, ut secum pacifice viveret*, ET CORONAM EI IN ECCLESIA SANCTI AMBROSII DARET. *Quod Archiepiscopus facere promisit. Unde hic Henricus Mediolanum venit*, ET AB ARCHIEPISCOPO IMPERII CORONAM ACCEPIT. Sic etiam in Chronico Majori Cap. 244. *Henricus Barbanigra Imperator* (per anticipationem utique nuncupatus) *Italiam intravit*: ET PER HERIBERTUM ARCHIEPISCOPUM IN ECCLESIA SANCTI AMBROSII CORONATUR. Idipsum disertissime a *Bernardino* etiam *Corio* affirmatur in Historia *Mediolanensi*, & in Vitis Imperatorum. In Chronico autem *Flos florum*, fol. 130. pag. 2. & in Catalogo *Successores Sancti Barnabæ*, eadem hujus *Henrici* Coronatio, tamquam *Mediolani* ab *Heriberto* celebrata, memoratur. Sed hi tamen omnes Scriptores in eo versantur errore, ut Imperiali etiam Coronationi, qua *Henricus* hic postea *Romæ* insignitus fuit, *Heribertum* pariter affuisse opinentur: quod fieri certe quidem non potuit; ut jam ante disseruimus, utque magis etiam postea constabit. Comperi vero etiam in *Ambrosiana* Bibliotheca Manuscriptum Codicem Chronicorum *Modoetiensium*, quæ *Bonincontrus Morigia* scribebat Anno *Christi* Millesimo trecentesimo quadragesimo. In cujus Codicis Libro primo, Cap. 35. de hoc ipso *Henrico* sic legitur: *Anno Domini Millesimo quadragesimo primo* AB HERISPERTO (sic enim Archiepiscopum istum ille nominat) MEDIOLANENSI ARCHIEPISCOPO, PRIMO IN MODOETIA, POSTEA IN MEDIOLANO CORONATUR. Nos tamen quoad Annum Domini, quo ejusmodi Coronatio celebrata fuerit, *Tristano* potius *Chalco* nihilominus adhuc constanter adhærescimus, *Henricum* asserenti profectum cis *Alpes* fuisse Millesimo quadragesimotertio.

CCXLIV. Eodem Anno Christi Millesimo quadragesimo tertio sese nobis offert *Teusprandi* cujusdam Presbyteri archetypum in pergamena satis ex utroque latere corrosa Testamentum. quo lubet ea rursum confirmare, quæ Num. 227. adstruebamus itidem argumento e *Nazariana* Basilica petito. Illud autem sic incipit: *IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Anno ab Incarnatione Domini nostri Jesu Christi Millesimo quadragesimotertio, mense Aprilis, Indictione undecima.* TEUSPRANDUS PRESBYTER DE ORDINE DECUMANORUM SANCTÆ MEDIOLANENSIS ECCLESIÆ, OFFICIALIS ECCLESIÆ SANCTI GEORGII, *constructæ intra Civitatem Mediolanum ad locum, ubi* PALATIO *dicitur &c.* Eidem vero illi *Raidrudæ*, quæ & *Rigeza*, viduæ olim, ac postea veste velaminis sanctæ Religionis indutæ, cujus aliquoties mentionem nos jam fecimus, *Teusprandus* hic Presbyter legat usumfructum quorumdam bonorum: quæ tamen post ipsius obitum deveniant in jus & potestatem partim *Ecclesiæ & Monasterii Beati Christi Confessoris Satyri, constructi foris ab........* (ubinam illud esset, intelligere non potui; supponitur tamen suus illic Abbas extitisse) partim *Ecclesiæ Sancti Michaelis, & Beati Petri Apostoli, quæ est ædificata foris Civitatem Mediolani in loco, ubi dicitur* SALA. De qua quidem Ecclesia multoties à nobis jam dictum. Paucis tamen ab hinc annis Canonicos videbimus in *Ambrosiana* ista Basilica institutos.

CCXLV. *Mediolani* efferato Nobilitatem inter ac Plebem dissidio, quinetiam Nobilitate pulsa ex Urbe, mutuis sese invicem cladibus ac cædibus affligebant: raraque transibat absque sanguine dies, ut inquit *Arnulfus* prope Libri Secundi finem. *Cumque triennio* (idem Auctor prosequitur) *partes sic baccharentur, utraque vicissitudine quadam, quid contra se invicem possent, frequenter experta; veniunt ab Augusto Legati, treguam inviolabilem inducentes: quam totius Regni virtute, & consilio, jurejurando affirmant. Eodem tempore Archiepiscopus* (Heribertus) *Modoetiæ degens, graviter infirmatur.* Tunc igitur ibidem priori Testamento, quod jam ante condiderat Anno *Christi* Millesimo trigesimoquarto, quodque nos Num. 224. recitabamus, alterum *Heribertus* adjecit Testamentum: & in eum finem, ut animæ suæ suffragium quotannis a Monasterio isto *Ambrosiano* impende-

penderetur. Erat autem mensis December Anni ab Incarnatione Dominica Millesimi quadragesimi quinti. Atque recens istud Testamentum fuit hujusmodi:

A.C. 1045.

In Christi nomine. Anno ab Incarnatione Domini nostri Jhesu Christi Millesimo quadragesimo quinto, mense Decembris, Indictione tertia decima. Ego in Dei Omnipotentis nomine ARIBERTUS, HUMILIS ARCHIEPISCOPUS SANCTÆ MEDIOLANENSIS ECCLESIÆ *& filius Quondam Gariardi de Loco Antimiano, qui vixit Lege Langobardorum principibus dixi. Vita & mors in manu Dei sunt; melius est enim homini cum metu mortis vivere, quam spem vivendi morte subitanea prævenire. Et ideo ego, qui supra,* ARIBERTUS ARCHIEPISCOPUS, *volo & judico, seu per hanc Paginam Ordinationis & Judicati mei confirmo: ut a præsenti die & hora Cortes una domui coltilis juris mei, rejacens in loco & fundo Antimiano, cum casis castro & Cappellis, seu aliis omnibus rebus territoriis, cum colloneis & districtis, seu molendinis, vilcanalibus, & inconcellulis locis, omnia & ex omnibus, quæ de ipsa Corte pertinent, in integrum deveniant in manibus & potestatem Gariardi & Lanfranchi, seu Ariberti Clerici, germanorum filiorum quondam item Gariardi, qui fuit nepos meus, eo ordine, sicut hic subter statuero; si ipsi germani, & eorum hæredes, vel eorum Missi, dederint* AD ABBATEM MONASTERII SANCTI AMBROSII, AUT AD MONACHOS, QUI PRO TEMPORE FUERINT IN IPSO MONASTERIO, *per omnes festivitates Sancti Ambrosii, omnique anno, argentum, denarios bonos Mediolanenses, libras duas; ita ut faciant ipsi germani de fruge, & censu, qui exinde annue exierit, usufructuario nomine inter eos æqualiter quod voluerint, pro animæ meæ remedio. Item volo & judico, seu per hanc Paginam Judicati mei confirmo: ut, si ipsi Gariardus & Lanfranchus, seu Aribertus Clericus, vel eorum heredes, se subtraxerint jam dictos denarios libras duas ad dandum, sicut superius decernitur; tunc statim, postquam occlaruerit, istam Cortem cum casis & Castro & Cappellis, seu aliis omnibus rebus territoriis, sicut superius legitur, cum tolloneis, & districtis, sicut ego germanis usufructuario habere statui, in integrum deveniant in jus & potestatem* IPSIUS MONASTERII SANCTI AMBROSII; *& faciat Abbas, & Monachi ipsius Monasterii in perpetuis temporibus de omne fruge, & censu, seu reditu, qui exinde annue exierit, quod voluerint pro mercede & remedio animæ meæ; ita tamen, ut ipse Abbas, & Monachi ipsius Monasterii in perpetuis temporibus mihi peccatori divinum Officium faciant; ut mihi proficiat ad salutem animæ, & gaudium sempiternum. Quia sic est mea bona voluntas. Et si propter honorem Sacerdotii & Archiepiscopatus mei mihi impetit Lege Romana: & nec me liceat ullo tempore nolle quod volui; sed quod a me hic semel factum, vel conscriptum est, sub jusiurandum inviolabiliter conservare promitto, cum stipulatione subnexa. Actum castro Modoctiæ fæliciter.*

Signum......num isto ARIBERTI ARCHIEPISCOPI, *qui propter ægritudinem scribere minime potui, qui hanc chartulam Ordinationis & Judicati, ut supra, fieri rogavi.*

Signum.......nibus Alberici & Landefredi, seu Anselmi: Testes.

Signum...... nibus Johanni & Juniani: Lege viventes Romana, Testes.

Petrus, Notarius & Judex Sacri Palatii, scripsi: pro tradita complevi, & dedi &c.

CCXLVI. Quam gravi ac periculoso *Heribertus* morbo in præsenti urgeretur, vel ex eo liquet, quod suimetipsius Testamento ne sua quidem ipse manu subscribere potuerit. Inde *Arnulfus* superioribus illis verbis, quæ proxime nos ex ipso proferebamus, hæc attexit: *Cumque ægrotaret ad mortem, disposita domo, ac rebus omnibus, deferri se jubet ad Urbem: ubi, cum*

A.C. 1046.

A *aliquantis langueret diebus, vitæ præsenti subtrahitur. Sepultus est autem ad Sanctum Dionysium, ubi elegans fundaverat ipse Monasterium. Gualuaneus* autem *Fiamma* in Manipulo florum, Cap. 147. *Et confessione* (inquit) *publica facta, Eucharistia quoque devote suscepta, ploranti Clero ait: Nolite contristari; quia ad pedes Beati Ambrosii Patris mei ascendo. Quo dicto, spiritum emisit decima septima die Februarii* (verius *decima sexta die Januarii*) *& in Monasterio Sancti Dionysii, quod ipse construxerat, sepelitur. Cujus corpus post decem menses integrum, cum summo vigore Ferulam dextera portante, oculis apertis, secundum Datium, videntibus universis repertum fuit.* B *Cujus Sepulchrum a quatuor partibus ferro & plumbo sigillatum est.* Quod autem *Gualuaneus* hoc loco testem producit *Datium*, in ejus videlicet Chronicis: re vera non *Datius* ille fuit, sed *Landulfus* Senior: qui non multo post *Heriberti* mortem in Ecclesia *Mediolanensi* floruit, quive Sancto Martyri *Arialdo* (de quo nos aliquid infra dicemus) infensissimus, contra vero Sacerdotibus uxoratis addictissimus fuit. Ejus Chronica Libris quatuor comprehensa, manuscriptaque nos legimus in Bibliotheca, quæ penes Capitulum est Templi Metropolitani: atque præter ipsius Chronica simul in eodem Codice insunt Historia cum *Arnulfi* (cujus testimonio aliquoties jam C usi sumus) tum etiam *Landulfi De Sancto Paulo*, qui altero illo *Landulfo* posterior fuit: ac denique Vita Beati Martyris *Arialdi*, ab ignoto Auctore conscripta. *Landulfus* igitur ille Senior inter alia multa, quæ Libri secundi Capite antepenultimo ac penultimo habet de obitu ac sepultura *Heriberti* hujus Archiepiscopi, ea quoque verbatim tradit, quæ *Gualuaneus* narrabat.

CCXLVII. Sed idem *Gualuaneus* in Chronico Majori, Cap. 244. hæc insuper habet: *Cujus* (Heriberti) *corpus in Monasterio Sancti Dionysii, quod ipse fundaverat cumulatur extra Ecclesiam;* QUIA TERRA ERAT INTERDICTA. D *Post decem menses translatum fuit & sepultum apud sepulchrum Valvassorum de Bussero: & inventus est oculis apertis, corpore integro, Baculum Pastoralem cum summo vigore gerere.* In altero autem Codice Bibliothecæ *Ambrosianæ*, Cap. 762. paulo expressius, & paulum a semetipso diversus: *In Monasterio Sancti Dionysi, quod ipse fundaverat, extra ecclesiam sepelitur; eo quod* CIVITAS ESSET INTERDICTA. *Post septem menses interdicto relaxato, cum vellent Monachi corpus ejus transferre; invenerunt corpus ejus integrum cum oculis apertis, baculum pastoralem summo cum vigore regentem. Et tunc fuit sepultus juxta sepulchrum Valvassorum de Bussero.* Similiter Auctor E Chronici *Flos florum*, fol. 128. pag. 2. *jacet* (inquit) *extra Ecclesiam Sancti Dionysii;* QUIA TERRA ERAT INTERDICTA. Sed & Catalogus Archipresbyteri *Vicecomitis*, alterque *Aloysii ab Ecclesia*, concordes in eadem prorsus verba, sic habent, postquam de Archiepiscopo *Heriberto* egerunt: *Guido ex Valvassoribus de Velate, Ordinarius Ecclesiæ Mediolanensis, postea fit Archiepiscopus Septuagesimus tertius, Anno Domini Millesimo quadragesimo septimo. Vacavit Sedes annis duobus;* QUIA TUNC CIVITAS ERAT INTERDICTA. *Sedit annos viginti sex.* Eademque prorsus etiam *Petrus Azarius* habet. Atqui nos nec ejusmodi Interdictum, nec biennem propterea illam Sedis hujus Archiepiscopalis vacationem putamus admittendam. F *Arnulfus* profecto, qui tunc florebat: non procul ab initio Libri Tertii disertissime asserit, *Guidonem* ab *Henrico* electum Archiepiscopum, & ab ipsis quoque *Mediolanensibus*, quamquam invitis, receptum fuisse, priusquam idemmet *Henricus*, in *Italiam* veniens, *Clementem* Secundum ad *Romanum* Pontificatum eveheret, atque vicissim ab ipso Imperialem susciperet Coronam. Certe

te autem, ut supra dicebamus, in *Italiam* tunc ille venit ineunte Autumno Anni supra Millesimum quadragesimi sexti; cum *Aribertus* decima sexta Januarii proxime transacti die obiisset. Sic etiam nos infra congruenter ad hoc videbimus, Millesimum quinquagesimum tertium *Christi* Annum fuisse Imperatoris *Henrici* septimum, *Guidonis* autem Archiepiscopi octavum. Non igitur Archiepiscopalis hæc Sedes biennio *Heribertum* inter ac *Guidonem* vacavit. Quod si *Heribertus* fuit (vereque fuit) extra illam Ecclesiam sepultus; certe tamen sepultus fuit intra Cœmeterium, ante fores ejusdem Ecclesiæ consistens, ac pariete circumseptum. Quonam vero suaderi poterit argumento, illud non fuisse rite benedictum, vel consecratum? in quo proinde Fideles, Interdicto durante, sepeliri possent, neque tamen in Ecclesia interim possent. Sed quisnam, obsecro, Præsul Civitatem tunc istam Interdicto subjecerat? Si *Heribertus*; non igitur ipse illi succumbere propterea que sepultura privari Ecclesiastica debebat. Si Pontifex *Romanus*, sive per se, sive per aliquem sui Administrum (nec enim quisquam esse alius poterat, non igitur schismate tunc *Mediolanensis* Ecclesia laborabat (& hanc in primis conclusionem, alias etiam per nos probatam, nobis avide lucrabimur) immo vero tunc *Romano* Pontifici, tamquam supremo Ecclesiæ *Christianæ* Pastori & Capiti, obtemperans, Interdictum ejusmodi servabat. Quisnam vero Pontifex *Romanus* ille fuit? Quam item ob causam interdixit? Numquid hanc illi causam dederat etiam *Heribertus?* Numquid saltem Interdictum ejusmodi antehac ipse non servarat? Vel ipsimet profecto infimi etiam *Clerici*, dummodo Clericatus beneficio fruantur, nonne hoc etiam privilegio certissime fruuntur, ut sepeliri possint in Ecclesiis, quandocumque ipsi servarint Interdictum, nec illi causam præbuerint? Facessat igitur hæc a nobis opinio Interdicti: & *Heribertum* potius arbitremur in eo Cœmeterio sepultum, quia cum ipse sibi locum vivens delegisset. Cœmeterii ejus parieti, Ecclesiam ingressuris sinistro, nonnullæ adhærebant Cellulæ, sive Cappellulæ, quæ unam, vel binas e silice arcas sepulchrales continebant. Harum prima versus Ecclesiæ frontem, ac prope portam in eodem parietis latere adhuc patentem, monstrabatur ea fuisse, in qua *Heribertus* primum tumulatus fuisset, antequam reliquæ ipsius exuviæ, una simul cum arca, necnon etiam Epitaphium intra Ecclesiam tandem locarentur: & hæc quidem quamplures ab hinc annos. Etenim tam Cellulæ illæ, quam reliquæ intra ipsas arcæ, superiori tantum Anno supra Millesimum quadragesimo sublatæ fuerunt e medio, nec sine Virorum gravium & antiquitatis amantum indignatione ac fremitu.

CCIIL. Epitaphium porro ipsum statim ab Ecclesiæ per portam maximam ingressu obvium est in dextro latere: atque supra subjectam e silice arcam insita parieti marmorea est tabula, in qua *Romanis* insculpta characteribus hæc leguntur:

✠ *Hic jaceo pulvis, cui quondam claruit Orbis.*
Tunc Heribertus eram, nimioque decore vigebam,
Officio placidi fungebar Præsulis Archi:
Nunc tumulor servus servorum, Christe, tuorum.
Pro meritis horum, tibi digne complacitorum,
Sanguine, quæso, tuo mihi tu miserere redempto.
Huc veniens Lector, sibi dic: Ignosce Redemptor:
Et vivens vita requiescat semper in ipsa.

Obiit Anno Dominicæ Incarnationis Millesimo quadragesimo quinto, decima sexta die mensis Januarii. Indictione decima tertia. Proindeque obiit, ut supra dicebamus, Anno a Nativitate *Christi* Millesimo quadragesimo sexto.

CCIL. Operæ vero pretium insuper hic erit ea recensere, quæ in prædicto *Landulfi* Senioris exemplari, ubi de obitu ac sepultura *Heriberti* sermo erat, ceu Notas marginales, adjecta postmodum, & satis antiquo charactere, conspeximus. Sunt autem in primis Versus antescripti: quibus Auctor ejusmodi Notarum ita præfabatur: *Ante sepulchrum Heriberti, in facie parietis, in lapide tales sunt Versus.* Et rursus in margine sequentis paginæ, *Hoc* (inquit) *sepulchrum Heriberti ictu fulminis eversum est die vigesima tertia Augusti, Anno Millesimo quadringentesimo tertio, & reseratum. Quod videntes Monachi, ejus Reliquias in Altare Majus transtulerunt. Sicque in illo sepulchro jacuit annis trecentis quinquaginta octo. Postea vero Dominica prima Septembris, Anno Millesimo quadringentesimo tertio Domnus Matthæus Cathanensis, Primicerius & Ordinarius, de mandato Domni Petri Archiepiscopi, illius ossa iterato in illius tumulum transtulit.* Forte autem tunc etiam temporis tumulus ipse cum Epitaphio translatus in Ecclesiam fuit, ubi etiam in præsenti conspicitur. Ceterum *Joannes Antonius Castillionæus*, Antiquitatum suarum Fasciculo Sexto, pag. 187. affirmat, a se compertum in eo tumulo fuisse proceri hominis cadaver cum Lituo, sive Baculo Pastorali, cui litteræ istæ in ære deaurato essent incisæ: ALUYSIUS DE CARCANO, ABBAS SANCTI DIONYSII MEDIOLANI ETC: MILLESIMO QUADRINGENTESIMO QUADRAGESIMO, MADII. Quibus permotus verbis, illud ipsum *Heriberti* fuisse sepulchrum, constantissime negat; cum præterea *Heribertus* brevioris staturæ fuisse asseratur. Atqui nos exinde hoc tantum concluserimus: ejusmodi videlicet Abbatem postea in eodem ipso *Heriberti* sarcophago sepultum fuisse. Si quis vero *Heriberti* staturam & effigiem contueri velit; hanc ibidem apud *Castillionæum* inveniet, expressam ex antiquo ære. Quod quidem ipsemet ingenue profitetur indicatum sibi ultro atque commonstratum ab humanissimo illo pariter ac eruditissimo *Matthæo Valerio* Carthusiano, cui nos itidem tam multa debemus, quemve ipse jure merito integerrimum, deque omni Antiquitate litteraria optime meritum appellat.

CCL. *Guido* deinde *Mediolanensis* Antistes Anno A.C.
Christi Millesimo quadragesimo septimo, sicut est 1047.
apud *Sigonium De Regno Italiæ* tamquam unus e præcipuis Patribus, Concilio interest *Romano*, per *Clementem* Secundum pro Ecclesiæ reformatione congregato. Sic etiam *Leonis* postea Papæ Noni subire judicium non recusat: apud quem de simoniaca fuerat labe accusatus. *Gualuaneus Flamma* in Manipulo florum, Cap. 150. de ipso sic scribit: *Hunc Populares invite receperunt; tum quia non erat de numero illorum quatuor, qui rite fuerant electi; tum quia in favorem Nobilium dari visus est. Unde, cum primam Missam in Pontificalibus in Ecclesia Majori celebraret, ab universo Clero & Populo juxta Altare solus relinquitur, & tamquam Simoniacus ante Leonis Papæ præsentiam citatur. Qui comparuit: & facta defensione sua excusatus, per sententiam Papæ, quod esset verus Archiepiscopus, declaratur. Redit Guido ad suam Sedem cum gloria magna &c.* Ad hæc in Catalogo *Successores Sancti Barnabæ*, itemque in altero Actis Ecclesiæ *Mediolanensis* inserto, testatum videmus, ejusdem *Leonis* Papæ Noni jussu *Guidonem* interfuisse *Vercellensi* contra *Berengarium* Hæresiarcham Concilio, quod Anno Millesimo quinquagesimo celebra- A.C. 1050.
tum fuit. Hæccine vero gesta sunt Archiepiscopi rebellis, & inveterato jam per ducentos ferme annos schismate, per Antecessorum suorum manus ad ipsum derivato, infecti, & ab Ecclesia Catholica *Romana* separati, alienique? Et tamen hic ipse *Guido* Archiepiscopus ille est, quem una cum Ecclesia sua *Mediolanensi* ad *Romanæ* gremium & unionem rediisse tandem (ut paulo post indicabimus) ii autumant Auctores, qui tam diuturno & obstinato schismate

Ecclesiam *Mediolanensem* fœdabant: quod alioqui nemo, nullus Pontificum saltem *Romanorum* interea tollendum e medio curasset.

CCLI. Eodem Anno *Christi* supra Millesimum quinquagesimo *Lanterius de Quinqueviis* una cum *Guida* uxore sua Testamento condito Legatum illud instituit, cujus exemplar in summam redactum nos infra ex ejusdem *Lanterii* & *Guidæ* Epitaphio proferemus. De ipso tamen lubet interim ea præmittere, quæ *Tristanus* inde *Chalcus* absque dubio deprompsit. Sunt autem hujusmodi: *Cum autem jam Annus quinquagesimus supra Mille subjisset; Lanterius, vir operibus inclytus, cognomento de Quinqueviis, & Guida uxor* MULTA PRÆDIA TESTAMENTO COENOBIO AMBROSIANO LEGAVERUNT; *quorum reditibus alimenta crevere duodecim Canonicorum, quæ ultra priscum numerum constituta sunt: oleum lampadi in perpetuum arsuræ; & epulum quotannis quinquaginta egenis præbendum.* Hæc utique juxta typographicam Editionem ita se habent. Quæ cum ego sibimet etiam ipsis alicubi parum cohærentes esse suspicarer; ipsiusmet *Tristani* autographum, necnon & alterum exemplar ab alio conscriptum, quæ in Bibliotheca custodiuntur *Ambrosiana*, inspexi; atque inde comperi varietatem aliquam, quæ neque dissimulanda, neque silentio transigenda visa fuit. Etenim & Auctoris autographo & altero illo exemplari hæc præcise verba continentur: *Cum autem jam Annus quinquagesimus supra Mille subiisset; Lanterius, vir opibus inclytus, cognomento de Quinqueniis, & Guida uxor* MULTA PRÆDIA TESTAMENTO COENOBIO AMBROSIANO LEGAVERUNT: *quorum reditibus alimenta creverunt duodecim Canonicorum ultra priscum numerum, constituta sunt oleum lampadi in perpetuum arsuræ, & epulum quotannis quinquaginta egenis præbendum.* Quemadmodum autem isthæc pro rei veritate se habeant, dignoscetur ad sincerum ex eo Epitaphio, cujus exemplar paulo ante pollicebamur. Nec enim Testamentum ipsum nobis hactenus accidit ad manus.

CCLII. In Ecclesiis *Christianorum* receptissima jam erat Exaltatæ Crucis Solemnitas, celebrari solita die Septembris decima quarta; nec eam tamen adhuc Ecclesia *Mediolanensis* in usum admiserat. Anno itaque *Christi* Millesimo quinquagesimo tertio Basilicæ in primis Metropolitanæ Clerus, atque Monasterii hujus *Ambrosiani* Abbas & Monachi, communicatis inter se consiliis, ex universæ Urbis voluntate, Archiepiscopique auctoritate sanciverunt, ut hujusmodi Solemnitas in posterum celebraretur: sed & ad majorem ipsius celebritatem *Tadelbertus* quidam nonnullas domos agrosque huic eidem Monasterio legavit. Utinam vero temporis injuriæ non ita mutilum pluribus in locis & mancum nobis reliquissent publicum illud Documentum, quod super hac re archetypum cæteroqui ægre durat in Archivo nostro. Quale profecto nacti sumus, & intelligere potuimus, illud ita se habet:

A.C. 1053.

DUM in Dei nomine, Civitate Mediolani, in Sacratario Ecclesiæ Sanctæ Dei Genitricis Mariæ... .... Hyemalis congregaverunt se Domni Ordinarii ejusdem Sanctæ Mediolanensis Ecclesiæ Presbyteri, Diacones, Subdiacones, Notarii, Lectores, cum Primiceriis....... Magistri Scholarum, seu Custodes...... & Presbyteri de ordine Decumanorum Sanctæ Mediolanensis Ecclesiæ: necnon & DOMNUS LANDULFUS VENERABILIS ABBAS MONASTERII BEATISSIMI CONFESSORIS CHRISTI AMBROSII, *quod est*... ....UBI EJUS SANCTUM CORPUS UNA CUM SANCTORUM MARTYRUM PROTASII ET GERVASII CORPORIBUS REQUIESCIT, *simulque cum*

A *Monachis suis, seu & reliquis Abbatibus, ac cæteris*.. .... *Populo*......... *Majores & Minores cœperunt se accusare de negligentia: dicentes, quod filii hominum in die Judicii*.................... ....*a Domino sint judicandi*.........*auxiliante Deo. Propterea constituerunt celebrare solemnitatem Exaltationis Sanctæ Crucis, quæ in omnibus aliis Christianorum cum magno studio & vigilantia celebratur locis; itaut omni & quocumque anno perpetuis temporibus in Vigiliis ejus finiant Psalterium per ordinem cum studio & vigilantia ipsi Ordinarii, eorumque Successores in eadem Ecclesia Sanctæ Dei Genetricis Mariæ*................ ...... *Vesperum; ac in eadem Solemnitate communiter*
B *accedant ad idem venera*.............. *rium, & ante ejus Altare inchoent psalle*.................................*studio*....... ....*& Canticis divinis per Portam Ticinensem usque ad eandem Ecclesiam Majorem*........ *gloriosæ Genitricis Mariæ, & ibi solemne Officium cum magno studio celebrent. Similiter* .... *iidem Domni & Venerabilis Sancti Ambrosii una cum Monachis suis, successoribus, annualiter usque in perpetuum in eadem Ecclesia Sancti Ambrosii in Vigiliis ejusdem Solemnitatis constituerunt finire Psalterium: &, ut Ordinarii in Ecclesia Majore, ita ipsi in Monasterio integrum altera die adimplere Officium. Hæc omnia constituerunt firmissime tenere, & observare*
C *usque in sempiternum pro remedio cunctorum Fidelium Christianorum animarum. Quapropter ego Tadelbertus, qui & Tado, Notarius de ista Civitate Mediolanii, habitan*.................................. *qui professus sum Lege Longobardorum vivere: do & offero*...... *judico & ordino, atque habendum confirmo* EIDEM SANCTO ET VENERABILI MONASTERIO SANCTI AMBROSII, *non propter vanam hujus Mundi gloriam, sed propter divinam pietatis misericordiam, casas & res territorias illas juris mei, rejacentes in Locis & fundis* CORNALETO, PALATIOLO, MINATE, *vel in eorum territoriis, quantacunque mihi pertinent per hereditatem & successionem supradicti Ge-*
D *nitoris, & Genitricis meæ, vel quovis ingenio acquisita sunt: nominative sedimina cum areis eorum, clausuris, campis, pratis, pascuis, vineis, & silvis, castaneis, & stallareis, cum areis earum, omnia, & ex omnibus, quantacunque de meo juro in prædictis Locis*............... .... *cum superioribus, & inferioribus, seu cum finibus, & accessionibus earum rerum in integrum; ut a præsenti die & hora Abbas & Monachi, eorumque Successores, habeant & teneant in eorum regimine & potestate ad usufrugendum, & ordinandum, sicut hic subter declaravero. Ita ut ipse Abbas, ejusque Successores, vel eorum Missi, perpetuis temporibus in omni festivitate ejusdem Exaltationis Sanctæ Crucis faciant*
E *exinde fictum propter Vigilias ejusdem Solemnitatis Hebdomadariis ipsius majoris ordinis: Presbytero denarios sedecim: Diacono similiter: Subdiacono duodecim: Primicerio Lectorum octo: Magistro Scholarum similiter: Lectoribus denarios duodecim: Primicerio Notariorum denarios sex: uni Notario quatuor, propter Responsum, quod cantet ad Psalmos: & uni Lectori similiter, propter aliud Responsum. Pro Solemnitate vero ipsa Presbytero denarios duodecim: Diacono similiter: Subdiacono denarios octo: Primicerio Lectorum sex: Magistro Scholarum sex: uni Lectori quatuor: alteri similiter. Ei vero, qui cantat Psalmellum, denarios duos: aliis parvulis Clericis, cantantibus in*
F *Choro, panem & vinum secundum consuetudinem aliarum Festivitatum. Custodibus ejusdem Majoris Ecclesiæ, propter eandem Vigiliam & Solemnitatem, denarios sedecim: & pro Cruce aurea portanda denarios quatuor, pro vino ad Officium denarios duos: propter candelas de Crucibus, Custodibus & Senibus denarios duos: & item Senibus eisdem denarios duodecim. In Profesto ad Vesperum fructus & vinum secundum consuetudinem aliarum Festivitatum. In Solemnitate vero*

A *vero panes coronatos & vinum similiter secundum eandem consuetudinem. Archiepiscopo .... solidos denariorum... piscibus ad reficiendum Abbati cum Monachis charitative in Refectorio cum aliis pulmentis honorabiliter ad sufficientiam. Et quicquid superfuerit de frugibus & .... seu vino, & reddito, quod inde annue Dominus dederit, faciant Monachi illi, qui nunc & pro tempore in perpetuum ibi ordinati fuerint, ad eorum victum & indumentum, secundum quod melius providerint. Et hoc volo & statuo, atque inviolabiliter judico: ut ullus Abbas ejusdem Monasterii non habeat licentiam vel potestatem per aliquod ingenium jam dictas casas & res territorias, quas ego supra obtuli & dedi, seu judicavi, alicui dare, vel commutare, seu libellare,* B *vel venundare, aut in beneficium dare, sive per pignus infiduciare, aut ullam traditionem vel invasionem facere; sed semper in eodem Monasterio permaneat dominium, ad hoc opus perficiendum. Si autem abbas ejusdem Monasterii, vel ejus Successor, aliter fecerit: & omnia hæc quæ supra leguntur, non adimpleverit; sit anathema maranatha, cum Juda proditore damnatus; & a Pastore, qui tunc temporis fuerit, in hoc præsenti seculo ut sacrilegus judicetur; & insuper jam dictæ casæ & res territoriæ, omnia in integrum deveniant in jus & potestatem ipsorum Presbyterorum, Diaconorum, Subdiaconorum, Primicerii Notariorum, seu Lectorum, Custodum; & tamdiu maneant in potestate eorum, quousque venerit Abbas eidem Monasterio, qui hanc meam* C *Offersionem, & hoc meum Judicatum, quod supra distribui, juste & digne adimpleverit. Quæ omnia pro anima mea, & Genitoris mei, seu Genitricis meæ, seu cunctorum parentum meorum, atque omnium Fidelium Christianorum animarum, statui. Quia sic decrevit mea bona voluntas. Unde tria Scripta in uno tenore sunt facta; ut unum in Sacratario ejusdem Sanctæ Mariæ habeatur, ad memoriam & securitatem retinendam; aliud in Monasterio Sancti Ambrosii; tertium in mea potestate; & post meum decessum sit in potestate Otthonis filii bonæ memoriæ Arderici, & Abiatici Lanfranci, quoniam ex parentela ejus sum; & permaneat in suis filiis, vel ejus progenie; ita ut semper habeant pro-* D *videntiam & studium de hac mea Ordinatione observanda. Unde post obitum quidem meum in ipsa Solemnitate charitative cum ipsis Monachis & Abbate ipse Otthо, vel ejus hæredes, comedant in Refectorio: ac insuper Deum omnipotentem habeant retributorem & in Cœlis remuneratorem per perfectam charitatem. Factum est hoc, ut supra, in isto Sacratario, Anno ab Incarnatione Domini nostri Jesu Christi Millesimo quinquagesimo tertio, Anno vero Imperii Domni Secundi Henrici Imperatoris septimo, anno octavo Episcopatus Domni Vuidonis, quinto die mensis Septembris, ingrediente Indictione septima.*

✠ *Ego, qui supra, Tadelbertus, qui & Tado, Notarius Sacri Palatii, a me facta & data subscripsi.*

E ✠ *Vuido, Dei gratia Archiepiscopus, laudavi, & subscripsi.*

✠ *Adelmannus, Archipresbyter, laudavi, & subscripsi.*

✠ *Ego Vuibertus, in Dei nomine Archidiaconus, laudavi, & subscripsi.*

✠ *Landulfus, Presbyter, laudavi, & subscripsi.*

Ardericus, Judex Domni Imperatoris, rogatus subscripsi.

Richardus, Judex sacri Palatii, rogatus subscripsi.

Otthо, rogatus subscripsi.

Mediolanus, qui & Otthо, Judex sacri Palatii, rogatus subscripsi.

Ego in Dei nomine Nazarius, Judex sacri Palatii, rogatus interfui, & subscripsi.

F *Ego Raimbertus, rogatus subscripsi.*

Signum .... Tabellionatus Vuidoni de Landriano & Adelberti germanorum, seu Rogerii & Arderici item germanorum, atque Dumini, qui & Genzo & Ariprandi, patris & filii, seu Ermerici & Johannis, patris & filii, atque item Johannis de ista Civitate: Testes.

Johannes, Notarius & Judex sacri Palatii, scripsi, post tradidi, complevi, & dedi.

CCLIII. E superiori autem Documento inter cetera constet, hoc eodem Anno Millesimo quinquagesimo tertio Abbatem hujus Monasterii *Landulfum* nomine fuisse. Hunc ergo interpretamur eum esse, de quo jam diximus Num. 236. eique suffectum *Gotifredo*, quem Num. 222. Annoque *Christi* Millesimo trigesimo secundo *Gotefredum* Juniorem appellavimus.

CCLIV. Quod paulo ante pollicebamur *Lanterii* A.C. & *Guidæ*, seu *Vuidæ*, Epitaphium: ecce nunc illud 1054. damus in Annum supra Millesimum, ab Incarnatione quidem *Christi* quinquagesimum tertium, sed ab ejusdem Nativitate quinquagesimum quartum. Qua videlicet e Basilica in Cappellam introïtur Corpori *Christi* dicatam, sinistrum latus occupatur ipsorum Sepulchro: quod quadrata est & ingens e silice Arca: supra cujus operculum lapidea similiter consistit Tabula tantæ crassitudinis, ut superstructum sibi parietem adæquet. In utroque igitur ejusmodi Tabulæ latere insculptum legitur hoc ipsum Epitaphium: & in anteriori quidem latere his verbis:

✠ *Huc attende, precor: & te cognoscito Lector,*
Qui mea verba legis, quam cito pulvis eris.
Clauditur angusto Lanterius ecce Sepulchro,
Nuper clarus homo, corpus inane modo.
Si bene, si recte, si quicquam gessit honeste;
Hoc solo gaudet; hoc sibi latus habet.

Contulit autem cum uxore sua Vuida, quæ hic secum requiescit, huic Ecclesiæ prædia IN BADELLI, MITIRAGO, RIZOLO, COLONIA, SEXTO, ET IN BIXUNI: *ita ut nulli unquam Archiepiscopo, aut Abbati, liceat ex eis omnibus alicui aliquid infeare, vel per libellum, aut cambium, seu quovis modo alienare; sed omnia semper in duorum Monachorum, scilicet Prioris & Diaconi majoris, ordinatione persistant; unde ipsi perpetuo super hoc Sepulchrum cicendelum accendant; de reliquo autem Fratres camisias habeant; ut in Annualibus eorum simul Officium omne Mortuorum, sicut in die obitus, celebrent; & pro eis omni tempore orent. Quod si quis aliquando Archiepiscopus, aut Abbas, diabolico instinctu ex his omnibus per beneficium, seu quovis modo, aliorsum transferre præsumpserit; judicaverunt, ut in propinquorum suorum, qui pro tempore fuerint, dominium res ipsæ deveniant: ut si quando pœnitens, quod alienatum fuerat, Ecclesiæ restituerit; in prædicta Ordinatione persistant.*

Ceterum in altero ac posteriori ejusdem Tabulæ latere ista item habentur:

✠ *Idem vero Lanterius cum eadem Vuida sua uxore contulit ad Canonicam hujus ipsius Ecclesiæ Sancti Ambrosii tota prædia, quæ habuerunt* IN COMAZO, JUVATE, VIGUNZUNI, CLARANI, MUIRAGO, QUINTO, BUSTI UGOBALDO, LOIRAGO: *ita ut* DUODECIM CANONICI *gubernent in Canonica de his locis venientia; unde Presbyter & Clericus Hebdomadarii, omni die canentes pro eis Mortuorum Officia, perpetuo vivant in Canonica. In omni autem Anniversario Lanterii omnes simul cantent ad hoc Sepulchrum, ut si tunc sepelirent eum: & cum duobus Custodibus & sex Monachabus de eadem Ecclesia gustent in Canonica: intra quam pascant quinquaginta pauperes, distribuentes unicuique dimidium panem frumenti, tres fialas vini, companaticum juxta modum: & quotidie in Quadragesima Majore, omnibusque Dominicis diebus, & Festis principalibus cicendelum ardere faciant supra hoc Sepulchrum. Quæ autem si quis aut Archiepiscopus, vel Canonici, aliquo modo violare præsumpserint, & non adimpleverint; judicaverunt, ut prædicta prædia deveniant in suos propinquiores parentes;* ita

ita tamen, ut, quandocumque ad ea implenda redire voluerint, restituantur eidem Ecclesiæ. Anno ab Incarnatione Domini nostri Jhesu Christi Millesimo quinquagesimo tertio, Indictione sexta. Obiit nono Kalendas Februarii. & Custos Hebdomadarius edat cum eis die Dominico.

Quæ tamen postrema post diem obitus verba ego quidem interpretor hic denique adjecta; quia interscalpendum fuerint omissa, nec suo reposita loco. Hæc igitur ita illis arbitror attexenda: *Unde Presbyter & Clericus Hebdomadarii, omni die canentes pro eis Mortuorum Officia, perpetuo vivant in Canonica: & Custos Hebdomadarius edat cum eis die Dominico.*

CCLV. Præmisso tam fideli testimonio, reliquum est, ut inde separatim colligamus, quæ nobis observatione digniora videntur. Canonicam in primis hujus Ecclesiæ jam cernimus, eamque duodenario Canonicorum numero constantem: penes quos regimen & administratio redituum esse debeat illorum, qui e prædiis per *Lanterium* & *Vuidam* Canonicæ ipsorum legatis provenerint. Præscriptum vero etiam videmus, ut *Presbyter* (& hic absque dubio unus e Canonicis) *& Clericus Hebdomadarii, omni die canentes pro eis Mortuorum Officia, perpetuo vivant in Canonica.* Non igitur hoc tempore omnes isti Canonici vivebant una simul in Canonica. Quocirca nec etiam Canonici erant Regulares, qui sub certa Regula intra eandem Canonicam viverent in communi: multoque minus erant ex eo Canonicorum Regularium genere, qui tribus ac solitis Religiosorum Votis obstricti essent. Non itaque nobis audiendus est Amicus ceteroqui noster & eruditissimus, duobus ab hinc annis defunctus *Gabriel Penottus* in Historia Tripartita Sacri Ordinis Canonicorum Clericorum, Libro Secundo, Capite vigesimo sexto. Ibi siquidem in hæc verba disserit: *Cum ex multorum probatæ satis fidei Autorum relatione docuerimus, Canonicorum institutum, secundum quod Beatissimus Pater Augustinus, factus Hipponensis Episcopus, illius Ecclesiæ Canonicos reformavit, illum in Italia, & præsertim apud Insubres in Ecclesia Mediolanensi, didicisse; rem superfluam agere videremur, si Mediolanensem Ecclesiam ab institutione regularem fuisse, pluribus confirmare niteremur. Quod nunc admonendum censemus, solum est, duas olim fuisse Mediolani Majores Ecclesias, quæ pro temporum vicissitudine pro Cathedralibus deserviebant: alteram Sanctæ Teclæ, Sancti Ambrosii alteram. Et quidem posterior nunc etiam superest, proprio nomine retento. Verum prior, solo æquata, in eam magnificentissimam & prope admirabilem formam, quæ nunc cernitur, renovata, quæque nunc sola Ecclesia Metropolitana reputatur. Cæterum in utraque per multa tempora Canonicorum Regularium instituta viguisse, probatione non indiget.* NAM, QUOD AD ECCLESIAM SANCTI AMBROSII SPECTAT, ILLIUS CANONICI USQUE AD TEMPORA JOANNIS ANDREÆ, CLEMENTINARUM GLOSSATORIS, REGULARES ERANT. *Vide, quæ ille notat in Clementina prima, in Verbo Monasteriis, De electione. Obiit autem Joannes Andreæ Anno Millesimo trecentesimo quadragesimo octavo, ex Cardinali Bellarmino in Libro de Scriptoribus Ecclesiasticis. Postea vero ex Regularibus facti sunt Sæculares.* Talia *Pennottus*. Atqui nos in primis negamus, hanc Sancti *Ambrosii* Basilicam fuisse aliquando Cathedralem ac Metropolitanam: hucque spectant, quæ supra Num. 5. disseruimus. Quod vero *Pennottus* eandem innuebat vel HYEMALEM fuisse, vel ÆSTIVAM: multo minus a nobis hoc admittitur. HYEMALIS namque sacra erat Beatæ Dei Genitrici *Mariæ*; ÆSTIVA vero Sanctis Virginibus *Teclæ* ac *Pelagiæ*; sicut etiam ex *Ariberti* Archiepiscopi Testamento nobis denique constabat Num. 224. Cuinam vero Monumenta isthæc nostra permittant, ut Canonicos existimet hujus Basilicæ curam jam inde ab ipsius initio continenter ad hæc usque tempora gessisse? Quod vero *Joannes Andreæ* testabatur: hoc in aliqua deinceps tempora non omni caret veritate; sicut etiam nos tempore suo explicabimus. Re tamen vera *Pennotti* sententiæ non favet. Satis interea nobis hoc est, quod e superiori Epitaphio concludebamus: Canonicos istos *Ambrosianos* minime vero in præsenti Regulares Canonicos fuisse: quod quidem nimium quantum eidem *Pennotto* adversatur.

CCLVI. Ceterum in omni Anniversario *Lanterii*, a Canonicis celebrando, etiam illud præscribebatur, ut omnes simul Canonici cum duobus Custodibus ET SEX MONACHABUS DE EADEM ECCLESIA gustarent, sive pranderent, in Canonica. Quidni ergo nos inde illud etiam concludamus? hanc ipsam Basilicam proprium habuisse Monalium Cœtum ac Monasterium. Forte autem hoc ipsi etiam propinquum erat, & extra muros itidem Urbis constitutum. Quamobrem, ut opinamur, ab iis etiam septem intra Urbem Monasteriis, de quibus jam diximus Anno *Christi* Millesimo trigesimo quarto, diversum erat, & nominatim a Monasterio AURONI, quod alioqui Abbatis hujus *Ambrosiani* subesse ditioni ac regimini narrabamus.

CCLVII. Ecquænam vero Major erat illa Quadragesima, cujus mentio in eodem illo fiebat Epitaphio? *Petrus Damiani*, ad *Hildebrandum* Sanctæ *Romanæ* Ecclesiæ Archidiaconum scribens Epistolam, quam inscripsit, *Actus Mediolani, & De Privilegio Romanæ Ecclesiæ Liber*, quo ea complectebatur, quæ Legatus Apostolicus *Mediolani* egerat Anno Domini Millesimo quinquagesimo nono; sic inter cetera inquit, dum Clero, *Simoniacam* & *Nicolaitarum* hæresim pœnitenter detestato, salutarem pœnam injungeret: *Duabus autem anni Quadragesimis, Natalem videlicet & Sanctum Pascha præcedentibus, tres dies per hebdomadum jejunent in pane & aqua.* Hinc igitur Majorem illam Quadragesimam nos interpretamur eam fuisse, quæ Sanctum Pascha præcederet: cujus comparatione Minor Quadragesima vocaretur, quæ Natali Domini præmittebatur, quamque nos nunc Adventum appellamus.

CCLVIII. *Lanterii* porro simul ac *Vuidæ* Anniversarium solemne quotannis etiam in præsenti a Monachis die Octobris vigesima quarta celebratur: quale scilicet peculiari pro eis ritu dispositum antiquitus sub hoc titulo fuit, *In Anniversario Nobilium de Colonio. Colonium* siquidem, sive *Colonia* (*Italice* jam communiter COLOGNO) satis oppulentum est prædium, qua *Modoëtiam* itur, sexto distans ab Urbe milliario: atque præ ceteris prædiis, per *Lanterium* & *Vuidam* huic Monasterio legatis, hoc forte solum in præsentem usque diem ab ipso possidetur. Tanta vero etiam illius erat penes Monasterium potestas, ut ipsius nomine proprius illic Prætor olim constitueretur: & ad Annum usque Millesimum quingentesimum octogesimum constitui solitus fuerit. Quoniam vero Monachi pariter in mandatis hoc acceperant, ut pro *Lanterio* & *Vuida* omni tempore orarent; iccirco etiam in præsens quotidie in aurora pro ipsis Missæ Sacrum *De Beatissima Virgine Maria* reliquis hujus Basilicæ Missis omnibus præmittitur.

CCLIX. Anno *Christi* Millesimo quinquagesimo A.C. 1056.
sexto Prædicationem suam contra Cleri *Mediolanensis* corruptelas, ac præcipue contra ipsius *Simoniam* & Matrimonia, exorditur Sanctus *Arialdus*, Basilicam quidem istam pie admodum ac frequenter adire solitus, ut ad sacrosanctum *Ambrosii* Præsulis & Patroni Corpus oraret: qua Prædicatione per decennium peracta, martyrium etiam constantissime subiit. Est autem Martyr ille, cujus Vitam nos typis quanto-

locyus edituros in lucem pollicebamur Num. 109. Eam olim fideliſſime conſcripſit Beatus *Andreas*, ex ipſius *Arialdi* alumno Monachus deinde *Vallumbroſianus*: ac ipſamet illa eſt, qua utitur etiam *Baronius* ad Annum Milleſimum ſexageſimum primum Art. 60. & ad Milleſimum ſexageſimum ſextum Art. 17. tametſi deceptus in eo fuit, ut ipſius Auctorem cenſuerit fuiſſe Presbyterum quemdam, nomine Syrum. *Quam* (inquit hoc Art. 17. Baronius) *antiquitus ſcriptam accepimus a Domno Conſtantino Cajetano, Monacho Caſinenſi, qui in hujuſmodi antiquitatibus in lucem vindicandis fructuoſe laborat.* Certe autem ſicut ille *Baronio* Codicem ipſum antiquum commodaverat; ſic etiam poſtea familiariſſimo ſuo *Mathæo Valerio* Carthuſiano, cum *Romæ* aliquando eſſet, eundem obtulit, ut Vitam illam ſibi faceret inde tranſcribi. Tranſcriptam igitur hic apud ſe habebat; ſicut & alteram minus antiquam, & ab altero Auctore, ſed Anonymo, contextam. Cum vero utramque demum ſolita ſua humanitate ipſe mihi tradidiſſet; tum vero Patris etiam *Conſtantini*, erga me quoque humaniſſimi, conſenſus in typographicam Editionem acceſſit. Quamobrem utraque iſthæc *Arialdi* Vita illorum beneficio publicam in lucem me velut adminiſtro, unaquæque ſuo comprehenſa Libro, prodibit. Quoniam tamen de Sancto iſto Martyre perverſe admodum, vel ad minus hæſitanter, plerique ſenſerunt Hiſtorici noſtrates, ſcriptis utique decepti eorum, qui *Simoniacis* e Clero *Mediolanenſi* ac *Nicolaitis* favebant; propterea nos Secundo illi ac Tertio Libro, Primum præmittemus, plurimorum probatæ fidei Scriptorum Teſtimonia pro ejuſdem *Arialdi* ſanctitate, complectentem. Sed & Quarto denique Libro Collectanea inſuper & Obſervationes ejuſdem Vitam proferemus. Sic igitur per nos, opitulante Deo, SANCTUS LEVITA ET MARTYR ARIALDUS, MEDIOLANENSIS, VERITATI AC LUCI RESTITUTUS, prodibit.

CCLX. Contra tales præſertim Cleri *Mediolanenſis* corruptelas, quibus ipſemet etiam *Vuido* favebat Archiepiſcopus, concionante *Arialdo*, probiſque adjuvantibus aliis hominibus, qui ſe ipſi adjunxerunt; gravis inde ac diuturnus in hac Urbe tumultus fuit. Cumque vera cauſæ totius ſeries ad Sedem Apoſtolicam per *Arialdum* delata fuiſſet; *Nicolaus* denique Papa, hujus nominis Secundus, Clerum iſtum, ſedato tumultu, in ordinem per ſuos redegit Legatos, huc tranſmiſſos. Hi autem fuerunt Beatus *Petrus Damiani* Sanctæ *Romanæ* Eccleſiæ Cardinalis Epiſcopus *Oſtienſis* atque *Anſelmus de Badagio* (nomen eſt Pagi, parum ab Urbe iſta diſſiti, qui vulgo BAGGIO nuncupatur) ex Eccleſiæ *Mediolanenſis* Cardinali Ordinario Epiſcopus *Lucenſis*: qui deinde promotus ad ſupremum Sedis *Romanæ* Sacer-
A.C. dotium, *Alexander* Secundus dictus fuit. Hæc An-
1059. no ſupra Milleſimum quinquageſimo nono geſta fuerunt: eodemque ſimul tempore *Mediolanenſis* Eccleſia, depoſito tandem illo ducentorum circiter annorum ſchiſmate, rediiſſe ad Eccleſiæ *Romanæ* obedientiam & auctoritatem (ſicut etiam Num. 250. monebamus) iis eſt viſa Scriptoribus, qui tam diuturnum ac perniciosum illi ſchiſma tribuerunt. De ipſo nos agere incœpimus Num. 109. Annoque *Chriſti* Octingenteſimo quadrageſimo quarto. Sicut autem nobis ex adverſo protinus Num. 110. commentitium videri tunc cœpit; ſic etiam poſtea per plures, quam initio deſtinabamus, occaſiones identidem refellere vanitatiſque convincere datum fuit; nimirum Num, 121. 139. 140. 141. 142. 143. 151. 153. 160. 195. 220. & 236. Nunc extremo veluti conatu illud ipſum penitus obterendi cupido nos inceſſit: aculeoſque (fatemur) inceſſanter incutit ipſa quoque *Mediolanenſium* noſtrorum commiſeratio.

A Tanti enim ad eorum ſalutem ſchiſma intereſt hujuſmodi, ut eo per tot annos in hac Urbe ac Diœceſi admiſſo, admittere itidem cogamur, omnia interim Eccleſiæ hujus (quæ tamen Synagoga potius Satanæ dicenda interim fuiſſet) membra, omneſque interim ejuſdem Archiepiſcopos æternis eſſe ignibus damnatos. Veriſſimum enim e communi Theologorum ſententia fatemur eſſe illud, quod Sanctus Fulgentius *De Fide ad Petrum*, Cap. 38. & 39. graviſſimis admonet his verbis: *Firmiſſime tene, & nullatenus dubites, non ſolum Paganos, ſed etiam Judæos, Hæreticos*, ET SCHISMATICOS, *qui extra Eccleſiam Catholicam* (cujuſmodi eſt Romana) *præſentem*
B *finiunt vitam* IN IGNEM ÆTERNUM ITUROS. In id conſulatur inter alios *Bellarminus* Libro Tertio *De Eccleſia Militante*, Cap. 5.

CCLXI. Ut vero certis & indubitatis Theologorum pronunciatis eo firmius innixi cognoſcamur, ſtrictim hoc tandem loco indicare nos oportet, quid proprie ac vere Schiſma ſit, Schiſmaticus: quorum quidem vocabulorum etymologiam taciti adhuc ſuppoſuimus. Schiſma igitur, e quo deductum eſt Schiſmatici nomen, ut bene docet atque confirmat *Antonius Sanctarellus* in Tractatu *De Hæreſi &c.* Cap. 43. Dubio Primo, *nihil aliud eſt quam ſeparatio ab unitate Eccleſiæ Univerſalis, qua Chriſtianus vel ſubtrahit*
C *ſe ab obedientia Capitis Eccleſiæ, ſcilicet Romani Pontificis*, QUATENUS ECCLESIÆ CAPUT EST, *vel a communione membrorum Eccleſiæ, nolens eſſe Eccleſiæ membrum.* Quocirca Schiſmatici etiam proprie ſunt illi, *qui ſubeſſe renuunt Summo Pontifici*, IN QUANTUM EST SUMMUS PONTIFEX: *& membris Eccleſiæ, illi ſubjectis communicare recuſant.* Inde porro efficitur, ut proprie vereque Schiſmaticus non ſit, qui *Romano* Pontifici, quem cæteroqui cognoſcat Eccleſiæ Catholicæ Caput, obedire tamen idcirco nolit, quia ipſum ſibi exiſtimat infeſtum. *Nam iſte* (inquiunt Doctores) *non diceretur recedere ab obedientia Papæ*, UT PAPA EST,
D UT CAPUT ECCLESIÆ: *& ita non formaliter & vere recederet a Summi Pontificis obedientia, ſed ſolum materialiter.* Atque hac ſola profecto ratione *Anſpertus* Archiepiſcopus aliquando receſſit ab obedientia *Joannis* Papæ Octavi. Quamobrem hic illum Epiſtola 126. rogans, ut cum ſuis Coëpiſcopis ad Synodum *Papiæ* jam tertio admonitus occurreret, talem illi opinionem hiſce verbis adimere nitebatur: *Nulla, Frater chariſſime, animo veſtro dubietas inſideat: in mea fide, & in meo Sacerdotio credite. Nil contra veſtram decentiam atque honorem vobis aliquatenus opponetur.* Quod ſi nihilominus *Anſpertus* poſtea
E etiam obedire detrectavit, atque propterea fuit Excommunicationi ſubjectus; certe tandem obediens abſolutus a Cenſura fuit, eidemque Pontifici & Eccleſiæ reconciliatus; ut Numero illo 110. dicebamus.

CCLXII. Sic igitur explicata Schiſmatis & Schiſmatici etymologia, macti animo tandem aliquando vel ipſiuſmet *Petri Damiani* teſtimonio comprobemus, Eccleſiam *Mediolanenſem* nullo ejuſmodi Schiſmate laboraſſe tunc temporis, quando hic eam dicitur ad Eccleſiæ *Romanæ* unionem communionemque revocaſſe. Univerſam Legationis hujus a ſe peractæ ſeriem ſcriptis ipſe ſuis teſtatam poſteritati reli-
F quit, cum eam *Hildeprando* Sanctæ *Romanæ* Eccleſiæ Cardinali Archidiacono, qui poſtea factus Pontifex *Gregorii* Septimi nomen obtinuit, recenſeret: eademque jam Tomi ejus Operum Tertii Opuſculo continetur Quinto, & quidem inſcripto, *Actus Mediolani, De Privilegio Romanæ Eccleſiæ.* Nonnulla igitur præfatus de *Romanæ* Privilegio Eccleſiæ, cum *hæc una, per Cathedram Beati Petri totius Chriſtianæ Religionis Caput effecta, cunctis in Orbe terrarum principetur Eccleſiis*, cauſam Legationis recenſet his verbis:

bis: *Erat enim inter Clerum & Populum propter duas Hæreses, Simoniacam videlicet & Nicolaitarum, satis turbulenta seditio.* Et quia satis superque constabat, quænam diceretur *Simoniaca* Hæresis; iccirco ad alteram tantum explicandam se protinus obvertit. *Nicolaitæ autem* (subdit) *dicuntur Clerici, qui contra castitatis Ecclesiasticæ regulam fœminis admiscentur. Qui plane tunc fornicatores fiunt, cum fœdi commercii copulas ineunt: tunc Nicolaitæ jure vocantur, cum hanc lethiferam pestem velut ex auctoritate defendunt. Vitium quippe in Hæresim vertitur, cum perversi dogmatis assertione firmatur.* En igitur duo illa mala, quibus Ecclesia tunc immo vero Clerus *Mediolanensis* laborabat: quibusve in præsenti medendum per Legatos Apostolicos erat. Non ergo Schismate insuper propterea laborabat; quia Privilegium, sive Primatum, Ecclesiæ *Romanæ* omnium *Christi* Ecclesiarum Matris ac Magistræ, negaret; atque unionem cum ipsa, vel cum ceteris ejus membris, detrectaret.

CCLXIII. Attendamus nunc vero diligenter, quemadmodum Legatus idem Apostolicus ita subinde prosequatur: *Quid plura?* NOBIS DIGNA SEDIS APOSTOLICÆ VENERATIONE RECEPTIS, *ac negotiis, quæ nos attraxerant intimatis;* POST DIEM ALTERUM *factione Clericorum repente in Populo murmur exoritur, non debere Ambrosianam Ecclesiam Romanis legibus subjacere; nullumque judicandi, vel disponendi, jus Romano Pontifici in illa Sede competere. Nimis indignum (inquiunt) ut quæ sub progenitoribus nostris* SEMPER EXTITIT LIBERA, *ad nostræ confusionis opprobrium nunc alteri (quod absit) Ecclesiæ sit subjecta. Postremo tumultuatium clamor attollitur, ex diversis partibus ad Episcopale Palatium convenitur: dein tintinnabula perstrepunt: prægrandis æreæ tubæ, quæ illic est, tota Civitas clangioribus intonatur. Intentabant mihi, ut ita loquar, omnia mortem: &, ut ab amicis meis mihi sæpe suggestum est, nonnulli meum sanguinem sitiebant.* Videmus igitur, quemadmodum ante tumultum illum, a Clero repente in Populo excitatum, Legati Apostolici jam fuerant digna & debita erga Sedem Apostolicam veneratione, ac per eam subjectionis debitæ professione recepti. Quocirca Populus antehac profecto non ea imbutus erat opinione, ut *Ambrosiana* Ecclesia *Romanis* subjacere legibus non deberet: nec ullum judicandi, vel disponendi, jus in *Ambrosianam* istam Sedem *Romano* Pontifici competeret. Clerus itaque talem illi opinionem recenter post adventum Legatorum injecerat. Quod si quis nihilominus inveteratum per ducentos retro annos Schisma hinc eruendum putet; quidni potius eruat etiam perpetuum, & una cum *Ambrosiana* ortum Ecclesia, semperque deinceps cum ipsa propagatum? Non enim per ducentos tantum annos, sed SEMPER liberam extitisse Clerus jam venditabat *Ambrosianam* Ecclesiam: quam proinde nunc Ecclesiæ *Romanæ*, subjici nimis esset indignum.

CCLXIV. *Augebat autem* (pergit Petrus Damiani) *hujus ignis incendium hoc permaxime; quia congregatis, quasi ad Synodum, totius Ambrosianæ Parochiæ* (hoc est, Diœceseos) *Clericis, ego in medio residens, sive potius* PRÆSIDENS, *Reverentissimum Mediolanensem Archiepiscopum ad sinistram, prudentia quoque ac sanctitate conspicuum Anselmum Lucensem Episcopum posuisse mihi accusabar ad dexteram. Hinc porro quanta a frementi populo dici potuerint, non necesse est apicibus tradi: quod nimirum per se valet intelligi. Et re vera ipse Domnus Archiepiscopus mox ut nostræ est* PRÆSESSIONIS *admonitus* (quæ nimirum deberetur Legatis, a supremo cunctarum *Christi* Ecclesiarum Pastore ac Moderatore, *Romano* Pontifice, missis) *impiger obtulit, ultro etiam; ut, si ego præciperem, in scabello, quod nostris suberat pedibus, sine controversia resideret. Dicant, id non simplici factum intentione, qui volunt. Nos autem non hoc irritationi Populi zelantis, ut fertur adscribimus; sed Apostolicæ Sedis reverentiæ deputamus.* Atque vel hinc etiam liquido constat, ipsummet quoque Archiepiscopum, præsentibus hisce Legatis, nihil egisse, quod Schisma saperet, atque separationem ab Ecclesia *Romana* ejusque Capite, reliquisque membris. Quod si tam inveteratum in hac Ecclesia inolevisset ante hac in præsentem usque diem Schisma, cujus e medio tollendi gratia ii Legati cum potestate huc venissent; quid vetabat, quo minus primo statim congressu Archiepiscopus ipse *Vuido* ante alios libera constantique voce coram Clero ac Populo suo responderet? nihil Ecclesiæ suæ sibique esse cum Ecclesia *Romana*, ejusque Pontifice ac Legatis: qui tamquam suo jure Præsides ac Dominos agere hic vellent, ubi nihil penitus juris ac potestatis haberent, neque per ducentos ab hinc annos habuissent.

CCLXV. Restabat igitur in præsenti rerum articulo id unum, ut ejusmodi libertati, nuper a Clero inter Populum venditatæ, prudentissimus ille Cardinalis, & in Ecclesiastica Historia versatissimus, occurreret. Cui quidem satis occursum fore duxit; si Ecclesiam *Mediolanensem* ab initio usque ad Sancti *Ambrosii* tempora subjectam fuisse concluderet *Romanæ*, perinde ac discipulam Magistræ, ac filiam Matri, cujus ab uberibus lac Fidei Apostolicæ hauserit. Si enim per illud tempus ea fuerat subjecta; non igitur semper libera fuit, & ab Ecclesiæ *Romanæ* jure ac legibus immunis; quemadmodum Clerus nuper sparserat in vulgus, vulgusque statim præcipiti & inconsulta credulitate arripuerat. *Ut autem ad compendium veniam* (verba sunt ejusdem Cardinalis) *ascendi pulpitum: ac, sedato vix Populo, hujusmodi sum verbis exorsus. Noverit Charitas vestra (Dilectissimi) non me pro Romanæ Ecclesiæ huc honore venisse; sed vestram gloriam quærere; vobis salutem & gratiam, quæ in Christo est, cum ejus auxilio, si permittitis, providere. Quo enim pacto honore indiget parvuli hominis, quæ laudes atque præconia ex ipsius ore sortita est Salvatoris? Quæ autem Provincia per omnia Regna terrarum ab ejus ditione extranea reperitur, cujus arbitrio ipsum quoque Cœlum & ligatur & solvitur?* Romanam igitur Ecclesiam subinde asserit ab ipsomet *Christo* Domino fundatam fuisse, atque Beato *Petro*, terreni simul & cœlestis Imperii Clavigero, commissam. Quibus in commune assertis, *ut autem* (inquit) *omissis aliis, ad id, quod nunc agitur, veniamus: non debet ignorare sancta vestra Devotio, quia Beati Apostolorum Principes, Petrus & Paulus, sicut per suum sanguinem Romanam Ecclesiam consecrarunt; ita mox inter ipsa nascentis Fidei rudimenta hanc Mediolanensem Ecclesiam per suos Discipulos lucrati sunt Christo. Nazarius quippe, Martyr insignis, sicut Scripturæ testantur, Petri auctoritate Baptisma a Lino ejus Successore suscepit: qui postmodum cum Beato Celso in hac sancta Urbe martyrio coronatus est. Sancti vero Martyres Protasius atque Gervasius Beatum Paulum Apostolum magistrum ac præceptorem habuisse noscuntur; sicut Beato Ambrosio & ipse testatur. Isti sunt (inquit) qui, monita mea secuti, respuentes prædia & divitias, secuti sunt Domini nostri vestigia. Sicut ergo Salvator noster binos ante faciem suam Discipulos misit; ita quodammodo uterque Sanctus Apostolus ex magisterio suo in hanc Urbem Prædicatores sanctæ Fidei geminos destinavit. Cum ergo vestræ salutis auctores ex Romanæ Ecclesiæ prodierint disciplina; consequens est, juxta æquitatis ordinem, ut Ecclesia Romana Mater, Ambrosiana sit filia. Ut autem hic ordo inter utramque, Ambrosianam videlicet & Apostolicam Sedem, non noviter oriri, sed antiquitus tenuisse non dubitetur: Beatus Ambrosius cum hanc Nicolaitarum sordem ad multorum fœtere perniciem in hac Urbe doleret: eamque per se solus coercere non posset; Sedis Apostolicæ mox quæ sivit*

fivit auxilium. Cui videlicet is, qui tunc præerat, Papa Siricius tres personas, Presbyterum, Diaconum, & Subdiaconum, ad correctionem ulciscendi hujus sceleris destinavit. Cum his itaque Beatissimus Pontifex, quos corrigere non potuit, velut scatentem vermibus sentinam ex Urbis hujus sagena projecit. Unde & ipse Sanctus Ambrosius in omnibus sequi se Magistram Sanctam Romanam profitetur Ecclesiam. Scrutamini itaque Scripturas vestras: & per quod vultis, diligenter inquirite. Et si non potestis apud vosmetipsos invenire, quod loquimur; mendacii arguite. Si autem potestis; nolite veritati resistere, nolite Matrem vestram crudeliter impugnare; sed, ex cujus uberibus lac suxistis Apostolicæ Fidei, ejus semper gaudete solidis doctrinæ cœlestis dapibus recreari. Talia *Petrus Damiani* ad Populum *Mediolanensem*, falsa illa vanaque ac nupera libertatis & immunitatis opinione derepente tumultuatum. Quibus profecto quantum protinus hic Orator profecerit, quamque celeriter tumida illa tempestas detumuerit, idem ipse nobis enarret. *His itaque rationibus* (inquit) *de Prærogativa & Principatu Sedis Apostolicæ traditis, Populus omnino benevolus redditur: &, executurum se, quidquid injungerem, unanimiter pollicetur. Tunc nimirum liquido persensi, in Ecclesiasticis causis, quantum Romanæ Ecclesiæ nosse Privilegium valeat &c. Quid multis moror? Adest Clericorum perplurimus ille conventus: communiter & singillatim quisque perquiritur; vix e tanto numero quispiam promotus ad Ordinem sine pretio reperitur.* Itaque mox *Petro Damiani* sine ullius contradictione id solummodo deliberandum jam incumbebat, quomodo binas illas Hæreses, *Simoniacam* & *Nicolaiticam*, tam longe lateque *Mediolanensi* huic Ecclesiæ antiquitus inhærentes, in præsens & in posterum curaret; de quibus utique solis quæstio præsens instituta erat. Eam igitur utramque in perpetuum solemniter jurati detestantur, execrantur, Archiepiscopus ipse ante alios, ac deinde Clerus item universus: seque prompti unusquisque subjiciunt pœnæ, sibi ob ejusmodi noxas injunctæ; sicut idemmet *Petrus Damiani* luculenter enarrat. Quod si *Mediolanensis* Ecclesia, Schismate insuper ducentos per annos inveterato infecta, male itidem sensisset de *Romanæ* Primatu Ecclesiæ, seque propterea illius potestati ac magisterio & unioni subtraxisset; nonne tantum in primis malum *Petro Damiani* curandum incumbebat? Itane vero cum Græcis etiam Schismaticis egisset? si missus ad eos Legatus, id ex voto reportasset, ut ad Catholicæ Fidei professionem redire statuerent. De Schismatis profecto gravitate quid ipse hoc eodem Opusculo sentiat, hinc accipe. *Non dubium* (inquit in eo Sermone ad Populum habito) *quia quisquis cuilibet Ecclesiæ jus suum detrahit, injustitiam facit: qui autem Romanæ Ecclesiæ Privilegium, ab ipso Summo omnium Ecclesiarum Capite traditum, auferre conatur; hic procul dubio in Hæresim labitur: & cum ille notetur injustus; hic est dicendus Hæreticus. Fidem quippe violat, qui adversus illam agit, quæ Mater est Fidei: & illi contumax invenitur, qui eam cunctis Ecclesiis prætulisse cognoscitur*, qui videlicet *Christus* est Dominus.

CCLXVI. Quid, quod etiam Sanctus *Arialdus*, Apostolicæ sine dubio Sedi tamquam Matri ac Magistræ addictissimus, nusquam tamen legitur aliquod ejusmodi Schisma, pravamque de Primatu Ecclesiæ *Romanæ* opinionem, Clero Populoque *Mediolanensi* suis in Concionibus exprobrasse? cum alioqui vehementer exagitarit non modo *Simoniacam* & *Nicolaiticam* ipsius Hæresim, sed alia etiam longe minora errata, quibus ab Ecclesiasticis deficere regulis videretur. Recte igitur & catholice *Ambrosiana* Ecclesia hoc tempore sentiebat de *Romana*, ejusque unioni firmiter adhærebat; tametsi duabus illis irretita Hæresibus (quibus multæ similiter aliæ alibi Eccle-

A siæ citra peculiarem Schismatis notam tenebantur) semet inde nesciret extricare; novisque propterea contra eas Decretis Apostolicis difficulter obtemperaret. Obtentus ille libertatis, in Populum a Clero tunc jactus, nonnisi subitarium fuit commentum: ac sicuti *ficta omnia celeriter tamquam flosculi decidunt, nec simulatum potest quicquam esse diuturnum* (ajebat *Tullius* Libro Secundo *De Officiis*) ita etiam protinus breviculo *Petri Damiani* Sermone disjectum ex eo Conventu evanuit.

CCLXVII. Sed enim satis hactenus hæc sunto, quibus ejusmodi Schisma, tamquam commentitium, nos ab initio ad extremum differendo persecuti sumus. B Qua tamen in re, præter eos Scriptores, quos Num. 109. enumerabamus, adversari præterea nobis non diffitemur *Sabellicum* Anno Millesimo quinquagesimo, & ex ipso *Gilbertum Genebrardum* Chronographiæ Libro Quarto sub *Stephano* Papa Decimo, sive ab Anno *Christi* Millesimo quinquagesimo septimo: *Alphonsum Ciaconum* in ejusdem *Stephani* Papæ Vita: *Hieronymum Rubeum*, Historiarum *Ravennatum* Libro Quinto, ad Annum Millesimum quinquagesimum nonum: *Joannem Azorium*, Parte Secunda Institutionum Moralium, Libro Quarto Cap. 17. quibus assentiri videtur etiam *Baronius* ad eundem Annum Millesimum quinquagesimum nonum, Artic. C 67. Verum enimvero nihilominus fore confidimus, ut conatus ejusmodi noster arrogantis animi vitio non vertatur. *Nam & arrogantiæ non est, vel quærere, vel asserere veritatem* (cui scilicet uni nos studemus) ut verissime docet Sanctus *Augustinus* Lib. 4. contra *Cresconium*, Cap. 66.

CCLXVIII. Accipe verò etiam, si placet, hoc item à nobis peculiariter observatum: quoto scilicet Anni Millesimi quinquagesimi noni tempore *Petrus Damiani* Legationem hanc suam *Mediolani* obierit. *Gilbertus Genebrardus* & *Baronius* ad eundem illum Annum, Art. 44. eam putant ab ipso fuisse obitam post Concilium sub eodem Pontifice *Nicolao*, D *Romanum*, mense Aprili celebratum, in quo damnatus denuo fuit Hæresiarcha *Berengarius*. Ego verò ex Historiæ Arnulfi Libro Tertio animadverti oppositum. *Arnulfus* autem (sicut alias monuimus) hoc tempore vivebat & a se inspecta narrabat: quodquè nobis maxime displicet, *Simoniacis* ac *Nicolaitis* illis addictissimus, Sancto autem *Arialdo* ipsiusque asseclis infensissimus erat. Postquam igitur fremens narrasset, quemadmodum *Mediolanenses* Apostolicis mandatis ac *Petro Damiani* ea in Synodo *Mediolanensi* obtemperassent; tum verò, spiritu pariter inflatus *Nicolaitico* & ad Schisma pruriente, sic in ipsos invehitur: *O insensati Mediolanenses, quis vos fascinavit? Heri clamastis unius Sellæ Principatum: hodie* E *confunditis totius Ecclesiæ statum: vere culicem liquantes, & camelum glutientes. Nonne sanctius hoc videlicet procuravit Episcopus? Forte dicetis: Veneranda est Roma in Apostolo. Est utique; sed nec spernendum Mediolanum in Ambrosio. Certe certe non absque re scripta hæc sunt in Romanis Annalibus. Dicetur enim in posterum subjectum Romæ Mediolanum. Ecce Metropolitanus vester, præ solito Romanam vocatus ad Synodum, abiit; sed contra nostros affectus prosper fit illi ad cuncta successus. Decibiliter equidem tractatur ab Apostolico Nicolao:* CUJUS DEXTRO POSITUS EST IN PRÆSENTI SYNODO LA- F TERE. Quam quidem *Vuidonis* Archiepiscopi Sessionem in dextera Pontificis ante omnes alios in hoc *Romano* Concilio Prælatos observavit etiam *Gualuaneus Flamma* in Codice Bibliothecæ *Ambrosianæ*, ad Annum *Christi* Millesimum sexagesimum primum, sub eodem *Nicolao* Secundo; tametsi Concilium illud re vera celebratum fuerit ut diximus, Anno quinquagesimo nono.

CCLXIX. *Nicolaus* Secundus Pontifex Anno A.C. 1061. Do-

Domini supra Millesimum sexagesimo primo, mense Julio exeunte, moritur, postquam sedisset duos cum dimidio annos: atque post tres ferme inde menses ipsi substituitur *Anselmus* ille, *Lucensis* Episcopus, & patria *Mediolanensis*, cujus etiam paulo ante meminimus. *Alexander* hujus nominis Secundus appellatus fuit. Sicut autem iste olim etiam, cum Cardinalis esset Ecclesiæ hujus Metropolitanæ Ordinarius, veteres illas oderat Cleri *Mediolanensis* corruptelas; sic etiam Sanctum *Arialdum* ejusque asseclas magnopere diligebat adhuc fovebatque. Sed ne propterea quidem hac in Urbe Clerus a *Simonia* sese penitus abstinebat: nec ex eo defuere, qui mortuis Monasteriorum Sancti *Celsi* & hujus *Ambrosiani* Abbatibus, Abbatias ipsas pretio sibi coëmerent circiter Annum Domini Millesimum sexagesimum secundum. De *Ambrosiana* nominatim, quæ nostri proprie scopi est, in ejusdem *Arialdi* Vita, quam Beatus *Andreas* Vallis Umbrosæ Monachus conscripsit, Cap. 18. (quippe Capita nos ei adjecimus) hæc verbatim leguntur: *In eodem denique tempore*, DEFUNCTO MONASTERII SANCTI AMBROSII ABBATE, *alius Clericus*, *Cancellarius*, *nomine* ARIPRANDUS, CLERICALE BIRRUM (indumenti genus hoc est) *catenus ignominiose delatum*, *reliquit*, *& hujus Monasterii nomen Abbaticum sibi nefande usurpavit. Qui cum tantæ esset celsitudinis pro natura superbi sanguinis, ut violenter nequaquam posset expelli*; *ait Arialdus vir Dei*: *Si*, *quod debemus*, *in hoc improbo explere nequimus*; *quod valemus*, *saltem faciamus. Protinus igitur sumptis fratribus ad eum perrexit*: *Quo coram pervento*, *dixit*: *Quid est hoc? Heri Clericus*: *hodie Abbas. Magnum fecisti & velocem saltum. Et quare non tenuisti contra sanctos Canones*, *& contra jusjurandum*, *quod nuper in Ecclesia Romana jurasti*, *hoc usurpare? Qui respondit*: *Hoc*, *ut vides*, *actum est*: *& relinquere id ulterius minime possum. Cui Vir Dei*: *Si vis* (*inquit*) *potes*: *& omnino ex Dei parte Sanctæque Romanæ Ecclesiæ deprecor te*, *ut rem contra Dei voluntatem sumptam*, *& contra tuæ animæ salutem raptam relinquas. At ille*: *& ego* (*inquit*) *sub eodem juramento*, *quo adjurasti me*, *adjuro te*, *ut tuis te vestibus nunc exuas*, *& hic coram me te scopari facias. Qui protinus cucurrit*, *virgas adquisivit*, *vestibus se exuit & acriter se ab uno exsuit ibi coram omnibus scopari fecit. Hæc itaque falsus Abbas perpendens*, *quid ultra diceret nesciens*; *capite dimisso inde surrexit*; *& induratus*, *ut Pharao*, *aliorsum declinavit.* Hactenus e Sancti *Arialdi* Vita. Nos inter Archivi hujus *Ambrosiani* Membranas *Ariprandum* istum comperimus Anno etiam Millesimo sexagesimo quarto Abbatem hujus Monasterii fuisse.

A.C. 1062.

CCLXX. Forte autem hic ipse *Ariprandus*, ante hac Clericus, munere Cancellarii & generis claritate insignis, ille ipse erat, qui Ecclesiæ hujus Metropolitanæ Cardinalis Ordinarius, quarto loco subscripserat Epistolæ *Vuidonis* Archiepiscopi, quando coram *Petro Damiani* publice detestatus *Simoniacam* & *Nicolaitarum* Hæreses fuit. Ejusmodi Epistolam legere licet in prædicto *Petro Damiani* Opusculo Quinto, & apud *Baronium* Art. 52. ad Annum Christi Millesimum quinquagesimum nonum. Cui quidem sic etiam legimus subscriptum: *Ariprandus*, *indignus Diaconus*, *subscripsi*.

CCLXXI. CLERICALE BIRRUM internotabamus indumenti fuisse genus. Suum igitur & proprium Clerici etiam birrum *Mediolani* gestabant. Birrum verò, vel etiam birrus, videtur quoddam fuisse brevius ac exterius indumentum, quo brachia tantum & humeri tegerentur. Episcopi sic etiam suum, sed pretiosius, gestabant. Sic enim constat e Sancto *Augustino*, Sermone Primo *De diversis*, quo suorum in *Africa* Clericorum, birro pariter utentium, disciplinam componebat. Ceterum de hoc ipso indumento in genere videri plura possunt apud *Baronium*, ad Annum *Christi* Ducentesimum sexagesimum primum: & apud *Heribertum Rosuveydum* in suo illo eruditissimo rerum & verborum difficiliorum Onomastico, quod editis a se in lucem Vitis Patrum adjecit.

CCLXXII. SCOPARI porrò, sicut ex ipsomet apparet contextu, erat virgis cædi. Scite *Baronius* ad Annum *Christi* Millesimum quinquagesimum quintum, Art. XI. *Aliud* (inquit) *erat genus verberum*, *quod per scopas inferebatur. Ita instrumentum illud nominabant*, *quo Pœnitens sibi ipsi verbera infligebat. De quo redemptionis genere est frequens mentio apud eundem Petrum Damiani*, *hujus temporis Scriptorem.* Quod si Pœnitentes nonnunquam ejusmodi virgatoris ministerio erga semetipsos in pœnam peccatorum fungebantur; certe alios etiam in hoc ipsum aliquando ascisccebant, quemadmodum & *Arialdus* fecit. Neque vero scoparum nomine solum illud infligendæ pœnæ instrumentum intelligebatur; sed ipsimet etiam ictus inflicti. Quo quidem sensu *Petrus Damiani*, ad *Alexandrum* Papam scribens, ita loquitur: *Ut tria scoparum millia unum pœnitentiæ annum explerent cum modulatione Psalmorum*: *decem Psalmorum modulatio mille scopas admittit.*

CCLXXIII. *Vuido* deinde Archiepiscopus, eo quod a fide data Ecclesiæ *Romanæ* jurataque defecisset, per Pontificias Litteras excommunicatur. Hinc ille magis exasperatus, profusione pecuniarum seditionem redintegrat, obstinato in id animo, ut *Arialdus* pellatur ex Urbe, ac necetur. Quin etiam Urbem ipsam jussit ac esse pronunciavit Interdicto subjectam, quamdiu *Arialdus* hic maneret: qui vero contra fecissent aliquid, fierive permisissent, hi bonis fortunæ omnibus vitaque privandi denunciabantur. *Arialdus* ergo, ab unde digressus, ut contra hostium insidias & furorem incolumis servaretur, ab *Herlembaldo Cotta*, Cive nobilissimo, Populi Capitaneo, ac primario sui fautore, fidei creditus est ac tutelæ cujusdam Presbyteri, qui videbatur in id opportunissimus esse. Atqui protinus ab hoc ipso ille *Vuidoni* Archiepiscopo perfide proditur: eidemque traditus in potestatem, quam celerrime versus *Verbanum* Lacum (quem dicimus Majorem) abducitur ad necem. Archiepiscopi Neptis, *Oliva* nomine, sive *Stationam* (hodie *Angleriam*) sive *Aronam*, Oppida hinc inde in littore Lacus insignia, & juxta se posita, incolebat. Ejus itaque jussu in contermminam eidem Lacui solitudinem navi transvectus, a duobus denique Clericis per summam crudelitatem necatur constantissimus *Christi* Martyr. Aures ei, ac nasum cum labio superiore, dextram quoque manum; ac membrum genitale amputarunt: oculos præterea effoderunt, ac linguam de sub gutture convulserunt. *Et sic illa sancta Anima carne est soluta*: *corpus vero ibi quoquomodo terræ traditum est*: concludit Cap. 29. Beatus *Andreas*, postquam in superioribus ex ordine Capitibus cetera illa fuisset abunde stylo prosecutus. Hæc vero tam impia & nefanda cædes Anno *Christi* peragebatur Millesimo sexagesimo sexto, sub exitum Junii mensis.

A.C. 1066.

CCLXXIV. Porro sequitur idem Beatus *Andreas* Cap. 30. his verbis: *Cœperunt denique illic post hæc luminaria præclara per noctes Piscatoribus apparere. Quod ut impia Jezabel* (Neptis Archiepiscopi) *audivit*; *protinus in aliam Insulam eum nocte transferri jussit. Sed cum eadem lux ibidem similiter crebro appareret*; *in locum tertium eundem asportari fecit. Videns igitur*, *quod non posset sanctum occultare corpus*, *nec sub terra*, *neque super terram*, *quia illud ubique lux eximia comitabatur*; *irata valde fecit saxa ingentia circa ipsum innecti*, *& in profundum Laci dimergi. Verumtamen ibi*, *ubi est projectum*, *tanta est aquæ altitudo* (*sicut didici a viris illius Loci*) *ut vix fune centum cubi-*

cubitorum quisquam possit fundum attingere. Nam idem Lacus pro sui magnitudine Major nuncupatur, & plus quinquaginta milliaribus in longum extenditur. In quo tam innumerabiles procul dubio immanesque sunt pisces, ut per tres menses facile devorarent quot in eadem Parochia sunt pecudes. Sed quid inde tandem sacro huic cadaveri factum, idemmet nobis explicet Beatus *Andreas. Sed Deus omnipotens* (mox inquit) *cujus causam ipse* (Arialdus) *patefecerat, nec illum passus est a pisce contaminari, nec in Lacu profundo occulte morari.* Etenim post decem inde menses (A.C. 1067.) (Annoque propterea *Christi* Millesimo sexagesimo septimo) cadaver illud mirifice candidum, & a piscibus intactum emersit, atque projectum ex aqua in ripam, indicio aquilæ compertum & agnitum fuit. Re igitur ad Urbem delata, cum *Arialdi* hostes sponte tradere nollent ipsius corpus; *Herembaldus* illuc cum exercitu processit, injectoque terrore, quod sponte tradere rogati nolebant, obtinuit. *Eo igitur levato in feretrum* (Beatus *Andreas* narrat Cap. 32.) *cum tanta gloria & laude reverti cœpimus, ut eas nullo modo exprimere possem; etiamsi vocem linguamque ferream haberem.* Et paulo post: *At ubi Mediolano propinquavimus, totam pene Urbem obviam habuimus: matronas, nobiles & ignobiles, cereos innumerabiles deferentes: infantes & senes, omnesque Deo laudem dantes. Etiam ipsos, quos in vita sua habuit æmulos, scilicet Clericos, invenimus paratos, non Officium cantantes Mortuorum; sed, ut decebat, Martyrum.* ET SIC IN SANCTO DIE ASCENSIONIS DOMINI POSUIMUS ILLUM IN ECCLESIÆ MEDIO SANCTI AMBROSII.

CCLXXV. Per decem inde proximos dies in hac illud Basilica expositum mansit. Quid autem interea gestum ibidem fuerit, Beatus *Andreas* hunc in modum mox enarrat: *Tunc nobilis Herlembaldus, in loco eminenti progressus, hæc omnibus audientibus est locutus. Videtis* (inquit) *Dilectissimi, quantum valet fides, quam inter nos per decem annos docuit Beatus Arialdus. Certe, ut videtis, ipsa eum servavit defunctum incolumem in profundo Laci inter innumerabiles immanesque pisces per decem menses. Hæc autem coram vobis ipsum per decem hos dies æstivos conservet, videlicet usque ad sanctum diem Pentecosten; quatenus de longinquo & proximo sexus diversæ ætatis uterque huc venire, & nostram Fidem, nostrorumque impietatem æmulorum evidenter possit contemplari. Clamabant tunc, nobis audientibus, ad illum Dæmonia, dicentia: Quid contra nos latras? Non potes tantum latrare, ut te non faciamus interimere* (ac re quidem vera martyrium & ipse postea subiit) *sicut tuum fecimus socium: & ut pingues & iniqui Episcopi, Abbates, & Presbyteri non sint nostri. In his quidem diebus ibidem undique veniebant maxima multitudo, plurima munera offerens Corpori sancto: quibus ad eum intuendum fas erat per dies. Per noctes vero Clericorum Monachorumque veniebat maxima multitudo: easque pervigiles ducebant psallendo. In una autem harum noctium timens valde, ne forte ad opprobrium Christi, Servorumque ipsius, ibi per æstivum tempus diu permanens fœteret; assumpto lumine, paucis admodum vigilantibus, ad ipsum accessi; & reperto foramine, quod ejus germanus ipsi sub ascella fecerat, ut sciret, qualiter illius haberentur interiora, intus prospexi; & ecce ejus exta ut nix erant candida, jecur vero æreum habebat colorem. Quæ cum intromissis duobus digitis tetigissem & confricassem, eosque retractos naribus apposuissem; testor Veritatem, quæ Deus est; tantam talemque odoris fragrantiam ex ipsis digitis emanare sensi, qualem quantumve nunquam me alibi sensisse reminiscor. Et, sicut mea conscientia tunc testabatur & nunc testatur, si ipsi digiti gladii bis acuti acumen habuissent; nares absque vulnere nullo modo evaderent. Quia odoris suavitas tam erat delectabilis, ut nares valentiores essent odoriferos digitos intra se ad trahendum, quam brachii virtus ad retrahendum. Nam quamplures dies, ut diu delectarer tanto odore, eos ab omni custodivi liquore. Congregata igitur est iterum in die sancto Pentecosten tanta virorum ac mulierum diversæ ætatis multitudo de proximo & longinquo, ut nunquam se unam tantam vidisse etiam senes dicerent: & sic cum magna gloria laudeque ineffabili ad Monasterium delatus est Sancti Celsi. Ibi namque in locum mirabiliter aptum traditus est sepulturæ. Siquidem ex una parte habet Ecclesiam, in qua Sancti Celsi venerabile nunc adoratur Corpus: ex altera vero Ecclesiam, ubi quondam (ut fertur) diu Sanctus perlatuit Nazarius. Ex hinc quippe ibi a multis Fidelibus adoratur & colitur; ab Infidelibus autem nec Christus universorum Dominus, nec Arialdus ipsius famulus.* Illic igitur Sanctus hic Martyr tumulo datus conquievit usque ad Annum *Christi* Millesimum nonagesimum sextum: quo per *Anselmum* Archiepiscopum, nominis hujus Quartum, translatus inde fuit ad Sancti *Dionysii* Ecclesiam, ubi Sanctus item Martyr *Herlembaldus Cotta* jacebat. Quibus de rebus abunde nos alibi agemus, hoc est, Primo illo & Quarto in ejusdem *Arialdi* Vitam Libris, quos Num. 259. polliciti fuimus. Simul vero tunc agemus de nobilissima etiam in præsens *Cottarum* familia: e qua natus floret *Lucius*, Juris utriusque Doctor Collegiatus, atque de nobis Lucubrationibusque nostris quam optime meritus; ut in tempore profitebimur, quo par est, animi candore.

CCLXXVI. Anno *Christi* Millesimo septuagesimo primo (sicut etiam paulo post apertius constabit) A.C. 1071. nostra Civitas miserando conflagravit incendio: quod vulgo vocitatum fuit IGNIS DE CASTILLIONO; eo quod prædictus *Herlembaldus Cotta*, Sanctæ *Romanæ* Ecclesiæ Vexillifer, *Gothofredum*, Sedis hujus Archiepiscopalis invasorem, in Oppido gentilitio *Castilliono* tunc temporis inclusum obsideret. De quo quidem incendio breviter admodum *Chalcus* & *Sigonius* scripserunt. Ille siquidem de obsidione *Castillioni* loquens, sic habet: *Jamque ab initio veris ejus Anni, qui fuit Millesimus septuagesimus primus ad extremos Magni Jejunii* (hoc est, Majoris Quadragesimæ) *dies duraverat; cum inopinatæ inexpectatæque calamitatis nuncius universum conterrefecit exercitum. Casu nescio quo suscitatum domi pridie incendium universam prope Urbem absumpserat: & præter privata ædificia, publica quoque opera corruperat. Inter quæ sacra Laurentio Martyri Ædes combusta, nudatæque peristylo suo sexdecim illæ, quæ adhuc extant, columnæ striatæ. Qua re consternati omnes uno impetu pene recesserunt.* Et paulo post: *Hic ignis diu a Loco, in quo tum armata plebs consederat,* CASTILLIONEUS *vocatus est.* *Sigonius* autem hisce tantum verbis perstringit: *Extremo inde sequentis Quadragesimæ spatio ingens Mediolani est incendium excitatum.* Et paucis interjectis: *Eo incendio magna pars Urbis ad solum exusta est. Incendium inde* CASTILLIONENSE *apud posteros celebre mansit.* Nos igitur hoc ipsum incendium ipsis potius describamus *Arnulfi* verbis: qui tunc temporis *Mediolani* vivebat, casumque luculentius expressit. Libro igitur tertio sic inquit: *Hac itaque tempestate cum rarus in Urbe Populus sua frueretur securitate, repentina calamitas improvidam invasit Urbem. Horresco referens. Primo namque Quadragesimæ Sabbato* (& hinc quidem corrigamus tempus a *Chalco* & *Sigonio* indicatum) *magno Civitas conflagravit incendio Cumque vehemens flaret tunc turbo ventorum, arreptis ignium globis longe lateque multas combussit ædes: eousque, ut ligna & lapides vorax flamma consumeret: aurum quoque, argentum, ac metalla cætera nimio calore liquefacta sunt universa. O quæ & qualia domorum ædificia, quamque decora combusta sunt mœnia? de quibus omnibus vix superfuit præter*

parietinas quaslibet vel titio minimus. Sed, quod est omni damno deterius, plures Sanctorum crematæ sunt Basilicæ IN URBE, ET EXTRA. *Sanctus quoque Laurentius, vivæ carnis olim cruciatus incendio, iterum se flammis permisit exuri. Cujus speciosissima omnium adeo fuit Ecclesia, ut relatu difficile videatur, quæ fuerint lignorum lapidumque sculpturæ, eorumque intrinsecus impaginatæ juncturæ suis columnis cum basibus, Tribunalia quoque per gyrum, ac desuper tegens musivum universa. O Templum, cui nullum in Mundo simile! & ò Civitas, cujus comparatione Villæ fuerunt reliquæ! Heu heu Threnæ illæ propheticæ in te fere translatæ videntur. Ubi autem rumor tam dirus Castris* (ad Castillionum) *insonuit; quam plures illico relicta obsidione eunt tenues ab igne reliquias & miseram visitare familiam. Herlembaldus vero cum aliis; retenta parte Castrorum, perseverat obnoxius, quotidie belligerare non desinens.* Hactenus *Arnulfus.* Quo pariter teste, *Vuido* Archiepiscopus non multo post interiit. *Jam enim* (verba sunt Arnulfi) *emigraverat a sæculo Archiepiscopus ille Vuido sepultus in Loco, qui vocatur vulgo* BURGULI, *ubi post Urbis incendium in amaritudine animæ diem clausit extremum.* Inde porro *Chalcus* istud etiam sic narravit: *Inter hæc Guido Velates, Cœnobio Celsiano dimissus, evaserat ad Transpadanos Populos: & non procul Derthona defunctus,* BERGOGLII, *ad Tanarum amnem sito Oppido, sepelitur, anno sexto & vicesimo, ex quo Mediolanensi præfuit Ecclesiæ.* Quem profecto in annum (ab aliis etiam multis Scriptoribus assertum) illud etiam congruit, quod nos Nu. 247. ostendebamus: *Guidonem* videlicet istum Archiepiscopali hac Sede potitum Anno *Christi* supra Millesimum quadragesimo sexto. Secundum aliquos ille obiit decimo Kalendas Septembris, secundum alios vero Decembris: & hoc nobis verius videtur. Sicut autem subdit
A.C. 1072. *Arnulfus*, in Theophaniæ (nobis nunc Epiphaniæ) solemnitate proxima *Herlembaldus* illi *Atthonem* sublegit; tametsi tumultu mox populari factum est, ut ille sese abdicarit. Et hic quidem Historia claudebatur *Arnulfi* eo in Exemplari, quo nos hactenus usi sumus. Ecce autem nobis ex insperato alterum e sua Bibliotheca suppeditat Clarissimus pariter ac Humanissimus Comes *Octavius Archintus*, alibi nobis infra memorandus: quod aliquanto ulterius protenditur. In hoc igitur Exemplari alterum rursus incendium hisce descriptum verbis occurrit.
A.C. 1075. *Anno Humanitatis Dominicæ Millesimo septuagesimo quinto, Indictione tertia decima, transactis quatuor a memorato superiori incendio annis, propinquante sanctissimo Paschæ festo, secunda videlicet Hebdomadis Authenticæ Feria, miseranda iterum Civitas divinam persensit iracundiam: experta, quam sit horrendum incidere in manus Dei viventis. Celebratis itaque Missarum Solemniis, urgente jam Sole, in Urbis apparuit medio densæ fumus caliginis, flante ventorum violentia nimia per aërem volitans: quem sequebatur vapor flammivomus, inter cœlum & terram universa consumens. Siquidem plures, velut fulmina, faces ab illo maximo & inextinguibili erumpentes igneo globo, totam subito micuerunt per Urbem; ut, quod Civitatis residuum jam dictum illud evaserat incendium, totum pene flammis adureretur præsentibus, solo tenus conquassatum. Nec tamen ex toto illis ardor iste pepercit ædibus, quæ prius incensæ multis jam fuerant reparatæ sudoribus. Quid enim dici valet ulterius? quam, quod ignis hic instar fuit per omnia suprataxati alterius: hoc tamen crudelior, quod multo plures ac majores combussit Ecclesias. Illam scilicet Æstivam ac mirabilem Sanctæ Virginis Teglæ, Beati quoque Nazarii, necnon Protomartyris Stephani, cæterasque complures: quarum parietinæ annis apparebunt, ut reor, plus mille. Inter quas aliarum Mater, Sanctæ Dei Genitricis Hyemalis Basilica* (*ò dolor, iterumque dolor!*) *exuri*

A *permittitur, collapsis funditus parietibus. Cujus sacrosanctum Altare non apparet, quantum fuerit, aut quale: laminæ vero aureæ liquefactæ sunt nimio præ chasmate. Sed mille talenta auri librorum damno nequeunt comparari. Hanc quidem peccata nostra merentur ærumnam; quoniam Sancti Spiritus offendimus in nostro felle Columbam* &c. Hactenus de hoc secundo incendio *Arnulfus.* Sed audire præstat, quemadmodum istius exitum *Chalcus* ad eundem Annum Millesimum septuagesimum quintum ita describat: *Denique tota Civitas adusta: & illustris Aedes Teclæ, quæ primaria habebatur, & ei propinqua Hyemalis, & Nazariana, labefactatæ. Stephaniana vero* B *penitus absumpta est. Cui quamquam posteritas egregiam hanc, quæ extat, substruxerit; haud tamen priori parem esse,* INSCRIPTI IN LIMIME EJUS VERSICULI ADMONENT. Sic enim denique *Tristanus* eam indicat Inscriptionem, in limine veteri, jam jamque (ut novæ structuræ cedat) diruendo, Basilicæ illius *Stephanianæ* duabus incisam e marmore tabulis, ad invicem sibi cohærentibus, unamque conflantibus: quæve propterea tanto magis necesse est ut a nobis fidelissime recitata conservetur. Illam profecto hac ipsa die diligenter & accurate inspeximus; cum aliquandiu nos torsisset ejusdem exemplum ab amico alias transmissum, & in exprimenda nominatim die Martii mendosum; quippe C cum pro *tertio Kalendas Aprilis* male cautus *septimo* nobis obtrudisset; & in angustias inde maximas conjecisset. Certissime igitur ita prorsus illa se habet:

Flamma vorax prisci consumpsit culmina Templi,
Quod specie formæ nulli cedebat in Orbe;
Temporibus multis fuerat decus istius Urbis.
Omne manufactum recepit post tempora casum.
Corruit omnino. Collapsum surgit ab imo;
Sed primi cultum nequit æquiperare secundum.
Plebs spectando time: Peccatum causa ruinæ.
Te prius ædifices: tunc materiale reformes.
Sis Templum Domini; placet illi fabrica Templi.

Anno Dominicæ Incarnationis Millesimo septuagesimo D *quinto, Indictione decima tertia, tertio Kalendas Aprilis, Feria secunda.*

Citra dubium autem Feria hæc secunda non alia est, quam illa, quæ ab *Arnulfo* nominabatur *secunda Hebdomadis Authenticæ Feria.* Quæ quidem Anno illo septuagesimo quinto tam certo cadebat in tertium ante Kalendas Aprilis, hoc est, in trigesimum Martii diem: quam certum e Paschalibus hodieque receptissimis Tabulis est, Dominicæ Resurrectionis diem illo eodem Anno (sicut & trecentesimo nonagesimo septimo, quo Sanctus *Ambrosius* occubuit, sicuti nobis Num. 87. differebatur) in Aprilis quintam incidisse diem. Quocirca tempus istud iis Versibus subnotatum haud dubie demonstrat, quandonam Ba- E silica illa sic incensa corruerit, non autem quando per restaurationem surrexerit ab imo. Per hæc autem satis superque refelluntur *Gualuaneus Flamma* in Chronico Majori Cap. 247. & Auctor Chronici *Flos florum* fol. 133. pag. 2. & si qui forte sunt alii, qui prædicta duo incendia in unicum tantum confuderint.

CCLXXVII. In multos annos sicut Ecclesia *Romana* per Antipapas, ita *Mediolanensis* per Pseudoarchiepiscopos, ab *Henrico Germaniæ* Rege, *Henrici* olim Secundi Imperatoris filio, violenter ac *simoniace* obtrusos, perturbata gravissime fuit. Cum *Vuido* adhuc esset superstes, accepta *Henricus* ingenti pecuniæ summa, *Gothifredo Castillionæo* Archiepisco- F patum tradiderat, contranitente Pontifice *Alexandro* Secundo: qui propterea eum acri absterruit interdicto, ne honorem hujusmodi susciperet. Sic enim constat e *Sigonio* ad Annum *Christi* Millesimum sexagesimum septimum. Sed & postea, mortuo *Vuidone*,

done, *Gothifredum* eundem pertinaciter fovere non destitit; tametsi Sedes Apostolica huic Ecclesiæ Archiepiscopum dedisset *Atthonem*. Quocirca etiam *Gothifredus* paulo post, tamquam *Fidei Catholicæ & Legis Christianæ inimicus*, una cum reliquis omnibus sibi consentientibus excommunicatus in *Romana* Synodo fuit. Et hoc aperte constat, sciteque *Baronius* etiam ostendit Anno *Christi* Millesimo septuagesimo tertio, Art. 45. e Libro Primo Epist. 15. *Gregorii* tunc Papæ Septimi, Kalendis data Julii ad omnes Fideles Sancti *Petri* Apostolorum Principis, in *Longobardia* commorantes. Idcirco igitur *Gothifredus* non accipiebatur; ac propterea *Henricus* Archiepiscopum instituit *Theobaldum Castillioneum*. *Atque ita tres eodem tempore pro Archiepiscopis se gessere*, *Theobaldus Mediolani*, *Gothifredus in finibus*, *Attho Romæ*; sicut Anno Millesimo septuagesimo quinto testatur *Sigonius*. Accipe vero etiam ex eodem *Arnulfo*, quemadmodum in gratiarum actionem ad Basilicam istam convenerint *Herlembaldi* hostes, contra Ecclesiæ *Romanæ* decreta contumaces, statim ac ipsum interfecerunt (& quidem, non direptum abstractumque suggestu, ex quo tunc forte concionaretur; sed armatum, & in primo prælii congressu)
A.C. Anno scilicet supra Millesimum septuagesimo sexto.
1076. *Christi* Martyrem interfecerant; ut alibi nos ex instituto commonstrabimus; testimonioque interim sint vel ea tantum, quæ *Baronius* eodem Anno Art. 77. confirmabundus recensuit. Et tamen juxta ejusdem *Christi* prædictionem, *Joannis* Euangelio Cap. 16. consignatam, cæci sacrilegique homines ea cæde obsequium arbitrabantur se præstitisse Deo. In hoc igitur errabant illi quidem; sed errantes etiam nobis veraciter indicarunt, quanti Basilicam istam Sanctumque *Ambrosium* hic sepultum æstimarent; quove præsertim apud Deum Oratore inter ambigua præliorum discrimina victoriam sperarent, & cui acceptam referrent; quod ipsum alias etiam in hujus Operis progressu contuebimur. *Eadem hora* (testatur Arnulfus) *post hoc insigne trophæum Cives omnes* (qui scilicet eidem Factioni adhærebant) *triumphales personant hymnos* DEO AC PATRONO SUO AMBROSIO, ARMATI ADEUNTES IPSIUS ECCLESIAM. *In crastinum* SIMUL CUM CLERO LAICI IN LITANIIS ET LAUDIBUS AD SANCTUM DENUO PROCEDENTES AMBROSIUM, *reatus præteritos confitentur alterutrum. Absolutione vero Sacerdotibus, qui præsto aderant, celebrata, reversus est in pace Populus universus ad propria.*

A.C. CCLXXVIII. Anno *Christi* Millesimo septuage-
1077. simo septimo *Ambrosiani* hujus Monasterii Abbatem habemus, cui nomen *Adelardo* erat. Eundem sperare juvat rite ac legitime promotum, contra quam scilicet de *Ariprando* factum narrabamus. Sed & eodem Anno sese nobis nobilissima offert ad *Mediolanenses* Legatio. De qua *Baronius* Art. 29. e Vita Sancti *Anselmi Lucensis* Episcopi, per quendam Presbyterum ejus Pœnitentiarium conscripta, hæc recitat: *Infra quindecim (ut opinor) dies, post absolutum scilicet Regem* (fuerat autem ab excommunicationis vinculo absolutus *Henricus* vigesima quinta Januarii die, sicut idemmet *Baronius* Art 20. bene observat) *cum Beatus Episcopus Anselmus Legationem Domini Papæ* (Gregorii Septimi) *una cum religiosissimo Ostiense Episcopo Geraldo Mediolanum deferret; impediti sunt a militibus illius* (Henrici Regis) *& captus est Ostiensis Episcopus; Sanctum autem Anselmum nequaquam ausi sunt tangere; quoniam* INDIGENA FUIT, ET NOBILIS PROSAPIÆ. *Ipse autem ultro se capiendum ingerebat: dicens, quod a Socio Legationis non discederet. Aut illum (inquiens) dimittite: aut me captum cum illo tenete. At illis hoc non præsumentibus, tristis abscessit: volens, si posset, pro fratre suam animam ponere.* Hactenus ex *Anselmi* Vita *Baronius*. Quibus ipse mox subjicit: *Porro dimissus est tandem Ostiensis Episcopus.* Et quidem non multo post; sicuti nos ex *Arnulfo* colligimus. Hic enim, descripta *Henrici* ad *Canossam* absolutione, sic Historiam prosequitur: *Repressit* (Henricum) *a compositis; cum sentiret Mediolanensium Populum, Thedaldi Præsulis societate culpabilem (Divina prohibente Lege communicari excommunicato) missis Domino Papæ legatis, solutionem implorasse.* CUI LEGATIONI IPSE EGO INTERFUI, *de præteritis satisfaciens, in futuro castigari promittens. Papa vero, sapienti usus consilio, Venerabiles Viros, Lucensem & Ostiensem Episcopos, direxit Mediolanum, daturos veniam quibuscumque poscentibus. Ubi vero ingressi sunt Urbem, lætata est Civitas universa. Qui toto illo triduo confluentibus ad eos Civibus divina prædicantes eloquia, cunctos absolventes, benedicunt universos. Quod Thedaldus indigne satis ac moleste tulit: adeo, ut seditionem in Populo bellumque conaretur inferre; sed minime valuit. Interea præfati Duces Theutonici, Comites, & Episcopi illis in partibus de sua inter se ipsos concordia, ac statu Regni, novi quoque Regis electione quotidie tractare non cessant: asserentes, Henricum multis ex causis Diademate indignum. Ad ultimum vero convenientes, Moguntiæ communi consensu Rodulfo Duci Regni jura committunt, jurejurando cuncta corroborantes. Quo audito, Rex vehementer in semetipsum turbatus (degebat enim Papiæ) & congregans omnes, quos habere poterat, Longobardos, Veronam proficiscitur. Ibique valefaciens omnibus, reversus est in Patriam, pro tuendo Regno usque ad mortem pugnaturus. Papa vero, diebus aliquot moratus in Italia, Romam rediit, ingenti Romanorum susceptus lætitia.* Nec ulterius suam prosequitur in hoc Exemplari *Arnulfus* Historiam. Quod si Pontifex non mense Majo, ut in Vita Comitissæ *Mathildis* Domnizo Presbyter canebat, *Romam* rediit; certe rediit Septembri, sicuti *Baronius* Art. 42 ex ipsismet *Gregorii* Epistolis concludit. Quid si vero *Anselmus* paulo ante INDIGENA iccirco vocabatur, quia Patria illi *Mediolanum* esset, ad quod pergebat? Ita profecto textus ipse subindicabat. Sed hoc ipsum expresse professus nuper fuit *Franciscus Maria Florentinus* in eo Volumine, quod typis hoc ipso *Christi* Anno Millesimo sexcentesimo quadragesimo secundo in Urbe *Luca* edidit, inscriptum: *Memorie di Matilda, la gran Contessa, Propugnacolo della Chiesa.* Quinetiam eum insuper adjecit nepotem fuisse *Alexandri* Papæ Secundi, *Mediolanensis* utique nostri, & ex amplissima *Badagiorum* familia: qui pariter ante Pontificatum *Lucensis* erat Episcopus, & *Anselmus* vocabatur; ut Num. præsertim. 260. & 269. dicebamus. Tanti ergo Nepotis etiam decus omnino par est, ut *Mediolano* Patriæ adscribatur. Ejus porro Vitam typis impressam legere jam licet inter *Vetera Monumenta contra Schismaticos, jam olim pro Gregorio Septimo aliisque nonnullis Pontificibus Romanis conscripta:* quæ Vir Clarissimus *Sebastianus Tengnagel*, Cæsareus *Viennæ* Bibliothecarius, primum in lucem vendicavit *Ingolstadii* Anno Sæculi hujus duodecimo. Ejusdem insuper Libros duos contra *Guibertum* Antipapam, necnon etiam Collectanea *Henricus* edidit *Canisius*, & in Sextum Antiquæ Lectionis Tomum conjecit. De aliis quoque ipsius Lucubrationibus legi possunt inter alios *Johannes Trithemius*, & *Robertus Bellarminus* in Libro de Scriptoribus Ecclesiasticis: ubi perperam eum (sic enim nos jam concludemus) appellat *Mantuanum*.

CCLXXIX. *Sigonio* pariter ad Annum postea A.C.
Millesimum octogesimum quartum teste, *Theobaldus* 1084.
circa Verbanum Lacum oberrans, prope exul est mortuus. Ei per Henricum Anselmus a Rhaude suffectus, pariter a Gregorio (Papa Septimo) *est improbatus.* Ceterum Anno deinde octuagesimo septimo supra Mil- 1087.

lesimum, mense Majo, Indictione decima, sese nobis inter Archivi Documenta offert Investitura quædam, quam *Heribertus*, *Ambrosiani* hujus Monasterii Abbas, confecit, suaque subscripsit manu. *Arnaldum* vero quendam investivit de quibusdam bonis, quæ *Ambrosius* quidam, filius quondam *Andreæ* de Loco *Blassono*, legaverat Ecclesiæ ac Cellæ Sancti *Satyri*, intra istam Civitatem constructæ: investivit inquam, cum ea etiam conditione, ut quotannis Officiali ejusdem Sancti *Satyri* Ecclesiæ persolveret denarios sex, quibus ipsemet Officialis emat oleum, *& faciat ardere in Quadragesima Majore super Sepulturam ipsius quondam Andreæ, genitoris ipsius Ambrosii.* Quocirca, dum novum istius *Ambrosiani* Monasterii Abbatem nos proferimus, simul etiam observare licet, quemadmodum ea Sancti *Satyri* Ecclesia hoc tempore per Officialem, sub ejusdem Abbatis potestate constitutum, regeretur: ac præterea moris apud nostros *Mediolanenses* adhuc esset, ut certo tempore, ac nominatim Quadragesimæ Majoris, lampades supra Fidelium Sepulchra pie accenderentur; sicut etiam Num. 254. *Christique* Anno Millesimo quinquagesimo quarto videbamus.

CCLXXX. Sed enim postea sive ab ipsomet *Gregorio*, sive a *Victore* Tertio, vel saltem ab *Urbano* Secundo, proximis *Gregorii* Successoribus, approbatum fuisse *Anselmum* illum Archiepiscopum nostrum, de quo nuper loquebamur, luculentissimus nobis est testis *Bertoldus* Presbyter *Constantiensis* in Appendice ad Chronicon *Hermanni Contracti*: quod ab Anno supra Millesimum quinquagesimo secundo continuavit ad centesimum usque, res utique suo tempore gestas fidelissime prosecutus. (A.C. 1093.) Anno namque *Christi* Millesimo nonagesimo tertio sic tradit: *In Longobardia Prudentissimi Milites Sancti Petri, Vuelpho Dux & uxor ejus Mathilda, jam triennio contra Schismaticos viriliter dimicantes, tandem multum contra ipsos, Deo opitulante, confortati sunt. Nam Cuonradus, filius Heinrici Regis, a Patre discessit: & Vuelphoni Duci, reliquisque Fidelibus Sancti Petri, contra Patrem cum suis adjuvit. Civitates quoque de Longobardia,* MEDIOLANUM, CREMONA, LAUDA, PLACENTIA, *contra Heinricum in viginti annos conjuraverunt, qui omnes prædicto Duci fideliter adhæserunt. Transitus etiam Alpium in Longobardiam obtinuerunt; ut Fautores Heinrici ad ipsum non possent proficisci.* Et paulo post: *In Longobardia Cuonradus, filius Heinrici Regis, a Patre dolo circumvenitur, & captivatur: sed Dei misericordia inde ereptus,* A MEDIOLANENSI ARCHIEPISCOPO, ET RELIQUIS FIDELIBUS SANCTI PETRI, IN REGEM CORONATUR, *annuente Vuelphone Duce Italiæ, & Mathilda ejus charissima conjuge.* Denique vero in fine omnium, quæ hoc eodem Anno gesta narrat, ita demum concludit: *In Longobardia* VENERABILIS ANSELMUS, MEDIOLANENSIS ARCHIEPISCOPUS, IN CAUSA SANCTI PETRI STUDIOSISSIMUS, ET QUI NUPER CUONRADUM REGEM INCORONAVIT, *satis laudabilem fecit finem, magnumque mœrorem Fidelibus Sancti Petri reliquit. Cui Venerabilis Arnoldus* DE PORTA ARGENTEA (legendum est *Arnolfus*) *in Episcopatu successit.* Poteratne vero luculentius instituto nostro *Bertoldus* adtestari? Quod autem veluti cognomen addebat DE PORTA ARGENTEA, cum Scriptores communiter nostrates dicere soleant DE PORTA ORIENTALI; ne tamen quispiam id adscribat errori. Eadem namque Porta Orientalis a Majoribus nostris per hæc tempora vocabatur itidem Argentea. Cujus rei certissimo nobis est argumento publicum & archetypum Abbatiæ apud nos San-*Dionysianæ* Documentum, prope urbanam Sancti *Fidelis* Ecclesiam confectum Anno ab Incarnatione Domini Millesimo centesimo vigesimo, die Jovis undecimo mensis Martii, Indictione decima tertia. Ibi siquidem Monasterium illud ita verbatim (ut corrupte per ea tempora scribebant Notarii & Instrumentatores nostri) describitur: *Constructum foris de prædicta* (Mediolani) *Civitate, & foris de suburbio,* JUXTA PORTA ARGENTEA. Quæ citra dubium non alia esse poterat, quam Orientalis: neque quisquam *Mediolani* versatus hoc negabit. Sicut igitur ab oriente Sole, cui est obversa, Orientalem appellarunt; sic etiam ea nobis non displicet adhuc etymologiæ conjectura; ut Argenteam quoque nuncuparint ab argenteis primi Diluculi radiis, quibus Cœlum albescit, antequam Solem videamus orientem, aureosque radios diffundentem. Ea porro Sancti *Fidelis* Ecclesia illic erat, ubi nunc, retento ejusdem Sancti nomine, Domus est Professa Patrum Societatis *Jesu*. San-*Dionysianæ* pariter illi Abbatiæ subjecta olim erat: itemque Annis *Christi* supra Millesimum vigesimo sexto & quadragesimo quinto vocabatur SANCTA MARIA IN SOLARIOLO. Sic enim nos e publicis ejusdem Abbatiæ Documentis deprehendimus. Quæ quidem nobis humanissime, tamquam e Domini sui notissima benignitate bonarumque Artium tutela, suppeditavit Amicus noster jamdudum dilectissimus *Bernardus Bellonus*, Basilicæ istius *Ambrosianæ* Canonicus meritissimus; cum recenter Eminentissimo Cardinali *Antonio Barberino*, Supremi Pontificis *Urbani* Octavi dignissimo Nepoti, Litterarum Parenti, & San-*Dionysianæ* ipsius Abbatiæ Commendatario, Procurator ingenuus deserviret. Quocirca sic etiam ipse nobis illa suppeditavit, quæ Num. 228. innuebamus.

CCLXXXI. Attende vero jam insuper, quemadmodum de hac ipsa *Cuonradi* Coronatione loquatur *Landulfus De Sancto Paulo*: quo frui teste nunc primum incipimus. Ejusmodi cognomentum ex eo ille sumpsit, quod ad Titulum Ecclesiæ Sancti *Pauli*, sicut etiamnum vocamus, IN COMPITO initiatus esset. Librum vero Historiarum *Mediolanensis* Urbis ab Anno *Christi* supra Millesimum nonagesimo sexto usque ad centesimum trigesimum sextum, intra quos ipse Annos vivebat, conscripsit; sicuti nos ex ipsomet ejus contextu observavimus. Veruntamen hic Liber typographico necdum prælo commissus fuit. Quocirca manuscripto nos utimur Exemplari: quod humanissime, more suo, suppeditavit *Matthæus Valerius*, toties jam nobis ad grati quoque animi testificationem, nec unquam satis, celebratus. Hoc autem non multis quidem ab hinc annis exscriptum se prodit; atqui per omnia (etiam per lacunas, quæ insunt) concors esse deprehendimus cum perantiquo Exemplari, quo Capituli hac in Urbe Metropolitani Bibliotheca gloriari jure merito potest. Itaque sicut ex ipso (cum Cardinalis Archiepiscopusque noster *Fredericus*, Litterarum pariter ac Litteratorum MECÆNAS, in conquirendis undique Libris accuratissimus, ita vellet) sicut, inquam, ex ipso exscriptum fuisse scimus Exemplar illud, quod in *Ambrosiana* Bibliotheca extat; sic etiam istud indidem alias exscriptum conjectamus. *Landulfus* igitur iste Cap. 1. sic habet: *Cono quoque Rex* (nomen vero *Cononis*, vel *Cunonis*, idem est ac *Conradi*, vel *Cuonradi*) *qui, dum Henricus pater ejus viveret, per contractationem Mathildis Comitissæ,* ET OFFICIUM HUJUS ANSELMI DE RHAUDE FUIT CORONATUS MODOETIÆ, ET IN ECCLESIA SANCTI AMBROSII &c. Atque hinc etiam *Cuonradum* constat *Modoëtiæ* primum, ac deinde *Mediolani* coronatum. Quæ tamen Coronatio *Bartholomæum* quoque *Zucchium*, *Modoëtiensem* ac diligentissimum Scriptorem, ignorata effugit.

CCLXXXII. *Arnulfus* (scilicet hujus nominis Ter-

Tertius) ut paulo ante videbamus, defuncto *Anselmo* in Archiepiscopatum successit: & quidem Anno supra Millesimum nonagesimo tertio, non autem nonagesimo secundo, sicut *Sigonius* affirmat. Juverit tamen nihilominus inspicere, quemadmodum ipse substitutionem istam recenseat. Inquit autem: *Eodem Anno* (Millesimo nempe nonagesimo secundo) *Anselmo Archiepiscopo Mediolanensi vita functa Populus Arnulfum substituit, ex Porta Orientali Capitaneum: quem Henricus, ut consueverat, per Annulum & Virgam instituit.* Et hoc quoque mihi redditur erroris suspectum propter eam conjurationem, quam *Mediolanenses* contra *Henricum* in viginti annos inierant, & in qua constanter, *Bertoldo* teste, constiterunt. Utcumque tamen istud se habeat, ita sequitur *Sigonius*: *Is inde, cum ab uno tantum Catholico Episcopo esset consecratus, cæteris, quod abstenti essent, assentientibus, verum manum non imponentibus; eo nomine a Legato Apostolicæ Sedis est abdicatus. Itaque mutato habitu in Cœnobium se inclusit, ibique honestissimam vitam instituit.* Sed & Anno postmodum

A.C. 1095. Millesimo nonagesimo quinto locutus de frequentissima illa Synodo, quam *Urbanus* Secundus *Placentiæ* habuerat, ita prosequitur: *Inde Mediolanum progressus* (Urbanus) *Arnulfum Archiepiscopum e Cœnobio evocavit: ac præsidere Ecclesiæ jussum, insuper etiam Pallio decoravit; atque ita Ecclesiam Mediolanensem Romanæ post tot annos restituit. Quo facto, inde ipsos etiam Cives, jamdiu acriter superioris contumaciæ causa inter se decertantes, ad concordiam pacemque redegit. Cæterum Mediolanenses, Urbani auctoritate victi, veteribus positis simultatibus, in gratiam tanta animorum facta mutatione redierunt, ut Nobiles ac Populares oscula inter se per fora ac vias, manantibus præ gaudio lachrymis, darent.* Hactenus *Sigonius*. Quæ si non antea intra Præsulatum *Anselmi* facta fuerant; non immerito nobis item gratulandum jam est, quod in tempus saltem præsens inciderint; quo præterea idem *Arnulfus* in Archiepiscopum tandem consecratus rite ac legitime fuit. Ecce testem integræ fidei *Bertoldum*, quem paulo ante produximus, quemve plurimi æstimamus. Hic similiter Anno *Christi* Millesimo nonagesimo quinto locutus de Synodo illa *Placentina*, circa mediam Quadragesimam congregata, & usque adeo Patribus abundante, ut præ multitudine illam necesse fuerit extra Urbem in campo celebrari; sic inter cetera subdit: *Huic Synodo Reverendissimi Antistites interfuerunt: de Bajoaria quidem Dimo Saltzburgensis Archiepiscopus, & Udalricus Pataviensis Episcopus, ejus Suffraganeus: de Alemannia vero Gebehardus Constantiensis Episcopus:* QUI ET ARNOLFUM MEDIOLANENSEM ARCHIEPISCOPUM, *diu quidem electum, sed nondum consecratum, eodem tempore, ex concessione Domini Papæ,* MEDIOLANI CONSECRAVERE.

CCLXXXIII. Quæ cum ita se habuerint; ego quidem nihil jam dubitandum existimo, quin *Arnulfus* hoc ipso Anno protinus Archiepiscopalis Sedis possessionem inierit: & in eum quidem modum, qui duobus illis apud nos Archiepiscoporum Catalogis manuscriptis per hæc verba describitur: *Hic in festo Sancti Georgii super quodam equo albo una cum Confaloneriis Mediolanensibus, numero duodecim,* AB ECCLESIA SANCTI DIONYSII IN SEDEM SUAM COLLOCATUR: *& unus ex dictis Confaloneriis equum prædicti Archiepiscopi ascendens, antiquioribus suis consignavit, ut antiqui juris est.* Quamobrem hinc ego *Arnulfum* istum suspicor recto tramite ab Ecclesia Sancti *Dionysii* ad Metropolitanam perrexisse, veteri eo more non servato, quo novus Archiepiscopus ex *Ambrosiana* ista Basilica iter illuc intendere soleret, uti pluries jam ostendimus.

A.C. 1096. CCLXXXIV. Annus inde *Christi* supra Millesimum nonagesimus sextus *Landulfi* excipit Archiepiscopi obitum, & *Anselmi* hoc nomine Quarti substitutionem. *Sigonius* itaque ad hunc Annum sic habet: *Proximo Arnulfus Mediolanensis Archiepiscopus vita decessit. Locum ejus Anselmus Valvasorius tenuit.* Et paulo post, de *Urbano* Papa *Romam* e *Gallia* reverso, ibique *Clemente* Antipapa in Arcem compulso, recuperatoque Laterano locutus ita prosequitur: *Eo statim Generale Concilium advocavit. In eodem, præter alia Christianæ Reipublicæ salutaria, Jerosolymitana expeditio ingenti omnium consensu, eximia Pontificis adhortatione, decreta est.* Et paucis interjectis: *Præcipui ex Italia* (ei expeditioni) *nomen dedere Anselmus Mediolanensis Archiepiscopus, quem quinquaginta Lombardorum millia sunt secuta, ex quibus Mediolanenses septem millium numerum confecerunt &c.* Hactenus *Sigonius*. Sed hanc *Anselmi* electionem, *Anselmumque* ipsum paulo melius cognoscere præstat e *Landulfi De Sancto Paulo* Historia. Hic enim Cap. 1. pauca quædam præfatus de *Armano* quodam, cui cognomen *De Ganardo*, quemve *Joannes Franciscus Florentinus* nonnullos ab hinc annos defunctus, & arctissimo quidem amicitiæ mecum vinculo conjunctus, in suo Antistitum *Brixianorum* Indice Chronologico ad Annum *Christi* Millesimum nonagesimum nonum appellavit *Arimannum*, sive *Hermannum*, sive *Hertimannum*: pauca igitur quædam ibi de hoc *Armano* præfatus, Historiam hisce verbis suam prosequitur: *Armanus enim ille Monachus, quasi Cardinalis Romanus, & a parte Brixiensium Civium atque favore Comitissæ Matildis in Ecclesia Brixiensi electus Episcopus, defuncto Arnulfo Archiepiscopo Mediolanensi, ad alium eligendum venit. Qui ubi sensit, nobilem multitudinem Mediolanensium convenire ad eligendum* LANDULFUM DE BADAGIO, SANCTI AMBROSII CANONICÆ PRÆPOSITUM, IN ARCHIEPISCOPUM, *virumque moribus & vita quam bene ornatum; substitit, & electioni illi non consensit. Corona inde vulgi gratia Romanæ Ecclesiæ, & Brixiensis, ac Matildis Comitissæ favore, putans, illum fore religionis virum: mox ubi sensit, illum Armanum huic electioni obesse; cœpit adversus ipsam electionem insanire, & Clericos & Sacerdotes pugnis & fustibus vehementer lacerare; virum quoque de* .... *civibus, Paganum nomine, & in Porta Orientali* .... *in ipsa Ecclesia. quæ dicitur* HYEMALIS, *præsumpsit occidere. Hanc insaniam nobilis Landulfus* (ille scilicet *Ambrosianæ* hujus Basilicæ Præpositus) *vitavit: & descendens Secretarium Ecclesiæ ad domesticam suam Ecclesiam, quæ* SANCTI JOANNIS AD QUATUOR FACIES *dicitur, pervenit.* Ibidem sic etiam propinqua extat hodieque Sancti *Hilarii* Ecclesia, quam *Anselmus de Badagio*, *Lucensis* Episcopus, & postea Pontifex *Romanus*, *Alexander* Secundus condiderat. *Armanus autem ille in tanta perturbatione* IN ECCLESIA SANCTI AMBROSII *ait Populo suo congregato: Vobis fiet, prout Proverbium dicit: Populo stulto Episcopus surdus. Hoc dicto, statim elegit sibi & illis in Archiepiscopum* ANSELMUM DE BUIS, HOMINEM SIMPLICEM, ET CANONICÆ SANCTI LAURENTII PRÆPOSITUM. *Hic vero ubi sensit electum a Brixiensi illo Armano, & populo impetuoso collaudatum; illico Cathedram Archiepiscopatus ascendit, & sedit, & deficientibus sibi Suffraganeis Episcopis, omnes Ecclesiasticos Ordines usque ad Presbyteratum, Ordinationem quoque Episcopatus, ab extraneis Episcopis suscepit; Virgæ quoque Pastorali per munus Comitissæ Matildis adhæsit, Stolam vero per Legatum Domini Urbani Papæ sibi delatam induit. Deinde homo iste effectus prudens neglexit Obertum, agnomine Baltricum, qui propter investituram Brixiensis Episcopatus, quam a Rege suo Henrico susceperat, Armano repugnabat: & Armanum, qui se in Archiepiscopum elegit, in Episcopum ordinavit.* Accipe vero nunc, quemadmodum idem-

 met

met *Landulfus* nobis operam edisserat, ab *Anselmo* Archiepiscopo expeditioni *Jerosolymitanæ* naviter impensam. In fine siquidem Capitis Primi de *Cono*, sive *Conrado*, *Italiæ* Rege, sic in primis narrat: *In Thusciam adire tentavit. Et cum pervenisset Florentiam, Rex ipse prudens & sapiens, atque decorus specie (pro dolor!) adolescens, accepta potione ab Aujano Medico Matildis Comitissæ vitam finivit.* Tum vero Caput Secundum sic incipit: *Rege igitur in Regno deficiente, supradictus Anselmus de Buis, Mediolanensis Archiepiscopus, quasi monitus Apostolica auctoritate, jamdicto Presbytero* (scilicet *Liprando*, de quo nos postmodum agemus) *nolente, studuit congregare de diversis gentibus exercitum, cum quo caperet Babylonicum Regnum: & in hoc studio præmonuit præelectam juventutem Mediolanensem Cruces suscipere,* & CANTILENAM DE ULTREIA ULTREIA CANTARE. *Atque ad vocem hujus prudentis Viri plures viri cujuslibet conditionis per Civitates Longobardorum, Villas, & Castella eorum, Cruces susceperunt,* & EANDEM CANTILENAM DE ULTREIA ULTREIA CANTAVERUNT. Et rursus initio Capitis Tertii: *Cum adhuc homo iste simplex* (Anselmus Archiepiscopus) *Mediolani viveret, & exercitum congregaret; habuit consilium statuendi sibi Vicarium, hominem multarum artium. Unde quidam sagacissimi viri, ab eo ordinati Sacerdotes, mandatum eundi Saonam susceperunt; ut in ipsa Civitate* (quippe tunc temporis huic Metropoli subjecta) *suo jussu & auctoritate electionem Episcopi admonerent, & fieri cogerent. Qui dum iter facerent, venerunt Ferrariam: in quo Nemore amplexi sunt Grosulanum, & ejus consilium. Quorum Sacerdotum exercitium in tantum valuit, quod quidam ex Saonensibus ipsum Grosulanum, in victu afflictum, in vestitu abjectum, elegerunt sibi Episcopum: & Eligentes una cum illo Electo, & illis duobus Sacerdotibus ab Archiepiscopo missis, videlicet Presbytero Joanne Aculeo, & Presbytero Nazario Muricula, Mediolanum pervenerunt. Ibique per jussionem Archiepiscopi,* QUI JAM ERAT IN EXPEDITIONE POSITUS, *Grosulanus ab Armano Brixiensi, & Arialdo Januensi* (Claudius Robertus in Secunda Parte Appendicis ad suam *Galliam Christianam* tacitus hunc Episcopum præterit, sicut etiam sequentem) *& Mamardo Taurinensi ordinatus est Episcopus, & Archiepiscopi Vicarius. Verum quia ipse ordinatus Sedem Saonensem nondum ascenderat; ad ipsam Civitatem adire temptavit, & quodammodo pervenit. Sed requies ibi, si quam habuit, paucissima fuit. At citissime inde exiens, Mediolanum rediit. Cujus magnæ Civitatis commovit gentem,* UT PER SINGULAS HEBDOMADAS IN SECUNDA FERIA AD SANCTI AMBROSII ECCLESIAM CONVENIRENT ET PRO ARCHIEPISCOPO ILLO ANSELMO EJUSQUE EXERCITU LITANIAS FACERENT. *Ipse vero Grosulanus non solum in ipsis feriis, sed fere per singulas festivitates illi magnæ genti luculenter sermocinabatur: & sermocinando non magis affectabat eam sibi, quam asperitate vestitus & cibi.* Hæc igitur sunt, quæ nobis in præsens suppeditat e sua ætate *Arnulfus De Sancto Paulo*. Quo item auctore nobis non multo post innotescet, *Grosulanum* istum Anno *Christi* Millesimo nonagesimo octavo consecratum fuisse *Saonensem* Episcopum, factumque *Mediolanensis* Archiepiscopi Vicarium Generalem: quo nimirum tempore *Anselmus* ipse Archiepiscopus in expeditione *Jerosolymitana* jam positus erat.

A.C. 1098.

CCLXXXV. Accipe vero nunc, quid illud sit, quod *Longobardi* passim & communiter hoc tempore servabant, ut Expeditioni *Jerosolymitanæ* se nomen dare indicarent. Non enim solummodo Crucem sibi suscipiebant, quam utique suis de more vestibus assutam gestarent; verum etiam Cantilenam illam læti alacresque inclamabant, ULTREIA, ULTREIA; sive Cantilena ejusmodi non ultra voces istas iteratas protenderetur, sive solum ab istis initium acciperet. De Cantilena porro ista ingeniosissime, sicut etiam cetera solet, Libro Sexto *De Veterum Acclamationibus & Plausu*, Cap. 7. disseruit eruditissimus, mihique semper & amandus & admirandus, *Franciscus Bernardinus Ferrarius*, *Ambrosiani* Collegii Doctor, Domi forisque apud exteros etiam celeberrimus. Quinetiam de ista disseruit, iisdem prorsus *Landulfi* permotus verbis, quæ nos item recitabamus. *Quorum* (inquit ille) *mihi copiam non ita pridem fecere Matthæus & Jacobus fratres Valerii, Viri humanissimi, iidemque longe doctissimi: Carthusiani Ordinis lumen alter, alter Jurisconsultorum decus: uterque Civitatis Mediolanensis ornamentum.* Nos igitur tam ipsius *Ferrarii*, quam talium ejusmodi fratrum, a quibus pariter moniti fuimus, sententiam lubentissime ita sequimur, ut ULTREIA ULTREIA perinde foret, ac ULTRA EIA ULTRA EIA: quibus nempe vocibus Milites sese promptos Ducibus ad sequendum testarentur, seque postea etiam vicissim & identidem animarent. Si quis vero conjecturæ præterea nostræ locus detur; ita quidem nos sentimus: Cantilenam ejusmodi, non *Longobardis* modo, sed ceteris etiam Ecclesiæ *Latinæ* Nationibus, quibus Expeditio illa suadebatur, in commune propositam fuisse: communique illis omnibus idiomate compositam, ut ea veluti tessera semet a *Græcis* etiam discernerent: quinetiam metrice, unoque tantum vel ad summum altero Versiculo, facilioris memoriæ ususque gratia, concinnatam. Quia igitur juxta Carminum dimensionem postrema illa vocalis primæ dictionis ULTRA per Sinæresin migraret in primam vocalem posterioris dictionis EIA; nos quidem inde factum interpretamur, ut e duabus item ipsis dictionibus ULTRA & EIA vulgo inter pronunciandum confecta fuerit unica dictio ULTREIA; utque propterea Cantilena illa communiter appellaretur DE ULTREIA, ULTREIA.

CCLXXXVI. *Hoc ipso Anno* (utar enim *Baronii* verbis ad Annum *Christi* Millesimum nonagesimum octavum, Art. 18.) *Sedis Apostolicæ auctoritate jacta sunt prima fundamenta Cisterciensis Ordinis: ex quo, tamquam e fonte rivi, universum Occidentalem Orbem donis cœlestibus irrigarunt:* atque adeo Monasterium quoque istud *Ambrosianum*; sicut in tempore ostendemus. Nam de ipsius per se Ordinis origine, vel etiam incrementis, uberius agere nostro quidem instituto neutiquam congruit; cum præsertim neque lucem afferre aliquam possimus.

A.C. 1100.

CCLXXXVII. *Christianis* militibus Cruce signatis, in *Syriam* pro Terræ illius Sanctæ recuperatione profectis, ita Deus Optimus Maximus annuit, ut quarto Nonas Julias Anni a *Christo* nato undecentesimi supra Millesimum potiti denique *Jerosolymis* fuerint. Quemadmodum vero id summa votorum erat & caput; ita etiam, Regno *Christianorum* ibidem firmato, plerique Principes ac Populi superstites, ad suam quisque Regionem domumque reversi, materiem gratulationis gratiarumque Deo agendarum ingentem ubique dederunt. *Neque enim res accidere Christianis potuit, aut ad animi voluptatem incundior, aut ad gloriam posteritatis insignior,* ut verissime *Sigonius* ajebat. Quod si, durante bello, *Mediolanenses* auctore Vicario suo Generali *Grosulano* unaquaque feria secunda supplicatum ad Basilicam istam conveniebant *Ambrosianam*, ut paulo ante narrabamus; quis porro dubitet, quin, accepto primum tantæ nuncio victoriæ, protinus huc pariter ad gratias Deo rite persolvendas convenerint? Certe quidem, cum *Anselmus* Archiepiscopus multique *Mediolanensium* in Patriam una cum ipso rediissent; tum vero in ejusmodi *Jerosolymitanæ* victoriæ testimonium Ecclesiam DE RONZONE, quæ in honorem Sanctæ Trini-

Trinitatis constructa olim fuerat, reformarunt; & ad veram similitudinem Sepulchri *Jerosolymitani*, sive *Jerosolymitanæ* illius Ecclesiæ, quam illic viderant Dominico Sepulchro dicatam, redegerunt; perfectoque tandem opere, hanc ipsam subsequenti Anno solemniter eidem Sepulchro consecrarunt.

CCLXXXVIII. Ecclesiam vero illam DE RONZONE, sive DE ROZONE, jam Num. 234. teste *Chalco*, primum extructam credidimus Anno quarto Imperatoris *Conradi*, & proinde *Christi* Millesimo trigesimo primo. Eandem pariter Anno inde tertio vidimus in *Ariberti* Archiepiscopi Testamento nominatam. Videamus vero nunc insuper, quid ipsemet illius Fundator Anno postea *Conradi* nono, *Christique* trigesimo sexto supra Millesimum, statuerit. Ut enim nuper ex *Ambrosianæ* illic Oblatorum Congregationis Archivo accepimus, tale condidit Legatum:

IN Christi nomine. CHUNRADUS *gratia Dei Imperator Augustus, Anno Imperii ejus nono, quarto die mensis Aprilis, Indictione quarta.* EGO BENEDICTUS, QUI ET ROZO, *filius bonæ memoriæ Remedii, qui fuit Magister Monetæ, qui professus sum Lege vivere Longobardorum, præsentibus dixi: Dominus omnipotens ac Redemptor noster animam, quam condidit, ad studium salutis semper invitat. Et ideo ego, qui supra,* BENEDICTUS *volo, ut illa mea Ordinatio, quam ego ante hos dies per Chartam Judicati institui,* DE ECCLESIA MEA, QUAM EGO NOVITER ÆDIFICAVI, ET EST CONDITA IN HONOREM SANCTÆ TRINITATIS, *sit firma, & stabilis permaneat, sicut in ipsa Judicati legitur Pagina; sed tantummodo, ut ipsi mei tres parentes propinquiores, in quorum præsentia eadem Ordinatio facta esse debet, volo, ut sint Ariprandus Subdiaconus de ordine Sanctæ Ecclesiæ Mediolanensis, filius Quondam Petri: & Algisius, filius Quondam Mauroni: seu item Benedictus, qui & Rozo, filius Quondam Johannis: nepotes mei. Post autem meum decessum unusquisque eorum in vita sua eligat de suis parentibus propinquioribus de paterna parte ad hoc ministerium esse successorem sine ullo precio, quem cognoverint utiliorem ad hoc faciendum, perpetuis temporibus. Quia sic decrevit mea bona voluntas. Actum in Civitate Mediolani.*

CCLXXXIX. Eodem sic etiam Num. 234. demum asserebamus, eam ipsam Ecclesiam centesimo deinde supra Millesimum Anno *Christi* restauratam, & in honorem Dominici Sepulchri consecratam. (A.C. 1100.) Quid si autem præ ceteris *Mediolanensibus* illam ære suo, tamquam gentis suæ propriam, restauravit, & ad similitudinem *Jerosolymitanæ* formavit *Benedictus* ille, qui & *Rozo*, filius Quondam *Joannis*, nepos alterius *Benedicti* Testatoris, a quo primitus olim extructam in honorem Sanctæ Trinitatis hanc ipsam Ecclesiam nuper etiam memorabamus? Vel si forte non ille formavit; quid si forte junior alter quispiam ejusdem nominis, ex eadem familia progenitus, formavit? Quid si etiam inde factum, ut tam multi nostratum Scriptorum tradiderint, hanc Sancti Sepulchri Ecclesiam hoc tempore constructam fuisse a *Benedicto*, sive, *Rocio*, aut *Rozone*, aut *Ronzone*, de *Cortesellis*, aut de *Cancellariis*? Ecquid enim obstat? Quo quidem dato, certe quidem illos frustra & sine fundamento *Tristanus Chalcus* vanitatis & erroris hac in parte arguisset; tametsi non satis discrevisse videantur primum illum Ecclesiæ istius sub nomine Sanctæ Trinitatis Fundatorem ab hoc altero ipsius Restauratore sub nomine Sancti Sepulchri. Ceterum eodem illo Num. 234. futurum denique pollicebamur, ut de nova istius Ecclesiæ restauratione ac dedicatione nunc temporis aliquid innueremus. Atqui singularis erga nos *Ambrosianæ* illius Oblatorum Congregationis humanitas eo facile nos adegit, ut aliquanto liberalius agere jam velimus in id etiam, ut una simul Historiam *Mediolanensem* nonnihil hac in parte illustremus, & illustratam confirmemus. Ipsammet igitur Archiepiscopalem proferemus *Anselmi* Epistolam, sive potius publicum Documentum, quo Ecclesiæ illius nova restauratio, itemque universa Consecrationis ejus celebritas recensetur. Hoc autem, sicut & superioris Legati testamentarii exemplar, humanissime commodavit amicissimus noster *Joannes Petrus Quadrius*, Theologia simul ac politioribus litteris naviter excultus, præterea vero etiam celeberrimi hac in Urbe Seminarii regimine alias, ac demum ejusdem Sancti Sepulchri & Oblatorum Congregationis Præpositura multos per annos laudabiliter administrata perinsignis. Nos quidem inde unum etiam nanciscimur *Ambrosiani* hujus Monasterii hoc Anno *Christi* Millesimo centesimo Abbatem, nomine *Gulielmum*, cujus alibi mentionem hactenus nullam inveneramus. Sed indidem profecto lubentissime plura etiam dignoscentur, quam quæ summatim *Chalcus* exinde indicarit. Ecquænam enim *Chalcus*! *His vero* (inquit, de victoria nimirum *Jerosolymitana* proxime locutus) *Mediolani cognitis, Populus plurimum lætatus, passim ad Templa exire, Deo auctori grates agere; sed una præ cunctis Sancti Sepulchri Ædes, jam septuaginta ab hinc annis media Urbe condita, religiosius frequentiusque salutatur. Huc Anselmus Archiepiscopus longos Sacerdotum nobiliumque Virorum ordines duxit, & locum in hujus facti memoriam dedicavit: &, ut celebriorem faceret, delictorum absolutionem constituit ex tertia parte ejus, quod petentes re ipsa Jerosolymitanam Ecclesiam consequerentur: & pace interim perduellionibus data, anniversarium quindecim dierum Mercatum constituit. Extant archetypæ Antistitis,* QUI ETIAM REIPUBLICÆ PRÆSIDERE VIDEBATUR, *Tabulæ. Idibus Julii confectæ Anni sæcularis Millesimi & centesimi ab Ortu Christi Dei.* Accipe vero nunc, ac diligenter expende, quænam ipsemet *Anselmus* in Epistola sua, ex authentico archetypoque fideliter nobis exscripta exemplari, loquatur. Sic enim ea verbatim se habet:

IN Nomine Sanctæ sempiternæque & individuæ Trinitatis, & Sancti Sepulchri Domini nostri Jesu Christi. EGO ANSELMUS, MAGNA DEI OPITULANTE CLEMENTIA SANCTÆ MATRIS ECCLESIÆ ARCHIEPISCOPUS MEDIOLANENSIS, *ut bonus Pastor animam meam deberem ponere pro meis Ovibus. Sed quia hoc facere, mundanis impeditus curis, non valeo: nec immerito doleo: quod boni Pastoris officium non exerceo: ne penitus tamen viderer deditus ignorantiæ, inspirante summa Dei Clementia, quæ Civitatem supra montem positam,* ECCLESIAM SCILICET SANCTI SEPULCHRI, IN MEDIO HUJUS CIVITATIS SITAM, *non est passa diutius abscondi; sed eam quasi exaltare fecit & jubilare ad signum victoriæ Jerosolymitani Sepulchri; ad cujus gloriam nos procedentes cum nostris Fratribus,* ALTARE DOMINO CUM ECCLESIA SIMUL INTERIUS DEDICAVIMUS, *& super illud Deo nostro Hostiam laudis obtulimus. Adunato igitur Clericorum Populorumque conventu, communi consilium omnium ac frequenti hortatu sancitum est a nobis & laudabiliter firmatum: ut unoquoque anno cum gloria & honore celebretur hæc Solemnitas in Sancti Sepulchri commemoratione; ita ut Sanctæ Mariæ Cardinales ibi adveniant reverenter cum Processione. Qui cum fuerint ad Ecclesiæ introitum,* TE DEUM LAUDAMUS *intonent excelsa voce, tenentes manus invicem ad signum victoriæ habitæ Jerosolyma: inter quos etiam accedat Subdiaconus cum lampade, accendens luminaria more consueto mane & vespere. Finito autem Officio, religiose & honorifice suscipiant Majores tres solidos ex obedientia*

tiæ munere, duodecim denarios accipiant cum Veglonibus Custodes, duos item denarios habeat qui Crucem bajulaverit auream, duos item accipiant Pueri, qui Missæ Officium fecerint. Tunc ante Magistratum præterea sancimus, UT OCTO DIEBUS ANTE SOLEMNITATEM PRÆNARRATAM ET OCTO POSTEA ITA SIT PAX ET TREGUA PER NOSTRUM COMITATUM FIRMA, *quod omnes; qui ad hanc Solemnitatem voluerint accedere, possint securi & sine molestia confluere undique. Quicumque vero ad illud Sepulchrum, in quo Christi corpus dormivit, aliquo impedimento detentus accedere non poterit:* & AD HOC SEPULCHRUM, AD EJUS VERAM SIMILITUDINEM FACTUM, *venerit sana mente & bona intentione; remissionem suorum tertiæ partis delictorum habeat; & ad laudem Jerosolymitani Sepulchri hoc se retulisse cognoscat. Et si quis alicui venienti ad hanc nostri destinationem molestiam ingesserit aliquam; anathematis gladio percussus incumbat, donec ad eandem Ecclesiam hoc emendare recurrat. Stabilitur quoque & communi institutione a nobis laudatur,* QUATENUS IBI SIT MERCATUM ANNUALE *omnium rerum fluens & venale, ex quo nullus præsumat curaturam quærere: & in quo nullus audeat ultra unum stadium obtinere: nec, quod commune est omnibus, tentet alicui vendere, nec sui juris ullo modo dicere; sed, sicut communis est Solemnitas ad omnium animarum utilitatem; ita commune sit Mercatum ad omnium corporalium rerum venditionem. Insuper etiam Parochiam, quam Ilderatus & Deibertus, hujus Ecclesiæ religiosi Presbyteri, se longe ante possedisse dicebant, eorum precibus commotus, Fratrum nostrorum Majoris Ecclesiæ Cardinalium aliorumque hujus Civitatis sapienti consilio communicato, concedimus damus & confirmamus, ut prænominati Presbyteri Ecclesiæ Sancti Sepulchri, & eorum successores de cætero prædictam Parochiam habeant & possideant: scilicet casas Nigronis Martæ & Lafranci Littæ, & inde omnes domos usque ad domum Anselmi Mugeti: ex altera parte viæ casas Ambrosii de la Carzere, & inde omnes casas usque ad domum Romedii Cancellarii, & ipsam domum; ex altera vero parte viæ domos Rozonis & Albrici & Arnaldi Fasoli; & inde omnes domos usque ad casas Benzonis Amblatoris, & Vutfredi fratris ejus, casas Lanfranchi & Marchisii Amblatorum, & inde omnes casas usque ad domos Ottonis de Samblatore & Gratiani Cantoni, & ipsas domos Dionysii Dodonis, & Petri Butelli, & Petri Gulasecca, & Lanterii Patellæ: ex altero latere Ecclesiæ casas Homobeni de Calgaria, Petri Patricii, & fratrum ejus Rolandi & Alberti, Lanzo Cioglæ, Petri Vexa, Alberti Buntaro, Petri Samaruga, Guiredi Binoldi, Landulfi Clerici, Joannis Spata in Zotta. Actum est hoc omnium Mediolanensium testimonio & confirmatione, Anno ab Incarnatione Domini nostri Jesu Christi Millesimo centesimo, Indictione octava, Idus Julii.*

✠ EGO ANSELMUS QUARTUS, DEI GRATIA ARCHIEPISCOPUS, FIRMAVI, ET SUBSCRIPSI.

✠ *Ego Grosulanus, indignus Episcopus, laudavi, & subscripsi.*

✠ *Ego Andreas, Presbyter Primicerius, laudavi, & subscripsi.*

✠ *Ego Landulfulfus, Dei gratia Nazarianæ Ecclesiæ licet indignus Præpositus, laudavi, & subscripsi.*

✠ *Ego Landulfus, Notarius, qui & dictus Præpositus, laudavi, & subscripsi.*

✠ *Ego Anselmus, Archipresbyter electus, laudavi, & subscripsi.*

✠ *Ego Henricus, humilis Abbas Padulensis, laudavi, & subscripsi.*

✠ *Ego Aliprandus, Cancellarius, laudavi, & subscripsi.*

✠ *Ego Dionysius, indignus Presbyter, laudavi, & subscripsi.*

A ✠ *Ego Presbyter Bonifacius laudavi, & subscripsi.*

✠ *Ego Presbyter Albertus laudavi, & subscripsi.*

℞ *Ego Presbyter Landulfus laudavi, & subscripsi.*

✠ *Ego Presbyter Henricus laudavi, & subscripsi.*

✠ *Ego Archidiaconus Tedaldus laudavi, & subscripsi.*

✠ *Ego Rozo Diaconus laudavi, & subscripsi.*

✠ *Ego Darprandus Diaconus laudavi, & subscripsi.*

✠ *Ego Henricus Vicediaconus laudavi, & subscripsi.*

✠ *Ego Adam, Mortariensis electus, laudavi, & subscripsi.*

✠ EGO GULIELMUS, MONASTERII SANCTI AMBROSII ABBAS INDIGNUS. LAUDAVI, ET SUBSCRIPSI.

B ✠ *Ego Joannes, Abbas Monasterii Sancti Simpliciani, laudavi, & subscripsi.*

✠ *Ego Martinus, Monasterii Sancti Celsi indignus Abbas, laudavi, & subscripsi.*

✠ *Ego Arialdus, indignus Abbas Monasterii Sancti Dionysii, laudavi, & subscripsi.*

✠ *Ego Petrus, Monasterii Sancti Victoris indignus Abbas, laudavi, & subscripsi.*

✠ *Ego Atho, Monasterii Sancti Vincentii Abbas, laudavi, & subscripsi.*

✠ *Ego Ilderatus Presbyter laudavi & subscripsi.*

✠ *Ego Daibertus Presbyter laudavi, & subscripsi.*

✠ *Ego Gulielmus, Episcopus Ticinensis Ecclesiæ, laudavi, subscripsi.*

C ✠ *Ego Lambertus, Prior Pontius, laudavi, & subscripsi.*

✠ *Ego Adam, Abbas Monasterii Sancti Caloceri, laudavi, & subscripsi.*

✠ *Ego Rusticus, Præpositus Blandranensis, laudavi, & subscripsi.*

✠ *Ego Macarius, Domini Salvatoris Monasterii Abbas licet indignus, cum Grege pusillo laudavi, & subscripsi.*

✠ *Hoc Vercellarum Clerus, decus Ecclesiarum,*
Laudat cum Populo laudibus egregio.

✠ *Novariæ Clerus, super omnes Urbes amœnus,*
Asserit hæc scripta, Christi munimine dicta.

D ✠ *Sermodicus, Padermensis Monachus, super omnes laudo.*

✠ *Joannes hoc festum Christi quæ laudat quisque fidelis.*

✠ *Ego Araldus, Prior Monasterii Sancti Majoli, infra Urbem Papiam siti, laudavi, & subscripsi.*

CCXC. Duo Navarchi *Ligures*, *Gulielmus* & *Prunus*, cognomento *Embriaci*, e *Syria* venerant in *Italiam*, ad petendum militare supplementum. Inde *Chalchus* noster post ea statim verba, quæ nos exipso denique recitabamus, *Interim ex finitimis* (inquit) *Provinciis nova in arma multitudo concitatur. Genuæ sex & viginti triremes, & quatuor onerariæ consensæ sunt: & ad littora Syriæ delatæ multa adversa audivere. &c.* *Ubertus* autem *Folieta*, *Genuensis* Historiæ Libro Primo, *Tertia* (inquit) *Expeditio insequentis Anni Millesimi centesimi, sex & triginta triremium, ac sex corbitarum, declaravit religionis ac gloriæ studium in Genuensibus ea tempestate indefessum.* Et paulo post: *Classis igitur Calendis Augusti Genua solvens, octo hominum millia vehens, non minus ad pedestria bella, quam ad navalia ministeria, instructorum, Laodiceæ, Urbis Constantinopolitanæ ditionis in Syriæ ora, Portum tenuit: in quo totam insequentem hyemem in hybernis fuit.* Et rursus idem *Chalcus*, paucis interjectis: *Cæterum Archiepiscopum Mediolanensem* (Anselmum) *conscendisse Genuæ Classem, Ligustici Annales habent: & nostri, petiisse Constantinopolim, atque ibi defunctum sepultumque in Divi Nicolai Æde perhibent; eique suffectum Grossolanum, jam ante nescio cujus alterius Ecclesiæ Episcopum* (Saonensis eum fuisse, nos quidem jam scimus, & jam supra e *Landulfo De Sancto Paulo* didicimus) *qui, quod non sine ambitu & largitione assecutus honorem, Simoniacus vulgo nuncupa-*

cupatus est. Anselmus igitur Archiepiscopus e *Syria Mediolanum* redierat Anno *Christi* Millesimo nonagesimo nono, nec sine ingenti subjectorum suorum lætitia; sicut e quodam *Mediolanensium* Archiepiscoporum Catalogo, *Romanis* typis edito, *Joannes* etiam *Franciscus* affirmat *Besutius* in sua eorumdem Archiepiscoporum Historia. Mox, illa Sanctæ Trinitatis Ecclesia in honorem Dominici Sepulchri renovata, eandem Idibus Juliis Anni subsequentis Sancto eidem Sepulchro solemniter consecravit. Dein Calendis Augusti *Genua* discessit una cum ea *Genuensi* Classe. Cumque profectus in *Syriam* fuisset; *a Turcis & Saracenis fugatus* (teste *Landulfo De Sancto Paulo* Cap. 2.) *in gravi luctu Constantinopoli expiravit.* Expiravit autem pridie Calendas Octobris. Sic enim disertissime asseritur in Catalogo Actis Ecclesiæ *Mediolanensis* inserto, & in duobus illis commodato apud nos extantibus: in quibus etiam duobus expresse Annus *Christi* notatus est centesimus supra Millesimum. Ex his autem Lector multa Scriptorum dehoc Archiepiscopo facile corriget errata, & illud in primis, quod alicubi dicitur, *Fidei nomine in exilium pulsus, Constantinopolim venit:* alibi vero, *Obiit in exilio pro Fide.* Nisi forte illi hoc utantur loquendi modo; quia e *Turcarum* & *Saracenorum* manibus fuga elapsus, sese *Constantinopolim* receperit, ubi vita functus est.

CCXCI. Ejusdem *Anselmi* obitum & Successoris electionem *Carolus Sigonius* hoc ipso supra Millesimum centesimo Anno in hæc verba describit: *Anselmus Archiepiscopus Mediolanensis Constantinopoli mortuus est. Quo nuncio accepto, dissidium in Ecclesia concitatum est. Nam Henricus Chrysolaum* (quem scilicet nos adhuc *Grosulanum* appellavimus) *pars pontificia Jordanem Civium subrogavit. Unde inter eos magna de jure Dignitatis est suborta contentio.* Sed longe profecto aliter seriem facti narrat *Landulfus De Sancto Paulo*, qui tunc temporis hac in Urbe vivebat. Etenim Capite Quarto sub finem sic tradit: *Vicarius* (Grosulanus) *in hac sua commoditate afflictionis, & orationis, atque sermocinationis* (ad Populum in singulis ferme festivitatibus) *per duos annos laboravit* (quo nimirum ex tempore factus fuerat Vicarius Archiepiscopalis) *& laborando, certitudinem de morte prædicti Anselmi de Buis accepit. Primicerio ergo ipse Grosulanus & Ordinariis Majoris Mediolanensis Ecclesiæ inquit, ut, se præsente, eligerent sibi & populo Archiepiscopum convenientem, priusquam rediret ad Episcopatum Saonensem.* Mox Capite quinto hunc prosequitur in modum: *Tunc Primicerius, habito consilio cum nobilibus Clericis & Viris Mediolani coram Populo, & ipso alterum de duobus Landulfis, Mediolanensis Ecclesiæ Ordinariis, videlicet de Badaglo* (legendum sine dubio videtur *de Badagio*) *& Vareglate, a Jerosolymis redeuntibus, elegit; sed Grosulanus de absenti persona electionem fieri prohibuit. Pars itaque Cleri & Populi ad nutum Arialdi Abbatis Monasterii Sancti Dionysii clamavit, & laudavit Grosulanum sibi in Archiepiscopum, Ipse vero statim ut vidit, se a quadam magna multitudine Vulgi & Nobilium conclamatum, & ab Abbate illo plaudatum, Archiepiscopalem Sedem ascendit, & sedens illum Arialdum Abbatem de Abbatia in Abbatiam majorem, videlicet Clarenalensem transtulit.* Pro *Clarenalensem* (sicuti re vera legitur in Capituli Metropolitani Codice) Abbatiam nobis penitus ignotam & inauditam, legendum ego potius arbitror *Clivatensem.* Certe quidem quando post aliquot inde annos *Liprandus* e *Valtelina* Valle ad Monasterium *De Clivate*, hodieque notum ac celebre, se recepit (sicut idem *Landulfus* narrat Cap. 14.) tum vero Abbas illic erat nomine *Arialdus*, idemque *Grosulano* fidelitatem juratus; qui proinde mihi unus idemque vi-

A detur cum isto nunc Sancti *Dionysii* Abbate. Quod autem in Exemplari, quod penes me ipsum est, quodque in *Ambrosiana* Bibliotheca extat, legitur *Clarevallensem*; convictus est error; quippe cum illa necdum esset fundata. Porro sequitur *Landulfus: Sed ante hujus translationem contigit, quod quidam, qui videbantur in moribus & vita Viri & Clerici Mediolanenses, quædam turpia de Grosulano, & ejus electione, Presbytero Liprando notificaverunt. Quibus Viris Clericis Presbyter ipse consilium præbuit, ut litteras & duos idoneos Clericos mitterent Romam, rogando Papam, quatenus Grosulanum in Archiepiscopatu non firmaret, donec seipsos mittentes litteras in*

B *proximo tempore videret, & audiret. Bernardus autem Abbas Umbrosæ Vallis & Cardinalis Romanus ad has litteras & nuncios (videlicet Obizonem, qui cognominatur Niger, & Heribertum de Bruzano, contemnentes Grosulani causam, ipsiusque Legatorum verba, videlicet Arderici de Carimate & Joannis Presbyteri de Ploltelo) coram Apostolico & ejus Curia non respexit. Sed accepta Stola Curiam Comitissæ Mathildis intravit: ibique inito consilio in beneplacito Arderici de Carimate, qui pro Grosulano & Stola Romam iverat, Abbas ille Bernandus Mediolanum venire festinavit: & cum procul vidisset Mediolanum, Ardericus idem in protensi virga usque ad Majorem Ecclesiam*

C *Civitatis portavit, clamando* HECUM LA STOLA, HECUM LA STOLA. *Et in hoc clamore plenitudo vulgi fuit, & acclamavit:* MORIATUR QVICUMQUE CONTRADIXERAT. *Clamor iste ingens & continuus fuit, donec Abbas ille Cardinalis & Grosulanus pulpitum Majoris Ecclesiæ Mediolani ascendit, & cum uterque ibi videbantur, in victu afflicti, in vestitu demissi, in sermone præclari; tantum plausum audierunt sibi, veluti si pure forent Angeli Dei. Ibique Grosulanus Stola indutus, & Abbas in suo tempore remuneratus quievit, & recessit: & post paucos dies in gratiam prædictæ Comitissæ Mathildis idem Abbas Parmensem Episcopatum suscepit.*

D Qui quidem Abbas *Vallumbrosanus*, Cardinalis & Episcopus *Parmensis*, non alius est, quam Sanctus ille Præsul ac Legatus Apostolicus, cujus nos Num. 58. mentionem fecimus, necnon etiam infra tempore suo recolemus. Non itaque *Grosulani* ad Archiepiscopatum promotioni semet immiscuerat *Henricus* Imperator: nec ille propterea pro *Simoniaco* habitus fuit; sed eas quidem ob causas, quæ Presbytero ei *Liprando* innotuerunt; ut infra intelligemus. Errabat igitur hac in parte *Sigonius*: ac multo magis errabat Auctor Catalogi Actis Ecclesiæ *Mediolanensis* inserti, hunc in modum scribens: *Chrysolaus, Henrici primi Imperatoris opibus adiutus, Ecclesiam*

E *Mediolanensem occupavit, pulso inde Anselmo; eoque nomine apud Paschalem Secundum Pontificem accusatus, Romam venit.* Nihil utique minus.

CCXCII. Nunc indulgere curiositati ac de duobus illis agere lubet *Landulfis*, Ecclesiæ *Mediolanensis* Ordinariis, uno *De Badagio*, altero *De Vareglate:* e quibus, cum ab *Jerosolymis Mediolanum* redirent, alterum Primicerius Archiepiscopali huic Sedi adjudicabat. Et hic quidem mirari Lector desinet, quod Archiepiscopalibus *Anselmi* Litteris, super Ecclesiæ Sancti Sepulchri Dedicatione datis, subscriptum quarto extaret loco: *Ego Landulfus, Dei gratia Nazarianæ Ecclesiæ licet indignus Præpositus,*

F *laudavi, & subscripsi.* Sed insuper una simul cum voluptate intelliget, quisnam pariter ille fuerit, qui se quinto mox loco subscribebat: *Ego Landulfus Notarius, qui & dictus Præpositus, laudavi, & subscripsi.* Hos enim ego duos illos arbitror fuisse *Landulfos*, quorum alteruter in Archiepiscopi *Anselmi* locum a Primicerio eligebatur: quosve propterea consequenter assero comitatos eundem *Anselmum* fuisse, cum rursus in *Syriam* Classe vectus *Genuensi*

rediret. Uterque igitur erat Metropolitanæ Basilicæ Ordinarius, uterque Præpositus: ille *Nazarianæ*, uti jam constat, magisque mox etiam constabit; hic autem alterius profecto Basilicæ, quam Metropolitanæ; quippe quæ Præpositurali titulo ac dignitate caruit usque ad tempora *Joannis* Secundi *Vicecomitis* Archiepiscopi post Annum *Christi* quadringentesimum supra Millesimum; siquidem hunc assignasse terminum in præsenti sufficiat. Basilicæ igitur *Ambrosianæ* Præpositus hic erat, idemque prorsus cum eo, quem Num. 284. ex Historiæ *Landulfi* Capite Primo videbamus a nobili *Mediolanensium* multitudine ad Sedem Archiepiscopalem destinari; tametsi *Armanus* ille potius eligi voluerit *Anselmum de Buis*, *Laurentianæ* Præpositum; quem tamen opinari fas est simul etiam Metropolitanæ pariter Ordinarium fuisse. Ceterum *Landulfus* idem Historicus Cap. XI. sic habet: *Landulfus vero de Vareglate, qui primus in Coritiana fuga fuerat, rediens a Jerosolymis, Romam pervenit: atque in Grosulano jam inde regresso didicit, non solum quod actum fuerat Mediolani propter concertationem Presbyteri* (Liprandi) *& Grosulani, sed & quam solemniter Romanus Pontifex post talia facta Grosulanum susceperat. Quia ipse quidem Papa Paschalis super sedem suam ipsum Grosulanum posuit: & per quot dies idem Grosulanus Laterani fuit, eundem supra sedem suam sedere fecit, atque ipsi sedenti cessit, & locum dedit. Suam quoque Curiam, & omnes causas Ecclesiasticas, a se discernendas & judicandas, ipsi Grosulano ad discernendum & judicandum tradidit. Sed tamen Landulfus ille de Vareglate veniens Mediolanum, non Presbyterum* (Liprandum) *nec ejus legem directe contempsit; sed Clero & Populo Mediolanensi promittens deponere Grosulanum ab omni Ecclesiastico officio juxta Canonum rationem, inquit: Cur de lege Presbyteri Liprandi & Grosulano contenditis, & prælia & homicidia in vobis facitis? En vobis certissime dico, & per Joannem Vicomercatensem Grosulano mando, quod ego apud Dominum Papam Paschalem, ejusque Curiam, vel Synodum, certis cum rationibus, & justis & sanctis Canonibus comprobabo, illum non posse subsistere in numero Episcoporum, vel Presbyterorum, aut etiam in aliquo ordine Clericorum.* CLERUS VERO ET POPULUS, HUIC AUTHENTICO VIRO, ET SECUNDUM QUANDAM NOVITATEM CANONICÆ SANCTI NAZARII PRÆPOSITO, ET MAJORIS MEDIOLANENSIS ECCLESIÆ ORDINARIO, CREDULUS, *una cum Grosulano ad Romanam Synodum pervenire studuit.* Et paulo post: *In qua* (Synodo) *prædictus Landulfus de Vareglate*; QUI POST SYNODUM FUIT ASTENSIS EPISCOPUS, *neque ante Papam, vel ejus Curiam, vel Synodum, adversus Grosulanum verbum ignominiosum protulit.* Præterea vero Cap. postea 21. recenset, quemadmodum hic ipse *Landulfus*, jam Episcopus *Astensis*, non tamen ut Episcopus, sed ut viator, affuerit Archiepiscopali consecrationi *Jordani de Clivi*, cum *Grosulanus* adhuc esset superstes.

CCXCIII. Vel ipsa *Paschalis* Papæ (nimirum Secundi) mentio nuper facta nos admonet, ipsum fuisse *Urbano* jam Papæ Secundo suffectum. Scilicet undecentesimo supra Millesimo Anno, vigesima nona Julii die *Urbanus* obierat; duodecima vero proximi Augusti die subrogatus ei fuit *Paschalis*. Post Abbatem quoque nomine *Gulielmum*, Anno superiore
A.C. 1101. memoratum, novus offert se nobis Abbas *Heribertus*, qui centesimo primo subinde Anno regimen hujus Monasterii administraret.

CCXCIV. *Grosulanus* interim Archiepiscopus (*Landulfo* teste Cap. 6.) *quoscumque non potuit sibi blandiri* (seu blandimentis conciliare) *tentavit minis terrere, Presbyterum Liprandum præcipue.* Siquidem ipse pluribus Clericis aliisque viris cordatis consilium &
A auxilium dederat, ut *Romam* litteras & nuncios mitterent, ad rogandum Pontificem, ne delatum illi Archiepiscopatum confirmaret: præterea vero etiam præ ceteris libere illi publiceque *Simoniam* objectare constanter perseverabat. Ex iis autem fuerat unus, qui partes *Arialdi* Martyris acerrime contra *Simoniacos* & *Nicolaitas* Clericos defenderant: quive propterea naso & auribus ad contumeliam truncatus ab ipsis fuit Anno *Christi* Millesimo septuagesimo sexto, paucis post diebus, quam *Herlembaldum*, fidelis illius Militiæ Ducem, ac pro Martyre habitum, in acie confodissent. Quocirca Sanctus etiam *Gregorius* Papa Septimus ipsum pariter
B tamquam *Christi* Martyrem consolatus fuit per Epistolam, quæ Cap. illo 6. ab eodem *Landulfo* recitatur. Talis igitur ac tantus Sacerdos obedientiam *Grosulano* (quippe quem sciebat esse *Simoniacum*) præstare interritus recusabat. Ceterum *Grosulanus* ex adverso, ut ipsum ejusque assectatores ab ejusmodi proposito dimoveret, Provincialem Synodum hac in Urbe congregavit: omnesque sui adversarios habito ad Populum Sermone provocabat in hæc verba: *Si quis vult adversum me dicere aliquid; nunc dicat. Quod si modo tacuerit; amplius adversum me audientiam non habebit.* Quid vero *Liprandus* ad hæc? *Landulfum* Capite 9. ista narrantem consulamus.
C *Hoc* (inquit) *cum Presbytero Liprando renunciatum fuit; & ipse principales* (aliter *plures*) *Cives ad Ecclesiam Sancti Pauli* (nempe IN COMPEDO, sive IN COMPITO, cujus utique Sacerdos erat Titularis, quamque præterea reædificando & magnificando ditaverat, ut habetur Cap. 7.) *vocavit in die. Quibus dixit: Videtis me abscissum naso & auribus pro nomine Christi. Unde mihi magna retributio est promissa, si in finem perseveravero. Pro amore itaque Christi, vestraque salute & pace, rogo vos, ut ad me, & ea, quæ vobis dixero, intendatis. Et cum hæc & plura bene dicta beneque sonantia, præsertim adversus Simoniam, dixisset; proposuit dicens: Grosulanus,*
D *qui pro Archiepiscopo tenetur, est Simoniacus de Archiepiscopatu Mediolanensi per munus a manu* (sive per pecuniam) *per munus a lingua, per munus ab obsequio. Et cum hæc in suo proposito procederet; sæpissime hortabatur omnes, ut convenirent ad veram cognitionem hujus propositi per divinum judicium* (erat autem transitus per ignem) *approbatam in vita, vel morte sua, manifestata per ipsum. Sed Grosulani turba hoc perturbabat auctoritate Pontificum, qui Mediolanum venerant ad celebrandum Synodum cum Grosulano. Verumtamen Presbyter ipse, adversus Episcopos disputans, rationibus & exemplis suam sententiam sustinuit, nec dimisit.* Tunc igitur ad judicium istud ignis ventum non fuit: ad quod
E tamen postea vetum est; cum Episcopi Suffraganei, qui ad Synodum venerant, nondum ab Urbe discessissent; ut infra constabit.

CCXCV. *Gualuaneus* tamen *Flamma*, & Auctor Chronici *Flos florum*, non hoc Anno supra centesimum primo peractum istud ignis judicium crediderunt. Ille siquidem in Chronico Majori, juxta Exemplar, quod apud me est, Cap. 250. sic habet: *In Anno Millesimo centesimo quarto factum est judicium ignis Presbyteri Aliprandi Sancti Pauli in Compito, & eodem Anno Grisolanus de Archiepiscopatu deponitur &c. Chronica Calendaria dicit, quod Ardericus de Rhaude hunc Presbyterum Aliprandum per ignem transire coëgit: & Arialdus, filius fratris supradicti Arderici de*
F *Rhaude, ipsum Presbyterum Aliprandum in vinculis posuit, ejus nasum & aures abscidit: & Arialdus de Rhaude, avus istius Arialdi, interfecit Herlembaldum Cottam.* In Exemplari autem *Ambrosianæ* Bibliothecæ: *In Millesimo centesimo tertio, secundum Chronicam Gothofredi de Bussero, factum fuit* (Mediolani) *judicium ignis Presbyteri Aliprandi Ecclesiæ Sancti Pauli in Compito: & tunc Crysolaus Archiepis-*

chiepiscopus depositus fuit, tamquam Simoniacus, de Archiepiscopatu. Quæ prorsus verba similiter leguntur in Chronico *Flos florum*, fol. 135. pag. 2. At enim potior nobis habenda est ratio illius Annorum calculationis, quam ex Historia *Landulfi*, scriptoris rebus istis coævi, collegimus. Etenim biennio post judicium istud ignis celebrata fuit *Romana* Synodus, ad quam *Liprandus* etiam ipse perrexit, & in qua *Grosulanus* Sedi suæ restitutus fuit, sed irrito inanique decreto; sicut habetur Cap. XI. Post ejusmodi vero restitutionem *Liprandus* per septem annos in sua domo ac Sancti *Pauli* Ecclesia perseverat; Cap. 12. prope finem. Prævalente postea *Grosulani* factione (quando videlicet Aronæ Arcam aliaque ditionis Archiepiscopalis loca invasit; ut infra Num. 308.) tam *Landulfus* Historicus a *Liprandi* convictu & contubernio in *Franciam* (Cap. 13.) quam *Liprandus* mox ipse in *Valtelinam* Vallem (sic enim nos eam cum eodem *Landulfo* appellabimus) per annum unum cum dimidio secedit: ac tum denique in patriam uterque revertuntur; Cap. 14. Certe autem (uti liquet e Cap. 21.) uterque jam redierant, priusquam, *Grosulano* demum abdicato, *Jordanum de Clivi Mediolanenses* sibi Archiepiscopum eligerent Calendis Januariis Anni Millesimi centesimi duodecimi. Quamobrem nos hinc, & a postremo utique ad primum retrocedentes, certa & evidenti conclusione deprehendimus, judicium illud ignis, non Anno illo tertio, ac multo minus quarto, sed certe primo peractum fuisse.

CCXCVI. Celeberrimum profecto miraculum est illud, quod *Florentini* sua in Urbe Anno Domini sexagesimo tertio supra Millesimum, feria quarta primæ Quadragesimalis Hebdomadæ, tempore Sancti *Joannis Gualberti*, conspexerunt: quando *Petrus* ille Monachus *Vallumbrosanus*, cognomento propterea Igneus, ac deinde Cardinalis & Episcopus *Albanensis*, ipsorum Episcopum, nomine *Petrum*, patria *Ticinensem*, *Simoniæ* reum esse, innoxio per ignem transitu commonstravit. Qua de re legi potest Vita Sancti *Joannis Gualberti* apud *Surium*, Cap. 16. sub mensis Julii die duodecimo: & apud *Baronium* eodem illo Anno Millesimo sexagesimo tertio, ab Artic. 43. Epistola *Florentinorum* ad Pontificem *Alexandrum*, nominis hujus Secundum. Simile porro quiddam hoc ipso Anno *Christi* primo supra Millesimum centesimum feria quarta postremæ ac sanctioris Hebdomadæ Quadragesimalis, a *Liprando* Sacerdote, in testimonium ac detestationem *Grosulanicæ Simoniæ*, *Mediolanensibus* quoque nostris oblatum fuit: & quidem ante atrium ipsum Basilicæ istius *Ambrosianæ*, velut etiam in Sancti Præsulis nostri *Ambrosii* conspectu. Totius miraculi hujus seriem *Landulfus* Cap. 10. luculenter in hæc verba describit, quorum prolixitatem absque dubio Lector uberi voluptate compensabit: *Attamen Grosulani turba dimicans adversus Primicerium, Landulfum ejusdem Primicerii Clericum lapide occidit. Deinde quasi in consensu totius Civitatis dictum fuit Presbytero, ut ad faciendum judicium multa ligna congregaret* IN PRATO, QUOD CLAUDITUR IN MURO JUXTA SANCTI AMBROSII MONASTERIUM. *Et Presbyter ipse, plenus magno spiritu, annonam & vinum, quæ ad edendum habebat, pauperibus erogavit: suamque lupi tunicam pellem pro lignis pignoravit: cætera vero, quæ possidebat in libris & aliis rebus, statuit, ut conservarentur Landulfo nepoti suo & alumno, atque Ecclesiæ Acolyto* (hic nempe ipsemet Historicus est, a quo ista describuntur) *qui tunc temporis discebat Aureliani ab egregio Magistro Alfredo, & nobili Jacobo. Statuit etiam, si contigerit illum mori in illo judicio, si quid corporis ejus residuum fuerit portaretur ad Ecclesiam Sanctæ Trinitatis, quam ipse, sicut supra in Privilegio legitur* (Cap. 8.) *in alodio suo fundavit, & Beato Petro tradidit. His itaque statutis & ordinatis, idem*........... AMBROSII ECCLESIAM IVIT, *& cum ipse facturus judicium*........ *manus Grosulani prævaluit, & ipsa ligna in Prato disposita dispersit, ipsum Presbyterum separavit ab illa dispositione ignominiose. Deinde in domo sua & Sancti Pauli Ecclesia Presbyter ipse siluit & quievit, donec pueri & puellæ, mares & fœminæ, in proximo tempore clamaverunt: Foras, foras Grosulane. Hunc clamorem Grosulanus cupiens compescere, habuit Consilium cum satellitibus suis. Quibus dixit: Ite & vos, & publice eligite viros de populo, qui dicant illi Liprando, aut ad satisfactionem meam veniat, aut de Terra ista exeat, aut judicium, quod se facturum promisit, faciat. Consiliarii itaque de latere ejus venientes ad concionem populi in vespertina hora Dominicæ diei de Ramis Palmarum, seu Olivarum, publicaverunt, quæ audierant a Domino suo Archiepiscopo Grosulano. Quapropter non solum viri in concione electi venerunt ad Presbyterum hanc legationem dicere, sed innumera hominum multitudo venit hanc legationem confirmare. Ad quorum clamorem clamantem, Veniat Presbyter ipse Liprandus, ipse humilis exivit. Et ut legationem audivit & intellexit; manus ad cœlos levavit, & Deo gratias egit; & interrogando legatos inquit, Vult & mandat ipse, quod mihi dicitis? Qui omnes respondentes dixerunt: Utique vult & mandat. Et Presbyter ad eos: Terram non exeo; sed in istis duobus diebus jejunium ago, & in quarta feria faciam judicium, præstante Deo: sed, unde ligna emam, non habeo. Tunc Grosulani & Reipublicæ Ministri quercina ligna, ad flammam & ad calorem aptissima, triginta solidis denariorum emerunt. Quæ* IN CAMPO ANTE ATRIUM ECCLESIÆ SANCTI AMBROSII *in duabus congeriebus respicientibus se composuerunt: longitudo quarum decem cubitorum fuit, & altitudo & latitudo major statura hominis cubitorum quatuor: via vero inter ipsas congeries unius cubiti & semis. Iis itaque dispositis, & quibusdam lignis in via interpositis, in quarta feria Presbyter, indutus cilicio, camisio, atque casula more Sacerdotis, ab Ecclesia Sancti Pauli* USQUE AD ECCLESIAM SANCTORUM MARTYRUM PROTASII ET GERVASII ET BEATISSIMI AMBROSII *nudis pedibus Crucem portavit.* SUPER QUORUM SANCTORUM ALTARE, CETERIS SACERDOTIBUS DEFICIENTIBUS, IPSE SIBI MISSAM CANTAVIT. *Et Missa cantata, Grosulanus quoque gerendo Crucem* EAMDEM ECCLESIAM INTRAVIT, ET PULPITUM *cum Arialdo de Meregnano & Berardo Judice Astensi* ASCENDIT: *& facto silentio in Populo,* ET PRESBYTERO ASTANTE NUDIS PEDIBUS SUPER LAPIDEM MARMOREUM, QUI IN INTROITU CHORI CONTINET HERCULIS SIMULACHRUM, *idem Grosulanus ait ad Populum: Attendite; quia in tribus verbis hunc hominem vincam, & ejus confusionem ostendam. Et ad Presbyterum inquit: Proposuisti, quod ego sum Simoniacus per munus a manu: modo dic, cui dedi. Tunc Presbyter super populum oculos aperuit: & digitum ad tres illos, qui stabant in pulpito, extendit, dicens: Videte tres grandissimos Diabolos, qui per ingenium & pecuniam suam putant me confundere: & nonne Diabolus ille, qui suasit illum fieri Simoniacum per pecuniam, suadere potest, ut adhuc majorem pecuniam daret, & veritatem occultaret, & Testes & Judices mundanos mihi auferret? Et nonne scitis, quia propter vitandam astutiam Diaboli & pravorum hominum ego elegi Deum Judicem? qui neque per pecuniam nec aliquo modo potest falli in judicio. Ad cujus judicium si vultis venire; paratus sum, quod promisi, facere. Et Grosulanus ad eum: Modo dic, de qua Simonia dicis. Et Presbyter ad illum: Modo dic tu, quæ est*

bona. Et Grosulanus aliquantulum subsiluit, & ait: Est Simonia, quæ Simoniacum non deponit. Et Presbyter ait, Ego dico de illa, quæ deponit Abbatem de Abbatia, Episcopum de Episcopatu, Archiepiscopum de Archiepiscopatu, in quo est. Et cum his verbis satisfecisset omnibus, audivit Populum clamantem: Exite foras ad judicium: Exite foras ad judicium. Et Presbyter in hoc multiplicato clamore, licet senex, DESUPER LAPIDE CONTINENTE HERCULIS SIMULACHRUM *prosilivit, & una cum Populo in Campo, in quo erant lignorum congeries, venit. Ibique, dum ignis lignis accendebatur, Presbyter circumstantibus dixit: Vos præter me non cernitis Sacerdotem, qui hunc ignem mihi benedicat: sed cernitis chartam hanc, quam teneo, in qua sancta verba & Signa Sanctæ Crucis continentur. Et ego Minister hæc verba & Signa inferius dicam & faciam: & Deus, qui est Dominus meus, desuper ignem benedicat. Et audientes & bene intelligentes dixerunt: Amen. Atque cum in circuitu ignis hæc verba dixisset, & signa fecisset, & aquam benedictam & incensum super ignem, astante ibi Grosulano, aspersisset; dubitabat de ordinando sacramento apud Grosulanum, & Arialdum de Meregnano, qui erat quasi potentissimus princeps Grosulani & procurator judicii, & expectans, Presbyterum per ignem in morte finiri, vel per nimium terrorem ad dominum suum Grosulanum converti. Ipse namque Berardo judici Astensi hanc legem, non solum per mortem, sed & per quamlibet ignitam læsuram in Presbytero factam, condemnanti dixerat: Absit, quod læsuras sed ignem adeo magnificabo, quod procul oculos ignis de capite ejus eruet, & in ipso igne ardens cinis putrefiet. Attamen Presbyter cum vidisset, eos de ordinando sacramento dubitare, dixit ad eos: Sinite me, quod ego bene ordinabo: nec faciam sacramentum, donec dixero tantum, quantum vobis satisfecerit. Et illico in consensu eorum apprehendit cappam Grosulani, ipsamque quassavit, dicens: Iste Grosulanus, qui est sub ista cappa, & non de alio dico, est simoniacus de Archiepiscopatu Mediolani per munus a manu, per munus a lingua, per munus ab obsequio. Et cum illis videbatur sufficere, addidit: Et ego ad fiduciam maleficii, aut incantationis, vel carminis, non intro hoc judicium: Sic me Deus adjuvet, & ista sancta Evangelia in isto sancto judicio. Facto hoc sacramento, Grosulanus concorditer equum ascendit, & ad Ecclesiam Sancti Joannis, quæ dicitur* AD CONCHAM, *venit. Arialdus vero prædictus de Meregnano, inquirens & expectans plenitudinem ignis, Presbyterum tenuit, & tenendo manum suam læsam procul ab ipso calore ignis sensit. Et tamen ad Presbyterum inquit: Presbyter Liprande vide mortem tuam in igne: Convertere ad Dominum meum Archiepiscopum, habita securitate tuæ vitæ: alioquin vade, & arde te cum Dei maledictione. Et Presbyter ad illum:* SATANA RETROVADE, *Illo retrocedente. Presbyter prostratus a terra levavit: &, signo Crucis sibi apposito, ingens flamma ignis in meridiem & septentrionem se divisit, & via apparuit, quam Presbyter intravit: & transiens per ipsos carbones ignis, ceu arenam calcaret, sensit: & dum per ipsam viam transibat, flamma post ipsum coibat. Et, ut ipse mihi dixit, & bene intellexi, donec in via hujus ignis fuit, hanc Orationem Deo protulit:* DEUS IN NOMINE TUO SALVUM ME FAC, ET IN VIRTUTE TUA LIBERA ME: DEUS IN NOMINE TUO SALVUM ME FAC, ET IN VIRTUTE TUA LIBERA ME: DEUS IN NOMINE TUO SALVUM ME FAC, ET IN VIRTUTE TUA LIBERA ME. *Et dum tertio proferret hoc verbum* FAC, *se extra ignem vidit: nec in se, nec in suis sacerdotalibus vestibus lineis ac sericis, quibus erat indutus, sive in cilicio, læsionem ullam sensit.* Dehinc vero *Landulfus* Undecimum Caput ita prosequitur: *Tunc Populus plene, quasi ex uno ore, laudem Deo & huic Presbytero extra & infra Civitatem contulit. Grosulanus vero intrepidus Sedem Archiepiscopatus deseruit & Civitatem; quia aperte communi Civitatis ore juratum erat, quod neutri eorum, nec alicui de parte illorum, pro hac actione malum fieret, nisi quod Dominus sibi faceret.*

CCXCVII. Secundus porro jam locus hic est, in quo marmorei ejus simulachri, quod in hac Basilica extaret, factam videmus mentionem: cujus præterea etiam usum priore loco, nempe Num. 102. videbamus. Utrobique autem, non *Panos*, non *Bacchi*, non alterius cujuspiam, sed *Herculis* fuisse simulachrum & statua diserte affirmatur. Libere jam ergo fidenterque hac de re nos fatemur a *Tristano Chalco* & *Andrea Alciato* dissentire. *Chalcus* enim non procul ab initio Libri Tertii sic habet: *Sunt & duæ effigies* (antiqui scilicet operis in hoc Templo) *una marmorea visendæ pulchritudinis: ambiguntque litterati homines, utrum Herculem, an Pana repræsentet; quoniam Leonem cauda in sublime tenens, altera manu minax verberaturus baculo incurvo videtur; & pellis caprina, ab humeris demissa, nudi hominis pudenda brevi nodo tegit. Alterum signum, marmoreæ columnæ superstat ex ære Serpens:* de quo nimirum nos abunde jam supra disseruimus. *Andreas* autem *Alciatus* in *Ambrosianæ* Bibliothecæ manuscripto Antiquario, patrias antiquorum Inscriptiones veterumque Monumenta complectente, magis etiam præcise de hoc ipso simulachro ita opinatur: *In ejusdem Templi peristylo area est, fere omnis humo oppressa* (& in hac quidem *Liprandus* Presbyter nudis pedibus insistebat) *in tegminis ipsius latitudine paucis hisce adjectis notis*, D M C TILIÆ EUTYCILÆ. *Sed omnino illud marmor commendabilius est, quo statua inest peritissimi Artificis manu facta, quam vulgus* (& in hoc quidem nos vulgo adnumerari facile patimur) *Herculis esse arbitratur. Sunt qui Panos Dei. At nos Bacchi esse sentimus, non solum hircinæ pellis argumento, sed & vitiginei baculi, quem manu distringit. Nec quicquam nos movet Leo, quem cauda apprehensum tenet; cum & inter Bacchi cognomenta, Epigrammatum Græcorum Libro Primo, eum Poëta appellet nunc .... nunc .... Sed & in Quarto similia arma Bacchi & Herculis esse dicuntur .... Ridetur & apud Aristophanem in Ranis Bacchus, Herculis habitu ad Inferos descendens.* Hæc ibi *Alciatus.* Viventibus igitur *Chalco* & *Alciato* (quorum ille ad quingentesimum saltem Annum supra Millesimum, hic autem ad quinquagesimum præterea vixit) ejusmodi simulachrum adhuc in Basilica ista visebatur; quod tamen hodie nusquam hic apparet. Quæ quidem rara est hoc ævo felicitas, *Antonius Olgiatus* in senectute annis prægravi, velut alter *Cato*, memoria nihilominus ingenio judicioque floret, semper operosus, semper agens aliquid & moliens: tale scilicet, quale ipsius studium in superiore vita fuit. Jam inde ab eo tempore, quo *Gaspar Vicecomes* Archiepiscopus Ecclesiam *Mediolanensem* regebat, plurimos hic annos tanta cum laude, quanta dici vix possit, Rhetoricæ magisterium in celeberrimo hujus Urbis Seminario exercuit; cum antehac ibidem hanc ipsam Artem pariterque Philosophiam ac Theologiam didicisset. *Fredericus* deinde Cardinalis & Archiepiscopus *Borromæus*, statim ac de *Ambrosiana* Bibliotheca primis a fundamentis erigenda librisque locupletanda cogitare cœpit: sicut hunc sibi præcipuum tanti operis administrum animo illo excelso destinavit; sic etiam postmodum fideli semper & accurata ipsius opera, in varias etiam Orbis partes, usus est; ac denique ipsum voluit etiam primum esse Bibliothecæ Præfectum. In hoc ergo munere idem ipse perseverat etiam in præsens, omni deinceps posteritati meritissime commendandus. Triginta & amplius sunt anni, ex quo eundem loco parentis ego vene-

veneror & diligo, de me semper interea meritissimum vel eo etiam titulo; quod ipsius jussu mihi humanissime suppeditentur ex eadem Bibliotheca libri omnes, quibus identidem indigeam; quodque præterea de multis ad studia mea opportunis ipse me (quippe versatissimus & eruditissimus) frequenter edoceat. Suppeditatum inde mihi denique fuerat manuscriptum illud *Alciati* Antiquarium; cum ego ad ipsummet *Olgiatum* conversus conqueror de jactura, quam nostri Majores fecerint ejus simulachri, quod *Ambrosianam* istam Basilicam exornabat. Tum vero ipse mihi protinus inquit: Hac de re dicam ego, quod memini me olim audisse. Hujusmodi simulachrum sibi alias, sive pretio, sive precibus, vel auctoritate, obtinuit Vir Clarissimus, & veterum ejusmodi Monumentorum studiosissimus, *Prosper Vicecomes*, *Gasparis* Archiepiscopi consanguineus: illudque in *Germaniam* dono transmisit ad primarium quendam Principem: ajebantque, ni memoria me fallit, ad Serenissimum *Bavariæ* Ducem. Talia *Olgiatus*. Utinam vero rei veritas ita saltem se habeat. Sed enim eruditissimus alter ille Vir, aliquoties jam nobis memoratus, *Jacobus Valerius*, affabre pictum apud se habet hujusmodi simulachrum: publiceque, ut speramus, luci hoc dabit una cum aliis pluribus, quæ solerter collegit, Urbis hujus Monumentis. Ipso quidem monente, nuper nos legimus Libellum, cui titulus in fronte hic est: *Compendio delle Chroniche della gran' Citta di Milano, nuovamente dato in luce &c. In Milano, appresso Valerio da Meda* 1575. in quo hæc inter alia extarent Cap. 22. *Così scrive Faccio de gli Uberti di questa Città nel Quarto Canto del Terzo Libro Ditta-Mondo*:

Giunti à Milano, così volse vedere
A Sant' Ambrogio, dove s'incorona
Qual della Magna é Rè; se n' hà 'l podere.
L'Hercules vidi, del qual si ragiona,
Che fin che' giacerá, come fà hora,
L'Imperio non potrà sforzar' persona.

Nos vero curiosius isthæc inspicere cupientes in ipsiusmet Auctoris Opere (natione autem *Florentinus* est Auctor; Opus vero, quod in *Ambrosiana* Bibliotheca legimus, *Venetiis* est impressum Anno Domini 1501.) longe aliter se habere deprehendimus. Quinetiam, quia totidem alii subinde Versus in hac Editione nobis fuerunt emendatiores, quam prout in eodem illo Compendio recitantur; iccirco nos etiam ipsos inde potius proferemus. Sic ergo se habent:

Giunti en Milan, così volsi videre
A Santo Ambrosio, dove s'incorona
Quel d'Alemagna il Rè, se n'hà il potere
Reliquie vidi, de qual si ragiona,
Che fin che giaceran come fan' hora,
L'Empero non potrà sforzar persona;
Poi fù en San' Lorenzo più de un' hora,
Vago de quel lavoro grande & bello;
Perche esser' mi parea en Roma all' hora.
Et veder' volsi ancora el degno Avello,
Nel qual Gervasio & Protasio ciascuno
Fenno de Ambrosio, come de fratello.
Et fui ancora, dove ensieme funo
Ambrosio Augustino, un luogo antico,
Per disputar' de Quel, che è trè & uno.

Quæ quidem diversitas cum ita se habeat; numquid ergo Compendii ejus Auctor aliter recitabat, quam legerat? Ne hoc quidem suspicati nos fuimus. Quid ergo? Forte potius in alteram Editionem ipse inciderat, in qua ita prorsus legeretur. Sed quia textus ille manifestam saperet superstitionem; propterea mutatus ille postmodum in eam ipsam formam fuit, quam nos ipsi conspeximus. Sic enim nos potius crederemus. Quod autem *Gervasius* & *Protasius* sese cum *Ambrosio* tamquam fratres cum fratre gessisse

A dicebantur; absque dubio illud ipsorum innuitur obsequium, de quo nos Num. 49. jam diximus.

CCIIC. Sicut homines nodum etiam in scirpo nonnunquam quærunt: quævе nollent, difficile credunt; sic etiam post innocuum illud *Liprandi* transitum per ignem nonnulli e Populo, miserati casum *Grosulani*, ambigere cœperunt, an ipsius *Simonia* divino propterea miraculo ac testimonio convicta teneretur; quinetiam instigatione quorundam Sacerdotum sese ad cædes furenter converterunt. Ecce causas, quæ in id obtendebantur, a *Landulfo* narratas Cap. XI. *Sed quia* (inquit) *præsentia Episcoporum*
B *Suffraganeorum* (quando scilicet per ignem transiit Liprandus) *huic legi & triumpho favorem integre non præbuit: & ignis manum Presbyteri, in projiciendo aquam & incensum super ignem, læsit: & quia pes equi Joannis de Rode* (sive Rhaude) *nudum Presbyteri pedem, de igne exeuntis, dure calcavit; & turba, tristis de casu & ruina Grosulani, in Presbyterum, & ejus legem, post paucos dies scandalizavit; & scandalizando, hortatu quorumdam Sacerdotum prælia & homicidia multa commisit. Interea Grosulanus Dominum Papam Paschalem gratum sibi invenit* (Romam enim Mediolano perrexerat) *Landulfus vero de Vareglate, qui primus in Coritiana fuga fuerat, rediens a Jerosolymis, Romam pervenit &c.* sicuti jam supra Num. 292. re-
C censebamus.

CCIC. *Heribertum* illum Abbatem regimini hujus Monasterii cessisse cito, sive per obitum, sive per aliam causam, inde cernimus, quod altero mox A.C.
Anno, sive supra centesimum tertio, alterum rur- 1103.
sus Abbatem, nomine *Joannem* invenimus, ac sequenti quidem Privilegio ab eodem *Paschali* Papa donatum:

PASCHALIS EPISCOPUS, *Servus servorum Dei, Dilecto in Christo filio* JOHANNI, VENERABILI ABBATI, *in Christo salutem, suisque Successoribus. Quamvis ex universalitate Sedis, cui deservimus indigni, curam Ecclesiarum omnium adhita dilectione concipimus, & disponendo gerimus; ampliori tamen vigilantia super his solicitamur, & amore tene-*
D *mur, quas Fidelium devotio tutelæ hujus sanctæ universalis Sedis salubri institutione commisisse dignoscitur; & si quid, in quo ex nostra constitutione vel consensu sublimati desiderent, cum summa benivolentia concedendum nobis videtur ut impetrent. Unde, te postulante a nobis, ut* MONASTERIUM SANCTI AMBROSII, UBI SANCTUM EJUS REQUIESCIT CORPUS SIMULCUM SANCTIS MARTYRIBUS GERVASIO ATQUE PROTASIO, *cui divina dispositio te præesse voluit, Apostolicæ auctoritatis serie muniremus, & omnia ejus pertinentia perenni jure inviolabiliter permanenda confirmaremus; tuis inclinati precibus, per hujus nostræ Sanctionis Privile-*
E *gium, Antecessorum nostrorum auctoritatem sequentes, decernimus,* ET PROPTER AMOREM SANCTI AMBROSII ET SANCTORUM MARTYRUM GERVASII ET PROTASII, QUORUM HONORI DICATUS EST LOCUS, *concedimus tibi, tuisque Successoribus, quicquid* DE USU DALMATICÆ SANDALIUM NECNON CHIROTHECARUM, ET LICENTIAM FERENDI TINTINABULUM CAPPELLÆ, *ex Apostolica auctoritate Antecessorum nostrorum habere meruisti; Et concedimus tibi* DOMINIUM TOTIUS ECCLESIÆ POST ARCHIEPISCOPUM; *& similiter concedimus* DOMINIUM HOSPITALIS CUM ECCLESIA INIBI FUNDATA IN HONO-
F RE SANCTI MICHAELIS; ET ECCLESIAM SANCTI AUGUSTINI CUM PAROCHIA SIBI PERTINENTE; ET ECCLESIAM SANCTI SATYRI CUM PAROCHIA SIBI PERTINENTE; ET ECCLESIAM SANCTI PETRI, UBI DICITUR A SALA, CUM PARO-

CHIA SUA, *cum decimis & primitiis; confirmantes Monasterium, infra Urbem ipsam Mediolanum constitutum, quod nominatur* AURONÆ, *cum omni honore;* & CURTEM DE PASILIANO *cum omnibus ad se pertinentibus, cum Ecclesiis ædificatis;* & CURTEM DE FELICIANO, ET CURTEM DE MONTE, *cum Ecclesiis inibi ædificatis;* & CAPIATE *cum Ecclesiis cum decimis & primitiis;* & OLEODUCTO *similiter cum Ecclesiis, cum decimis & primitiis;* & CIVENNAM ET LIMONTAM *cum Ecclesiis inibi ædificatis, cum decimis & primitiis;* & GNIGNANUM; ET IN CLAVESO; ET IN BADELLO; ET IN COLONIA; ET IN BARAZA *Ecclesiam unam, quæ vocatur* SANCTUS DAMIANUS, *cum decimis & primitiis;* & ANTIZAGUM *cum Ecclesiis inibi fundatis;* & CASTERNO *cum duabus Ecclesiis;* & BALARADEGLO; ET VITE ALBA; ET SANCTUS SYRUS A BEURA; *& in Episcopatu Laudensi Ecclesiam unam* SANCTI SALVATORIS, *& aliam Ecclesiam juxta Codonium, fundatum in honore Sancti Ambrosii; & in Episcopatu Pariensi villam unam, quæ nominatur* VILLA REGIA; *& Monasterium unum, quod nominatur* SANCTUS QUINTINUS, *ut sit in potestate & regimine ipsius Abbatis Sancti Ambrosii; & Ecclesiam* SANCTI SEPULCHRI *cum decimis & primitiis;* & DUBINI *cum Ecclesia una; & in Episcopatu Vercellensi* QUINTO *cum Ecclesia una; & in Episcopatu Placentiæ Villam unam, quæ vocatur* CERESOLA; *& insuper cuncta Loca, urbana vel rustica, culta vel inculta, cum decimis & primitiis, colonis servis & ancillis & aldionibus, quæ ab aliquibus fidelissimis Christianis eidem Monasterio concessa sunt, vel quæ etiam per alia justa munimina ad eundem religionis Locum pertinere videntur, cum omni securitate & quiete debeas possidere, tuique Successores in perpetuum; ita ut nullus unquam Successorum nostrorum Pontificum, nullus & Imperator, Rex, Dux, vel aliqua persona, ipsum Monasterium de præfatis omnibus rebus, quæ inibi pertinere videntur, præsumat devestire, molestare, inquietare; necnon sub divini Judicii promulgatione, confirmatione, & anathematis interdictione decernimus. Quod ut nunc, seu in futuris temporibus, firmum & inviolabile maneat, nostro Privilegio confirmamus* AD HONOREM DEI, ET SANCTI AMBROSII CONFESSORIS, ET SANCTORUM MARTYRUM GERVASII ET PROTASII, QUORUM CORPORA IN VESTRO MONASTERIO POSITA SUNT. *Si quis autem temerario ausu, quod fieri non credimus, contra hujus nostræ Apostolicæ Auctoritatis & Confirmationis seriem agere temptaverit; sciat, se esse excommunicatum, & a Beato Petro Apostolorum Principe, & nostra Apostolica auctoritate. Qui vero custos & observator hujus nostri Privilegii extiterit; benedictionis gratiam & vitam æternam a Domino consequi mereatur.*

EGO PASCHALIS, CATHOLICÆ ECCLESIÆ EPISCOPUS, SUBSCRIPSI.

Ego Coyro, Prænestinus Episcopus, subscripsi.

Ego Ricardus, Albanensis Episcopus, subscripsi.

Datum Laterani per manum Johannis, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diaconi Cardinalis, sexto decimo Kalendas Martii, Indictione decima, Incarnationis Dominicæ Anno Millesimo centesimo tertio, Pontificatus autem Domini Paschalis Secundi Papæ tertio.

Tum vero subest etiam Signum, quo *Paschalis* idem Papa Secundus uti consueverat; tametsi nos hoc loco ipsum prætermittimus.

CCC. Quod autem *Paschalis* Pontifex huic Monasterio concedebat, sive confirmabat, etiam ECCLESIAM SANCTI AUGUSTINI CUM PAROCHIA SIBI PERTINENTE; nos quidem hactenus ejusmodi Ecclesiæ nusquam facimus mentionem. Atqui nihil ambigimus, quin ea sit, in A qua baptizatum ferunt *Augustinum*, quæve propterea sibi titulum labentibus annis inde acquisierit. Huic nempe Monasterio conterminum in hanc usque diem visitur mediocre Sacellum ac perantiquum, Sancto *Augustino* inscriptum, necnon etiam recenter a Monachis nonnihil exornatum. Quinquaginta circiter passus a Basilica illud distat: illucque recta via, & velut in id maxime disposita, itur per ejusdem Basilicæ portam lateralem, porta maxima exeuntibus sinistram. Communis ergo & a superioribus ducta temporibus opinio apud *Mediolanenses* viget adhuc, eundem *Augustinum* cum *Alipio* ac *Deodato* illic a B Sancto *Ambrosio* baptizatum fuisse: ipsumque mox ac Præsulem in *Ambrosianam* Basilicam inde venientes, alternatim composuisse simul ac cecinisse Hymnum illum, tota jam passim Ecclesia Latina usitatissimum: TE DEUM LAUDAMUS: TE DOMINUM CONFITEMUR, &c. De hac vero communi & inveterata *Mediolanensium* opinione unanimes itidem contestantur tres ii Scriptores, quos aliquoties hactenus in hoc Opere nominavimus: videlicet *A' Basilica Petri*, *Morigia*, & *Villa*: sed & ante illos Libellus ille De sacris Indulgentiis & Sanctorum Reliquiis, extantibus in Urbis & Comitatus *Mediolani* Ecclesiis, Anno Domini Millesimo quin- C gentesimo decimo quinto nostra primum in Urbe typis cusus, necnon etiam postea recusus, ceterum ex antiquis Regestis & authenticis Privilegiis collectus. Eidem pariter opinioni adstipulantur perantiquæ illic in pariete supra Altare picturæ, quibus idem ipsorum Baptismus oculis subjicitur. Quid, quod etiam eidem Altari antiquitus consitum perseverat adhuc lapideum vas, & illud quidem satis amplum, in quo illis pariter ibi ministratum nostrates credunt Baptismi Sacramentum? Certe autem isthæc Sancti *Augustini* Ecclesia hoc tempore ditioni suberat Abbatis *Ambrosiani*, sicut etiam in præsenti subest; cum tamen in præsenti Parochialis non sit. Cete- D rum si traditio illa inveterata, & apud *Mediolanenses* communiter comprobata, non ex vano falsoque hausta est; nos quidem facile credimus, eandem illam Ecclesiam (sive, quæ antiquitus ibi constructa erat) vocitatam fuisse SANCTI JOANNIS AD FONTES. Inter Archiepiscopos nostros unus fuit Sanctus *Datius*, cujus honorificentissima mentio habetur apud Sanctum *Gregorium Magnum* Libro Tertio *Cap.* 4. *Dialogorum*, Historiam *Mediolanensem* (cui titulus CHRONICA DATII) ab ipso conscriptam fuisse, quamplures Viri docti affirmarunt. Ne nos quidem hoc ipsum inficiamur. Sed omnino consistendum ad minus est intra ea tempora, quorum ip- E se Historiam texere potuerit. Numquid enim potuit etiam temporum ætate sua posteriorum? Et aliqui tamen Scriptores non satis idipsum adverterunt: quos quidem nos tacite Num. 198. monuimus. Ita quippe illic innuebamus, alterum postea *Datium* in posteriora tempora prosecutum fuisse Historiam, quam Sanctus ille nominis ejusdem Archiepiscopus incœpisset, ac fortasse in ævum quoque suum protraxisset. Quando igitur *Augustini* Baptismum nos vidimus e Chronico *Datii* verbatim apud varios Historicos descriptum, certe Sanctum illum Archiepiscopum non difficulter credidimus germanum extitisse narrationis illius auctorem. Atqui Ecclesiam, F ipse, in qua Sanctus *Ambrosius Augustinum* baptizavit, appellat FONTES, QUI SANCTO JOANNI ADSCRIBUNTUR: quod perinde est ac ECCLESIAM SANCTI JOANNIS AD FONTES. Forte autem aliter appellabatur etiam, eratque illa ipsa BAPTISTERII BASILICA, cujus mentionem facit ipsemet Sanctus *Ambrosius* in Epistola 13. ad *Marcellinam* sororem; maxime vero cum pro singulis Civitatibus unicum antiquitus construi soleret Baptisterium; sicut eruditissimus docet *Josephus Vicecomes*

comes, *Ambrosiani* Collegii Doctor, Libro Primo *De antiquis Baptismi Ritibus*, Cap. 8. Sed hoc altiorem requirit indaginem: qualem nosquidem in aliud tempus ac locum reservavimus.

CCCI. Hoc ipso Anno *Christi* tertio supra centesimum ac Millesimum multi e Clero & Populo *Mediolanensi* una cum *Grosulano* (cujus causa discutienda erat) ad *Romanam* Synodum pergunt; sicut idem narrat *Landulfus* Cap. XI. Quo item teste, *Presbyter vero Liprandus, cum jam senex esset,* ET DUO ANNI POST LEGEM AB IPSO FACTAM TRANSISSENT, *provocatus, & quasi compulsus, Romam ad Synodum venit.* Et paulo post: *Presbyter Liprandus causam, quam adversus Grosulanum habuit, pure notificavit: & Apostolicus non legem per ipsum Presbyterum datam, & sacramento & igne notatam, laudavit; sed gratiam & officium Presbyteratus in illo firmavit, & dixit: Si hic Presbyter juraret, & duodecim Sacerdotes cum illo jurando affirmarent, quod Grosulanus coëgit ipsum Presbyterum ire ad ignem; sustineret Grosulanus depositionem. Atque super hoc spatium consulendi per unam noctem dedit.* Tum Cap. 12. *Nocte autem illa transacta, Apostolicus coram Synodo a Grosulano suscepit sacramentum, in quo sacramento Grosulanus sic ait: Ego Grosulanus, gratia Dei Archiepiscopus, non coëgi dictum Liprandum Presbyterum ire ad ignem, & facere judicium. Tunc & Ardericus Laudensis Episcopus jurando firmavit idipsum. Azoni vero Aquensi Episcopo, proferenti idipsum jurare ex parte Grosulani, ab Apostolico fuit condonatum. Grosulanus itaque accessit, ut acciperet gratiam restitutionis. Et cum ad accipiendum restitutionem accederet; Gabuta & Pastoralis Virga, quam idem Grosulanus sua tenebat manu, coram Synodo ad terram corruit. Quod signum quampluribus fuit indicium, quod sacramentum ejus fuit sacramentum mortis. Verumtamen nec Papa nec ejus Synodus ad hoc tunc respexit; sed ipsum Grosulanum Azoni Aquensi, & Arderico Laudensi, atque Jordano de Clivi, & cæteris Mediolanensibus, tam Clericis, quam Laicis verum etiam Episcopis ejusdem Ecclesiæ Suffraganeis, volentibus eum habere in Archiepiscopum,* LICET OTIOSE RESTITUIT. *Qui quidem Presbyter ille Liprandus, licet occasione hujus restitutionis foret suspectus Grosulano restituto, & restitutum suscipientibus; tamen in Ecclesia Sancti Pauli suaque domo fuit Sacerdos idoneus in suo officio* PER SEPTEM ANNOS POST IPSAM RESTITUTIONEM. Accipe nunc vero Lector, a quibus præsertim *Grosulanus* nihilominus fuerit rejectus, nec in Sedem Archiepiscopalem admissus. *Grosulanus vero* (teste subinde utimur eodem *Landulfo*) GRATIA GULIELMI ABBATIS MONASTERII SANCTI AMBROSII, *& Andreæ Mediolanensis Ecclesiæ Primicerii, & aliorum multorum prudentum, tam Clericorum, quam Laicorum,* NEC SEDEM NEC ALIQUAM MUNITIONEM ARCHIEPISCOPATUS, POST LEGEM PRIMAM A PRESBYTERO FACTAM, SIVE RESTITUTIONEM A SYNODO CELEBRATAM, HABUIT. E quibus denique verbis nos quidem istud quoque colligimus: Abbatem hujus Monasterii, si non post *Liprandi* transitum per ignem (quo tempore *Joannes* erat Abbas) certe tamen post hanc Synodicam *Grosulani* restitutionem, fuisse *Gulielmum*: cujus alioqui mentionem inter Archivi hujus membranas factam quarto supra centesimum ac Millesimum Anno. Quocirca necesse est, ut intra tertii ejusdem Anni ambitum *Joannes* fuerit ex parte Abbas, ex altera vero mox parte fuerit etiam *Gulielmus*.

CCCII. *Putavi non prætereundum silentio* (sic enim
A.C. 1105. ego quoque *Landulfi* nostri Cap. 22. verbis loquar; maxime vero cum propria nobis etiam causa incumbat) *quod, durante lite Grosulani, scilicet Millesimo centesimo quinto Anno septimo Idus Maji, inventæ sunt Reliquiæ pretiosæ in Ecclesia Sanctæ Mariæ* AD PORTAM. *Unde Ordinarii cum universo Clero statuerunt Festum solemne illa die in Ecclesia prædicta. In cujus rei testimonium talis extat Epistola.*

ORDINARII CARDINALES SANCTÆ MEDIOLANENSIS ECCLESIÆ, NECNON PRIMICERIUS CUM UNIVERSO SACERDOTIO ET CLERO MEDIOLANENSI, OMNISQUE POPULUS ET OMNIS ORDO LAICORUM, *omnibus Sacerdotibus & Clericis & Laicis cujuscumque ordinis in Diœcesi Mediolanensis Ecclesiæ constitutis, pacem & salutem a Domino, & pleni gaudii participationem. Quoniam ratio expostulat, & dignum est, ut, exultante capite, cætera quoque membra exultationi congaudeant; ideo immensæ lætitiæ, quam nobis immeritis & insperantibus Divina Clementia contulit, vos exsortes esse non volumus. Notum ergo Universitati nostræ fieri volumus, quoniam inæstimabiles thesauros, & incomparabiles margaritas, Sole splendidiores, & omni aromate fragrantiores, divino nutu & munere nuper invenimus: videlicet partem de Sudario Domini, & de Syndone ejus, & de Lapide ubi sederunt Angeli nunciantes Resurrectionem Domini Nostri Jesu Christi, & de probato Ligno salutiferæ Crucis Salvatoris nostri, & de Veste Sanctæ Mariæ.* ET DE OSSIBUS SANCTORUM CASTI ET POLIMII, *in Ecclesia Sanctæ Mariæ, quæ dicitur* AD PORTAM. *Quapropter, non solum in ea die, sed etiam ab ea die & deinceps, factus est ibi jugis celebris & admirabilis concursus plebis utriusque sexus Deum glorificantium & magnificantium; quod hoc tempore tales nobis thesauros sua benignitate revelare dignatus est, quorum patrocinio non solum nostræ, sed & universæ Diœcesi ejus, per Dei misericordiam, protectionem & salutem futuram esse speramus. Facta est etiam generalis Processio ad honorem Dei & Salvatoris nostri, tam ingens, tam solemnis, tam admirabilis, qualem nunquam retro ante tempora vel vidimus, vel meminimus factam. Ad hanc igitur Solemnitatem annuam omnes populi devote concurrite, tam mentium securitate, quam corporum obsequio, nihil hæsiantes depromi magnificentissimam remunerationem. Quanta enim virtus Sanctorum est, tanta salus occurrenti populo. Titulus autem & nomen ejus eximiæ Festivitatis est* SANCTI SALVATORIS. *Terminus autem hujus celebrationis est septimo Idus Maji. Rogamus etiam vos, & secundum statum Ecclesiæ nostræ singulis & omnibus præcipimus, ut in die hujus Festivitatis, ad honorem Dei & Salvatoris nostri, ab omni opere servili vacetis, & abstineatis, tamquam in die Resurrectionis & Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi. Quo etiam die ad frequentationem hujus Solemnitatis statutum est* ANNUALE MERCATUM: *& omnibus venientibus ad hanc Solemnitatem, vel causa orationis, vel causa mercandi, & redeuntibus, stabilita est ab omni Civitate* FIRMA ET INVIOLABILIS TREVIA, OCTO ANTE FESTUM, ET OCTO DIES POST FESTUM. *Quod si quis hujus Treviæ violator extiterit; indignationem non effugiet; & iram totius Civitatis super se & super sua bona gravissimam indubitanter incurret.* COLONEUM, *quod vulgo* TURADIA *dicitur, sive* PORTENATICUM, *in his præfatis diebus nulli omni modo tolletur. Ut autem magis sit authenticum, & nulla unquam oblivione deleatur, quod, Deo inspirante, ad honorem Dei & Salvatoris nostri decrevimus; per singulas Plebes singulas Epistolas in audientia omnium habitantium in eis, has Litteras legere & ponere studeant, & Martyrologio hoc festum scribant; quatenus per singulos annos & per singulas generationes istos dies nulla deleat oblivio; sed perpetuo & solemniter honoretur. Hæc autem Epistola in scripturis diligenter & semper servetur valida. Inventi autem sunt prædicti thesauri, sacræ Reliquiæ: pars de Sudario Domini, & de Syndone ejus, & de Lapide isto, & de Ligno Sancto;*

cto, *& de Sanctis*, *Anno Domini Millesimo centesimo quinto*, *septimo Idus Maji*, *in Civitate Mediolanensi*, *in Porta Vercellina*, *in Ecclesia Sanctæ Mariæ*, *quæ dicitur* AD PORTAM. FUERUNT AUTEM PRÆDICTI SANCTI CONFESSORES, CASTUS ET POLIMIUS, DIACONI SANCTI AMBROSII, QUORUM CORPORA JACENT IN ECCLESIA SANCTI VICTORIS AD COELUM AUREUM, QUÆ NUNC DICITUR ECCLESIA SANCTI SATYRI ET SITA JUXTA ECCLESIAM SANCTI AMBROSII, REQUIESCUNT. *In prædicto autem Festo Ecclesia Æstiva usque ad prædictam Ecclesiam Sanctæ Mariæ* AD PORTAM *Ordinarii hebdomadarii Mediolanensis Ecclesiæ processionaliter vadunt*, *semper præcedentibus Vicinis & Parochianis ipsius Ecclesiæ Sanctæ Mariæ cum viridibus frondibus*, *& ramis arborum*, *candelis accensis alligatis ejusdem*, *& cantantibus* AGIOS, AGIOS; *propter quod dicitur istud* FESTUM DE AGIOS, *quod est nomen Dei. Qui dicti Ordinarii postea celebrant Missam in Ecclesia Sanctæ Mariæ* AD PORTAM. *Deo gratias. Amen.*

CCCIII. Et hæc quidem verbatim hactenus per nos e *Landulfo* recitata. Eadem summatim perstringit *Chalcus* ad Annum *Christi* Millesimum centesimum septimum, ac denique ita confirmat: *Extant Litteræ publico nomine Cardinalium Ordinariorum*, *Primicerii*, *universique Populi & Cleri*, *ac cunctorum Ordinum Civitatis Mediolani*, *ad omnes Sacerdotes Diœcesis suæ*, *plenæ gratulationis*, *& novæ denunciationis.* Atqui *Landulfus* ejusmodi Litteras nobis recitat, non Anno illo septimo datas, sed quinto; propterea que nos illas in hunc ipsum conjecimus Annum. Subdit autem protinus idemmet *Chalcus*: *Credo*, *absente Episcopo eas sic fuisse inscriptas.* Nos vero, non absente tantum, nempe *Grosulano*, sed etiam velut exulante datas confitemur.

CCCIV. Ceterum iisdem in Litteris duo sunt, quæ proprie ad Monasterium istud spectant *Ambrosianum*, quæve singillatim tamquam intento digito a nobis indicari oportet. Unum est, quod hinc luculentissime confirmantur, quæ superiori Num. 19. dicebamus de Sancti *Satyri* Ecclesia: eam videlicet olim SANCTI VICTORIS AD COELUM AUREUM appellatam fuisse. Alterum est, quod hic requiescere corpora Sanctorum *Casti* & *Polimii*, Diaconorum Sancti *Ambrosii*, asseruntur. Hi autem sine dubio illi sunt, quos *Paulinus* in ejusdem *Ambrosii* Vita, morti jam proxima, memorat his verbis: *Eodem tempore*, *cum in extrema parte porticus*, *in qua jacebat* (Ambrosius) *in uno positi* CASTUS, POLEMIUS (sive POLIMIUS, uti nos jam ipsum vidimus nominatum) *Venerius*, *& Fælix*, *tunc Diaconi*, *secum tractarent voce ita pressa*, *ut vix invicem audirentur*, *quis post obitum illius Episcopus ordinandus esset: atque cum de nomine Sancti loquerentur Simpliciani*; *tamquam interesset tractatui*, *cum longe positus ab ipsis jaceret*, *approbans exclamavit tertio:* SENEX, SED BONUS. *Erat enim Simplicianus ævi maturior. Qua voce audita*, *expavescentes fugerunt. Defuncto tamen eo*, *non alius illi successit in Sacerdotio*, *nisi is*, *quem ille* BONUM SENEM *trina voce signaverat. Cui Simpliciano Venerius*, *quem supra memoravimus*, *successit. Fælix vero nuncusque Bononiensem regit Ecclesiam.* CASTUS AUTEM ET POLEMIUS, NUTRITI AB AMBROSIO, BONÆ ARBORIS BONI FRUCTUS, IN ECCLESIA MEDIOLANENSI DIACONI FUNGUNTUR OFFICIO. Sicut autem scite a *Baronio* fuit observatum in Præfatione *De Paulino*, *qui Ambrosii Vitam conscripsit*, hic idem *Paulinus* eidem *Casto* fuerat Diacono subjectus, cum ipsimet *Ambrosio* ministerium amanuensis in sacris scriptionibus præstaret. Itaque, paulo ante verba nuper a nobis recitata, sic

A etiam scripserat: *Ante paucos vero dies*, *quam lectulo detineretur* (Ambrosius) *cum quadragesimum tertium Psalmum dictaret*, *me & excipiente & vidente*; *subito*, *in modum scuti brevis*, *ignis caput ejus cooperuit*, *atque paulatim per os ipsius*, *tamquam in domum habitator*, *ingressus est*; *& facta est facies ejus velut nix*; *postea vero reversus est vultus ad speciem suam. Quod cum fieret*; *stupore perculsus obrigui*; *nec potui scribere*, *quæ ab illo dicebantur*, *nisi postquam visio ipsa transivit. Dicebat enim in eo tempore testimonium Scripturæ divinæ*, *quod ego optime retinebam. Nam scribendi*, *vel dictandi*, *ipso die finem fecit*; *siquidem ipsum Psalmum explere non potuit. Ego vero id*, *quod visum a*
B *me fuerat*, HONORABILI VIRO CASTO DIACONO, SUB CUJUS CURA DEGEBAM, *statim retuli. At* ILLE, REPLETUS GRATIA DEI, *Spiritus Sancti adventum me in illo vidisse edocuit ex lectione Actuum Apostolorum.* Cum igitur ambo isti Diaconi, *Castus* & *Polimius* ad Superos ex hac vita evolassent; mortales ipsorum exuviæ non procul a Præsulis *Ambrosii* exuviis tumulatæ in prædicta Sancti *Victoris* AD COELUM AUREUM Ecclesia fuerunt; ibidemque quiescebant Anno *Christi* Millesimo centesimo quinto; sicut etiam in præsenti requiescunt. Sic enim lapidea ibi Tabula, post
C Altare consita parieti, testatur hisce verbis, quorum partem Num. 19. proferebamus:

Sub hoc Altari in Arca marmorea jacet gloriosum Corpus Sancti Satyri, *fratris Sancti Ambrosii.*
Item in alia Capsa lapidea in eodem Altari jacent Corpora Sanctorum Martyrum Casti & Polimii, *necnon aliud sanctum Corpus*, *cujus nomen ignoratur*, *cum plurimis aliorum Sanctorum ac Sanctarum Reliquiis.*

CCCV. Incertusne vero jam hæres, Lector, ad hanc Tabulam cum superiori Epistola comparatam? Illic namque *Castus* & *Polimius* CONFESSORES, hic autem MARTYRES appellantur. Ad hæc
D profecto diu multumque nos etiam hæsimus: quinetiam satis certum adhuc exitum invenire non possumus. Certe quidem congruenter ad eam Epistolam nos item Calendarium habemus *Ambrosianum*, Anno *Christi* Millesimo trecentesimo octogesimo primo in pergamena charta conscriptum: in quo sub die nona Maji (qua scilicet die memoria ipsorum anniversaria celebrari consuevit) hæc præcise leguntur: SANCTORUM CONFESSORUM CASTI ET POLIMII. JACENT IN SEGRETA MONACHORUM SANCTI AMBROSII. Quæ Segreta, sive Sacristia, tametsi conjuncta sit huic Sancti *Satyri*, & alias *Victoris*, Ecclesiæ; locus est tamen
E ab hac diversus, ac pariete distinguitur interjecto; sicut etiamnum veterem intuentibus structuram liquidissime constabit. Atque hinc nodus alter nobis incumbit enodandus; qui tamen longe minus nos torquet. Similiter huc accedit *Joannes Franciscus* (qui postea *Carolus*) *a Basilica Petri* in eo de aliquot hujus Urbis Ecclesiis Opusculo, quod Anno *Christi* Millesimo quingentesimo septuagesimo sexto primitus edidit. Cum enim de hac ille Basilica sermonem instituisset, cumque jam de Monachis ipsis loqueretur; ita etiam inquit: *Vi hanno anco molte sante Ossa*, *trouate nuovamente: & nella Sacristia hanno trouati Corpi*, *che essi tengono esser i Corpi de' Santi Diaconi Casto & Polimio.* Hos itaque dum tacite in-
F dicat nonnisi Confessores fuisse, simul expresse asserit, in ejusmodi olim jacuisse Sacristia. *Joannes* autem *Baptista Villa* in suo pariter ejusdem argumenti Libro ipsos disertissime affirmat, ut Sancti *Ambrosii* Diaconos, sic etiam *Christi* Confessores. Quid, quod etiam eo tempore, quo ipsi obierunt, nullam videntur martyrii occasionem habuisse? Non Gentilium furor, non Hæreticorum perfidia, non alius quispiam publicus Fidei Catholicæ hostis Ecclesiam tunc *Occidentalem*, non *Insubricam*, non *Mediolanen-*

nensem vexabat. Catholica, etiamtum Fides & pax, per ipsummet *Ambrosium* exterminatis denique *Arianis*, restituta, perenniter hic vigebat. Sic enim ex iis etiam colligi facile potest, quæ *Baronius* in suis observavit ad *Romanum* Martyrologium Adnotationibus sub Aprilis die quarta, qua Sanctus idem *Ambrosius* occubuit. Ex altera vero parte in *Ambrosiana* Bibliotheca Missale satis vetus & in pergamena manuscriptum legimus in hæc verba: *Septimo Idus Maji*, SANCTORUM CASTI ET POLIMII. AD SANCTAM MARIAM AD PORTAM; quia scilicet sacræ illæ ipsorum Reliquiæ ibi extarent. Sic etiam Breviarium pariter satis vetus ac manuscriptum, in hæc tantum verba: SEPTIMO IDUS MAJI SANCTORUM CASTI ET POLIMII. Nec in ejusmodi Codicibus expressum fuit, Martyresne, an solummodo Confessores, illi extiterint: quod ipsum in vetustiori hujus Basilicæ Tabula pergamena observavimus; perinde ac si tunc temporis hac de re nihil certi haberetur. Veruntamen silentium istud, si nobis non favet, ne adversatur quidem. Illud ergo molestiam nobis & negotium in præsenti causa facessit; quod in Missali apud nos extante, ac manuscripto jam Anno Domini Millesimo quadringentesimo vigesimo tertio, præterea vero in omnibus deinde tam Missalibus quam Breviariis (loquimur vero semper de *Ambrosianis*) ab Anno supra Millesimum quadringentesimo octuagesimo tertio usque ad quingentesimum nonagesimum quartum, quo mentio ejusmodi Sanctorum intermitti cœpta communiter fuit, impressis; iidem illi Sancti sub eadem illa Maji die MARTYRES semper appellantur. His consentiunt universi etiam Codices manuscripti, quibus ratio continetur & methodus Officii Divini, quo Monasterium istud, a majoribus ac vetustiori bus illis Monachis ad præsentes *Cistercienses* derivato, uti consuevit, quodque MONASTICUM AMBROSIANUM appellatur. Inspice vero præterea Lector, quale nos Scriptum in Archivo invenerimus. Fidelissimum vero est exemplar alterius, quod, pergamenæ chartæ consignatum, conservari scimus in illa eadem Arcula, qua Corpora hujusmodi Sanctorum continentur. Est autem hujusmodi. *Anno Millesimo quingentesimo septuagesimo tertio Dominus*......... SALAMINÆ EPISCOPUS, AC IN DIOECESI MEDIOLANENSI VISITATOR APOSTOLICUS, *in ipsa Visitationis functione, pio accensus desiderio Corpora Sanctorum Martyrum Confessorum & Virginum, in eadem Diœcesi consistentium, visitandi: in omnibus Ecclesiis summa diligentia inquirens, propriis oculis ea inspicere ac adorare voluit.* PORRO INTER CÆTERA, SUB ALTARI SACRISTIÆ ECCLESIÆ SANCTI AMBROSII MAJORIS, EX PARTE MONACHORUM, SANCTORUM MARTYRUM CASTI ET POLIMII CORPORA REPERIT. *Quibus vere agnitis, & exinde aliquandiu adoratis, in suis propriis locis ea reliquit. Cæterum cum eorum Cenotaphia pene corrosa essent carie; Anno Mill simo quingentesimo octogesimo octavo, mensis Januarii die*............ *Admodum Reverendo Domno Juvenali Orabonio, hujus Monasterii & Ecclesiæ Sancti Ambrosii Majoris Abbati, supradictorum Sanctorum veneratione moto, placuit hac in Capsula pie debitoque cultu propriis manibus, cereis accensis Monachis hinc inde flexis genibus astantibus, ea reponere; ut tanto sæpius dignentur pro suis devotis apud Jesum Christum Dominum nostrum veniam implorare in Cœlis, quo attentius eorum Corpora venerantur in terris.* Atque tunc ejusmodi Sanctorum Corpora fuerunt in proximam Sancti *Satyri* Ecclesiam restituta: e qua scilicet antea fuerant illuc translata. Hoc enim necessario sequitur e præmissis: & hinc posteriorem illum dissolvimus nodum. Sic etiam tunc temporis consitam

A credimus parieti fuisse Tabulam illam, cujus Epigraphem proferebamus. Tota igitur jam nobis eo redit difficultas, Martyresne, an solummodo Confessores, *Castus* fuerint ac *Polimius*. Sicut autem occasionem dubitandi nobis præbuit Ecclesiæ *Mediolanensis* judicium, per tempora, sicut apparet, variatum; sic etiam ipsius auctoritas hærere interim nos cogit. Posteriora judicia (non diffitemur) aliquando sapientiora. Sed & major antiquitas (& in his maxime rebus) majorem sibi honorem ac veracitatis opinionem deposcere videtur. *Galesinus* in Martyrologio nullam facit ejusmodi Sanctorum mentionem. *Philippus Ferrarius* B eam solummodo facit in Indice Catalogi Sanctorum *Italiæ*: ipsosque similiter MARTYRES appellat. Perquisivimus vero etiam, qualem titulum præferrent eæ ipsorum Reliquiæ, quas hoc Anno dicebabamus in Ecclesia Sanctæ *Mariæ* AD PORTAM inventas. Sed nec earum, nec aliarum, quas Epistola illa recensebat, ulla prorsus ibi extat memoria. Quamobrem hinc quoque factum arbitramur, ut *Paulus Morigia* in suo Sanctuario tacitus Ecclesiam illam præterierit. Neque vero nescii sumus, quem in sensum antiquitus nomen CONFESSORIS acciperetur: & quemadmodum a Sancto *Ambrosio*; sic etiam in Ecclesia ejus regimini subjecta. Ad *Gratianum* ille C *Augustum De Fide*, Lib. 2. Cap. 4. prope finem ita scribit: *Non libet* CONFESSORUM NECES, *tormenta, exilia, recordari, piorum Sacerdotia, proditorum munera.* Et paulo post: *Sed jam satis superque. Omnipotens Deus, nostro exitio, nostroque sanguine,* CONFESSORUM NECES, *exilia Sacerdotum, & nefas tantæ impietatis eluimus.* Et rursus Lib. 3. Cap. 7. post medium: *Librum Sacerdotalem quis nostrum resignare audeat, signatum a* CONFESSORIBUS, *& multorum jam martyrio consecratum? Quem qui resignare coacti sunt; postea tamen damnata fraude signarunt. Qui violare non ausi sunt,* CONFESSORES ET MARTYRES *extiterunt.* Duo D igitur hæc *Ambrosii* loca citaverat *Vincentius Lirinensis* in aureo illo suo Libello *adversus profanas Hæresum Novitates*, Cap. 7. Inde autem *Joannes Costerius*, ejusdem Libelli Scholiastes bene Num. 18. ita observat, & aliorum quoque testimoniis & exemplis confirmat: *Longe aliud veteribus, quam nunc vulgo, significabat* CONFESSOR; *cum jam Divis fere omnibus id nominis tribuant; quod olim nonnisi iis datum fuit, qui ob Christo testimonium publicitus datum publica aliqua calamitate, vel pœna, non tamen morte, erant affecti.* Quod si *Castus* & *Polimius* tale aliquid passi jam fuissent, ac demum etiam E morte mulctati; tum vero dubium nobis nullum superesset, quin appellari potuerint & Martyres & Confessores, Confessoris utique vocabulo in eam significationem accepto; facileque tunc etiam Ecclesia *Mediolanensis* videri posset ob ejusmodi causam illos aliquando CONFESSORES, aliquando MARTYRES nominasse, seque demum ad posteriorem hunc titulum, quippe nobiliorem, contraxisse. Atqui nos necessariis destituti sumus adhuc indiciis, quibus probetur, & illos talia passos, & Ecclesiam *Mediolanensem*, cum de ipsis Anno saltem Millesimo centesimo quinto scriberet, usam fuisse CONFESSORIS vocabulo in eam significationem veteribus illis usitatam; & non potius in eam, quæ per uni- F versam *Christi* Ecclesiam jam dudum receptissima est, quinetiam longe ante Annum illum erat; sicut e Martyrologiis jam ante contextis manifestissime patet. Quocirca nos quidem interea malumus hærere in incerto, & ex alieno potius judicio pendere.

CCCVI. Eodem Anno *Christi* Millesimo centesimo quinto *Henricus*, *Henrici* Quarti Regis & Tertii Imperatoris filius, hortatu *Germanicorum* Principum a Patre deficit ad *Romanum* Pontificem, ad-

versus quem ille nimium contumax erat. Proximo
A.C. 1106. inde Anno, ex auctoritate Episcoporum & Principum *Moguntiæ* congregatorum, Insignia Regni detracta Patri, constim Filio traduntur. Hæc autem videri commode possunt apud *Sigonium De Regno Italiæ* ad eosdem Annos. Breviter *Chalcus*: *Idem Annus insignis habetur creatione Henrici Quinti*, *Romanorum Regis*: *qui postea Romæ coronatus*, *Imperatorum Quartus censetur*. Hinc itaque computatos ejus Regni Annos postea videbimus.

A.C. 1107. CCCVII. Intra Annum *Christi* septimum a centesimo Millesimo *Mediolanenses* bellum *Laudensibus* intulerunt: quod, teste *Landulfo* Cap. 16. in quatuor annos protractum est: quodque demum in eorum Urbis eversionem desiit Anno undecimo; sicuti *Donatus Bossius*, *Chalcus*, & *Sigonius* ad eundem Annum affirmant: itemque Junio mense; sicut *Landulfus* Cap. 19. Quidnam vero interim de *Grosulano*? Idem profecto *Landulfus* eodem illo Cap. 16. hæc tradit: *Infinita autem mala*, *quæ operata sunt per quatuor annos in ipsa guerra* (Mediolanensium adversus Laudenses) *non numero*; *sed mortem Anselmi germani mei*, *& aliorum multorum propinquorum meorum & Civium*, *per illam guerram manifestatam lugeo*; *nec tamen cœptum iter penitus desero*. *Quia dum Civitas illa Laudensis adhuc staret*, *& resisteret Mediolanensibus conantibus eam destruere*, GROSULANUS A MEDIOLANO EXULABAT: *& Laudensis ille Ardericus* (Episcopus) *suam Civitatem per rarum intrabat*, *sed Mediolanum frequentabat*. *Presbyter vero Liprandus in sua domo suaque Sancti Pauli Ecclesia consolationem Regni & Ecclesiæ devote expectabat*.

CCCVIII. Prosequitur inde *Landulfus* Cap. 17. his verbis: *At quidam*, *qui dicebantur amici Presbytero expectanti*, *& Grosulano exulanti*, *dum hæc præfata guerra agebatur inter Mediolanenses & Laudenses*, *Papienses quoque & Cremonenses*, *Laudensem Civitatem defendentes*, *suggesserunt Olrico Mediolanensi Vicedomino*, *& Anselmo de Pusterla cognominato*, *ire ad præcipuum Magistrum Anselmum de Monte-Leoduni*. *Quibus duobus fuit gratum secum ducere me Landulfum*, *Presbyteri Liprandi Alumnum*. *Et cum apud ipsum Magistrum & fratrem ejus studeremus*; *nunciatum est*
A.C. 1109. *illis*, *quod* GROSULANUS ARONAM ARCEM MUNITISSIMAM ARCHIEPISCOPATUS POSSIDET. *Quo audito Vicedominus valde infremuit*; *quia propter ejus absentiam dicebant quod hic secundus casus Grosulano contigerit*. *Et ideo*, *prout dicitur*, *Mediolanum redire festinaverunt*: IPSAMQUE ARCEM, ET CÆTERA AD ARCHIEPISCOPATUM PERTINENTIA, *a jure & potestate Grosulani vacua invenit*. *Et hi*, *qui in utroque dicebantur amici*, *quorum hortatu ipse adivit Leodunum*, *in isto reditu*, *nescio quo spiritu*, *ipsum juvenem*, *& infra ordinem Vicedominum*, *elegerunt in Archipresbyterum*. *Et facta ista electione*, *ipsi*, *qui magis erant in parte Grosulani*, *præbuerunt Grosulano consilium*, *ut huic electioni nec laudem nec vituperationem præstaret*; SED JEROSOLYMAM PETERET, ET ARDERICUM LAUDENSEM EPISCOPUM IN ECCLESIA MEDIOLANENSI SUUM FACERET VICARIUM. *In hac manifesta depositione*, *& alia non pluribus cognita*, GROSULANUS JEROSOLYMITANUM ITER INTRAVIT. Subinde vero *Vicedominus* (electus utique mense Aprili) & alii quatuor Ecclesiæ Metropolitanæ Ordinarii, mense Junio *Januam*, seu *Genuam*, perrexerunt ad *Arialdum* ejus Urbis Episcopum: ibique Ordines ab ipso, prout cuique opus erat, susceperunt: Quo facto cum lætarentur *Mediolanenses* (subdit Landulfus) *etiam in majori gaudio gavisi sunt*; *quia in ipso mense susceperunt triumphum de Cremonensibus victis & superatis apud Brixanorii Campum*. Tum

A Cap. 18. *Cognito* (inquit) *hoc triumpho per Regna*, *Rex fortissimus Henricus cum ingenti exercitu venit in Italiam*, *atque Romæ in Ecclesia Sancti Petri discalceatus stetit ante Paschalem Papam*, *expectans Coronam imperandi*. *Sed quia ipsam Coronam sibi dare distulit ipse Papa*; *ipsius Regis iram sensit*; *& se suosque Cardinales*, *quo modo non poscebat*, *sive nolebat*, *duci videt*. *Hic strages multa crevit &c*. Anno itaque superiori, quam *Henricus* in *Italiam* veniret, *Grosulanus* Arcem *Aronæ* occupaverat, nec multo post deseruerat: præterea vero etiam, *Jerosolymitano* semet itineri tradiderat postquam *Olricus Mediolani Vicedominus*
B in Archipresbyterum Aprili mense fuit electus: ejusdemque sic etiam Anni mense Junio *Mediolanenses* victoriam illam & triumphum de *Cremonensibus* reportarant. Hæc itaque omnia in Annum inciderunt *Christi* nonum supra centesimum Millesimum Proximo namque de hinc Anno *Italiam* venisse constat *Henricum*; sicut in ejusdem Anni *Epiphania* A.C. 1110.
Principibus ad Colloquium *Ratisponæ* congregatis indixerat; hoc est, ut in subsequentem Julii mensem nihil ad ejusmodi profectionem deesset; quemadmodum inter alios narrat *Sigonius* ad eundem Annum.

C CCCIX. *Henricus* (eodem teste Sigonio) *ubi dies profectionis venit*, *exercitum triginta millium hominum in duas partes divisit*. *Earum unam ipse per Montem Jovis duxit*, *alteram per Vallem Tridentinam immisit*: *ac demum*, *superatis Alpibus*, *Eporœdiam venit*. *A qua benigne acceptus processit Novariam*: *eaque*, *quia mandata sua facere recusabat*, *expugnata atque incensa reliquas officii sui admonuit*. Venerat autem in *Italiam Henricus* ineunte Autumno, sicut ex hisce *Domnizonis* in *Mathilde* Versibus aperte dignoscitur:

— *cum multis galeatus* IN ORTU
AUTUMNI VENIT, *Longobardosque peremit*,
Ardens devastans illorum maxima Castra.
Urbes munitas ejus perterruit ira.

Tum vero subdit de miserabili excidio *Novariæ*, quæ illi resistere occœperat.

D CCCX. Ceterum ibidem *Sigonius* ita progreditur: *Inde exercitu*, *qui per Tridentinam Vallem transierat*, *sibi adjuncto*, MEDIOLANUM ACCESSIT, ATQUE IBI PER CHRYSOLAUM ARCHIEPISCOPUM REGIUM INSIGNE SUSCEPIT. Eadem recitat etiam *Bartholomæus Zucchius* in Opere alias citato; sed cum suamet ipsius interpretatione, illis in hunc modum more plerumque suo adjecta: *regium insigne ferreum suscepit*. Præterea vero etiam e Libro Primo Annalium *Modoëtiensium* Cap. 37. confirmat, ita quippe asserentium: *Hic Henricus Quartus a Chrysolano Mediolanensi Archiepiscopo primo Modoëtiæ*, *postea Mediolani coronatus est*. *Gualuaneus Flamma* in Chronico *Majori* Cap. 251. & Auctor Chronici *Flos*
E *florum* fol. 136. pag. 1. sic & ipsi concordes testantur: *Hic per Chrysolaum*, *Mediolani Archiepiscopum*, *in Mediolano*, IN ECCLESIA SANCTI AMBROSII CORONATUR: *quem usque Romam associavit*, *& Papæ præsentavit*. Atqui *Grosulanus* ab hac Urbe interim aberat; *Jerosolymam* profectus, uti jam diximus Num. 308. nec inde reversus, nisi post *Henrici* reditum in *Germaniam*, uti postea videbimus Num. 320. adstipulante nobis *Landulfo*, synchrono Scriptore, cui potius adhibenda fides. Ex adverso autem Catalogus inscriptus *Successores Sancti Barnabæ* Coronationem istam non *Chrysolao*, sed *Jordano Clivio* adscribit. Quid, quod etiam *Gualuaneus Flamma* in Manipulo florum Cap. 162. diver-
F sus a semetipso in eandem sententiam abiit? Hæc utique habet: *Anno Domini Millesimo centesimo decimo*, *imperante Henrico Quarto*, *sedente Jordano de Clivi Archiepiscopo*, *ipse Henricus Imperator Mediolanum venit*, ET IN ECCLESIA SANCTI AMBROSII PER ARCHIEPISCOPUM CO-

A CORONATUR. *Qui inde volens ire Romam pro Corona Imperii, per Jordanum associatur.* Atqui *Jordanus* hoc ipso decimo Anno necdum fuerat in Archiepiscopum sublectus; ut paulo post, sive Num. 315. constabit. Quod si re quidem vera hoc Anno coronatus *Mediolani Henricus* fuit: atque si, Archiepiscopo absente, Coronatio ad hujus Monasterii ac Basilicæ Abbatem pertinebat, uti jam Num. 102. videbamus affirmatum; videsne vero quid sequatur? Sequitur ergo potius, ut ab hoc ipso Abbate coronatus ille fuerit.

CCCXI. *Gulielmus* interim Abbas, priusquam *Henricus* in *Italiam* veniret, unum e suis Monachis, B nomine *Joannem*, ad ipsum miserat, obsecratum, Privilegia Monasterii confirmaret. Cum ergo Rex *Vercellis* jam esset, ita sanxisse reperitur die Octobris mensis duodecima:

IN Nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. HEINRICUS, DIVINA FAVENTE CLEMENTIA, HUMILIS ROMANORUM REX. *Semper enim nobis justum esse videtur, quatenus justis petitionibus nostrorum Fidelium* SAPIENTIUM VIDELICET MEDIOLANENSIUM, *aures benignas accommodare non differamus, pro quibus eos fideliores esse nobis nullo modo dubitamus. Unde fore notum volumus omnibus nostris Fidelibus, sub nostro ju-* C *re & regimine degentibus,* JOANNEM, MONACHUM ABBATIÆ SANCTI AMBROSII SANCTORUMQUE PROTASII ET GERVASII, UBI EORUM CORPORA REQUIESCUNT NOBILITER TUMULATA, *nostram Dorinburg petisse Clementiam, quatenus Curtes & Castella, supradictæ Abbatiæ pertinentes cum omni sua integritate, per hujus nostri Præcepti paginam confirmando corroboraremus. Hanc igitur justam petitionem considerantes & dignam; non eorum petitionis preces turbavimus; sed pro animæ remedio nostræ nostrorumque Parentum statim concessimus; & hac Pagina nostri Præcepti confirmare* APUD VERCELLE *non tardavimus.* D *Quocirca, nullatenus prædicti Monasterii renunciata petitione, has Curtes, quas Piissimi Imperatores Ugo & Lotharius, prædecessores nostri, pro salute animarum suarum supradictæ Abbatiæ dederunt, cæterique tam Reges quam Imperatores concedendo confirmaverunt, videlicet* LEMONTAM, FELICIANUM, PAXILIANUM, ET MONTEM, SEU LEDEGNANUM; *concedendo confirmamus supradicto Monasterio cum omnibus ad se pertinentibus, cum superioribus & inferioribus: scilicet cum servis & ancillis, aldionibus & aldiabus, cum Cappellis, Castris, Districtis, atque thelonea riis, vineis, campis, pratis, pascuis, silvis, montibus, alpibus, aquis, aquarum decursibus, molendinis, piscationibus, ac cum omnibus eisdem pertinenbus. Insu-* E *per concedendo confirmamus per hanc nostri Præcepti Paginam eidem Monasterio, in subsidio Monachorum, pro remedio animæ nostræ, & Regni nostri augmento, fortrum de Castellis ipsius Abbatiæ; videlicet* DE ANTICIAGO, COLONNIA, OLEODUCTO, CAPLIATE, CARUSCO, PAXILIANO, MONTE, SEU LEMONTE, ATQUE CIVENNA, ET CAVANNACO. *Quod amplius ullis temporibus exigere vel recipere noluimus; sed Monachis ibidem Deo militantibus illud in stipendia concessimus; ita ut nullus Dux, Marchio, Comes, Vicecomes, Gastaldio, nullusque Episcopus, seu Archiepiscopus, nostri* F *Regni, magna parvaque persona, contra hoc nostrum Præceptum de prædictis rebus agere, seu causare præsumat. Si quis autem (quod non credimus) contra hoc nostrum Præceptum agere temptaverit, aut infringere voluerit; sciat, se compositurum auri optimi libras centum, medietatem Cameræ nostræ, & medietatem prædictæ Abbatiæ, cui violentiam intulerit. Quod ut verius firmiusque credatur, diligentiusque ab omnibus observetur, Sigilli nostri impressione jussimus subtus insigniri.*

Albertus Cancellarius recognovit.

Data quarto Idus Octubris, Indictione tertia, Anno Dominicæ Incarnationis Millesimo centesimo decimo, regnante Henrico Quinto Rege Romanorum anno quarto, ordinationis ejus decimo. Actum est Vercellis in Christo fæliciter. Amen.

CCCXII. Pervenit deinde *Romam Henricus* Rex A.C. 1111.
Anno *Christi* undecimo supra centesimum Millesimum, die undecima Februarii. Mox ii erupere tumultus, quos breviter perstringit *Landulfus* noster Cap. 18. lateque prosequuntur *Carolus Sigonius* & Cardinalis *Baronius* ad hunc ipsum Annum. Certe autem in ea Sutrinorum Actorum parte, quam *Baronius* Art. 7. recitat, dum Regis *Henrici* colloquium ac tractatus cum suis contra Pontificem describitur, nullus affuisse *Mediolanensis* Archiepiscopus traditur. Hæc enim tantum habentur: *In quo tractatu interfuerunt Episcopi Longobardi tres, Bernardus Parmensis* (cujus nos mentionem attigimus Num. 291.) *Bonus Senior Reginus, & Aldo Placentinus.* Quamobrem hinc quoque nos conjectamus, *Grosulanum* ibi cum Rege non affuisse: atque adeo nec eum Pontifici de more obtulisse; sicut etiam *Sigonius* adstruit. *Landulfus* porro, de cæde loquens *Romanos* inter ac Regios deinde facta (quod nobis obiter memoratum sit) hoc habet: *Ottho autem Mediolanensis Vicecomes, cum multis pugnatoribus ejusdem Regis, in ipsa strage corruit in mortem amarissimam hominibus diligentibus Civitatem Mediolanensem & Ecclesiam. Baronius* vero Art. x. e prædictis Actis hæc recitat: *Postera die* (Romani) *egressi Urbem, conserta pugna, plurimos de Imperatoris exercitu obtruncant: &, eorum captis spoliis, adversus Teutones acriorem ineunt pugnam; adeo ut eos Porticu pene propellerent, ipsumque Imperatorem equo dejicerent, atque in faciem vulnerarent. Hoc ubi Ottho Mediolanensis Comes* (sive potius *Vicecomes*) *aspexit; pro Imperatore se objiciens morti, equum illi suum, ut evaderet, tradidit. Qui nec mora a Romanis capitur atque in Urbem inductus, minutatim concisus est, & carnes ejus in platea canibus devorandæ relictæ sunt.* Ejusmodi tamen tumultu deinceps utcumque sedato, *Henricus* a *Paschali* Pontifice Imperator Idibus tandem Aprilis coronatur.

CCCXIII. *Hac re elatus Henricus* (e Sigonio siquidem verba quoque isthæc mutuamus ad eundem Annum *Christi* undecimum supra centesimum Millesimum) *tota metu trepidante Italia, recessit in Lombardiam. Bononiam agmine pacato ingressus, ad frænandos hominum impetus, & continendum in fide Populum, Civibus præ circumsedentis exercitus pavore mussantibus, Arcem construxit, eamque præsidiis confirmavit. Parmam inde decimo octavo Kalendas Junias prodiit. Inde, postquam per triduum Bibianelli cum Mathilde fuit, in Germaniam abiit: atque Augusto mense Spiræ, Episcopis ac Principibus aliquot evocatis, Patri tum demum sepulto magna cæremonia ex permissione Pontificis parentavit. Inde Conventu Moguntiæ habito, Adelbertum Archiepiscopum designatum per Annulum Baculumque, ut, ante, instituit. Interim Mediolanenses arma, quæ, Cremonensium audacia vindicata, Henrico in Italiam veniente posuerant, rursus post ejus profectionem sumpserunt,* ET LAUDENSIBUS BELLUM INTULERUNT, sive potius redintegrarunt jam antea illatum, sicuti nos Num. 207. dicebamus. Et paulo post: *Paratis igitur occulte rebus omnibus ad obsidionem Oppidi necessariis, mense Majo ad Urbem ex improviso processerunt: eamque ita ab omni parte clauserunt, ut neque a Cremonensibus neque a Papiensibus sociis possent, aut militibus introducendis, aut commeatibus importandis, juvari. Ita factum, ut, cum rei frumentariæ, cui mature non erat provisum, copiam non haberent, neque aliunde suppeteret, quo famem tolerarent, languentibus inedia membris, fractisque desperatione animis, Laudenses Kalendis Juliis in pote-*

ſtatem pervenerint. Urbe capta, aſperius in tecta homineſque conſultum eſt. Primum ædificia fere omnia, publica privataque, ita diruta ſunt, ut Urbs cæteroqui magna ad ſex tantum Vicos redacta ſit. Deinde leges & tributa graviſſima ſunt impoſita: quæ ſubinde idem Autor proſequitur; ſicut & *Triſtanus Chalcus* ad eundem Annum. *Landulfus* Cap. 18. poſt hanc *Henrici* Coronationem reditumque feſtinatum in *Germaniam* ita denique concludit: *Mediolanenſes quoque, cum iſte Imperator per Veronam a Roma in Germaniam properabat, gladiis & incendiis diverſiſque inſtrumentis* FUNDITUS DESTRUXERUNT LAUDEM, IN LONGOBARDIA CIVITATEM ALTERAM.

CCCXIV. *Jordanus* interim de *Clivi*, Subdiaconus a *Groſulano* jam ante ordinatus, *cum ipſe Groſulanus videbatur pacifice tenere Archiepiſcopatum* (ſicut inquit Cap. 19. *Landulfus*) publici Paganorum Auctorum Lectoris munere fungebatur in Provincia, quæ dicitur Sancti *Ægidii*. Cum igitur *Ardericus de Carimate*, atque *Olricus Mediolani* Vicedominus, aliique nonnulli Metropolitanæ Baſilicæ Ordinarii ipſum inde in Patriam revocaſſent; *hunc quoque* (Landulfo eodem narrante) *Ardericus prædictus de Carimate* IN MENSE SEPTEMBRI, QUI FUIT QUARTUS A JUNIO, QUO CIVITAS LAUDÆ DESTRUCTA FUIT, *jam dicto Januenſi Epiſcopo* (Arialdo) *repræſentavit: & ipſe Epiſcopus ipſum Jordanum & plures alios de Mediolanenſibus in Sacerdotes benedixit.*

CCCXV Octobri deinde menſe certus eligitur e Clero numerus, qui cauſam *Groſulani* dijudicet: eoque tandem abdicato, *Jordanum de Clivi* Archiepiſcopum eligunt. *Landulfus* ipſe, qui tunc præſens erat, & in partem conſilii vocatus, hæc nobis recenſeat. *Octobri vero* (inquit Cap. 20.) *menſe ſequenti flumina per continuam pluviam in tantum creverunt, quod non ſolum Villas, ſed ipſam Civitatem, in mirum modum perturbarent. Quidam etiam ſibi & Mundo finem timuerunt; quia homo imperabat, qui Patrem ſuum oppreſſerat. Sed Guazo Cuminus una cum Amizone de Sala, & aliis quam pluribus, tam Clericis quam Laicis, tendentes ad alia cœperunt prædicare & dicere, diſcordiam de Groſulano eſſe malitiam altero Diluvio dignam. Ad quorum voces Joannes Maneri, & Petrus de Carate, qui erant primi & maximi in parte Groſulani pugnatores & defenſores, & conſcii conſilii Guazonis atque Amizonis, coram Populo reſponderunt, & illis dixerunt: Dicite, quid nobis vultis fieri ex parte noſtra? Qui dixerunt: Volumus, quod Ardericus de Carimate, qui Levita eſt Ordinarius, Presbyter Joannes Eccleſiæ Sancti Naboris Præpoſitus, Presbyter Nazarius Muricula, Presbyter Petrus de Sancto Carpophoro, Presbyter Lanterius de Sancto Protaſio in Campo, Presbyter Albricus de Sancto Dalmatio, Presbyter Arricus de Sancto Victore ad Theatrum, Presbyter Ambroſius de Sancto Joanne ad Concham, Presbyter quoque Galdo de Sancto Michaële, quos omnes ſcitis eſſe defenſores Groſulani: & ex altera parte volumus, quod Vicedominus, Anſelmus de Puſterla, Anſelmus de Badaglo* (niſi malis *de Badagio*) *Presbyter Richelmus Præpoſitus Eccleſiæ Sancti Nazarii,* PRESBYTER GIRARDUS PRÆPOSITUS CANONICÆ ECCLESIÆ SANCTI AMBROSII, *Rubricus quoque Eccleſiæ Præpoſitus Sancti Stephani, Presbyter Arialdus Amerii, Presbyter Lafrancus Propheta, & nos duo, videlicet Guazo & Amizo, cum illis jurabimus, quod uſque ad iſtas Calendas proximi Januarii concorditer dabimus juſtam & rectam ſententiam ſecundum Canones de diſcordia Groſulani, ſi poſſit eſſe Archiepiſcopus Mediolani, ſive non. Et ſi non poterit eſſe; de alia perſona concorditer faciemus catholicam electionem in eodem die. Volumus etiam, ut Landulfus Carogna qui eſt Presbyter Ordinarius, & Anricus de Birago qui eſt Levita Ordinarius, Presbyter Joannes*

A *Actilens, Presbyter Olricus de Sancto Martino, Joannes etiam Manerius, Guazo Taſtaguadum, & alii Clerici & Sacerdotes, Milites & Cives, quos nos vocabimus, veniant, & jurent tenere ſententiam, quam nos decem & octo dabimus, ſine diſcordia & ſchiſmate, de Groſulano tenendo, ſive dimittendo; ſive de alia perſona, quam nos concorditer eligemus.* In hæc igitur verba, tametſi *Landulfus* Hiſtoricus adverſaretur, ſicuti condixerant, juratum eſt tamen, & e licentia Epiſcopi *Laudenſis Arderici*; quippe qui Vicarium interim *Groſulani* agebat. *Sed cum in ultimo die Decembris* (verba ſunt ejuſdem Landulfi Cap. 21.) B *Ardericus ille & decem ſeptem alii eſſent in concordia eligendi Jordanum; ego juſſu Andreæ Primicerii Presbyterorum & Clericorum Decumanorum Mediolanenſium ad eos veni: &, ut ipſe Primicerius mihi præcepit, eis dixi, quod male conſiliati erant. Verumtamen ipſi conſilium non mutaverunt; ſed mane facto, videlicet Calendis Januarii, Ardericus idem cum Vicedomino & cæteris ſibi conjuratis in abjiciendo Groſulanum, vel in ſuſcipiendo, aut in alium eligendo Archiepiſcopum, catholice pulpitum aſcendit;* A.C. 1112. *& facto ſilentio in Populo, coram illa maxima multitudine loquens dixit: Nos, ſalva reverentia Papæ, ſecundum auctoritatem & juſtitiam, Canonum dicimus, quod Groſulanus non poteſt eſſe Archiepiſcopus Mediolani. Iſto dicto & confirmato, illico* C *Presbyterum Jordanum de Clivi elegit in Archiepiſcopum. Hoc cum Presbyter Liprandus* (de quo tam multa in ſuperioribus dicta ſunt; jam enim e *Valtelina* Valle ad Eccleſiam ſuam redierat, priuſquam *Henricus* in *Italiam* veniret, ſicut habetur e Cap. 14.) *audivit; ægrotus e lecto ſurrexit; & in altera die illi Electo piſcem obtulit, dicens: Gratias Deo, quod nunc mihi teſtimonium perhibetis. Sed hi, qui te elegerunt in Archiepiſcopum, male fecerunt, & Deus illis miſereatur; quia tu poſſes eſſe unus bonus Presbyter de Clauſtro. Nunc autem maſculus eſt. Liprandus* ergo illum eſt oſculatus: ac denique *Arialdus Januenſis* & *Mamardus Taurinenſis* Epiſcopi, præſente *Landulfo Aſtenſi*, non ut Epiſcopo, ſed ut viatore, Archiepiſ- D copum conſecrarunt; tametſi non ſine aliquorum obtrectatione, & murmure. *In quo murmure*, (ſubdit Landulfus) *Epiſcopi ſupranominati, videlicet Azo Aquenſis & Ardericus Laudenſis videntur fuiſſe. Vigilante itaque hoc murmure, Mamardus Taurinenſis illico Romam adivit, & Stolam petiit: & rediens inde, Stolam & chartam continentem ſacramentum, quod Papa poſcebat a Jordano, attulit; alioquin Stolam dari Jordano Papa prohibuit, ſicut idem Mamardus notavit. At Jordanus per ſex menſes jejunus fuit, & Stolam non habuit. Sed infra hoc ſpatium ſex menſium, Bernardo Epiſcopo Papienſi* (erat hic ergo jam Epiſcopus hoc Anno ſupra Milleſimum centeſimum duodecimo; & non tantum incœpit vigeſimo, ſicut E aliqui cenſuerunt) *& Jordano Mediolanenſi conſentientibus, Papienſes & Mediolanenſes ſtatuerunt & juraverunt ſibi fœdera, quæ nimium quibuſdam videntur fuiſſe Imperatoriæ majeſtati & Apoſtolicæ auctoritati contraria; cum iſti Cives jurarent ſibi ſervare ſe & ſua contra quemlibet mortalem hominem natum, vel naſciturum.* Hactenus *Landulfus*. E quibus, ſicut etiam e ſequentibus, *Triſtanum Chalcum* refellas, iſthæc ſcribentem: *Cum vero elapſis octavo & nono Annis fuiſſet decimus a Milleſimo & centeſimo, Jordanus Clivius Groſſulano defuncto in Archiepiſcopatu ſufficitur.*

CCCXVI. Tam celebris & frequens Presbyteri *Liprandi* mentio iſtud a nobis tandem requirit, ut nunc de ipſius ſeceſſu ab Urbe, ſicut etiam poſtea F de obitu, dicamus. Celeberrimum adhuc durat in Agro *Bergomenſi* Monaſterium, ultra flumen *Abduam* ſitum, & a *Brippio Mediolanenſis* Agri cis *Abduam* Oppido duobus circiter milliaribus diſtans, quod *Pontidenſe*, ſive *Pontidienſe*, appellatur. Primus illius fundator & Abbas fuiſſe dicitur Beatus quidam *Al-*

Albertus: qui, cum antea sub Sancti *Hugonis* Abbatis *Cluniacensis* disciplina vixisset, Anno tandem *Christi* nonagesimo quinto supra Millesimum Calendis Septembribus illic occubuit; tametsi memoria ipsius celebretur mensis ejusdem die quinta; sicut observat etiam *Philippus Ferrarius* ea die in Catalogo Sanctorum, qui non sunt in Martyrologio *Romano*. De ipsius vero Sancti Abbatis Vita, tum etiam de istius Monasterii origine videri possunt *Marci Antonii Benalii* & *Joannis Antonii Guarnerii* Commentaria *De Vita & rebus gestis Sanctorum Bergomatum*, & ejusdem argumenti Liber *Italicus*, a *Mario Mutio* conscriptus. *Multum desidero* (sic enim *Landulfum* Cap. 23. *Liprandus*, in summa jam positus senectute, alloquebatur) *hujus Mundi vitam meam finire in manibus eorum, quorum protectione corpus & anima, præstante divina gratia, protegatur a manibus eorum, qui protegendo Grosulanum, voluntatem Dei occultare voluerunt, & volunt.* Itaque (sicut idem *Landulfus* attexit Cap. 24.) *delatus est ipse Presbyter ad Pontidii Monasterium, me nesciente. In quo Monasterio coram Monachis & Fratribus a festo Sancti Nicolai* (Myrensis nimirum Episcopi die sexta Decembris; nec enim Tolentinas adhuc in lucem prodierat) *usque ad festum Epiphaniæ Domini splendide vixit.*

CCCXVII. Spargitur interea rumor, *Grosulanum* ab *Jerosolymis* redire: *Jordanusque* Archiepiscopali *Stola* insignitur. *Igitur, Presbytero Liprando posito in Pontidii Monasterio* (prosequitur *Landulfus* Cap. 25.) *fama de* GROSULANO REDEUNTE AB JEROSOLYMIS *aures Jordani & Ordinariorum ejus implevit. Et Mamardus Taurinensis Episcopus iterum Mediolanum venit: atque Stolam, quam in præcedenti Anno sine sacramento Jordano dare noluit, neque dedit, nunc, videlicet in festo Sancti Nicolai, quando Presbyter Liprandus Pontidium intravit,* SUPER ALTARE SANCTI AMBROSII POSUIT, ET JORDANUS OSCULANS EAM DE IPSO ALTARI ASSUMPSIT. *Quæ positio & assumptio, absentibus Ordinariis & Primiceriis, facta fuit.* Uno igitur eodemque *Christi* Anno, juxta nostram e Calendis Januarii supputationem duodecimo, *Mamardus Jordano* Stolam injurato dare noluit, atque etiam postea jurato denique dedit; sicut e contextu liquidissime jam constat. Verum tamen a *Landulfo* mox dicebatur eam illi dare noluisse *in præcedenti Anno*, quam utique tandem dederit in subsequenti. Quid ita? Nimirum eam illi *Mamardus* dare injurato noluerat ante Incarnationis Dominicæ diem, Martii demum exacti vegesimam quintam: e qua scilicet die Annum ipsum *Christi* duodecimum *Landulfus* computabat. Nec enim aliter ipse nobis videtur interpretandus, ne forte in Anno illo indicando lapsus memoria, vel calamo saltem, admittatur.

A.C. 1113. CCCXVIII. Anno *Christi* decimo tertio supra centesimum Millesimum in *Pontidii* Monasterio Presbyter *Liprandus* moritur in Festo *Epiphaniæ* Domini. *Atque in ejusdem Festivitatis nocte* (Landulfus narrat Cap. 24.) *quando spiritum emisit, magnus & suavis splendor domum, in qua jacebat, admirantibus circumstantibus illustravit & illuminavit: & sic ipse prædixerat Fratribus. In illa hora, quando corpus ejus ferebatur ad sepulchrum, Solis splendor aërem illuminavit, & nubes cum nive cessavit. Ipso quoque Presbytero existente in vita, cum Jordanus & cæteri Grosulanistæ calumniabantur eum, & suam legem, nobilis miles Placentinus de faucibus mortis ad laudem ejus ereptus est. Quia cum miles ille esset quasi in somno, sensit hunc Presbyterum palpare guttur suum; & statim evomuit os piscis, quod suffocabat eum. Eodem etiam tempore, cum domus cujusdam sui affinis & sibi attrahentis arderet, repente imber fuit, & paleam & domum ipsius Presbyteri integre servavit. Quod si currerem per singula, quæ fecit; ad laudem ejus deficeret quidem spiritus meus.* Hæc *Landulfus* ibi: qui Cap. item 14. mirabile quiddam de hoc eodem *Liprando* narraverat.

CCCXIX. Sicuti vero fama velocior Euro jam sparserat; sic etiam re ipsa *Mediolanum Grosulanus* ab *Jerosolymis* redibat. Quocirca jam enses & lanceæ acuebantur; ut, cum ipse advenisset, *Jordanus* ab Sede Archiepiscopali ejiceretur. Sed & *Jordanus* vicissim homines ad se tuendum colligebat, vel etiam promptos manu, & bello satis opportunos. Sic enim *Landulfus* Cap. 25. testatur; sic etiam inde factum scribit, ut Monasterii hujus Abbas discesserit. *Prout quibusdam placet* (inquit ille) *non debet esse absurdum,* QUOD GULIELMUS VENERABILIS ABBAS HOC IN TEMPORE, *subridens & condolens de his casibus Clericorum Pontificum Militum & Civium,* DESERVIT SANCTI AMBROSII MONASTERIUM, *& rexit & regit Abbatiam Monasterii Sancti Solutoris, constructam in Episcopatu Taurinensium.*

CCCXX. *Grosulanus* ergo *Mediolanum* tandem ingreditur. IN AUGUSTO (inquit *Landulfus* Cap. 26.) *qui fuit octavus mensis ab illo, in quo Presbyter Liprandus obiit.* IN ISTO ENIM MENSE ET GROSULANUS JEROSOLYMIS REDIIT, ET PRIUS POST LEGEM FACTAM DE EO IGNITAM (quando scilicet *Liprandus* per ignem transiit illæsus) INTRAVIT MEDIOLANUM (quid apertius, ut probemus, ipsum *Henrici* Coronationi non affuisse) *ibique tunc ad locum,* UBI SANCTUS VICTOR CARCERATUS FUIT, *suos labores, suosque thesauros Sacerdotibus & viris quos sibi putabat fideles, explicavit: & explicando induxit benignitatem, qua pavit & induit Jordanum, quem fecerat Subdiaconum. Videbant etiam instare adversus Jordanum; eo quod dicebat, eum sibi jurasse & dejerasse. Quod fortis & valida turba Jordani non sustinuit: sed assumptis armis maximum insultum in Grosulanum, fecit ipsius autem Grosulani caterva undique concurrens, ferendo & inferendo vulnerationes, orbitationes, & occisiones multas in equis & in hominibus, fortiter & prudenter ipsum Grosulanum per quindecim dies in Turribus de Porta Romana* (quam pariter ad Portam carceri olim mancipatus dicitur Sanctus Victor) *servavit.* Plurima igitur utrinque strages. *Anselmus de Pusterla* suadet, ut legitima Synodus dirimendæ liti congregetur; sed in hujus consilii mercedem a *Jordano* excommunicationem reportat, ut habetur *Landulfi* Cap. 26. & 27.

CCCXXI. Sicuti ex eodem Cap. 27. habetur, *Grosulanus* a *Jordano* accepta ingenti pecuniæ summa, neque tantum cum suis, sed etiam cum *Jordanistis* communicata, *Mediolanum exivit, atque Placentiam adivit: ibique in Monasterio Sancti Marci, quod est de Congregatione Vallis Umbrosæ, hospitatus invenit Ardericum Laudensem, quem fecerat sibi Vicarium, in victu & vestitu ejusdem Congregationis Monachorum* &c. Quocirca vel hinc etiam tu videas, Lector, hujus Episcopi exitum. Quid si vero *Vallumbrosanus* pariter Monachus fuerat *Grosulanus*, antequam in Episcopum *Saonensem* eligeretur? Talis utique nobis ille videbatur Num. 284. & 291. ac præterea e *Landulfi* Cap. 4.

CCCXXII. *Baronius* ad Annum *Christi* Millesimum centesimum decimum sextum e *Conradi* Abbatis *Urspergensis* Chronico (floruit autem hic Auctor post Millesimum ducentesimum *Christi* Annum) exscribit Acta Concilii *Romani* ac *Lateranensis*, quod a *Paschali* Secundo Papa pridie Nonas Martii Feria secunda hoc ipso Anno congregatum fuit ad hoc etiam, ut controversia de Archiepiscopatu *Mediolanensi Grosulanum* inter ac *Jordanum* tandem aliquando dirimeretur. Quoniam igitur exinde jam (sicut & apud *Sigonium* eodem ipso Anno) in promptu sunt ejusmodi Acta; eadem hic nobis potius, publicæ lu- A.C. 1116.

luci nunc primum data, recenseat *Landulfus* noster *De Sancto Paulo*, qui Concilio ipsi præsens interfuit; prout idemmet ipse narrat Cap. 29. *Ego itaque* (inquit) *mœrens de hac intrusione* (quippe *Nazarius Muricula*, jam factus Primicerius, alterum sui loco intruserat in Ecclesiam Sancti *Pauli* IN COMPITO, quam juris esse sui *Landulfus* contendebat) *& omnis Ecclesiastici Beneficii & officii in me facta expoliatione, ivi ad Synodum, quam Papa Paschalis pro causa Grosulani & Jordani Romæ celebravit. In qua supradictus Anselmus de Pusterla secundum suam dignitatem honestum locum habuit, & sedit; sed neque pro Grosulano, neque adversus Jordanum, verbum bonum aut malum protulit. Jordanus vero a principio Synodi usque in finem sedens & silens a dextera Apostolici, nullo mediante. in ipsa Synodo fuit. At Grosulanus, ibi stando & sedendo inter Archiepiscopos & Episcopos, ceu vir prudens intendebat ad destruendam Jordani impositionem, & conversionem eorum, qui ipsam fecerant impositionem: & intendendo ad ista, egregie loquebatur de positione & restitutione sua, qua positus & restitutus fuit in Mediolanensi Ecclesia. Cui viro, homo, qui in ista Synodo sive in Lateranensi Palatio contradixerit, certum locum non habuit. Sed Dominus Papa Paschalis, quasi affectans reddere illum placabilem Deo & sibi, ejus scientiam ejusque facundiam commendabat: atque labores, quos ipse Papa per se suosque Legatos Romæ & per Longobardorum Provinciam pro ipso Grosulano sustinuerat, coram Synodo referebat: & ad leniendam duritiam & asperitatem eorum, qui nec positionem nec restitutionem Grosolani susceperant vel suscipiebant, non solum de Presbytero Liprando ejusque lege mentionem faciebat, sed ruinam Gabutæ* (de qua nos jam Num. 301.) *introducebat. Quæ ruina tunc apparuit, quando ipse Grosulanus juravit, & ad accipiendam restitutionem ascendit. Insuper inferebat, quod Grosulani translatio de Episcopatu Saonensi ad Archiepiscopatum Mediolanensem utilitatem non contulerat. Quos casus Grosulanus clypeo Ecclesiasticæ consuetudinis & legis a se quodammodo repellebat. Veruntamen Domnus Papa, nec Synodus, neque in prima, neque in secunda, neque in tertia, sive in quarta die Synodi, Grosulano, per singulos dies pro se suaque causa in Palatio & Synodo agenti, non satisfecit. Sed Grosulanus in quinta die* (Sabbati vero dies erat, eo quod Feria quinta Pontifex in Concilio non sedisset, uti narrat Urspergensis) *qui fuit ultimus illius Synodi, Apostolico instanti suis cum prædictis objectionibus flendo inquit: Domine, Domine, veniam ad Vos; quamvis ii, quibus dedisti potestatem judicandi causam meam, me non diligant. Tunc Portuensis Petrus Episcopus se & ceteros habentes hanc potestatem de malevolentia habita in Grosulanum honeste & sufficienter excusavit. Et cum excusasset, in communi concordi illius excusantis & cæterorum habentium potestatem istam prolata fuit Sententia: quæ prohibuit Grosulanum Mediolanensem Ecclesiam inquietare: & ad Episcopatum dixit ei redire.* Hactenus e *Landulfo* Acta hujus Synodi, quantum quidem ad nostratem controversiam spectant: a quibus ne Abbas quidem *Urspergensis* quippiam dissentit, reliquas item prosecutus stylo causas in Concilio agitatas.



CCCXXIII. *Jordanus vero* (hinc enim Landulfi Caput 30. incipit) *audita & publicata illa Sententia de redeundo Grosulano ad Episcopatum* (Saonensem) *coram ipsa Synodo theatrum ascendit, & ibi ad pedes Apostolici stratus grates illi reddidit: & elevatus ab ipso Apostolico gratiam & Virgam Pontificalem in ipso theatro suscepit. Altera vero die ipse Jordanus Archiepiscopus, monitus a Landulfo Astensi Episcopo & quibusdam aliis Episcopis, in quadam Ecclesia Lateranensi, vivo & deposito quondam Episcopo Armano Brixiensi, ordinavit Brixiensem Electum in Episcopum, nomine Villanum. In qua Ordinatione secundum Ordinis mei officium legi Lectionem de Libro Exodi: atque Mitram, de capite illius Villani casu ruentem, in ipsius capite firmavi.* Quæ quidem a nobis in gratiam *Brixiensium* superaddita sint. Forte siquidem ipsis nullatenus displicebit hinc etiam suorum Antistitum Indicem Chronologicum vel emendare, vel ad minus illustrare.

CCCXXIV. Eodem Anno Millesimo centesimo decimo sexto *Jordanus*, *Mediolanum* reversus, *Henricum* Imperatorem, *Joanne Cremense* Cardinali *Romano* præcipiente, e suggestu Basilicæ Metropolitanæ Sanctæ *Theclæ* denunciat excommunicatum. Ita siquidem affirmat *Landulfus* Cap. 31. Tametsi vero causam reticeat; nos tamen nihil ambigimus, quin eadem illa fuerit, propter quam in multis alibi Conciliis ac nuper in *Romano* (sicut ex *Urspergensi* constat) excommunicatus ille fuerat; quia scilicet, quando *Romæ* demum fuerat pro capessenda Imperiali Corona, tam indigne Pontificem Cardinales ac *Romanos* tractasset.

CCCXXV. Sequenti Anno in *Longobardia* guttæ sanguinis ad modum pluviæ de cœlo descenderunt, monstrosi partus & alia multa prodigia in aëre, in aquis, in montibus, in planitiebus, silvisque visa, & subterranea tonitrua ingenti cum pavore audita fuerunt; sicuti narrat Cap. 31. *Landulfus.* Quibus de rebus pariter hoc Anno *Sigonius* agit. Quo pariter Anno *Bossius* in Chronico *Mediolanensi* asserit die tertio Januarii terræ motum per universam *Italiam* fuisse, Provinciale sic etiam Concilium *Mediolani* convocatum. *Longobardorum autem Civitates* (eodem Cap. 31. subdit Landulfus) *& earum Pontifices, audita Legatione Jordani Archiepiscopi & Consulum ejusdem Urbis, in statuta die convenerunt Mediolanum* IN PRATO SANCTO, QUOD DICITUR BROLIUM, *ubi Archiepiscopus & Consules duo theatra constituerunt. In uno Archiepiscopus cum Episcopis & Abbatibus & Ecclesiarum Prælatis stetit & sedit: in altero Consules cum Juris Legum & Morum peritis. Atque in circuitu eorum affuit innumera multitudo Clericorum & Laicorum, mulierum quoque & virginum, expectantium sepelitionem vitiorum, & suscitationem virtutum.* Hæc autem atque hujusmodi alia hoc ipso terræ motus tempore agebantur *Mediolani* non ultra decem menses ac dimidium, antequam *Paschalis* Papa secundus moreretur; sicuti constat ex ejusdem *Landulfi* Cap. 32. Mortuus autem ille fuit Anno decimo octavo supra Millesimum centesimum, medio mense Januario. Quamobrem Concilium illud ac terræmotus in superiorem Annum inciderunt decimum septimum, circa finem Februarii. De quo quidem terræ motu neutiquam nobis tacendum est illud, quod neque tacuit hoc Anno *Baronius* Art. XI. e *Rogerio de Hoveden* hoc ipso Anno in Annalibus Anglorum. *Apud Longobardiam* (inquit) *magno terræ motu facto, &, ut testati sunt qui novere, quadraginta dierum spatio durante, plurima domorum ædificia corruerunt. Et, quod visu dictuque constat mirabile, Villa quædam prægrandis mota est repente de statu proprio, jamque ab omnibus in loco longe remoto consistere cernitur.* Præterea vero etiam: *Viri Mediolani, Patritiæ dignitatis, dum de Republica tractantes sub una residerent Turri; auribus omnium vox foris insonuit, unum ex illis nomine vocans, & festinato exire rogans. Quo tardante, persona quædam apparuit: quæ vocatum virum. ut egrederetur, prece obtinuit. Exeunte illo, Turris repente cecidit: & omnes, qui ibidem erant, casu miserabili oppressit.*

CCCXXVI. Superiore Anno *Romana* Synodus *Grosulano* mandaverat, ut ad Episcopatum suum *Saonensem* rediret; uti Num. 322. dicebamus. *Ipse autem* (sic enim protinus Cap. illo 29. narrare pergit Landulfus) *non ad Saonam ivit; sed in ipsa Urbe* (Roma) *apud Monasterium, quod dicitur* SANCTI SABAOTH, *per annum unum & menses quatuor ut Episco-*

Episcopus vixit; atque ibi sepultus est octavo Idus Augusti. Quamobrem hoc ille obiit Anno Millesimo centesimo decimo septimo. Passim tamen nostrates alii Scriptores *Grosulanum* afferunt *Romæ* sepultum fuisse ad Sanctum *Sebastianum*. In his est *Gualvaneus Flamma* in Chronico Majori Cap 251. ubi etiam procul a vero addit obiisse Anno Domini nono supra Millesimum centesimum: *Donatus Bossius* in Catalogo Archiepiscoporum: Catalogus item ipse Actis Ecclesiæ *Mediolanensis* innexus: Catalogus item, cui nomen *Successores Sancti Barnabæ*: sic etiam duo illi, quorum unum nobis Archipresbyter Metropolitanus, alterum vero Civitatis Secretarius commodavit. In quo quidem postremo præterea legitur ejusdem *Grosulani* Epitaphium, a *Fontana*, superadditarum ibi Notationum auctore, adjectum tamquam ex *Appiani* Libro Epitaphiorum, & tamquam *Romæ* in Sancto *Sebastiano* existens. Ut nostris etiam Lectoribus innotescat, en illud:

Insubrius patria Chrysolaus gentis alumnus
Ambrosiæ Præsul Religionis eram.
Romana lasso pro te, non Itala tantum,
Lustrata est omnis Parrhasis ora mihi.
Invida mors meritum, nihil est, quod tollis honorem;
Pensata æternis sunt mea damna bonis.

Hic idem *Grosulanus*, *Joanni Trithemio Grisolanus*, ab ipso mirifice in Libro de Scriptoribus Ecclesiasticis commendatur eo etiam titulo, quod adversus *Græcos* eruditissime Librum scripserit *De Spiritu Sancto*. Forte fortuna *Baronius* hunc ipsum, tametsi truncatum, nactus edidit inter Acta Millesimi centesimi decimi sexti Anni, multaque subinde in ejus laudem contraxit Ceterum Art. 7. censuerat, hæc de Spiritu Sancto (sive de ipsius processione a Patre Filioque) a *Chrysolano* in Oriente disputata, & quidem coram Imperatore *Alexio Commeno*, ad quem fuisset a *Romano* Pontifice legatus; tametsi Legationis ejusmodi causam se nescire fateatur. Atqui nos adhuc, non aliquam Legationem Apostolicam, sed potius ab Urbe *Medialano* secessionem, ac velut exilium (sicuti supra dictum est) agnoscimus occasionem illi fuisse, qua illic talia contra *Græcos* disseruerit.

A.C. 1118. CCCXXVII. Cum *Paschalis* Papa Secundus Anno Domini Millesimo centesimo decimo octavo, die quinto decimo Calendas Februarii mortuus fuisset; Cardinales illico in ejus locum substituerunt *Joannem Cajetanum*, atque *Gelasium* Secundum appellarunt. Contra vero *Henricus* Imperator die post *Gelasii* electionem quadragesimo quarto alium quendam, e primævo Burdini nomine *Mauritium* Episcopum *Bracharensem*, indito *Gregorii* Papæ Octavi nomine in Apostolicam Sedem intrusit. Et hæc quidem satis abunde *Landulfus* quoque noster Cap. 32. recenset. Quo denique ibidem teste, *Imperator iterum ad Germaniam rediens, ipsum Gregorium suum Papam in Sutrina Civitate quasi securum duxit.* Priusquam tamen in *Germaniam* rediret, ibi propterea denunciatus jam fuerat excommunicatus in duobus Conciliis, uno *Coloniensi*, altero *Friteslariensi*, congregatis per Apostolicæ Sedis Legatum, illuc a *Gelasio* celeriter directum, *Cononem* videlicet *Prænestinum* Episcopum. Videatur hoc ipso Anno *Baronius* Art. 20. Abbatis *Urspergensis* testimonio usus.

CCCXXVIII. Sequitur Cap. 34. *Landulfus*: *Ubi Imperator a Roma exivit, & se a prædicto Papa Gregorio, sive Burdino, prolongavit; mox manus Guidonis Comensis Episcopi, ejusque Militum & Civium violenter apprehendit Landulfum Carcanensem, Mediolanensis Ecclesiæ Clericum Ordinarium & Ministrum: & in ipsa apprehensione interfecit Otthonem, ejusdem Landulfi nepotem, & Urbis Mediolanensis egregium Capitaneum. Hinc Jordanus Pontifex Mediolanensem Concionem Militum & Civium clamantium in Cumanos intravit: ibique connumerando, & lamentando quàm plura mala, quæ Cumani fecerant in rebus etiam Mediolanensis Archiepiscopatus, ipsam turbam Concionis ad faciendam vindictam inflammavit. Eodem quoque tempore Pontifex Jordanus obseratis januis Ecclesiarum suo Populo negavit introitum, nisi materiali gladio vindicaret malitiam Cumanorum. Demum ad sonitum vocis & jussu hujus Pontificis Mediolanensis Populus cœpit facere guerram Cumanis: atque in primo exercitu, quo Mediolanenses castrametati sunt in Canneto, Civitatem ipsam Cumanam occupaverunt: ipsumque Landulfum, qui Investituram Cumani Episcopatus a Rege, & Ordinationem a Patriarcha Aquileiensi suo Metropolitano susceperat, de captione liberaverunt.* Hoc igitur Anno supra Millesimum centesimum decimo octavo cœptum est a *Mediolanensibus Comense* bellum; non autem vigesimo; sicut *Sigonius* scribebat. Certe verò atrox illud & sævum ac diuturnum fuit.

CCCXXIX. *Marchiones vero & Comites Longobardiæ* (subdit paulo post *Landulfus* eodem Cap. 34.) *in hac tempestate convenerant Mediolani, ut ibi coram Episcopis Suffraganeis & Comprovincialibus explicarent Imperatoris innocentiam, & ipsum Imperatorem perducerent in Archiepiscopi & Episcoporum benevolentiam. Episcopi itaque consedentes in Palatio Mediolanensi una cum Archiepiscopo attente audierunt Marchiones & Comites fideliter loquentes de Domino suo: propter quorum verba quam plures arbitrati sunt, Imperatorem esse alienum ab excommunicationis culpa. Sed cum Archiepiscopus & Episcopi contentiose adversus Marchiones & Comites Duces & Reges disputarent; Milites & Cives Mediolani in atrio Ecclesiæ jurabant facere guerram Cumanis, donec Vicum & Coloniolam destruerent, Civitatem quoque ipsam dissiparent.*

CCCXXX. Sequitur Annus *Christi* supra Millesimum centesimum decimus nonus: quo *Gelasius* Secundus Papa mense moritur Januario, & post paucos inde dies *Callistus* illi Secundus substituitur. De A.C. 1119. cujus Concilio *Rhemensi*, atque Colloquio cum Imperatore *Landulfus* noster in extremo Capitis 33. suam exprimens, quando hæc scribebat, ætatem, *plura* (inquit) *scribere digitum meæ sexagenariæ ætatis non constringo.* Congregatum autem illud fuit decimo tertio Kalendas Novembris. De quo *Baronius* hoc eodem Anno ab Art. 8.

CCCXXXI. De hoc eodem loquens Anno *Tristanus Chalcus* hæc scribit: *Sequenti Anno Mediolanum venerunt tres religione insignes Viri, Thebaldus Prior,* BERNARDUS *Monachus* (sic enim grandioribus etiam, præcellentiæ gratia, rubrisque characteribus solius *Bernardi* nomen in Auctoris autographo vidimus efformatum) *& Landulfus eorumdem socius: qui Populum in Theatro sedentem præstolati (durabat enim adhuc antiquissimi operis usus) prodierunt in medium: & gratiis actis, quod eorum omnium consensu & impensa fundatum extructumque foret in Bergomatium Vico Pontida Cœnobium in honorem Divi Jacobi, idque jam commodum & habitatorum capax; rogarunt, ut insuper vellent juberentque immune & liberum servari ab iis oneribus & vectigalibus, quibus prægravari interdum prædia solent. Id quod exaudientes universi, una voce succlamarunt:* FIAT, FIAT. *Inibique publicæ Tabulæ traditæ fuerunt: jussique omnes sive Cives, seu Capitanei, seu Valvassores, nihil omnino ex sacratis Deo dicatisque Cœnobio opibus attingere. Subscripsere Diplomati (ut qui mos foret tunc Tabulas conficiendi) quinque & viginta Viri &c.* quos ipse videlicet singillatim enumerat; sicut & *Bernardinus Corius* ad eundem Annum. Sed quisnam, obsecro, *Bernardus* ille Monachus erat? Vel ea profecto characterum amplitudine videri poterat *Chalcus* non alium indicasse *Bernardum*, quam *Claravallensem* Abbatem, velut hoc jam tempore apud *Mediolanenses* quoque celeberrimum. Sed omnem postea dubitationem ille etiam sustu-

sustulit, qui marginales Notas Indicemque totius Operis concinnavit. Utrobique siquidem aperte hunc esse Sanctum illum Abbatem significavit. *Corius* porro tam luculenter & expresse id ipsum, ut nullo præterea possit egere Interprete. Post factam enim Anni Millesimi centesimi decimi quinti mentionem, vide, obsecro, quid loquatur juxta versionem hodiernam e Lombardo illo sui temporis Idiomate. *In Milano* (sic enim habet) *giugnendo al fine de' suoi giorni Giordano da Clivio Arcivescovo, fu eletto Bernardo Monacho: il quale tal' dignità non vol se accettare, come diremo di sotto. Persuase ben' à volere conceder' à Milanesi l'essentione della Chiesa di San' Giacomo in Pontida nella Diocesi Milanese, edificata da loro; come si vede per l'antiche Tavole, date nel Theatro di Milano, & sottoscritte da trentacinque Nobili Milanesi l'Anno Mille cento diecinove &c.* Multa porro de hoc Sancto Abbate prosecutus, ita etiam subdit: *Bernardo non volendo dunque accettar' l' Arcivescovado; fù posto à tanta dignità Anselmo da Pusterla &c. Gaspar Bugatus* Historiæ suæ Universalis Lib. 3. liberius adhuc eo usque progreditur, ut de hoc Sancto Abbate disertis verbis ita pronunciet: *Glifu dato ancora il Monastero di San' Giacobo di Pontida nel Bergamasco: nel cui favore sottoscrissero Eriprando & Marchesio Visconti.* Atqui nos ex adverso negamus in primis, *Jordanum* Archiepiscopum Anno isto supra Millesimum centesimum decimo nono obiisse. *Jordano* præterea defuncto sublectum negamus ejusmodi Sanctum *Abbatem.* Similiter eundem negamus *Mediolanum* venisse, non modo antequam *Innocentius* Secundus Anno trigesimo Pontificatum iniret *Romanum*, sed & ante Annum trigesimum quartum. *Cistercienſi* Monasterium ille videlicet inierat Anno *Christi* supra Millesimum centesimum decimo tertio, annos natus circiter duos & viginti; ex ipsius Vita, ejusdem Operibus adjecta, Lib. 1. Cap. 4. Quinto decimo mox Anno fundatur *ClaræVallense* Monasterium, & Abbas eidem præficitur Sanctus *Bernardus*; Cap. 5. & ex *Auriberti Miræi* Chronico *Cisterciensi*, præterea vero e *Claudii Roberti Gallia Christiana*, in Abbatiarum *Galliæ* Nomenclatura. Postquam vero aliquantos ibi explesset annos, primum edidit mundo celebre miraculum; Cap. 9 Ad hæc non ille cœpit, seu communibus Ecclesiæ necessitatibus, seu charitate Fratrum, seu obedientia Majorum, ad remotas protrahi Regiones; nisi postquam multis jam florebat miraculis in *Claravalle*, vicinisque Civitatibus ac Regionibus; Cap. 13. Interest deinde Concilio *Pisano* (ex ejusdem Vita, Lib. & Cap. 2.) quod Anno trigesimo quarto celebratum fuit. Eodemque soluto Concilio, *Mediolanum* prima vice venit; eodem Lib. 2. Cap. 2. & 3. Sic etiam rursus hoc ipso Anno huc redit. Quamobrem Cap. 4. sic legitur: *Cum* SECUNDO *per Mediolanum eodem Anno Pater Sanctus transiret; oblata est ei Dæmoniaca mulier. Nam eo tempore aberat, quo* PRIMUM *Vir Dei Civitatem prædictam sua illustravit præsentia.* Sed hæc manifestius etiam e sequentibus constabunt. Quid, quod etiam (uti jam diximus Num. 316.) non *Cisterciensis*, sed *Cluniacensis* jam Ordinis erat durabatque *Pontidense* illud Monasterium; e quo *Bernardus* ille Monachus teste *Chalco*, *Mediolanum* venit? Quod si *Thebaldus* ille non alterius Monasterii, quam ejus *Pontidensis*, intelligendus est tunc fuisse Prior; quidni etiam ejusdem Monasterii *Monachus*, atque adeo *Cluniacensis* etiam Monachus tunc fuisse censeatur comes ejus *Bernardus?* Per hæc igitur, & ejusmodi alia, quibus interim supersedemus, argumenta nos quidem concludimus, non Sanctum *Bernardum* Abbatem *ClaræVallensem*, sed alterum *Bernardum* ex Ordine *Cluniacensi* Monachum ipsiusmet Monasterii *Pontidensis* eum fuisse, qui Privilegium ejusmodi hoc Anno decimo nono supra Millesimum centesimum a *Mediolanensibus* pro suo illo Monasterio impetravit.

CCCXXXII. Anno *Christi* supra Millesimum centesimum vigesimo *Callistus* Papa, sicut ex Historia *Pandulfi* recitat *Baronius* Art. 3. e *Gallia Romam* tendens, iter suum versus *Italiam* direxit. *Et veniens* (inquit) *ad Montem Pessulanum, processit ad Sanctum Ægidium: peragratisque Provinciæ partibus, & Alpium difficultate transcensa,* AD SANCTUM AMBROSIUM CUM JUCUNDITATE PERVENIT. Quid autem *Pandulfus* per SANCTUM AMBROSIUM intellexerit: hoc infra nobis intelligi dabitur commodius. Oppidum scilicet illud est prope *Susam*, eo nomine appellatum, sicut & primaria ejusdem Oppidi Ecclesia. Sequitur *Pandulfus: Undique igitur ad eundem Pontificem confluente multitudine Populorum, eum tamquam Christi Vicarium eximio prosequebantur affectu, ad ejus vestigia certatim se devotissime prosternebant. Descendens autem ad populosas Longobardiæ Civitates, in quibus non minus honorifice recipiebatur, & perquam devotissima veneratione tractabatur, per Montem Bardonis transivit in Tusciam. &c.* Accipe vero nunc, quid hic noster *Landulfus* Cap. 35. *Guerra* (inquit) *Cumanorum & Mediolanensium durante, atque eorum Pontificum & Consulum vidi Domnum Papam Callistum & Jordanum Archiepiscopum cum pluribus Ecclesiasticis & Sæcularibus Viris illustribus consedere in Terdonensi Palatio: in quorum præsentia querelæ meæ causam protuli, scilicet de Domno Jordano &c.* *Jordanus* quippe Pontifici occurrerat propter eos, qui insidiabantur gratiam Imperatoris: Pontifexque ipse cum eo invenire cupiebat, quemadmodum propere ac prospere *Romam* adire, sedemque ibi Apostolicam obtinere valeret; uti narrat idem *Landulfus.* Erant autem Quadragesimales dies ac proximi Dominicæ Palmarum. *Jordanus itaque* (verba sunt ejusdem Landulfi) *ejusque cœtus locutus de sua opulentia in illa vespertina hora, & die altera Palatium descendit: atque in tertia, quæ dies fuit Dominica de Ramis Palmarum, in Ecclesia Sancti Martiani cum suis Suffraganeis Petrum Terdonensem Electum, licet modo abjectum, in Episcopum ordinavit.* Et paulo post: *In die autem altera, quæ fuit secunda Feria, Domnus ipse Electus Papa Terdonam exivit: cum quo Olricus Vicedominus Mediolanensis, Jordano Archiepiscopo revertente Mediolanum, usque Placentiam ivit.* Et in fine Capitis ejusdem: *Post hoc Paschale Festum Romani propere & solemniter susceperunt ipsum Papam Callistum: & ipse cum Romanis comprehendit Burdinum Papam* (sive Antipapam) *deinde & in loco, qui dicitur Cana, posuit comprehensum.* Comprehensus ille tamen & in carcerem trusus fuit Anno tantum sequenti, ut docet *Baronius.*

CCCXXXIII. Nostratum Scriptorum communis opinio est, *Jordanum* Archiepiscopum sedisse annos octo, totidemque menses, vel etiam novem, vel etiam præterea tres dies: ipsumque similiter obiisse mense Octobri, sive quarta, sive sexta mensis ejusdem die: necnon etiam in *Ambrosiana* ista Basilica sepultum. His ergo per nos item admissis, *Jordanum*, ineunte Anno Dominicæ Nativitatis Millesimo centesimo duodecimo electum, sicuti Num. 315. jam vidimus, facile itidem obiisse arbitramur hujus Anni supra Millesimum centesimum vigesimi mense Octobri, nec multo post suffectum ei fuisse *Olricum.* Quem alii communiter nominant *Henricum*; Catalogus autem *Successores Sancti Barnabæ Honorium*; sicut & *Honoricum Carolus Sigonius* Anno supra Millesimum centesimum decimo septimo & vigesimo tertio, itemque *Claudius Robertus* in Secunda Parte Appendicis ad suam *Galliam Christianam.* De *Jordani* obitu, deque *Olrici* electione in ejus locum, *Landulfus* noster hæc solummodo habet Cap. 36. *Deus omnipotens neque per Litteras Domini Gelasii* (quas

(quas non procul ab initio superioris Capitis recitaverat) *neque per Legatum Callisti* (Olricum nempe Vicedominum, de quo prope finem proxime dixerat) *Jordanum mihi suavem sive benignum fecit. Sed de Mundo illum tulit; & gratia Presbyteri Nazarii Primicerii, & cæterorum, quos suspectos habebam & habeo, Olricus Vicedominus Jordano successit; qui fere simili modo me gravavit, ut Jordanus.*

A.C. 1122. CCCXXXIIII. *Callistus* Papa Millesimo centesimo vigesimo secundo Anno intra Quadragesimam Concilium *Lateranense* celebrat: cui trecentos & amplius Episcopos interfuisse testatur, qui pariter intererat, *Sugerius* Sancti *Dionysii Pariensis* Abbas, in Vita *Ludovici* Regis. Tam frequens vero nobilisque Patrum Conventus *in eo multus fuit, ut Ecclesiam Dei, diuturnis schismaticorum factionibus labefactatam, in pristinam restitueret disciplinam*; sicuti loquitur in hunc ipsum Annum *Baronius*; apud quem ipsius Acta cernere licet. Concilio eidem affuit etiam *Olricus* noster Archiepiscopus: & quomodo contra *Ravennatem* Archiepiscopum, itemque pro *Henrico* Imperatore ibi se gesserit, e *Landulfo* nostro, ibidem similiter tunc præsente, sic accipe; videlicet ex eodem ipsius Capite 36. *Verumtamen illo Olrico Archiepiscopo sedente in Roma tunc, cum Papa Callistus Synodum Romæ celebravit, ego, ab Ecclesia mea exturbatus, & propriis meis rebus & alodiis expoliatus, coram Domno Papa Callisto, ejusque Curia, consedente in Lateranensi Palatio, causam meam notavi: &, ut eam explicarem in Synodo, Synodum intravi. In qua Synodo, gratia antiquæ honestatis Mediolanensis Ecclesiæ & condiscipulatus Olrici, valde condolui de perturbatione, quam Ravennas Archiepiscopus faciebat sibi. Poscebat enim Ravennas locum sedendi in Synodo ad dexteram Apostolici, nullo mediante. Quem locum Grosulanus possedit, quando restitutus fuit. Jordanus quoque, qui Grosulano successit, eundem locum habuit tunc, quando idem Grosulanus eundem Jordanum deponere studuit. Hac itaque ratione, & multis aliis, quæ tunc in memoria non habebantur, Domnus Olricus Mediolanensis Archiepiscopus locum illum obtinere non dubitavit. Sed tamen ipse Mediolanensis Olricus in secunda Feria, qua incæpta & celebrata fuit Synodus, loco vacante, neque in Palatio neque in Synodo apparuit. Synodus vero tunc in tertia Feria non fuit, & idem Mediolanensis Palatium non intravit. Sed in quarta Feria, dum Synodus celebrata fuit,* OLRICUS IDEM MEDIOLANENSIS ARCHIEPISCOPUS AD DEXTERAM APOSTOLICI CALLISTI, NULLO MEDIANTE, SEDIT. Sed & Capite mox 37. idem *Landulfus* ita prosequitur: *Ego exspectans alteram diem, convenientem meæ causæ meæque querelæ, ex improviso vidi & audivi, quod Domnus Papa gratia consecrandi Altare dissolvit Synodum in ipsa die Mercurii, nec ultra ab eo Synodum celebrari audivi nec vidi; sed sperans in Domino præsensi, quod* DOMNUS OLRICUS MEDIOLANENSIS ARCHIEPISCOPUS, PROUT MORIS ET LEGIS CONSUETUDO EXIGIT, PRO REGE HENRICO ORAVIT, ET EI RAMOS PALMARUM *per Landrianensem Thealdum, Mediolanensis Ecclesiæ egregium Notarium,* IN GERMANIAM MISIT. Ejusmodi ergo Synodi Actis hæc item, quæ ad Ecclesiæ *Mediolanensis* splendorem proprie pertinebant, teste *Landulfo*, attexantur.

A.C. 1123. CCCXXXV. Annum in præsenti aggredimur Millesimum centesimum vigesimum tertium: & hoc ipso multa nobis se offerunt. Abbatem in primis habemus *Joannem*, *Gulielmo* jam (de quo dictum est Num. 319.) suffectum. *Olrici* pariter Archiepiscopi obitum cernimus, & ipsius loco *Anselmum de Pusterla* electum, nominis quidem hujus inter Archiepiscopos Quintum. Denique vero lites & controversias hoc primum Anno nanciscimur inter hujus Basilicæ Monachos & Canonicos antehac etiam obortas, sed & amice rursum compositas per Judices, quos vivente adhuc & consentiente *Olrico* ambæ partes mutuo consensu delegerant. *Olricum* porro Scriptores nostrates communiter asserunt vita functum quarto die ante Junii Kalendas, nonnullique hoc ipso etiam disertissime Anno. A quibus tamen Scriptoribus nos in eo dissentimus, quod ejus Archiepiscopale regimen protrahunt aliqui ad quartum, alii ad quintum, vel etiam sextum annum. Nos utique contrahendum illud putamus, hinc quidem una cum ipsis intra mensem Majum Anni vigesimi tertii, inde vero una cum *Landulfo* intra vigesimi Octobrem; sicuti Num. denique 233. differebamus. At ne illud quidem nos admittimus, quod plerique asserunt, Pastoralem hujus Ecclesiæ curam post *Olrici* mortem hoc ipso Anno a *Mediolanensibus* demandatam Sancto *Bernardo Clarævallensi* Abbati; sed ab ipso recusatam; propterea que ab illis *Anselmo* denique traditam. Qua quidem in opinione fuerunt Collectores illorum quatuor Catalogorum, quos adhuc sæpius produximus: *Gualuaneus Flamma* in Manipulo florum, Cap. 165. qui tamen in Chronico Majori Cap. 255. hoc asserit factum nonnisi post ejusdem *Anselmi* mortem: *Donatus Bossius* in Chronico; qui tamen etiam ipse in suo Archiepiscoporum Catalogo electionem Sancti hujus Abbatis præmittit electioni *Henrici*, seu *Olrici*; quemadmodum & *Georgius Merula* Lib. 3. Antiquitatis *Vicecomitum* præmittebat: *Bernardinus Corius*, a nobis Num. jam 331. productus; quamquam hic *Jordano* mortuo *Anselmum*, quia Sanctus *Bernardus* recusasset, immediate substitutum, nulla interim facta *Olrici* mentione, comminiscitur: *Sigonius De Regno Italiæ*, Anno *Christi* Millesimo centesimo vigesimo tertio: *Gaspar Bugatus* Lib. 3. Historiæ suæ Universalis: *Joannis Franciscus Besutius* in Historia sua Pontificali: *Claudius Robertus* in sua *Gallia Christiana*: & alii. Cur autem tot ejusmodi Scriptoribus hac in parte nos adversemur, & aliquid jam diximus Num. illo 331. & infra rursum differemus in Annum *Christi* Millesimum centesimum trigesimum quartum: cui quidem Anno talem Sancti *Bernardi* electionem adjudicamus.

CCCXXXVI. Unde nam vero lites illæ Monachos inter & Canonicos fuerint obortæ, quove tandem modo sopitæ, ipsamet Judicum in id electorum Sententia, ex archetypo exemplari deprompta, & sequentibus concepta verbis, nos abunde docebit:

Die Sabbati, qui est primus dies mensis Septembris, Civitate Mediolani, in Curte Cardinalium Majoris Ecclesiæ, juxta Tribunam Sancti Stephani, qui dicitur AD FONTES. *Tempore* DOMNI OLRICI ARCHIEPISCOPI SANCTÆ MEDIOLANENSIS ECCLESIÆ, *in præsentia Cardinalium prædictæ Sanctæ Mediolanensis Ecclesiæ, & Abbatum Monasteriorum istius Civitatis, & aliorum bonorum Hominum, quorum nomina subtus leguntur, venerunt Amizo Archidiaconus, & Albertus Primicerius Notarium prædictæ Sanctæ Mediolanensis Ecclesiæ, atque Nazarius Primicerius Presbyterorum Decumanorum, Lanterius Presbyter ac Præpositus Ecclesiæ Sancti Georgii, quæ dicitur* IN PALATIO, *& Olricus Presbyter Ecclesiæ Sancti Victoris, quæ dicitur* AD THEATRUM, *& Johannes, qui dicitur Mantegacius: electi Judices consensu prædicti Archiepiscopi* AB DOMNO JOHANNE ABBATE MONASTERII SANCTI AMBROSII, ET GIRARDO PRESBYTERO ET PRÆPOSITO CANONICÆ IPSIUS ECCLESIÆ SANCTI AMBROSII: *ad diffiniendam, & pacificandam magnam litem & discordiam, quæ erat inter eos de oblatione Altaris & totius Ecclesiæ ipsius Sancti Ambrosii. Discordia enim talis erat. Di-*

cebat prædictus Girardus Præpositus, quod prædictus Abbas & Monachi injuste tenebant medietatem oblationis Altaris, seu ipsius Ecclesiæ Sancti Ambrosii. Ad hæc prædictus Domnus Johannes Abbas respondebat: Nequaquam illam medietatem oblationis injuste tenebat, neque injuste habebat; sed rationabiliter habere & tenere deberet; & non solum ipsam medietatem, sed etiam totam oblationem totius Ecclesiæ in integrum habere & tenere deberet SECUNDUM INSTITUTIONEM ET ORDINATIONEM CATHOLICORUM MEDIOLANENSIUM ARCHIEPISCOPORUM. *Sed quia* DOMNUS WILIELMUS, ABBAS IPSIUS MONASTERII, *qui fuit ejus antecessor, propter magnam discordiam, quæ suo tempore fuit de ipsa oblatione inter Monachos & Canonicos, & ne amplius inde adveniret, pactum & convenientiam fecit cum Canonicis ipsius Ecclesiæ, ut tota oblatio ipsius Ecclesiæ per medietatem in perpetuum dividatur inter eos æqualiter, sine fraude. Ad hæc Præpositus respondit, ipsum pactum & convenientiam nunquam fuisse. His ita auditis, tunc prædicti electi Judices interrogaverunt prædictum Domnum Johannem Abbatem, si ipse testes ex hoc pacto & convenientia haberet. Qui respondit: Habeo. Et præsentavit duos testes: Johannem scilicet, qui dicitur de Oldani: & Fradencionum, qui dicitur Bombelli. Et ipsi Judices electi per consensum ipsius Domni Archiepiscopi separatim interrogaverunt & inquisierunt ipsos testes. Et inquisitione facta, tunc ipsi testes ad sancta Dei Evangelia juraverunt, quod ipsi ibi fuerunt & audierunt, quod ipse Domnus Vuilielmus Abbas pactum & convenientiam fecit cum Amizone Presbytero, qui dicebatur Darmondi, & Presbytero Johanne Gambaro, & Johanne Gripo, Canonicis ipsius Ecclesiæ, cum aliis scilicet Canonicis, quorum nomina ignorabant: & hoc dicebant ipsi Sacerdotes, quod hoc faciebant per consensum Presbyteri Girardi, qui nunc Præpositus est, & aliorum Canonicorum: quod oblationem Altaris Sancti Ambrosii a modo in antea æqualiter per medietatem dividant, excepto quod offeretur in manibus Presbyterorum Monachorum & Canonicorum. Hoc sacramento facto, statim orta est intentio de oblatione de aliis Altaribus, & de Cruce. Quæ discordia ab utraque parte missa est in prædictis electis Judicibus. Tunc Amizo Archidiaconus, per consensum & parabolam suprascriptorum Alberti Primicerii Notariorum, & Nazarii Presbyteri & Primicerii Presbyterorum Decumanorum, & Lanterii Presbyteri & Præpositi Ecclesiæ Sancti Georgii, & Olrici Presbyteri Sancti Victoris, & Johannis Mantegacii, omnibus rationibus ab utraque parte auditis, & diligenter inquisitis, dixit & laudavit atque præcepit: Ut quicquid a modo in antea infra Ecclesiam Sancti Ambrosii ab aliqua persona oblatum fuerit in Cruce vel ante Crucem, in Altaribus vel ante Altaria, vel in aliis Oraculis, quæ nunc sunt, vel a modo in eadem Ecclesia erunt, communiter per medietatem dividatur; ita ut Abbas & Monachi habeant totam medietatem, & Canonici alteram totam medietatem, a modo in antea usque in perpetuum; excepto quod offeretur sine fraude & malo ingenio in manibus Presbyterorum Monachorum & Presbyterorum Canonicorum (& si malo ingenio vel fraude eis offeretur; commune sit) & excepto quod determinate sine fraude & malo ingenio fuerit oblatum ad partem Monasterii, vel ad partem Canonicæ, vel per conversionem, vel per orationem (id est, suscipiendo aliquem in suis orationibus) aut per Testamentum. Illæ vero oblationes, quæ offerentur in manibus Sacerdotum extraneorum, qui in Psalmis veniunt, sine malo ingenio, eorum sint, cui dare voluerint sine malo ingenio. Si vero malo ingenio, vel aliqua fraude, ipsæ oblationes offerentur in manibus Sacerdotum extraneorum; communes sint. Oblationes autem illæ, quæ offerentur* IN ECCLESIA SANCTI BARTHOLOMÆI, ET SANCTI GEORGII, ET SANCTI SATYRI: *quia Cappellæ Monasterii sunt; a modo in perpetuum totæ illæ oblationes in integrum usque in perpetuum Monasterii sint. Oblationes vero, quæ offerentur* AD ALTARE SANCTI PANTELEMONIS *semper Canonicorum sint. Et quicquid in vigilia & in festo Beati Andreæ offeretur* AD IPSUM ALTARE SANCTI ANDREÆ *(præter id quod oblatum fuerit ad tertiam Missam, quod debet esse Abbatis & Monachorum) deveniat in potestatem Canonicorum. Transacto festo deinde in antea per totum annum oblationes omnes, quæ fiunt ad ipsum Altare Sancti Andreæ, sint communes Monachorum & Canonicorum. De sepelitione mortuorum, unde magnum scandalum erat: si Canonici tantum invitati fuerint; faciant ipsam sepelitionem, & divinum Officium sine contradictione Monachorum. Si autem tintinabula sonari petitum fuerit ab aliquo ad sepeliendum ipsum mortuum; requirat Abbatem vel Monachos; & in voluntate & potestate Abbatis & Monachorum sit. Et si Monachi tantum invitati fuerint; similiter faciant ipsam sepelitionem & divinum Officium sine contradictione Canonicorum. Et si Canonici & Monachi invitati fuerint, omnes, vel pars eorum; Monachi legant Evangelium & Orationes; & Canonici legant Passionem & reliquum Officium. Et si aliquis de familia Monasterii mortuus fuerit; totum Officium sepelitionis sit in potestate Abbatis & Monachorum, quomodo & qualiter voluerint. SKella vero, quæ a Monachis fracta est, ejusdem ponderis & quantitatis in eodem loco infra claustrum Canonicæ restituatur & ponatur: & nullam aliam SKellam, vel tintinabulum, habeant, nisi illam, quæ superius dicta est. His ita dictis, & laudatis & a prædictis Judicibus electis confirmatis & diffinitis, palam omnibus astantibus præceperunt Domno Johanni Abbati, & prædicto Girardo Presbytero & Præposito, ut ipsi invicem inter se finem & refutationem palam facerent de attendere & adimplere, ipsi & eorum successores, Monachi & Canonici, usque in perpetuum ea omnia, sicut superius dicta & terminata sunt. Tunc ibi statim ipse Domnus Johannes Abbas, & Girardus Presbyter & Præpositus cum fustibus & pergamenis, quæ suis tenebant manibus, invicem finem & refutationem inter se fecerunt de attendere & adimplere omnia, quæ superius dicta & terminata sunt, ipsi & Monachi & Canonici, & eorum successores. Et insuper promiserunt & spoponderunt invicem unus alteri: ut, si ipse Abbas vel Monachi, vel si ipse Girardus Presbyter & Præpositus vel Canonici, & eorum successores de prædictis omnibus, sicut superius dicta & terminata sunt, vel de aliqua eorum parte, per quodvis ingenium agere aut causari præsumpserint, & non permanserint in his omnibus, qualiter superius legitur in integrum; tunc componat illa pars, quæ hoc non conservaverit parti fidem servanti pœna nomine argenti ex mero libras duocentas: & insuper adimplere ea omnia, quæ superius dicta sunt. Et inde accepit unaquæque pars ab altera Laimechild manstrucam unam; quia sic inter eos convenit. Actum suprascripta Civitate in jam dicta Curte Cardinalium, Anno Dominicæ Incarnationis Millesimo centesimo vigesimo tertio, primo die mensis Septembris, Indictione secunda. Unde duæ Chartulæ Promissionis & Refutationis atque Convenientiæ uno tenore scribi rogatæ sunt:*

EGO ANSELMUS, GRATIA DEI ARCHIEPISCOPUS, LAUDO ET CONFIRMO.

Ego Amizo, Archidiaconus, jussione, & consensu jam dicti Arehiepiscopi communiter Judex electus ad hanc litem diffiniendam, laudavi & confirmavi & præcepi, ut supra, & subscripsi.

Ego Albertus, Primicerius Notariorum, ex consensu prædicti Archiepiscopi pro sedanda lite Judex electus, laudavi & confirmavi atque præcepi, ut supra, & subscripsi.

Ego Nazarius, Presbyter ac Primicerius, ex consensu prædicti Archiepiscopi pro sedanda lite Judex electus, lau-

laudavi & confirmavi atque præcepi, ut supra, & subscripsi.
Ego Lanterius, Presbyter & Præpositus, ex consensu prædicti Archiepiscopi pro sedanda lite Judex electus, laudavi confirmavi atque præcepi, ut supra & subscripsi.
Ego Henricus, Presbyter, ex consensu prædicti Archiepiscopi pro sedanda lite Judex electus, laudavi confirmavi atque præcepi, ut supra, & subscripsi.
Signum manus Johannis Mantegacii: qui, pro pacificanda lite ex consensu prædicti Archiepiscopi Judex electus, hoc laudavit & confirmavit atque præcepit, ut supra, & in hanc Chartam ad confirmandam manum posuit.
Ego Landulfus, Presbyter indignus, subscripsi.
Ego Guido, Presbyter, subscripsi.
Ego Vuifredus, Presbyter, subscripsi.
Ego Anselmus, Diaconus, interfui, & subscripsi.
Ego Otto, Diaconus, subscripsi.
Ego Ardericus, Diaconus, subscripsi.
Ego Obizo, indignus Subdiaconus, subscripsi.
Ego Ubertus, Subdiaconus, subscripsi.
Ego Anselmus, Subdiaconus, interfui & subscripsi.
Signum manuum Anselmi de Pusterla, Arialdi Grassi, Lanfranci Ferrarii, Arderici de Palatio, Malastrevæ, Amizonis della Cruce, Vuitoni, & Lanfranci qui dicuntur Stampi, Johannis de Porta Vercellina, Bennonis & Uberti qui dicuntur Curti, Gotefredi della Porta, Pagani Borcietus, Rogerii de Palatio, Vuilielmi Butraffi, Ungari de Curte Ducis, Petri de Concorezo, Johannis Mainerii, Arduini della Pergola, Johannis de Abbiate, Petri de Carate, Rigizonis de Valle, Gezonis & Vuilicioni germanorum qui dicuntur Stampi, Ugonis Truxoli, Anselmi Colderarii, Bellixii de Sancto Georgio, Gezonis de Boteda, Landulfi de Oldanis, Taruffi Varecio & aliorum plurium Testium.
Ego Petrus, Abbas Sancti Simpliciani, interfui, & subscripsi.
Ego Vivianus, Abbas Sancti Vincentii, interfui, & subscripsi.
Ego Vuilielmus, Abbas Sancti Celsi subscripsi.
Ego Gaudentius, Abbas Sancti Victoris, interfui, & subscripsi.
Ego Arialdus, Sancti Dionysii indignus Abbas, interfui, & subscripsi.
Albertus, Judex & Missus Domni Regis, interfui, & rogatus subscripsi.
Ego Girardus, Judex & Missus Domni Regis, interfui & rogatus subscripsi.
Ego Anselmus, Judex, interfui, & subscripsi.
Ego Otto, Judex Sacri Palatii, rogatus subscripsi.
Ego Mascarus, Judex, rogatus subscripsi.
Ego Ugo, Judex Sacri Palatii, interfui, & rogatus subscripsi.
Ego Vualderius, Missus Domni Regis, rogatus subscripsi.
Ego Obertus, Judex ac Missus, rogatus subscripsi.
Ego Anselmus, Notarius Domni Tertii Henrici Imperatoris, rogatus subscripsi.
Ego Erlembaldus, Judex, subscripsi.
Ego Normannus, Judex, subscripsi.
Ego Ugo, Notarius Sacri Palatii, interfui, & subscripsi.
Ego Anselmus, Notarius Sacri Palatii, scripsi, post traditam complevi, & dedi.

Sic igitur judicium istud, vivente jam & consentiente *Olrico* Archiepiscopo ad prædictos Judices delatum, nonnisi tamen eo postea defuncto, & in ejus locum suffecto *Anselmo de Pusterla*, terminatum fuit. Quocirca etiam, non *Olricus*, sed *Anselmus* huic ipsi Sententiæ subscripsit. Cæterum *Anselmus* hoc ipso tempore nondum Archiepiscopalis Sedis possessionem inierat, sed electionem solummodo susceperat; ut infra videbimus indicatum.

A.C. 1124. CCCXXXVII. Vigesimiquarti supra Millesimum centesimum Anni mense Decembri *Callistus* Papa Secundus moritur: eodemque mox mense *Honorius* illi Secundus substituitur; ut abunde *Sigonius* & *Baronius* hoc ipso Anno recensent.

CCCXXXVIII. Sequenti Anno *Anselmus* Archiepiscopus *Romam* ad *Honorium* Secundum proficiscitur, contra quam illi *Landulfus* ipse Historicus suadebat. *Sed cum idem Archiepiscopus* (inquit ipse Cap. 38.) *secutus consilium quorumdam Cappellanorum & Primicerii, Petri vero Terdonensis Episcopi, contra publicum interdictum Cleri & Populi Mediolanensis, Romam ivit; mihi quidem non sedit. Verum tamen ipse, ceu vir prudens & sapiens, cum Papa Honorio & Cardinalibus ejus multa contulit, & conferendo Ecclesiasticas consuetudines Ambrosianæ Ecclesiæ, & honores ejus Archiepiscopatus & Urbis, vivis & bonis rationibus defendit. Unde ipse Papa huic prudenti viro dixit: Frater, meditatus & Episcopus venisti. Sed si vis frui auctoritate Archiepiscopi in temporibus meis; necesse est, ut Stolam suscipias e manibus meis; aut, sicut ego suscepi, ad Altare Sancti Petri. Hinc Domnus iste Mediolanensis Robaldum Albensem* (ab Alba scilicet Pompeja, Liguriæ ac Montisferrati Urbe, Mediolanensi etiamnum Metropoli subjecta) *adjuravit, ut sibi consuleret. Tunc Robaldus ille Albensis sic ait, quod prius sustineret nasum suum scindi usque ad oculos, quam daret sibi consilium, ut susciperet Romæ Stolam, & Ecclesiæ Mediolanensi præpararet hanc novam & gravissimam, quam Honorius Papa dicebat sibi imponere, mensuram. Mediolanum igitur iste Anselmus Archiepiscopus sine Stola rediit, & eundem Albensem Episcopum secum reduxit. Verum Archiepiscopalem Sedem non ascendit* (hanc igitur ne antehac quidem ipse ascenderat, proindeque nec hujus possessionem acceperat, ut supra innuebamus) *donec Ubertus de Meregnano, ejus Scriba, non juravit, quod ipse Domnus suus Anselmus nulli minuimento honoris Ecclesiæ Mediolanensis consensit: & quod ipsum Albensis ille Episcopus Robaldus auctoritate sua confirmavit. Deinde Pontifex iste Anselmus Sedem & Castella Archiepiscopatus in beneficio Cleri & Populi recuperavit.* Atque tunc etiam illud ego factum crediderim, quod in Catalogo tam Metropolitani Archipresbyteri, quam Urbis hujus Secretarii, legitur de hoc Archiepiscopo his verbis: *Hic, cum magna comitiva Nobilium Mediolanensium in festo Sancti Michaelis* PER PORTAM TICINENSEM INTRANS, *in Sede sua collocatur; ut mos est in talibus.*

A.C. 1125. CCCXXXIX. Eodem Anno Millesimo centesimo vigesimoquinto *Henricus* Imperator decimo Kalendas Junii moritur, nulla relicta prole mascula, quæ illi succederet in *Germaniæ* Regnum. *Sicque Dei justo judicio* (verba sunt Baronii ad eundem Annum, Art. 10.) *defecit Occidentale Imperium à Germanis, cum eo ad impugnandam Ecclesiam sunt abusi: & translatum est ad Saxones, Romanæ propugnatores Ecclesiæ. Opera enim Alberti Archiepiscopi Moguntini Lotharius Dux Saxonum Regnum accepit, postea vero* (*ut loco dicetur*) *Imperium.* Et Art. sequenti: *Hoc autem Anno* (inquit) *tertio Kalendas Septembris, Moguntiæ Rex Lotharius constituitur, præsentibus atque faventibus Legatis Apostolicæ Sedis* (*ut Robertus affirmat*) *& Idibus Septembris coronatur Aquisgrani à Friderico Coloniensi Archiepiscopo. Ita Dodechinus: qui & asserit, Legatos Romam esse missos ad Honorium Papam pro confirmatione novi Regis Lotharii.* Hæc Baronius.

CCCXL. Ibidem verò mox etiam recitat partem Capitis 17. è Libro septimo *Ottonis* Episcopi *Frisingensis* in Chronico. Sed illud ipsum Caput recitare nobis placet integrum, & in hæc præcisè verba conscriptum: *Anno ab Incarnatione Domini Millesimo centesimo vigesimo quinto, defuncto absque hærede Henrico Quinto, Principes Moguntiæ conveniunt: ibique habito de*

Successore consilio, quatuor Regni Optimates, Lotharius Dux Saxonum, Fridericus Dux Suevorum, Leopaldus Marchio Orientalis, Carolus Comes Flandriæ, ad Regnum designantur. Tandem Lotharius, natione Saxo, patre Gebehardo, voto omnium, renitens valde ac reclamans, ad Regnum tractus, sub præsentia Sedis Apostolicæ Legati Nongentesimus tertius ab Augusto regnavit. Hic per omnia progeniem Imperatoris Henrici humiliavit; ut plane Dei judicio justo, sicut in Libro Regum habes, ex peccatis ex prevaricatione patrum semen ipsorum affligi videretur. Unde gravis dissensio Regni, in multos annos protracta, plurimos in anima & corpore periclitari fecit. Prædicti enim Fridericus & Conradus juvenes, sororii Henrici Imperatoris, dum se viderent opprimi; in quantum poterant, reniti conabantur. Ob quam causam a Summo Pontifice Honorio, qui Callisto successerat, excommunicantur. Porro Conradus, a fratre ac quibusdam aliis Rex creatus, Pyrenæum per jugum Septimi montis, qua Rhenus & Aenus fluvii oriuntur, transcendit: ubi a Mediolanensibus, qui tunc Cumanum bellum, per decem annos pro afflictione Populi utriusque Civitatis miserrime protractum, capta ac deleta Urbe prospere consummarunt, honorifice suscipitur: A.C. 1128. AC AB EORUM ARCHIEPISCOPO ANSELMO MODOYCI (sive MODOETIÆ) SEDE ITALICI REGNI, IN REGEM UNGITUR. *Pro his aliisque præfatus Episcopus a Summo Pontifice deponitur, & alter in locum ejus subrogatur.* Recenter igitur ab excidio *Cumanæ* civitatis *Conradus* venit in *Lombardiam*, & ab *Anselmo* Archiepiscopo Regiam *Italiæ* Coronam accepit. *Mediolanenses* vero eam Urbem denique captam deleverunt Anno *Christi* supra Millesimum centesimum vigesimo septimo, aut vigesimo octavo. Ac de vigesimo quidem septimo concordes tradunt *Gualuaneus Flamma* in Chronico Majori, Cap. 254. *Bernardinus Corius*, *Tristanus Chalcus* (in Historia uterque sua *Mediolanensi*) *Carolus Sigonius De Regno Italiæ*, *Benedictus Jovius* in Historia *Novocomensi*, *Franciscus Ballarinus* in Compendio Chronicorum ejusdem Urbis, Parte Prima, Cap. XI. & Parte Secunda in *Arditio* Episcopo, nominis ejus Primo, & alii. Variant illi tamen in excidii hujus mense assignando: quæ quidem varietas nonnihil & ipsa interest ad dignoscendum Annum, quo *Conradus Italici* Coronam Regni susceperit. Hanc siquidem, teste mox *Landulfo*, *Modoëtiæ* suscepit in die festo Sancti *Petri*, atque adeo die Junii vigesima nona. *Flamma* igitur & *Sigonius* excidii (seu deditionis, e qua secutum proxime fuit excidium) diem fuisse ajunt Martii, *Jovius* vero & *Ballarinus* Julii vigesimam octavam. Quocirca, retento *Landulfi* testimonio, Coronatio *Conradi* juxta *Jovium* & *Ballarinum* necessario incidit in Annum *Christi* ad minus vigesimum octavum supra Millesimum centesimum: juxta *Flammam* vero & *Sigonium* incidisse potuit in eundem illum vigesimum septimum, quo *Mediolanenses* Urbem *Comum* excidio dederant mense Martio, & *Comensibus* (quemadmodum & olim *Laudensibus*) grave jugum imposuerant. Ceterum per decem annos protractum asserebat *Ottho Frisingensis Cumanum* istud bellum: idemque nos item Num. 328. inchoatum jam diximus Anno *Christi* supra Millesimum centesimum decimo octavo. Quod si ab ejusdem belli consummatione tam recens itidem fuit *Conradi* adventus in *Italiam* & Coronatio, ut in eundem annum inciderint; certe nobis non displicet, quinetiam *Otthoni Frisingensi* magis consentaneum existimamus, quod Auctor Chronici *Flos florum* fol. 137. pag. 2. de hoc ipso *Anselmo* loquens Archiepiscopo sic habet: *Convocans exercitum, Civitatem Cumanam invasit, & obtinuit: & multi capti sunt, qui dederunt pro sua redemptione Altare aureum Sancti Abundii, & quæcumque pretiosa. Quam violenter obtentam funditus evertit Anno Domini Millesimo centesimo vigesimo octavo, die quinta, vel septima, ante Kalendas Aprilis.*

CCCXLI. Sane quidem *Sigonius* etiam ejusmodi Coronationem in Annum *Christi* conjicit Millesimum centesimum vigesimum octavum, & in hunc modum scribit: *Conradus inde, cedente Friderico fratre, Principibus aliquot suffragantibus, contra Lotharium sese Regem asseruit: quam rem Lotharius Natalitia Herbipoli agens audivit. Insolenti inde arridentis fortunæ elatus obsequio, in Italiam cum exercitu maturavit: atque Anselmum Archiepiscopum & Populum Mediolanensem amicos nactus,* MODOETIÆ ITALICI REGNI CORONAM ACCEPIT: *atque inde perlustrata Lombardia, Civitates ad se plerasque omnes traduxit. Ea de causa Archiepiscopi Moguntinus Magdeburgensis & Trevirensis jussu Lotharii ipsum communione piorum exterminarunt. Honorius autem non eum solum, sed etiam Anselmum qui Coronam imposuerat, & Populum qui receperat, anathemate perculit.*

CCCXLII. Sed, quemadmodum *Anselmus* noster Archiepiscopus *Conradum* istum tam *Modoëtiæ* quam *Mediolani* coronaverit, propetereaque fuerit anathemate percussus, ex ipsomet accipiamus *Landulfo*: qui tunc *Modoëtiæ* saltem oculatus testis quinetiam Coronationis administer affuit. Capite siquidem 39. hæc ille nobis suppeditat: *Anselmus in Castellis* (Archiepiscopatus nimirum, de quibus Capite superiori denique dixerat; sicut etiam nos Num. 338. recitabamus) *habitans intellexit, quod Clerus & Populus Mediolanensis nobilem Principem Conradum cum Ecclesiastica pompa, & civili triumpho, conveniente Regi naturali, suscepit. Cum autem Clerus & Populus idem de coronando Rege ipso tractaret: Pontifex idem Anselmus a Leuco descendit* AD MODOETIAM, QUI EST PRIMUS LOCUS CORONÆ REGIS ITALIÆ: *ibique pernoctavit, & consilium redeundi ad montana suscepit: & post trium dierum interpositionem Castellum, quod dicitur* PLEBIA, *ascendit. Ibi plures sonos sonoros de coronando Rege Conrado audivit: & ego non in amaritudine ab ipso Pontifice audivi, ut citissime Mediolanum adirem, & affectum Civium omnium super hujusmodi regale negotium sibi renunciarem. Tunc Umfredus Aboriti, & Armiger ejus, a vespera hora diei usque ad Solis ortum, mecum & cum puero meo requiem non habuit; sed ad plenitudinem Concionis Cleri & populi, convocatam & congregatam Mediolani, quasi in hora tertia perveni; ubi Clerus & Populus quasi homo unus amplissime & mirifice collaudavit & conclamavit, ut Episcopus veniret, & Principem illum coronaret. Ad hæc quoque Rogerius Clivellus, nobilis Miles & potens, Populo circumstante, ait: Per Corpus Domini, nisi voluntas Dei esset, ut hic nobilis Dominus coronaretur; iste benedictus Populus nequaquam ad laudem ejus ita concorditer clamaret. Causa itaque ista sic plaudata & statuta, Anselmus de Badaglo Subdiaconus Ordinarius, Guido de Landriano electus Capitaneus, Guerenzo de Puzobonello Vavassor strenuus, Robacastellus Civis & Eques nominatissimus, ex parte totius Cleri & Populi Legationem de plaudato & coronando Rege Conrado Pontifici Anselmo contulerunt. Qui cum esset in Castro Plebiæ, & intendisset super horum & meam relationem; festinavit ad Urbem. De cætero ipse, quasi consentiens communi omnium gentium voto,* IN ECCLESIA SANCTI MICHAELIS, QUÆ EST MODOETIÆ, BENEDIXIT, ET UNXIT, ET CORONAM ELECTO CONRADO IN FESTO SANCTI PETRI POSUIT, *altero Episcopo astante Regi coronando. In quo facto ego quippe piger non fui; sed ante ipsum Pontificem ipsumque Coronatum ab Ecclesia Sancti Michaëlis Pontificalem Virgam in admirabili pompa, per Dei voluntatem congregata ad honorem illius Regis,* USQUE AD ECCLESIAM SANCTI JOANNIS BONA CUM VOLUNTATE PORTAVI, ET IN SANCTI JOANNIS ECCLESIA

SIA SOLEMNITER CUM REGE ISTO QUAMOPTIMO MISSAM AUDIVI, EANDEM QUOQUE SOLEMNITATEM CORONATIONIS IDEM PONTIFEX IN ECCLESIA SANCTI AMBROSII, ME ALIBI NON MEO VITIO DETENTO, CELEBRAVIT. *Verumtamen, quicquid directe est actum in illo Domino meo Rege, dilexi & diligo. Hunc namque, gradientem per Comitatus & Marchias Lombardiæ & Thusciæ, Comites & Marchiones, cujuscumque nobilitatis Viri, potentes & humiles, cum gaudio susceperunt & amaverunt. Qui vero rebelles fuerunt, ejus acutissimi gladii fortitudinem senserunt, atque mortem & confusionem* B *(ceu Anselmus Marchio del Busco, & illustris .... Comes) susceperunt. Alter quorum Anselmus vitam & absolutionem suscepit per gratiam Mediolanensium, quibus in angustissimis præliis campestris ceu Miles fortissimus profuit. Alter vero, scilicet Comes, vel mortem sustinuit. Ac sic benigne & fortiter agendo Romæ appropinquavit; sed fortis manus Honorii Papæ ipsum resupinavit; atque in Germaniam, quasi ad sua propria loca, redire fecit. Joannes igitur Cremensis, Cardinalis Romanus, Episcopos Suffraganeos & Comprovinciales Mediolanensis Ecclesiæ, ut excommunicaret Mediolanensem Archiepiscopum, convocavit Papiæ. Quibus convocatis & Cardinali per plures Viros & Sacerdotes* C *ipse Pontifex Mediolanensis mandavit, ne præsumerent, sed ipsum per unius diei spatium expectarent. At Papienses, Cremonenses, Novarienses, quoque, & eorum Episcopi & aliarum Civitatum, prædicantes hoc regium opus Anselmi contrarium Deo & magno Regi Lothario, nequaquam illius Pontificis Legationem susceperunt; sed ipsum, præstante Cardinali illo Joanne, excommunicaverunt; & Mediolanensibus, protegentibus Castrum Cremæ, bellum facere statuerunt. Attamen in maxima parte Mediolanenses catholicam reverentiam, vivente Papa Honorio, huic Pontifici* (Anselmo) *præbuerunt.* Vixit autem *Honorius* ad sextum decimum Kalendas Martias Anni Millesimi centesimi trigesimi. Sed nos D ad Italico-regiam *Conradii* Tertii, quinetiam Primi Coronationem, a nostro Archiepiscopo peractam, revertamur. De qua quidem *Conradi* Primi Coronatione jam egimus Num 216. & 217. Annoque *Christi* vigesimo sexto supra Millesimum.

CCCXLIII. Ad hæc autem in præsenti nos revocat doctissimus, jamque nobis aliquoties ac novi semper occasione beneficii memoratus, *Jacobus Valerius.* Cum enim superius *Otthonis Frisingensis* testimonium potiori jam ex parte typis esset impressum; forte fortuna ipse nos admonuit, ut ea legeremus, nec sine debita censura transigeremus, quæ ab *Onuphrio Panvinio* in Libro *De Comitiis Imperatoriis* differuntur E Capite XI. *De ea Corona Imperiali, quæ Ferrea dicitur.* Ipsemet ergo e sua mox bibliotheca, quam satis habet libris bonis refertam, exemplar quoque ipsum *Panvinianum* ad nos transmisit. In eo autem ita deprehendimus: *Postquam vero Rex Romanorum primo Aquisgrani ab Archiepiscopo Coloniensi coronatus est Diademate Regni Germanici, quod* CORONA ARGENTEA *dicitur; postea se præparat ad suscipiendam Imperialem unctionem a Romano Pontifice. Nam Coronam secundam, quam* FERREAM *vocant, Mediolani a posterioribus Imperatoribus assumi solitam, ante Friderici Secundi tempora in usu nequaquam fuisse crediderim. Post cujus obitum usus hic (ut existimo)* F *inolevit, ut Imperator designatus, antequam Imperii Romani Diadema a Pontifice Maximo suscipiat, Mediolanum primo proficiscatur: ubi in Basilica Sancti Ambrosii, vel Modoetiæ in Basilica Sancti Joannis Baptistæ, iterum consecretur, & coronetur alia Corona, quam* FERREAM *vocant, ab Archiepiscopo Mediolanensi in Regem Longobardorum, vel Italiæ: quod ante Henrici Septimi Lucemburgensis tempora nunquam (quod sciam) factum legi. Ipsum enim Henricum Septimum*

A *primum fuisse existimo, qui Mediolani ea ratione coronatus sit: quæ consuetudo cum cæteris quoque ejusmodi novis ritibus inventa est post Fridericum Secundum Imperatorem. Rodulphum enim, Adulphum, & Albertum, qui proxime ante Henricum Imperatores designati fuerunt, hanc Coronam non suscepisse, satis liquet; quia nunquam in Italiam venerunt; nec etiam Romæ Pontificiam unctionem habuerunt. Idem dici potest de Chunrado Quarto filio Friderici Secundi, Henrico Lantgravio Thuringiæ, Guilhelmo Comite Hollandiæ, Ricardo & Alphonso, qui post Friderici Secundi mortem in Schismate Reges creati sunt. Neminem præterea superiorum* B *Imperatorum, ab Otthone Primo ad Fridericum Secundum, hoc Diademate coronatos fuisse, unquam memini, apud, veteres Auctores me legisse. Quamobrem hoc institutum novum esse existimavi, & ex aliqua obscura Majorum relatione acceptum. Siquidem legimus, Pipinum, Imperatoris Caroli Magni filium, ab Hadriano Papa Primo, & Ludovicum Secundum Imperatorem, Lotharii Augusti filium, a Sergio Papa Secundo Coronas Italici Regni, vel Longobardorum, Romæ tamen ad Sanctum Petrum, & non Mediolani, suscepisse.* Per hæc igitur hactenus opinionem suam explicat & adstruit *Panvinius*: de quorum veritate, vel falsitate, partim jam constat (scilicet jam inde a *Carolo* C *Magno* ad præsentem usque Imperatorem *Conradum* Tertium, qualiscumque interea ille fuerit) partim vero, sive in reliquum temporis, ex hisce Monimentis nostris constabit. Hactenus profecto Reges isti, vel etiam Imperatores, nobis occursant velut a *Mediolanensibus* Archiepiscopis coronati: videlicet *Carolus* Magnus Num. 9. *Pipinus* ejus filius Num. 12. *Bernardus*, ejusdem *Pipini* filius, Num. 26. & 33. *Lotharius*, *Ludovici Pii* filius, Num. 41. *Carolus Calvus* Num. 127. *Carolus Crassus* Num. 129. *Hugo* Num. 159. & 162. *Lotharius* ejusdem filius, Num. 161. *Ottho* Primus Num. 174. 175. 178. *Ottho* Tertius Num. 189. *Henricus* Primus Num. 208. *Conradus* D Primus, sive *Salicus*, Num. 216. 217. 218. *Henricus* Secundus Num. 243. *Conradus* Secundus, *Henrici* Regis filius, Num. 280. & 281. *Henricus*, *Henrici* Quarti Regis & Tertii Imperatoris filius, Num. 309. denique vero *Conradus* ille, de quo nuperrime egimus. De ipsa vero Corona Ferrea legi potest Num. 101. De ritu autem illam in *Ambrosiana* Basilica tradendi legatur Num. 102.

CCCXLIIII. Sequitur porro *Panvinius*: & a duobus illico exemplis, e *Conrado* Primo ac Secundo petitis quæ sibi viderat objici posse, sese pro viribus extricat. Sic enim primo subdit: *In Sigeberto vero Gemblacensi hæc verba de Chunrado Primo Imperatore leguntur: Anno Domini Millesimo trigesimo nono* E *Chunradus Imperator Italiam adiit, ut rebellionem meditantes debellaret. Et quia omnes Longobardi conjuraverant, ut non paterentur quemlibet Dominum, qui aliud, quam ipsi vellent, contra se ageret; quosdam Episcopos in vincula conjecit. Et quia Episcopus Mediolanensis fuga lapsus est; Imperator Suburbia Mediolani incendit. Die vero Pentecostes,* CUM IMPERATOR IN PARVA ECCLESIA SECUS URBEM CORONARETUR AD MISSAM, *tam gravia fuerunt tonitrua & fulgura, ut aliqui mente excederent, aliqui exhalarent. Bruno vero Episcopus, qui Missam canebat, & Secretarius Imperatoris, cum aliis* F *tribus, dixerunt, se inter Missarum solemnia vidisse Sanctum Ambrosium Imperatori indignando comminantem. Tunc Imperator Italia discessit. Quæ ideo addidi, ut Lectori diligentia mea spectata sit. Nihil enim prætermisi, quo ad hujus Operis editionem mihi opus esse existimarem.* Hactenus e *Sigeberto Panvinius.* Tum vero sic e suo ipsemet differit: *Ex hoc autem Sigeberti loco Coronationem illam secundam intelligi non posse existimo; tum quod Archiepiscopus Mediolanensis fugatus esset; tum quod non in Sancti Ambrosii Basilica celebra-*

lebrata sit, nec Modoëtiæ; tum etiam quod eo tempore Chunradus jam diu ante coronatus fuerat a Romano Pontifice Romanus Imperator; ante cujus benedictionem, quæ novissima est, suscipi debet Coronatio Mediolanensis. Illud vero verbum, CORONARI, *ita intelligi debere existimo, quod Missam Imperatoriis vestibus indutus audierit; ut mos erat fieri his temporibus in magnis Solemnitatibus, perinde ac est dies festus Pentecostes.* Vera profecto *Panvinii* conclusio; sed eadem nihil nobis contraria; sicuti satis superque constat ex iis, quæ nos jam supra disseruimus eodem illo Anno Millesimo trigesimo septimo, ac Num. 238. & deinceps, ubi factum illud Imperatoris *Conradi*, ac terribile illud Sancti *Ambrosii* e cœlo visum accurate perpendimus, postquam noster Archiepiscopus *Aribertus*, fuga e carcere lapsus, ad suos *Mediolanenses* rediisset: ad quos illum rediisse, *Panvinius* in prima illa ratione non advertit. Non igitur eo Anno *Conradum*, sed certe quidem Millesimo vigesimo sexto coronatum *Mediolani* ac *Modoëtiæ* fuisse ostendebamus Num. 216. 217. 218. sicut etiam postea *Romæ* Num. 220. & Anno subsequenti.

CCCVL. Quod vero attinet ad *Conradi* Secundi Coronationem, de qua nos proxime juxta ordinem temporum disserebamus, ita *Panvinius* sibimet objicit ipsi: *Legitur etiam Libro Septimo Historiæ Otthonis Frisingensis, Cap. 17. Chunradum Suevum, postea Regem Romanorum, qui post mortem Henrici Quarti Imperatoris in Schismate contra Lotharium Secundum Saxonem, a majore eligentium parte creatum, Rex Germaniæ factus fuerat, in Italiam venisse, Imperiumque sibi contra Lotharium Augustum Longobardorum auxilio parasse: atque, cum Mediolanum venisset, a Mediolanensibus honorifice susceptum, ab eorum Archiepiscopo Anselmo Modoëtiæ Italici Regni Regem unctum & consecratum esse: ob quam rem ipsum etiam Archiepiscopum a Papa exauctoratum fuisse.* Hæc summatim ex *Otthone*, *Panvinius*. Sed quid his tandem respondet? *Quo tamen* (ita respondet) *testimonio* (*quod solum de hac re, quamvis curiose investigaverim, invenire potui*) *Coronationem ipsam Imperatorum, quæ Mediolani fit, antiquam fuisse, minime affirmari posse crediderim: præsertim cum ex ceteris Auctoribus non solum non habeatur, veteres Imperatores hoc Diademate coronatos fuisse; sed ne id quidem ex eorum scriptis elici potest. Immo contrarium dicere videntur, qui itinera sigillatim describentes, quæ inter primam & novissimam Coronationem fieri contigerant, ipsos nunquam nec Mediolanum modo divertisse scribunt. Quæ res nulla ratione silentio prætereunda tam constanti omnium consensu fuisset: ab eis præsertim Historicis, qui rebus gestis interfuerunt, omniaque adeo accurate perscribunt, ut fastidium aliquando Lectoribus nimia eorum diligentia parturiat.* Verum enimvero tam multa generis ejusmodi testimonia Monumentis hactenus nostris passim obvia cernuntur, ut nobis supervacaneum penitus videatur alios in præsenti Testes conquirere, quibus Coronationis ejus antiquitatem confirmemus.

CCCXLVI. *Bernardinus* autem *Corius* (verba sunt ejusdem *Panvinii*, quibus opinionis suæ defensionem prosequitur) *Scriptor Historiæ Mediolanensis, nescio cujus Historici auctoritate ductus* (*nullum enim hujus rei testimonium citat*) *affirmare videtur, Chunradum Imperatorem Primum* (*quem inepte Tertio Otthoni, transmisso Primo Henrico, subjicit*) *primum hac Corona Mediolani redimitum fuisse in Templo Sancti Ambrosii.* Nos itidem profecto istud jam confutavimus Num. 217. *Henricum quoque Tertium, quem Secundum appellat, item Lotharium Secundum Saxonem, ac Otthonem Quartum Mediolani in Basilica Sancti Ambrosii ab Archiepiscopo Mediolanensi coronatos fuisse scribit. Verum, unde id acceperit, non ponit.* Atqui nos non ita egimus de *Henrico*, sive Secundo, sive Tertio: nec ita profecto suis in locis agemus de *Lothario* Secundo, atque *Otthone* Quarto. Sed & paulo post *Panvinius*, nec immerito, eundem *Corium* in eo etiam carpit, quod *Lotharium quoque Saxonem ab Anselmo Archiepiscopo coronatum fuisse refert: qui per ea tempora a Romano Pontifice Episcopatu mulctatus fuerat, suffecto alio, quod Chunradum Tertium Suevum, Lotharii ipsius acerrimum hostem, in ejus odium & contemptum coronasset Regem Italiæ; ut eorum temporum Scriptor Ottho Frisingensis memoriæ mandavit; cui magis, quam Corio, credendum esse opinor.* Quem quidem *Corii* errorem nos Num. 374. in aliquot etiam aliis Scriptoribus infra observabimus. Nunc ad intermissam temporum seriem progredimur.

CCCXLVII. *Honorius* Papa Secundus, quemadmodum Num. 342. tandem dicebamus, Anno *Christi* Millesimo centesimo trigesimo ex hac vita sexto- A.C. 1130.
decimo Kalendas Martias decessit. Eodem mox die sublectus illico ei fuit ab una *Romanorum* parte *Gregorius*, *Joannis Vidonis* filius, Sancti Angeli Diaconus Cardinalis, appellatusque fuit *Innocentius* Secundus; ab altera vero *Petrus*, *Petri-Leonis* filius, Presbyter Cardinalis Tituli *Sanctæ Mariæ* trans Tiberim, atque *Anacletus* Secundus est nominatus.

CCCXLVIII. Hinc *Ottho Frisingensis*, Num. 340. a nobis in testem prolatus, Cap. subinde 18. in hæc statim verba prosequitur: *Non multo post, Honorio mortuo, gravissimum Schisma in Ecclesia Dei oritur; Innocentio canonice electo, sed Petro, Petri-Leonis filio, violentia amicorum suorum, qui fortissimi in Urbe erant, favente sibi Rogerio Siculo, intruso. Cui dum Innocentius resistere non valeret; Urbe cedit; transcensisque Alpibus, Gallias ingreditur.* Cum tamen ab Urbe *Roma Pisas* profectus esset; Nuncios inde præmiserat in *Gallias* (sicut habetur etiam in Vita Sancti *Bernardi Clarævallensis* Abbatis, Lib. 2. Cap. 1.) *qui Gallicanæ Ecclesiæ intimarent negotii veritatem: & hortarentur Episcopos, ut in Ultionem præsumptionis accingerentur, & damnata parte Schismatica subscriberent unitati.* Et paulo post: *Convocato igitur apud Stampas Concilio, Abbas Sanctus Clarævallensis Bernardus, specialiter ab ipso Francorum Rege & præcipuis quibusque Pontificibus accersitus, sicut postea fatebatur, non mediocriter pavidus & tremebundus advenit; periculum quippe & pondus negotii non ignorans. In itinere tamen consolatus est eum Deus, ostendens ei in visu noctis Ecclesiam magnam concorditer in Dei laudibus continentem; unde speravit, pacem sine dubio proventuram. Ubi vero ad Locum ventum est: celebrato prius jejunio, & precibus ad Deum fusis, cum de eodem verbo tractaturi Rex & Episcopi cum Principibus consedissent; unum omnium consilium fuit, una sententia, ut negotium Dei, Dei Famulo imponeretur, & ex ore ejus causa tota penderet. Quod ille, timens licet & tremens, monitis tamen Virorum fidelium acquiescens, suscepit: & diligenter prosecutus electionis ordinem, Electorum merita, vitam & famam prioris Electi; aperuit os suum, & Spiritus Sanctus implevit illud. Unus ergo omnium ore locutus, suscipiendum ab omnibus Summum Pontificem Innocentium nominavit; & ratum esse omnes acclamarunt; & decantatis ex more laudibus Deo, obedientiam deinceps polliciti, electioni Innocentii omnes pariter subscripserunt. Interea Dominus Papa, multis in Pisis & in Thuscia & in aliis Provinciis potestative dispositis, valefaciens Pisanis & gratias agens, in Provinciam navigio delatus est; & Burgundiam transiens, Aurelianum pervenit. Ubi occurrentibus Episcopis, a Rege piissimo Francorum Ludovico alacriter & honorifice susceptus est. Inde a Gaufredo Carnotensi Episcopo, magnarum virtutum Viro, Carnotum deducitur: ubi etiam gloriosus Anglorum Rex Henricus ei cum maximo Episcoporum & Procerum comitatu occurrit. Hunc quoque Regem Venerabilis Abbas, ad eum præmissus, adduxit: quem vix persuasit Innocentium recipere, ab Episcopis Angliæ penitus dissuasum. Cum enim omnimodis*

modis recalcitraret, & detrectaret: Quid times? ait. A *Times peccatum incurrere, si obedias Innocentio? Cogita, inquit, quomodo de aliis peccatis tuis respondeas Deo: istud mihi relinque: in me sit hoc peccatum. Ad quod verbum persuasus Rex ille tam potens, extra Terram suam Domino Papæ occurrit usque Carnotum. Reversi interim de Germania Legati Domini Papæ, tam Episcoporum quam Regis* (Lotharii) *assensum & litteras detulerunt, & deprecationem publicam, ut ad eos transiens suam eis desideratam exhiberet præsentiam.* Et hæc quidem hactenus e Libro illo Secundo, quo pariter ac reliquis *Bernardus Bonævallis* Abbas prosecutus est Sancti *Bernardi Clarævallensis* Abbatis Vitam, Libro jam primo a *Gulielmo* similiter Abbate B incohatam. Quæ porro *Innocentius* in *Gallia* deinceps, ac præsertim Sancto *Bernardo* adjutore, in *Anacleti* ejusque fautorum execrationem egerit, eodem illo Capite primo satis superque descripta recensentur.

CCCIL. Hæc ipsa *Sigonius De Regno Italiæ* recensuerat hoc ipso Anno supra Millesimum centesimum trigesimo, cum ita insuper prosequitur: *Dum hæc ab Innocentio administrantur; Anacletus, qui solus in Urbe remanserat, & ipse partem adversam infligendis anathematis institit premere, & ad causam suam amicos, quam plurimos potuit, aggregare.* PRÆCIPUE AUTEM ANSELMUS MEDIOLANENSIS ARCHIEPISCOPUS, *ab Honorio Conradi causa devotus, ei se tradidit, atque una secum Populum* C *Mediolanensem ac plerosque Lombardiæ Episcopos traxit.*

CCCL. Videlicet (sicut a *Landulfo* nostro traditum Cap. 40. accepimus) *Honorio defuncto, Anacletus Papa Romanorum Secundus huic Mediolanensi Stolam* (quam ex *Honorii* manu accipere detrectaverat, uti jam vidimus Num. 338.) *per suos idoneos Nuncios, videlicet Joannem Palestinæ Episcopum & Beltramum Subdiaconum Romanum, mandavit. Quam Stolam ipse Anselmus Pontifex, Clero & Populo Mediolanensi circumstante, & collaudante Anacletum Papam ejusque Legatos & Legationem, reverenter suscepit. Pars vero sibi adversa inde magis detrahere cœpit. At plenitudo Cleri & Populi ad eum concurrebat: timorem quoque & reverentiam Regi Conrado & Papæ Anacleto ex dilectione portabat.* D *Et dum hic spes fuit inplenitudine Ecclesiæ & Civitatis Mediolani, & Venditiones & Privilegia, quæ Egregii Capitanei de Besana & de Porta Orientali atque Lomagna, & Gregorius Papa Septimus & Urbanus Papa Secundus Presbytero Liprando fecerunt, vim suam obtinuerunt, & oculos omnium latuerunt; nulla guerra Mediolanenses ignominiavit; sed Papiensibus, Cremonensibus, Novariensibus, cunctisque suis inimicis late & splendide ipsi Mediolanenses præstiterunt.* Itaque *Sigonius Eodem Anno*, inquit, *bellum Cremense in Lombardia est ortum tantæ magnitudinis, ut post multos annos ne ipsius quidem Cremæ excidio potuerit expiari. Cremenses, Cremonensi Ecclesiæ contributi, illud indigne fecerant, quod, Cremonensibus relictis, sese Mediolanensibus applicuerant.* E *Injuria Cremonensibus non negligenda est visa. Itaque paratis copiis Cremam aggressi sunt. Sed, accurrentibus celeriter auxilio Mediolanensibus, re infecta domum plus irarum, quam attulerant, retulerunt.* Eodem quoque pertinet bellum, quod & proximo & altero rursus Anno feliciter a *Mediolanensibus* contra *Papienses* pugnatum idem *Sigonius* narrando prosequitur.

CCCLI. *At ubi Anselmus Archiepiscopus* (sic enim Cap. 41. pergit noster Landulfus) *contra ipsas Venditiones & Privilegia facere voluit & fecit, & multitudo Cleri & Populi atque Consulum ipsas Venditiones & Privilegia legere voluit; contigit, quod quidam manipulus militum Mediolanensium captus est a Cremonensibus;* F *& plures de Ordinariis ac Decumanis Sacerdotibus cœperunt, nescio quo spiritu, super causa Regis Conradi ridere, & causam Anacleti latenter spernere. Hinc Anselmus Archiepiscopus, multos sustinens stimulos, tandem Presbyterum Azonem, Magistrum Puerorum canentium principaliter in Missa Sacerdotum celebrantium Corporis & Sanguinis Christi Sacrificia, & quosdam alios, qui fuerunt dolosi in celebratione Coronæ Regis Conradi, excommunicavit. Ex cujus Excommunicationis radice Circumcisi Christum filium Virginis ignorant, & maxima pars Quiritum & Longobardorum Auctorem divinæ & humanæ legis minime amant: sine quibus Auctoribus cœli vel terræ pace frui non possumus. En etiam nunc dissensio multa & perniciosa nimirum orta est in Mediolanensi Populo sub Excommunicationis titulo. Quia si Archiepiscopus excommunicavit hunc Presbyterum & alios in Pulpito Sanctæ Theclæ; & Episcopi Comprovinciales & Suffraganei, sicut supra dictum est* (ac nos etiam Num. 342. vidimus) *excommunicaverunt illum Papiæ, Ordinarii itaque & Decumani Sacerdotes, & cæteri faventes Papæ Innocentio Secundo, & insidias præparantes hujusmodi Archiepiscopo, suas pecunias effuderunt, & ipsas Legis & Morum Peritis atque bellatoribus Viris tribuerunt. Unde ipse Archiepiscopus compulsus est intrare popularem Concionem, ut ibi decertaret cum suis Excommunicatis de Excommunicatione. Cumque ipse expectaret sagittas de justa aut de injusta Excommunicatione; Nazarius Primicerius, miræ calliditatis homo, per prolixum sermonem cunctæ Concioni fastidium induxit. Archipresbyter autem Stephanus, qui cognominatur de Guandeca, videns, Primicerium suum fastidiose fore locutum; vocem suam exaltavit, & contra Archiepiscopum sic ait: Tu es hæreticus, perjurus, sacrilegus: & aliis criminibus, quæ non sunt hic notanda, es reus. His auditis ex improviso, Archiepiscopus obstupuit. Archipresbyter vero ille, habens Textum Evangeliorum ad manum, continuo juravit, quod ipse de istis rebus, quas dixerat esse in isto Anselmo, qui dicitur de Pusterla, in judicio Episcopi Novariensis & Albensis,* QUI SUNT DE SUFFRAGANEIS ECCLESIÆ MEDIOLANENSIS, *staret. Consules itaque Mediolani in concordia utriusque partis statuerunt, ut ipsi & alii Suffraganei venirent. In statuta itaque die non solum Suffraganei,* SED QUAMPLURES PURE INDUTI RUDI ET INCULTA LANA, ET RASI INSOLITA RASURA *concurrerunt. Cumque Archiepiscopus iste Anselmus vidisset,* EOS CONSTARE ET POPULO, QUASI SI ESSENT ANGELI DE COELIS; *ad ipsum Populum ait: Omnes illi, quos hic videtis* CUM ILLIS CAPPIS ALBIS ET GRISIIS, *hæretici: inde, simplices & compositi ad expellendum & deponendum, bellum commoverunt. Verum tamen gladio Anselmi in die illa resistere non potuerunt. Sed mediante nocte per expansam pecuniam manus Primicerii & Archipresbyteri Stephani fortissima in summo diluculo ipsum Anselmum a Sede compulit. Qui cum non inveniret, quo declinaret; paternam suam domum intravit; factoque mane die altera idem Anselmus coram humili sua plebe.* IN ECCLESIA SANCTI AMBROSII CONGREGATA, *se præsente jurare fecit Camerarium suum, ne iste Dominus suus effugeret judicium Suffraganeorum: & coram eis responderet Stephano Guandeca, dicto Archipresbytero, de iis rebus, quæ sibi objecerat, remota causa Regis Conradi. Joannes autem de Rhode, unus ex Consulibus Mediolani, reversus ad alteram partem, quæ eum miserat, de juramento isto Anselmi nihil retulit; sed ait: Dominus ille, ad quem me misistis, ad nullam rationem faciendam nobis venire promittit. Tunc, qui in Concione illa aderant, clamaverunt: Et ipse deinceps sit remotus a nobis. Ac sic quisque Suffraganeus ad Sedem suam rediit;* NISI ROBALDUS ALBENSIS, QUI IN CHRISMATE ET CÆTERIS EPISCOPALIBUS OFFICIIS ECCLESIÆ SUBVENIT. *Anselmus autem ille, quasi a cuncto Clero & Populo abjectus & expulsus, ad solita Castella Archiepiscopatus exivit: in quibus qualemcumque requiem suscepit.* Hæc igi-

igitur *Landulfus* noster *De Sancto Paulo.* Quorum quidem postrema, sicuti e contextu postmodum a nobis recitando constabit, usque ad trigesimum quartum Annum pertingunt. Sed nos paulo propius ad Annum circiter trigesimum indistincte retrocedamus.

CCCLII. Sancti Præsulis ac Patroni nostri, *Ambrosii* Reliquias, in hac Basilica sub Ara maxima venerabiliter humatas, Num. 58. præpropere commonstrabamus a Sancto *Bernardo* Cardinali Episcopoque *Parmensi*, nec sine ingenti miraculo, conspectas. Idem vero præsentiebamus etiam factum Anno Domini circiter trigesimo supra centesimum Millesimum. Nunc igitur, tanquam commodiore in loco, probationem paulo etiam uberiorem reteximus. In ea igitur Sancti *Bernardi* Vita hæc in fine Capitis 38. leguntur: *Nimirum servire Domino regnare est: & non solum regnare; verum etiam Regibus imperare; quia, ubi Spiritus Domini, ibi libertas.* Inde Capite mox 39. *Cujus certe* (inquit) *charismatis Christi repletus Antistes* (Bernardus) *non solum quibuslibet Nobilibus, sed etiam Regibus & Principibus, Ecclesiæ Dei adversantibus, constantissime resistebat, multa pro Apostolicæ Sedis* (cujus utique Legatus erat) *honore adversa nihilominus sustinendo, & Ecclesiæ libertate.* De hinc Protinus Cap. 40. UNDE, CUM MEDIOLANENSES CONTRA ROMANÆ ECCLESIÆ INHIBITIONEM CORRADUM IN REGEM CUM SUIS FAUTORIBUS ELEGISSENT; VIR DEI, NON FORMIDANS TERRENI IMPERII PRINCIPATUM, PRÆFATUM CORRADUM EJUSQUE SEQUACES EXCOMMUNICATOS PUBLICE NUNCIAVIT. Sicut autem Num. 340. probabilius esse differebamus, *Mediolanenses Conradum* sibi elegerunt in Regem Anno *Christi* supra Millesimum centesimum vigesimo octavo. Præterea vero etiam ne *Bernardus* quidem iste Cardinalis videtur fuisse primus, qui eos propterea denunciaverit excommunicatos; sed certe quidem Cardinalis ille *Cremensis* in Synodo *Ticinensi*, cujus mentionem Num. 342. faciebamus. Sed & Capite mox 41. subditur: *Et cum per Lombardiam de mandato Apostolicæ Sedis ad id pergeret exequendum; a prædicti Corradi militibus captus, & multis contumeliis est affectus, &c.* Et Cap. 45. *Super pace vero & concordia ubique reformanda* (quam videilcet *Corradus* Antirex, vel etiam Pseudopontifex *Anacletus* deformabat) *tantus ejus animum fervor accenderat, quod, cum per se hoc aliquotiens implere non posset, Episcoporum aliorumque animos Prælatorum,* NON SOLUM PER ITALIAM, VERUM ETIAM PER ALAMANIAM, *ut super his attentissime vigilarent, litteris & nunciis solicitare curabat.* Denique vero Cap. 46. (placeant enim hæc præsertim repetita denuo) *Aliquando* CUM MEDIOLANI PRO HUJUSMODI NEGOTIIS (sive pro pace atque concordia hic item reformanda) PER DIES ALIQUOT MORARETUR; ARCHIEPISCOPUM ROGAVIT, UT SIBI BEATI AMBROSII RELIQUIAS VIDERE PERMITTERET. *Quod cum in die propter Populi frequentiam fieri non valeret; noctis medio paucis secum junctis, accenso lumine, quia locus erat obscurus;* CUM AD CORPUS SANCTISSIMUM PROPINQUASSENT, *repente lumen extinctum est. Cumque Vir Dei hoc evenisse suis delictis cum lachrymis quereretur;* SUBITO IBI SUFFICIENS LUMEN APPARUIT; SICQUE VOTUM SUUM, DOMINO AUXILIANTE, COMPLEVIT. Relegantur vero cetera etiam, quæ Num. illo 58. conjectabamus. Quod si chronologica isthæc nostra supputatio minime nos fallit; Sanctus igitur hic Cardinalis Archiepiscopum *Anselmum*, tametsi publice jam excommunicatum (quo-

A cum alioqui eum agere pro concordia & pace reformanda oportebat) rogavit, ut Sancti *Ambrosii* Corpus videre sibi permitteret. Quamquam etiam fortasse tunc non usque adeo constabat, *Innocentiusne*, an potius *Anacletus*, esset legitimus Pontifex. Certe autem, sicut eodem illo Numero præmonebamus, Sanctus hic *Bernardus* obiit Anno Domini Millesimo centesimo trigesimo tertio. Ejus autem obitus celebratur pridie Nonas Decembris. Sic enim habetur in ejusdem Vita, Cap. 49.

CCCLIII. Ut autem ordine chronologico summatim jam tandem perstringamus quæ *Sigonius* &
B *Baronius* in singulos Annos, ad nostrum pertinentia institutum, narrant; ea præsertim sunt hujusmodi. Trigesimo secundo supra Millesimum centesimum A.C. 1132.
Anno *Innocentius Leodium* prodiit: ibique *Lotharius* ei cum omnibus sacris & profanis Regni sui Proceribus & universa *Germaniæ* Nobilitate occurrit. Ibidem igitur celeberrimus habitus fuit Conventus, in quo sacræ adversus *Anacletum* ejusque fautores redintegratæ fuerunt detestationes. *Innocentius* inde *Genuam* revertitur; cum nuper *Conradus* etiam ex *Italia* in *Germaniam* rediisset. Trigesimo tertio mox A.C. 1133.
Anno *Lotharius* cum exercitu in *Italiam* venit: & *Innocentius Genua Placentiam* profectus, novo illic
C Concilio & anathemate *Anacletum* & asseclas jugulat. Sic etiam *Innocentio* postea *Pisis* agenti *Lotharius* supervenit: cumque *Romam* ipsum deduxisset, atque *Anacletum* præ terrore cum suis fautoribus in editas sese Turres abdere coëgisset: Imperiali Diademate pridie Nonas Junias ab eodem *Innocentio* coronatur. Urbe postea cedens *Lotharius*, *Mantuam*, & inde in *Germaniam* transit. Erumpente mox etiam e Turribus *Anacleti* Factione, novisque omnia tumultibus permiscente, *Innocentius* inde *Pisas* repetens, eo novum Concilium ex toto indicit Occidente. Sed & *Conradus*, Sancti *Bernardi Clarævallensis* Abbatis auctoritate operaque apud *Lotharium* u- A.C. 1134.
D sus, ad eum trigesimo quarto Anno Conventum *Bambergæ* in Quadragesima habentem accedit: ac, titulo regio deposito, ut in ejusdem gratiam recipiatur, exorat.

CCCLIV. Sub Concilii hoc Anno *Pisani* celebrationem quo in statu se res *Mediolanensium* haberent, quidve illi tandem consilii salubriter ceperint, *Carolus Sigonius* hoc ipso Anno sic enarrat: *Interim Mediolanenses, cum se Sacrorum communione spoliatos, & Metropolitana dignitate nudatos cernerent, eo quod, Anselmum secuti, Conrado & Anacleto hæsissent; actorum pœnitentia ducti, auctore Ribaldo* (nobis autem
E *Robaldo*) *quem Anselmo repudiato sublegerant, Innocentii & Lotharii recuperare gratiam studuerunt; atque ea de re litteras item ad Bernardum* (Clarævallis Abbatem) *cujus maximam esse norant auctoritatem, scripserunt.* Eadem porro nos etiam *Sigonio* ipsi consentimus; eo tantum excepto, quod *Robaldus* nobis jam tum *Anselmo* sublectus non videtur. Non enim postea Sanctum *Bernardum*, e *Pisano* jam Concilio huc profectum, sublegissent: quo demum electionem respuente, ipsummet *Robaldum* sublegerunt. Præterquam quod etiam *Landulfus*, ante Concilium istud solam repudiationem *Anselmi* denique commemorat; sicuti jam vidimus Num. 351. Neque vero tantum Litteras, sed etiam Nuncios ad Sanctum
F *Bernardum Mediolanenses* miserunt.

CCCLV. Narrationem *Sigonius* ibidem prosequitur in hæc verba: *Bernardus autem ad Concilium Pisanum ab Innocentio accercitus, cum per Lombardiam eo festinans transiret, litteris rescriptis gratulatus est, quod errorem deposuissent: & se votis eorum obsecuturum, atque in reditu ad eos accessurum promisit.* Ejusmodi autem Litteræ sine dubio tres illæ sunt, quæ inter ipsius Epistolas hodieque numerantur centesima trigesima secunda *Ad Clerum Mediolanensem*, centesima trige-

trigesima quarta *Ad Novitios apud Mediolanum conversos.* Quas quidem Litteras operæ pretium est integras hoc a nobis loco recitari.

CCCLVI. Ad Clerum igitur *Mediolanensem* in hæc ille verba scribit:

Benedicti vos a Domino: quorum studio & industria Civitas vestra liberata est ab errore, &, relicto Schismate, ad Catholicam rediit Unitatem. Exiit sermo iste inter Catholicos: audivit & lætata est Syon, & est vobis gloria coram Deo & omni Populo. Quam lætis amplexibus Mater Ecclesia colligit tot & tantorum multitudinem filiorum, quos se amisisse dolebat? Quam læto & sereno vultu Deus Pater recipit hoc sacrificium de manibus vestris? B *Quod autem & paci terræ intenditis; facitis quod filii pacis. Et ego, Fratres, particeps & socius gaudii vestri fieri cupiens, juxta petitionem vestram ad vos* CUM DILECTIS FRATRIBUS NOSTRIS, NUNCIIS VESTRIS, *veniebam, de quibus mihi scripsistis, plenius secundum rationem in beneplacito Dei satisfacturus.* SED QUIA TEMPUS BREVE EST, QUO AD CONCILIUM FESTINAMUS; *non gravet vos usque ad reditum nostrum sustinere.*

CCCLVII. Ad universos autem Cives *Mediolanensium* ecce qualem Sanctus Abbas Epistolam (quæ 133. numeratur) scripserit:

C *Ut ex scriptis vestris percipio, nonnullus mihi locus gratiæ apud vos est. Et quoniam meum non invenio meritum; divinitus credo datum.* NON RECUSO FAVOREM INGENTIS INSIGNISQUE POPULI. *Amplector oblatam gratiam: & obviis manibus gloriosæ Civitatis devotionem devotus excipio: præsertim hoc tempore, quo, abjecto errore Schismaticorum, ad sinum Matris Ecclesiæ cum gaudio totius Orbis reversa est. Arbitror tamen, non solum mihi gloriandum; quod invitor ad pacem quærendam;* & A FAMOSISSIMA URBE, *cum sim pauper ignobilisque persona, tanti boni mediator atque minister assumor:* D *sed vobis quoque per talem nihilominus honor est flecti ad pacem & concordiam Vicinorum vestrorum:* QUOS NEC MULTARUM CIVITATUM HOSTILIS IMPETUS (UT BENE NOTUM EST MUNDO) CEDERE ALIQUANDO COMPULIT. *Itaque festinans ad Concilium spero, me rediturum per vos, & probaturum de gratia, quam promittitis. Qui autem gratiam dedit, faciat, ne in me vacua sit.*

CCCLVIII. Tertia sequitur, & in aliarum ordine 134. ejusdem Sancti *Bernardi* ad Novitios, apud *Mediolanum* conversos, Epistola:

E CHARISSIMIS FRATRIBUS DE MEDIOLANO, NUPER CONVERSIS AD DEUM, *Bernardus dictus de Clarevalle: In spiritu consilii & fortitudinis, quod bene cœptum est, digno exitu consummare. Benedictus Deus: qui fecit vobis vilescere Mundi gloriam, largiturus suam. O quam vani filii hominum, quam mendaces filii hominum in stateris! qui (secundum illud Evangelii) gloriam ab invicem quærunt; & gloriam, quæ a solo Deo est, nolunt: plane in hoc ipsi decipientes de vanitate in idipsum. Vos autem non sic. Ab hoc vos opprobrio liberavit nunc Divina Misericordia, ut essetis Christi bonus odor Deo in omni loco: ipsi ad gloriam, Angelis ad lætitiam, hominibus ad exemplum. Siquidem gaudium est in Cœlo super uno peccatore pœnitentiam agente;* F QUANTO MAGIS SUPER TOT ET TALIBUS VIRIS, ET DE TALI URBE CONVERSIS? *Et ego, Fratres, tanta lætitia provocatus, sed & vocatus a vobis* PER CHARISSIMOS FRATRES OTTHONEM ET AMBROSIUM, QUOS AD HOC IPSUM DIREXISTIS, *decreveram simul cum ipsis venire ad vos. Cæterum melius existimans, non in articulo temporis, neque in transitu vos videre; distuli usque ad reditum nostrum.* PROPERAMUS QUIPPE AD CONCILIUM, *per vos, Deo auxiliante, reversuri: consilium & auxilium, quod secundum rationem poterimus, vestro sancto proposito præbituri.*

Ceterum ejusmodi Novitios *Baronius* hoc ipso Anno, Art. 5. interpretatur eos fuisse *Mediolanenses*, qui sese recenter hac in Urbe Ordini *Cistercensium* adscribi voluerant. Itaque de hac ipsa loquens Epistola sic scribit: *Jam autem Mediolani plantata erat Religio Cistercensis, & fœtu fœcundo propagata. Ad quorum sanctam sobolem tunc temporis coalescere incipientem Sanctus Bernardus aliam dedit Epistolam*; hoc est centesimam trigesimam quartam; sicut est in ora marginali adnotatum. Erant autem illi satis magno in numero, & e præcipua Urbis Nobilitate. Quocirca Sanctus *Bernardus* ipsos alloquens, *Gaudium* (ajebat) *est in Cœlo super uno peccatore pœnitentiam agente*; QUANTO MAGIS SUPER TOT ET TALIBUS VIRIS, ET DE TALI URBE CONVERSIS? Nobis itaque concedere item par videtur, aliquos e Monachis *Cistercensibus* ad hanc Urbem præmissos fuisse, antequam Sanctus ipse Abbas huc adveniret: quorum scilicet exemplo sanctisque documentis Nobiles illi Viri sese ad Deum religiose converterint. Ex eorum autem numero facile illos arbitramur fuisse Nuncios, quos Clerus ipse *Mediolanensis*, quosve ipsimet Novitii recenter conversi ad eum miserant rogandum, ut veniret: quos utique respondens Sanctus Abbas nominat DILECTOS FRATRES NOSTROS, ET CHARISSIMOS FRATRES, OTTHONEM ET AMBROSIUM. Forte autem similiter ex ejusmodi *Cistercensium* numero illi erant, quos Num. 351. *Landulfo* tradente legebamus una cum Episcopis Suffraganeis congregatos: pure scilicet rudi & inculta lana, sive cappis albis & griseis, indutos, & rasura insolita rasos, atque Populo acceptos perinde ac Angelos e Cœlo delapsos: quos alioqui *Anselmus* ipse Archiepiscopus, Schismatis nutritor, tantopere aversabatur, tamquam præcipuos suæmetipsius dejectionis auctores. Certe quidem paulo post *Landulfus* ipse noster de iisdem *Cistercensibus* post Sancti *Bernardi* ab Urbe profectionem ita nobis expresse luculenterque testabitur: *Sed quidam de Discipulis ejus, qui remanserunt, per Civitatem euntes, collectam multam de auro & argento & rebus multis sibi fecerunt, & faciunt.* His porro constructum subinde fuit extra Portam Urbis *Romanam* *Charævallense* Monasterium; sicuti suo tempore memorabimus. Fortasse vero etiam in ea Suburbii parte domicilium habere suum & aliquale Monasterium jam incœperant. Cum Sanctus enim Pater suam ad ipsos Epistolam inscribat *Ad Novitios apud Mediolanum* (non autem *Mediolani*) *conversos*: hoc utique certissimo nobis est indicio, eos jam tunc, non in Urbe, sed in Suburbio potius aliquo, domicilium aliquod speciemque Monasterii, quod incolerent, habuisse.

CCCLIX. Ceterum fallitur sine dubio quisquis inter ejusmodi Epistolas, quas *Mediolanensibus* Sanctus *Bernardus* rescripserit ex itinere, quo ad Concilium istud *Pisanum* festinabat, non modo connumerat, sed etiam primam prædicat eam, quæ inter ejusdem Sancti Epistolas centesima est trigesima prima, quæve titulum præfert AD MEDIOLANENSES, atque sic incipit: SUIS MEDIOLANENSIBUS, UNIVERSO VIDELICET CLERO ET POPULO, *Bernardus Abbas dictus de Claravalle in Domino Salutem.* Quod ergo pastorali velut inscriptione tituloque paterno *Mediolanenses* statim appellet SUOS: libenter nos item, accipimus, quod sponte offertur; ac, si renueretur, contenderemus: videlicet, hoc inde factum, quia Ecclesiæ hujus Pontificatus eidem *Bernardo* fuisset jam ante delatus.

Atqui delatus hic ei non ante fuit, quam e Concilio *Pisano* huc venisset; ut paulo post constabit. Non igitur hanc ipse Epistolam scripserat prius, quam inde huc veniret. Sequitur porro Sanctus *Abbas*: *Bene vobiscum facit Deus: bene vobiscum facit Romana Eccle. Facit ille, quod Pater: facit illa, quod Mater. Et re vera quid vobis debuit facere, & non fecit? Si postulastis mitti vobis de Curia honorabiles personas ad honorem Dei & vestrum; factum est.* Quandonam vero id factum est? Tunc utique (quis enim neget?) quando non ab Urbe *Roma*, e qua *Innocentius* Pontifex Anno superiore sese furori *Petri-Leonis*, seu Antipapæ *Anacleti*, subduxerat; sed a *Pisana* (ad quam interim una secum transtulerat Curiam) post Concilium hoc Anno celebratum missi cum Sancto *Bernardo* fuerunt *Guido Pisanus* & *Matthæus Albanensis* Episcopi, Sanctæ *Romanæ* Ecclesiæ Cardinales, & Apostolici a Latere Legati. *Si postulastis confirmari* (subdit Sanctus Bernardus) *quod Unanimitas vestra de Venerabilis Patris vestri electione firmaverat; factum est. Si voluistis licuisse vobis, quod illicitum, nisi pro magna quidem necessitate, sacri Canones judicant, translationem Episcopi scilicet in Archiepiscopum; concessum est.* Ecquando vero factum istud item ac concessum fuit? Impermissa nimirum & vetita data esse Populi hujus magnitudini, solutasque leges in eorum gratiam, ut alterius Urbis Episcopus ad Metropolim obtinendam asciseretur. Hæc utique nos fatemur his Epistolæ verbis significata; sed non illud; *Chrysolaum*, cum alteri cuipiam Ecclesiæ præsideret, ad hujus Ecclesiæ gubernacula studiis Populi fuisse ascitum; idque Pontifice maximo aliquandiu vel concedente, vel non prohibente. Ac de *Chrysolao*, quidem (nobis *Grosulano*) jam diximus Num. 291. & 322. ipsiusque sine dubio exemplum epistolari huic Sancti *Abbatis* instituto potius obfuisset; quam profuisset; quippe quem Apostolica Sedes ab suum tandem *Saonensem* Episcopatum ab hoc *Mediolanensi* Archiepiscopatu dejecerat. Nobis igitur de ipso ne cogitasse quidem in hac Epistola videtur Sanctus *Bernardus*; sed certe quidem *Robaldum* Episcopum *Albensem* indicasse; cui repudiatum a semetipso Archiepiscopatum *Mediolanenses* addixerant, addictumque *Romana* mox Ecclesia confirmarat, & quidem Pallio etiam denique dato, sive potius transmisso. Itaque paulo post sic etiam interrogat subditque Sanctus *Abbas*: *In quo postremo quæcumque rationabilis petitio Filiæ* (scilicet Ecclesiæ Mediolanensis) *non dico repulsam, sed vel moram passa est apud piam Matrem? En ad complementum Pallium præsto est, plenitudo honoris.* Certe autem Archiepiscopatum *Robaldo* addixerant *Mediolanenses*, *Romana* vero Ecclesia in eum denique modum confirmaverat nonnisi postquam Sanctus *Bernardus* ceterique Legati Apostolici, *Guido* & *Matthæus*, Legatione sua functi, ab Urbe *Mediolano* discessissent. Legatur vero reliquus etiam istius Epistolæ contextus. Universus profecto semet apertissime prodit conscriptum ex eo tantum tempore, quo *Mediolanensis* Ecclesia, Schismate hoc tandem absoluta, redierat in Ecclesiæ *Romanæ* gratiam, sibique primævum Metropoleos splendorem recuperaverat; quove propterea celebratum jam fuerat Concilium istud *Pisanum*, ad quod Sanctus ceteroqui properabat *Bernardus* cum Epistolas ejusmodi *Mediolanensibus* rescriberet. Quam optime vero se res habet, quod observationis hujus nostræ patronum habemus *Sigonium* Anno Millesimo centesimo trigesimo sexto, præterea vero etiam *Baronium* hoc ipso Anno Millesimo centesimo trigesimo quarto. Qui proinde *Baronius* loquens de Sancto *Bernardo*, post hanc *Mediolanensem* alteramque sequenti Anno ad *Genuenses* Legationem jam in *Gallias* reverso, ita subdit Art. 8. *Cum autem idem Sanctus Abbas audisset* (*nescimus, qua ex causa*) *eundem Populum Mediolanensis Civitatis labantem titubantemque, neque firmiter in proposito permanentem; occurrit quam citissime opportuno remedio; scribens ad eos præsentem Epistolam* (videlicet centesimam trigesimam primam, quam protinus quoque integram exscribit) *qua illi summa sunt fidei constantia roborati.* Hactenus *Baronius*. Nos tamen infra conjectare saltem audebimus, quam ob causam Populus *Mediolanensis* ita titubaret postea, nec in proposito permaneret; ut proinde per hanc Sancti Abbatis Epistolam confirmandus opportune fuerit. Jam enim tandem par est, ut nos ipsi quoque *Pisanum* ad Concilium festinemus.

CCCLX. *Bernardus Bonævallis* Abbas in Sancti *Bernardi Clarævallensis* Vita, Libro & Cap. 2. convenienter ad ea, quæ nos prope finem Numeri 353. strictim narrabamus, de *Pisano* hujusmodi Concilio hæc tradit: *Relicto igitur Romæ Innocentio, alias Imperator* (Lotharius) *digreditur. Petrus vero* (sive Leonis, & Antipontifex) *post ejus discessum crebros movens per Urbem excursus, Fidelium cædibus inhiabat. Intelligens ergo Innocentius Romæ sibi infructuosam eo tempore moram, ne præsentia sua illius Bestiæ rabiem efferaret, rursus Pisas revertitur:* IBIQUE AGGREGATIS TOTIUS OCCIDENTIS EPISCOPIS ALIISQUE RELIGIOSIS VIRIS, MAGNÆ GLORIÆ SYNODUS CELEBRATUR. *Affuit per omnia & consiliis & judiciis & definitionibus omnibus Sanctus Abbas: impendebaturque ei reverenti ab omnibus: & excubabant ante ejus limina Sacerdotes; non quod fastus, sed multitudo communem prohiberet accessum: & aliis egredientibus alii introibant, ita ut videretur Vir humilis, & nihil sibi de his honoribus arrogans, non esse in parte solicitudinis, sed in plenitudine potestatis. Actiones Concilii longum est prosequi. Summa tamen in excommunicatione Petri* (qui *Anacletus* jam dicebatur) *& irregressibili fautorum ejus dejectione constitit, & usque hodie hæc Sententia perseverat.* Nec plura de hoc Concilio Abbas hic *Bonævallensis*. *Landulfus* porro noster, post illa verba, quæ nos Num. 351. denique recitabamus ex ipsius Capite 41. hæc protinus addit: *Interim Innocentius Papa Pisis Synodum celebravit. In qua, Robaldo Episcopo Albensi repræsentante, Thealdus de Landriano Archipresbyter Ecclesiæ Mediolanensis, Amizo della Sala Archidiaconus, Anselmus de Rhode Levita, & alii plures ejusdem Ecclesiæ Ordinarii, & cum Primicerio Decumani Sacerdotes, contra solitum decus Mediolani & Ecclesiæ* (sic enim persuasum erat) *Innocentio Papæ fidelitatem juraverunt. Cremonenses vero propter hanc fidelitatem nequaquam milites Mediolanenses, quos captos habebant, dimiserunt.* SED PAPA INNOCENTIUS DEPOSITIONEM ET EXPULSIONEM SÆPEDICTI ANSELMI DE PUSTERLA FIRMAVIT. *Attamen prænominati, qui fidelitatem juraverant, timentes hos casus Urbis & Ecclesiæ Mediolanensis, differebant redire Mediolanum; nisi haberent Protectorem, qui coram Populo Mediolani confirmaret Anselmi expulsionem, & ad nihilum reduceret Conradi Coronationem; & Populum tantæ Urbis convocaret & confirmaret ad Lotharii Imperatoris amorem, & ad ipsius Innocentii Papæ unitatem.* AD HÆC PERAGENDA PAPA ADEO IDONEUM ANGELUM HABUIT, SICUT BERNARDUS ABBAS CLARÆVALLENSIS FUIT. Quidnam vero *Sigonius* de hoc ipso Concilio? *Ejus* (inquit & ipse) *Concilii actiones fuere multæ. Summa tamen in Anacleto cum fautoribus execrando versata est.* Tum vero: *Mediolanensibus, qui ad auctoritatem Innocentii, Ribaldo auctore, redierant, honoris causa multa tributa: Ut Ribaldus, quem ipsi delegerant* (hoc utique nos adhuc negavimus, ac rursum negamus) *dignitatem* (Archiepiscopalem) *teneret: Ut ea Sedes Metropolitana, sicut ante*

ante, esset, ac Pallio dignaretur: Ut Legatio ad eos expiandos honestissima mitteretur. Missi vero sunt Guido Pisanus & Matthæus Albanus Episcopus, Legati a Latere: atque eis socius est adjunctus ipse, quem inprimis requirebant, Bernardus; ut dissidium ab Anselmo Archiepiscopo excitatum extinguerent, ac Populum religione contactum scelere liberarent.

CCCLXI. Sed ad *Bernardum Bonævallensem* revertamur. Ille igitur in hæc verba illico pergit: *Soluto Concilio, ad reconciliandos Mediolanenses Dominus Papa Abbatem Clarævallis, quem multi supplicationibus expetierant, & Guidonem Pisanum, & Matthæum Albanensem Episcopum, a Latere suo direxit: qui Schisma per Anselmum in eadem Urbe factum abluerent, & ad unitatem Ecclesiæ devios revocarent. Abbas igitur cum prædictis Viris, quos a Domino Papa collegas acceperat, addidit consortio & communi consilio Virum Venerabilem Gaufredum Carnotensem Episcopum, cujus innocentiam & sinceritatem in multis probaverat. Et visum est Cardinalibus bonum, ut tanto adjutore negotium tanti ponderis fulciretur. Transcenso itaque Apennino, ubi audierunt Mediolanenses, Abbatem desideratum suis finibus propinquare; longe a Civitate milliaribus septem omnis ei Populus obviat. Nobiles, ignobiles, equites, pedites, mediocres, pauperes, quasi de Civitate migrarent, proprios lares deserunt, & distinctis agminibus incredibili reverentia Virum Dei suscipiunt. Omnes pariter delectantur aspectu: fælices se judicant, qui possunt frui auditu. Deosculantur pedes ejus universi: & licet hoc ille moleste acciperet; nulla potuit pronos & devotos ratione compescere, nulla interdictione repellere. Vellicabant etiam pilos, quos poterant, de indumentis ejus: & ad morborum remedia de pannornm laciniis aliquid detrahebant, omnia sancta judicantes, quæ ille tetigisset, & se sanctificari tactu eorum, vel usu. Præcedentes itaque & subsequentes lætabundis acclamationibus applaudebant Abbati: & diu intra agminum spissamenta detentum,* TANDEM SOLEMNI REDDIDERE HOSPITIO. Quod nimirum paulo post ad *Laurentianam* fuisse Basilicam nos quidem ostendemus; propptereaque nos in hanc velut obsequii partem venire tanto magis oportebat, exscribendo saltem; tametsi paulo prolixiora hæc essent.

CCCLXII. Quanquam etiam longe brevior est ejusdem *Bonævallensis* Abbatis narratio, qua gestum prosequitur negotium, propter quod Viri tam insignes huc venerant. Subdit enim: *Et cum tractatum esset in publico de negotio, propter quod tam Vir Dei quam Cardinales advenerant;* OBLITA FORTITUDINIS SUÆ CIVITAS, OMNIA FEROCITATE DEPOSITA, *se ita Abbati substravit, ut obedientiæ eorum non incongrue ille posset aptari Poëtæ Versiculus:*

Jussa sequi tam velle mihi, quam posse, necesse est.

Quæ quidem pressior narratio perinde significat ac illa *Sigonii* paulo fusior, hisce verbis comprehensa: *Die inde constituto Consilium est habitum. Ibi primum, Anacleto rejecto, Innocentium ut verum & catholicum Pontificem approbarunt: deinde, Conrado repudiato, palam Lotharium Regem & Dominum acceperunt, & Romanorum Imperatorem Augustum una cum toto terrarum Orbe confessi sunt: & de contumacia adhibita se ex consilio & mandato Innocentii satisfacturos esse, tacto sacrosancto Evangelio spoponderunt: ac mox Bernardi judicio se subjicientes, piaculum, quod ille imposuit, receperunt.* Non defuit autem qui disertissime scripserit, hæc omnia *Mediolani* a Legatis illis peracta in Ecclesia Metropolitana: quod & nos facile credimus. Absit autem, ut credamus, quod ille addidit, Ecclesiam eo tempore Metropolitanam fuisse hanc Sancti *Ambrosii* Majoris Ecclesiam. Hoc enim commentum est vanissimum, nec ulla jam confutatione dignum.

A CCCLXIII. Certe quidem convenienter ad hæc ipsa Legatorum acta hoc suademus, ut ejusdem Sancti Abbatis legatur Epistola centesima trigesima septima, quæ est *Ad Imperatricem Romanorum*, quave ipsi *Mediolanenses* commendat in illud tempus, quo gratiam ejusdem requisierint *per Dominum Papam, utique mediatorem suæ reconciliationis*; sicut in eadem habetur Epistola, quam nos infra recitabimus Num. 372.

CCCLXIV. Ecce vero jam tandem, quid *Landulfus* item noster scriptum nobis reliquerit de hac ipsa *Romani* Pontificis ad *Mediolanenses* Legatione. *Interea* (inquit ille Cap. 42.) *Princeps Conradus, altiori consilio potitus* (ex quo scilicet Regnum abdicavit, & in gratiam Lotharii rediit) *Imperatoris Lotharii Vexillifer est factus: & prænominatus Abbas iste* (Clarævallensis) *nil moratus, cum Carnotensi Episcopo & Robaldo Albensi Mediolanum intravit: quam Civitatem nimirum, prout voluit, formavit. Ad nutum quidem hujus Abbatis omnia ornamenta Ecclesiastica, quæ auro & argento pallisque in Ecclesia ipsius Civitatis videbantur, quasi ab ipso Abbate despecta, in scriniis reclusa sunt: & non solum masculi, sed etiam mulieres tonsæ sunt: & ciliciis & lanis vilissimis induti ad quælibet religiosa convertuntur. Aqua in vinum mutatur, Dæmones fugantur, contracti eriguntur, etiam a quacunque infirmitate infirmi similiter sanantur: & quoscumque captivos infirmos Mediolanenses habebant de inimicis suis in custodia, Abbas ipse solvit, & liberos dimisit: & tantum Populum ad amorem Imperatoris Lotharii, atque ad obedientiam Innocentii Papæ per Sacramentum Pacis, quod Abbas ipse porrexit, confirmavit.*

CCCLXV. Mentionem ingressi miraculorum, quæ Sanctus hic Abbas larga manu effusaque *Mediolani* operatus est; nos tamen, paucis tantum in commune prælibatis, ea solum miracula narrando prosequemur, quorum particeps consciaque fuit Basilica isthæc *Ambrosiana*, quinetiam hoc ipsum Altare, sub quo Sanctorum *Ambrosii* ac *Protasii Gervasii*que sacra Corpora quiscunt. *Divino judicio* (sic enim *Bonævallis* Abbas nobis in fine Capitis ejus secundi testatur, nosque lubenter istud ad publicum ac perpetuum nostræ Urbis documentum prælibamus) *ea tempestate in Medialano* (*juxta illud Isaiæ verbum*) *pilosi clamabant alter ad alterum, & occurrebant onocentauris Dæmonia, & effrænatis decursibus plurimos infestabant, nec erat qui insolentiæ eorum resisteret; cum diu sub Anselmi Schismate, qui Petri* (Antipapæ Anacleti) *fautor Mediolanensem occupaverat Cathedram, Sacerdotes gementes, Virgines squalidæ, Sanctificationes maledictæ, Altare pollutum, iram Dei in populum provocassent. At vero in adventu Viri Dei, abdicatis Anselmi præstigiis, & in Sedis Apostolicæ obedientiam sub Innocentio revocata Ecclesia, impedita est illa Dæmonum licentia: & quotidie dabat locum, & ad preces Viri Dei diffugiebat Diabolus: & si quando resistere conabatur; in ipso conflictu succumbens, gloriosius vincebatur.* Sed & illud hic præmittamus oportet, quod idem Scriptor paulo ante narraverat. *Pacatis* (inquit) *omnibus, reconciliata Ecclesia, firmitatis inter Plebes concordiæ pactionibus* (hæc autem peracta jam fuerant prima post adventum ad Urbem die; vel etiam secunda, saltem ex parte; sicuti mox constabit) *alia cœperunt nasci negotia: & insaniente Diabolo, & in quibusdam obsessis corporibus debacchanti, oppositum est Christi Vexillum: & increpante Viro Dei, de possessis atriis, superveniente eminentiori virtute, territa & tremebunda diffugere Dæmonia. Ecce nova Legatio, non Romanum Pragma circumferens, sed divinis legibus Fidei Pragma allegans, prolatis in medium Litteris sanguine Christi conscriptis, & Bulla Crucis impressis, quæ figura auctoritate sua Terrestria*

& *Inferna sibi subdit & curvat.* INAUDITA EST NOSTRIS TEMPORIBUS TANTA POPULI FIDES, TANTA IN HOMINE VIRTUS: *inter quos religiosa erat contentio; cum signorum gloriam Abbas credulitati illorum, illi vero sanctitati Abbatis adscriberent; & hoc de eo indubitanter sentirent, ut, quicquid a Domino peteret, impetraret. Adducunt igitur ad eum nihil hæsitantes mulierem omnibus notam, quam annis septem Immundus vexaverat Spiritus: & postulant supplices, ut in nomine Domini Dæmoni imperet fugam, & mulieri restituat sospitatem. Quæ Populi fides non minimam verecundiam Viro Dei ingerebat: &, humilitate magistra,* INCONSUETA EXPERIRI NON PRÆSUMEBAT: *& instante petitione Populi, erubescebat, si charitati postulantium obstinatius resisteret: & videbatur ei, quod offenderet Deum, & omnipotentiam ejus diffidentia obnubilare videretur; si a fide Populi fides propria dissentiret. Æstuabat igitur secum: & licet Signa non Fidelibus, sed infidelibus, fieri oportere assereret; ausus suos Spiritui Sancto committit; & orationi incumbens, cœlitus illapsa virtute Satanam in spiritu fortitudinis increpat & fugat; mulieremque reddit incolumem & quietam. Lætantur qui aderant: & levantes manus ad Sydera, Deo, qui de excelso eos visitavit, gratias agunt. Auditum est hoc verbum, & percrebuit fama, & repente totam perculit Urbem. Per Ecclesias, per Prætoria, per Compita omnia conveniunt undique: de Viro Dei sermo ubique habetur: dicunt publice, nihil ei impossibile, quod a Domino postulet: & ad preces ejus apertas Dei aures dicunt & credunt, & prædicant & affirmant. Nec possunt aspectu ejus, vel auditu, ullo modo satiari. Irruunt alii in præsentiam ejus: alii, donec exeat, præ foribus præstolantur. Cessatum est ab officiis & artibus: tota Civitas in hoc spectaculum suspensa manet: concurrunt, postulant benedici: & tetigisse eum singulis salutare videtur.* Et hæc quidem acta intra secundam diem postquam Sanctus Pater in Urbem advenisset.

CCCLXVI. Hospitabatur, uti jam diximus ac dicemus, ad Ecclesiam Sancti *Laurentii* Sanctus *Bernardus*: tertiaque post adventum die ad Basilicam istam processit *Ambrosianam. Tertia die* (inquit ejus Vitæ Auctor eodem Cap. 2.) AD ECCLESIAM SANCTI AMBROSII, DIVINA CELEBRATURUS MYSTERIA, SERVUS DEI PROCEDIT. *Ubi, expectante innumera Populi multitudine, inter ipsa Missarum solemnia,* DUM, CLERICIS CANENTIBUS, IPSE SECUS ALTARE SEDERET, *puellam ei parvulam offerentes, quam vehementi impetu vexabat Diabolus, orant, ut misellæ subveniat, & Diabolum in ea debacchantem elidat. Audita supplicatione adstantium, & intuitus personam frendentem dentibus & stridentem, ut etiam intuentibus esset horrori; compassus est ætatis & vehementiæ anxietatis illius condoluit. Patenam igitur Calicis, in quo divina celebraturus erat Mysteria, accipit: & digitis latice superfuso orans intra se, & de Domini virtute confidens, ori puellæ salutarem potum applicat, & corpori ejus stillam medicinalem infundit. Nec mora: quasi ureretur Satanas, infusionis illius virtutem ferre non potuit; sed, urgente intrinsecus Crucis antidoto, festinanter egrediens, vomitu sordidissimo tremebundus erupit. Sic purgata persona, Diabolo profugo & confuso, laudes debitas Deo canit Ecclesia: & post acclamationes lætabundas alacer Populus ibidem, donec divina compleantur Mysteria, immo ilis perseverat. Sub aspectu itaque omnium incolumis puella a suis domum reducitur: & vix tandem a Populo dimissus,* AD HOSPITIUM VIR DEI REVERTITUR.

CCCLXVII. Accipe vero nunc alterum item miraculum, longe majori dignum admiratione, quod Sanctus Abbas alia die in eadem *Ambrosiana* Basilica edidit. Habetur autem in ejus Vita, Lib. 2. Cap. 3. his verbis: *Inter eos igitur, qui vexabantur* (a Dæmone) *mulier grandæva, Civis Mediolanensis, & honorata quondam Matrona,* USQUE AD ECCLESIAM BEATI AMBROSII POST BEATUM VIRUM A MULTIS TRACTA EST: *in cujus pectore pluribus annis Diabolus sederat, & jam ita suffocaverat eam, ut visu & auditu & verbo privata, frendens dentibus, & linguam in modum promuscidis elephantinæ protendens, monstrum, non femina, videretur. Sordida ei facies, vultus terribilis, flatus fœtidus, inhabitatoris Satanæ colluvia testabantur. Hanc cum aspexisset Vir Dei; novit inhærentem ei & inviscatum Diabolum, nec facile egressurum de domo, quam tanto possederat tempore. Conversus ad Populum* (cujus innumera aderat multitudo) *orare jubet attentius:* ET CLERICIS ET MONACHIS SECUM JUXTA ALTARE CONSISTENTIBUS, *mulierem ibidem jubet constitui, & teneri. Illa vero reluctans, & vi diabolica, non naturali virtute, recalcitrans, non sine aliorum injuria, ipsum Abbatem pede percussit. Quem Diaboli ausum mansuete ille contempsit: & ad expulsionem, non indignatione iræ, sed pacifica & humili supplicatione Deum invocat adjutorem. & ad immolationem Hostiæ salutaris accedit. Quotiens tamen eandem sacram Hostiam signat, totiens ad mulierem quoque conversus, eodem Signo Crucis edito Spiritum nequam Athleta fortis impugnat. Nam & ille Malignus, quotiens adversus eum Signum Crucis intenditur, percussum se indicans, acrius sævit: & recalcitrans contra stimulum, quidnam toleret, prodit invitus. Expleta autem Oratione Dominica, efficacius Hostem aggreditur* VIR BEATUS. *Patenæ Calicis sacrum Domini Corpus imponens, & mulieris capiti superponens, talia loquebatur: Adest, inique Spiritus, Judex tuus: adest summa Potestas; jam resiste, si potes. Adest ille, qui pro nostra salute passurus, Nunc, inquit, Princeps hujus Mundi ejicietur foras. Hoc illud Corpus est, quod de corpore Virginis sumptum est, quod in stipite Crucis extensum est, quod in tumulo jacuit, quod de morte surrexit, quod videntibus Discipulis ascendit in Cœlum. In hujus ergo Majestatis terribili potestate tibi, Spiritus maligne, præcipio, ut, ab hac ancilla ejus egrediens, contingere eam deinceps non præsumas. Cumque eam invitus deserens, & manere ultra non valens, atrocius afflictaret, tam magnam iram quam modicum tempus habens; rediens Pater Sanctus ad Altare, fractionem Hostiæ salutaris rite complevit; diffundendamque in Populum pacem Ministro dedit* (en, ut solemniter ille Missam celebrabat) *& confestim pax & salus integra reddita est mulieri. Sic ille Nequam, divina Mysteria quantæ sint efficientiæ & virtutis, non confessione, sed fuga coactus ostendit. Fugato Diabolo, mulier, quam in tantorum sartagine tormentorum Carnifex pestilens tanto tempore frixerat, mentis suæ compos effecta, redditis sensibus & ratione, revoluta intra fauces lingua Deum confessa, gratias egit: & intuita Curatorem suum, pedibus ejus advoluta est. Ingens per Ecclesiam attollitur clamor, omnis ætas jubilat Deo, personant æramenta, benedicitur ab omnibus Deus: excedit veneratio modum, & Servum Dei supra hominem* (*si dici fas est*) *liquefacta charitate Civitas veneratur.* Hactenus de miraculis a Sancto *Bernardo* in *Ambrosiana* ista Basilica perpetratis. Innumera vero sunt alia, quæ ipse tota passim Urbe, atque præsertim ubi hospitabatur, operatus fuit. In hæc consulatur ipsius Vita, Lib. 2. Cap. 3. & 4.

CCCLXVIII. Sequitur jam tandem, ut ad ejusdem hospitium, & electionem Archiepiscopalem, sed recusatam, veniamus. *Landulfus* ergo noster Cap. 42. post ea denique verba, quæ nos Num. 360. proferebamus, suam ipse Historiam in hunc modum prosequitur: TANDEM IDEM POPULUS, UT HABERET ABBATEM ILLUM IN ARCHIEPISCOPUM, AD ECCLESIAM SAN-


BIBLIOTECA UNIVERSITARIA
SEVILLA



S. BERNARDUS,

Abbas Claraevallensis.

SANCTI LAURENTII, IN QUA ERAT HOSPITATUS, CUM HYMNIS ET LAUDIBUS ET SOLITO SUO KYRIE ELEISON (quod perinde est, atque cum solemni juxta Ritum *Ambrosianum* Processione) CONCURRIT. *Quod Abbas ille non tulit; sed ait:* EGO IN CRASTINO ASCENDAM PALAFRETUM MEUM: ET SI ME EXTRA VOS PORTAVERIT; NON ERO VOBIS QUOD PETITIS. *Ac sic Mediolano recessit.* Perinde ac si etiam ceteroqui diceret: *Ero autem vobis quod petitis; si me extra vos non portaverit.* Quo quidem responso Sanctus Abbas, *Papiam* & ipse *Ticinumque* tendere tunc cupiens, nobis ad illud non obscure videtur allusisse, quod Sancto *Ambrosio* contigerat, cum, regimen Ecclesiæ *Mediolanensis* sibi oblatum recusans, ab ipsamet etiam Urbe tandem aufugit: *Egressusque noctis medio Civitatem* (sicut in ejus Vita *Paulinus* narrat) *cum Ticinum se pergere putaret; mane ad Portam Civitatis Mediolanensis, quæ Romana dicitur, invenitur.* *Mediolanenses* igitur hoc tantum Anno supra Millesimum centesimum trigesimo quarto ad Archiepiscopale suimetipsorum regimen elegerunt Sanctum istum Abbatem. Cumque tam luculenter hoc nobis *Landulfus* noster, oculatus tunc ac præsens jamque per alia item omnia probatæ nobis fidei testis, affirmet; quidni ceteris omnibus ætate posterioribus, & aliter opinantibus, hic unus jure omni meritoque anteponatur, ejusque testimonium apud nos illorum testimoniis hac in parte præponderet? Quod si etiam in Ecclesia, hoc est, in Canonica, Sancti *Laurentii* hospitatus interea temporis fuit Sanctus *Bernardus*: & a *Mediolanensibus* ad hoc solemne (sicut *Bonævallis* Abbas Cap. 2. appellat) hospitium deductus est; non igitur ipse sibi elegerat intra pauperrima Claustra apud sui similes hospitium; nec in aliquo interim Monasterio habitavit, per cujus omnia diverticula invicem elideretur constipata & coarctata multitudo, quæ ad ipsum confluebat.

CCCLXIX. Quam festiva vero ac modesta divini Hominis responsio: nec ab eo diversa more, quo dignitates hujusmodi sibi oblatas recusare consuevit. Qua de re *Gulielmus* Abbas in ejus Vita, Lib. 1. Cap. 14. sic habet: *Summos honores Ecclesiasticos, quasi dignum eum jugiter persequentes, non jactanter respuendo, sed religiose & rationabiliter declinando, quid in omni operatione sua semper quæsierit, quo ambierit, manifeste declarat. Cumque dignus esset, ut cogeretur; nescio quo judicio Dei, & singularis reverentia sanctitatis, jam olim apud omnes obtinuit, ne aliquando ad aliquid contra voluntatem suam cogatur. Sed cum hoc modo Mundi hujus fugit honorem, omnium honorum non effugit auctoritatem, dignus in conscientiis omnium, qui in timore & amore Dei timeatur & ametur: quo præsente, ubicumque fuerit, nil contra justitiam audiatur*: *cui, ubicumque aliquid loquitur vel agit, pro justitia obediatur.* Vide autem, quid *Bernardus* pariter *Bonævallis* Abbas mox Lib. 2. Cap. 4. disserat in eandem sententiam. *Quot* (inquit) *Ecclesiæ destitutæ Pastoribus eum sibi in Episcopum elegerunt? Elegit eum domestica Lingonensis Ecclesia, elegit Cathalaunensis. Intra Italiam Civitas Januensis,* ET MEDIOLANUM METROPOLIS LIGURUM, *hunc optaverunt Pastorem & Magistrum. Rhemi, nobilissima Franciæ Civitas secundæ Belgicæ Provinciæ caput, ejus dominationem ambivit. Omnibus his vocationibus postpositis, non solicitavit animam ejus honor oblatus: nec motus est pes ejus, ut inclinaret se ad gloriam: nec magis eum delectabat tiara & annulus, quam rastrum & sarculus. Petentibus se, nec annuens aliquando, nec insolenter aut improbe renuens, dicebat, se non esse suum, sed aliorum servitio deputatum. Quæ res cum referretur ad Fratres; respondebant: Nos omnibus, quæ possidebamus venditis, inventam pretiosam*

A *margaritam comparavimus. Ad patrimonia distracta redire non possumus. Quod si & pretium & appretiatum nobis perierit, & substantiis & margarita privati fuerimus; expectationi nostræ male provisum est; si oleo nostro effuso, clausis januis, sicut fatui mendicemus. Providerant etiam sibi ex consilio sanctissimi Fratres,* ET DOMINI PAPÆ AUCTORITATE MONITI ERANT, *ne quis gaudium suum tollere posset ab eis, & aliorum consolatio eis fieret tribulatio, & eorum inopia aliorum plenitudinem cumularet. His aliisque rationibus Servi Dei expugnaverant petitores: & jam divulgatum erat ubique, Abbatem sic statutum in Ecclesia a Deo, sicut in Hebræorum Populo Moyses fuit: qui,*
B *cum non esset Pontifex, Aaron tamen unxit & sacravit Pontificem, & dispositionibus ejus tota Levitica omni tempore successio paruit.* Quæ quidem cum ita se habuerint; eo certe minus credibile nobis illud nominatim relinquunt, quod in Catalogo *Successores Sancti Barnabæ* in *Anselmo* Quinto asseritur, ab *Honorio* Secundo Pontifice confirmatam fuisse Archiepiscopatus *Mediolanensis* administrationem, ad quam Sanctus *Bernardus* fuerat a Populo *Mediolanensi* electus: videlicet antequam ipsemet *Anselmus* eligeretur. Siquidem in hoc etiam Catalogus ille nobis falsus videtur; ut antea observavimus.

CCCLXX. Quando autem, recusato *Mediolanensi*
C Archiepiscopatu, Sanctus *Bernardus Mediolano* discedit, Archiepiscopalia nihilominus erga Urbem istam viscera secum adsportans; nos vicissim grati memorisque animi gratia inserendam hoc ipso loco curavimus ejus effigiem. Satis vero fideliter incisa æri hæc est ex altera paris mensuræ, quam superioribus annis ad suos in hoc *Ambrosiano* Monasterio Monachos, jam *Cistercienses* Pater Generalis e *Gallia* transmisit; hoc elogio commendatam, quod ex omnibus æri hactenus incisis non alia unquam magis ad veram & nativam Sancti Abbatis effigiem congruerit.

CCCLXXI. Cum Sanctus *Bernardus Mediolano* discederet; *Papiam*, dein *Cremonam* profectus est.
D Cumque suam in utraque illa Civitate miraculorum virtutem aliquatenus exercuisset, *Mediolanum* revertit. Et hæc quidem liquido constant ex ipsius Vita, Lib. 2. Cap. 4. De quo reditu sic etiam ibidem subtextum habetur: *Cum* SECUNDO *per Mediolanum eodem Anno* (scilicet Millesimo centesimo trigesimo quarto) *Pater Sanctus transiret, oblata est ei dæmoniaca mulier. Nam eo tempore aberat, quo* PRIMUM *Vir Dei Civitatem prædictam sua illustravit præsentia.* Sed quænam potissimum ad negotia Sanctus Abbas iter illud susceperit, muta penitus est ejusdem Historia. Nos quidem illuc profectum commentabamur, ut eos Cives ad concordiam cum
E *Mediolanensibus* redigeret, belloque tandem jam cœpto unanimes hinc inde abstinerent. Ad pacem quippe jam propendebant *Mediolanenses*; sicut ipsemet Sanctus Abbas testabatur Num. 356. & 357. sive suis Epistolis centesima trigesima secunda & trigesima tertia. Quia tamen hoc ipsum bellum paulo post ex Historia *Landulfi* comperiebamus nihilominus continuatum; propterea tantum istum pacis Conciliatorem nihil apud *Papienses* & *Cremonenses* profecisse conjectabamus quidem; at ne affirmare quidem ausi unquam fuissemus; ne forte irrogatam propterea sibi a nobis injuriam quererentur. Dicat ergo, suisque potius elo-
F quatur hoc ipsum verbis *Ludovicus Canitellius* in suis *Cremonensium* Annalibus ad hunc ipsum *Christi* Annum Millesimum centesimum trigesimum quartum. Ibi enim sic habet: *Divus Bernardus Mediolanensibus, dum eis, quia adhæsissent Corrado Suevo, interdicta essent Sacra per Summum Pontificem, & mox, dimisso Corrado, Lothario adhæsissent, absolutionem & veniam impetravit: & Cremonam profectus & Papiam,* UT IBI INCOLAS ET CONFOEDERATOS

CUM MEDIOLANENSIBUS COMPONERET; RE INFECTA, EX CREMONA REDIIT MEDIOLANUM. Quamquam etiam ne id quidem tacuerat *Sigonius*. Hoc ipso siquidem Anno Millesimo centesimo trigesimo quarto, post indicata denique Sancti *Bernardi* miracula, quæ nostra in Urbe patraverat, ita subdit: *Inde jussu Innocentii ad pacificandas ipsas inter se Lombardiæ Civitates profectus, Papiam & Cremonam se contulit.* CUM AUTEM APUD CREMONENSES NIHIL PROFECISSET; *eorum Innocentio pertinaciam significavit his verbis: Cremonenses induruerunt, & prosperitas eorum perdit eos. Mediolanenses contemnunt, & confidentia ipsorum seducit eos. Hi in curribus & equis spem suam ponentes, meam frustraverunt, & laborem meum exinanierunt.* Quæ nimirum Sanctus *Bernardus* ad *Innocentium* postea scripsit, ut nos infra recensebimus: quæve continentur in ejusdem ad ipsum Epistola 318. quam postmodum recitabimus.

CCCLXXII. *Mediolanum inde regressus* (hæc nempe sunt ex ejusdem *Sigonii* contextu, mox ibidem continuato) *ad Richizam Augustam diligenter de recipiendis in gratiam suam Mediolanensibus scripsit.* Hæc autem illa est *Ad Imperatricem Romanorum* Epistola 137. quam Num. 363. innuebamus, quæve in hanc sententiam est conscripta:

IN reconciliatione Mediolanensium non obliti sumus unde a Vestra Excellentia præmoniti fueramus. Quod etsi non monuissetis; nihilominus honori vestro & Regni utilitatibus intenderemus; sicut ubique & semper fideliter, quantum possumus, facimus. Non ante sane Mediolanenses in gratiam Domini Papæ, & Ecclesiæ unitatem recepti sunt, quousque palam, Conrado refutato & abnegato, Dominum nostrum Lotharium in suum Regem & Dominum receperunt, & Romanorum Imperatorem Augustum una cum toto Orbe confessi sunt, & de injuria transacta, juxta consilium & mandatum Domini Papæ, digne vobis se satisfacturos esse tacto sacrosancto Evangelio spoponderunt. Unde magnas agentes gratias Divinæ Bonitati, quæ absque bellorum periculis absque humani sanguinis effusione, inimicos sic humiliavit: rogamus Vestram satis nobis expertam Clementiam, ut tempore suo, CUM REQUISIERINT PRÆDICTI MEDIOLANENSES PER DOMINUM PAPAM, UTIQUE MEDIATOREM SUÆ RECONCILIATIONIS, *gratiam vestram, benignos Vos atque placabiles inveniamus; quatenus nec eos pœniteat sanis paruisse consiliis, & vos de eis debitum habeatis servitium & honorem. Non enim decet, ut Fideles vestri, qui pro honore vestro laborant, apud Vos confundantur. Confundentur autem; si, quibus de benignitate vestra spem indulgentiæ promiserunt eum pro ipsis intervenerint, invenerint Vos (quod absit) inexorabiles.*

CCCLXXIII. Porro sequitur eodem Cap. 42. *Landulfus: Sed quidam de Discipulis ejus* (Sancti *Bernardi*, qui mox Archiepiscopatu recusato discesserat) *qui remanserunt, per Civitatem euntes, collectam multam de auro & argento & rebus multis sibi fecerunt & faciunt.* His autem *Cisterciensibus* nos altero ab hinc Anno exædificatum extra Portam Urbis hujus *Romanam* Charevallense Monasterium narrabimus. Et rursus, electionem Archiepiscopi prosequens, inquit: *Mediolanenses vero Ordinarii & Decumani, qui Papæ Innocentio fidelitatem juraverant, confortati de hac Mediolanensium conversione, fecerunt Litifredum Novariensem* (de quo *Carolus a Basilica Petri* in sua Novaria) *Vidonem Iporiensem & alios Suffraganeos venire Mediolanum: qui in Consilio suo sublimaverunt Robaldum Albensem Episcopum in Mediolanensem Archiepiscopum, habita securitate retinendi, prout dicitur, Albensem Episcopatum. Isto sublimato* (jam enim, pace incassum tentata, Sanctus *Bernardus Papia Cremonaque Mediolanum* redierat) *Mediolanum super*

A *Cremonenses exercitum suum admovit. De quo exercitu ipsi Cremonenses apprehenderunt centum triginta milites, in nocte errantes. Anselmus autem de Pusterla, audiens & intelligens horum militum captionem, nullam suscepit consolationem contra Robaldi sublimationem: neque secundum consilium Alberti de Landriano & amicorum ejus ambulavit; sed credulus Hugoni suo Naso voluit cognoscere, qualiter cum Anacleto Papa Romanorum posset procedere. Attamen ipse, cum isto suo Cappellano ambulans Romam, in flumine Padi juxta Ferrariam a Goyzo de Martinengo captus est, & ad Innocentium Papam transmissus. Qui Papa in mense Augusti a Pisis illum captum Romam misit: ibique, prout*
B *fama est, Anselmus ille in eodem mense in manu Petri Latri, qui Procurator est Innocentii, vitam finivit.* Sperare juvat, ipsum ejurato Schismate *Pisis* coram *Innocentio* resipuisse, atque etiam illius jussu *Romam* inde transmissum in eum fortasse finem, ut Amicum suum *Anacletum* ad catholicam pariter unionem revocaret. *Joannes Franciscus Besutius* in Historia Pontificum *Mediolanensium* ex vano comminiscitur, eum sponte *Romam* profectum, ut absolutionem ibi ab *Innocentio* (hic autem *Pisis* tunc erat) obtineret. Eundem ceteroqui *Anselmum* communis opinio est vitam *Romæ* finivisse die mensis Augusti decima quarta. Sed & uterque Archiepiscoporum nostrorum
C Catalogus, Archipresbyteri nempe Metropolitani unus, alter vero Secretarii *Urbani*, expresse obitus Annum insuper habent annotatum, videlicet *Christi* Millesimum centesimum trigesimum quartum: cui utique nos etiam ipsum adscribimus. Quin etiam eundem Archiepiscopum asserunt *Romæ* sepultum ad Sanctum *Joannem Lateranum*.

CCCLXXIV. Ex his autem, quæ de *Anselmo* isto Archiepiscopo narrata sunt hactenus, refellere cursum ac notanter nobis placet historica quædam errata, quæ passim apud varios Scriptores circumferuntur. Plerique nimirum asserunt, *Lotharium* ab ipso *Mediolani* exceptum, & tam hic quam *Modoë-*
D *tiæ* Corona Regia insignitum. Præ ceteris miramur, quomodo *Bartholomæus Zucchius* idipsum liquido constare asseruerit e Chronico etiam *Otthonis Frisingensis*, Lib. 7. Cap. 17. cujus testimonium nos jam supra recitavimus Num. 340. & 345. quove, non *Lotharium*, sed certe quidem *Conradum* disertissime ab ipso coronatum affirmat. Ex quo nimirum imperare desierat *Henricus*, *Conradum* ille solum coronavit *Italiæ* Regem: huic ille uni, sicut & Antipapæ *Anacleto*, adhæsit, antequam e Sede pelleretur. Quocirca nec aliquando illi videmus exprobratum, quod a Rege *Lothario* defecerit. Sic etiam vel inter Acta Ecclesiæ *Mediolanensis* procul a vero scri-
E ptum, & inde ab *Auberto Miræo* in Chronico *Cisterciensi* sub Anno Millesimo centesimo trigesimo tertio mutuatum, de hoc *Anselmo* invenies: *Sanctum Bernardum hospitio sæpenumero accepit: cujus causa Monasterium Clarevallense* (verius *Charavallense*) *extra Portam Romanam ab Anselmo Archinto ædificandum curavit:* quod ipsum iisdem ferme verbis in Catalogo *Successores Sancti Barnabæ* recensetur; & cum eo quidem additamento, ut *Romæ* sepultus ille sit *in Ecclesia Sancti Sebastiani*. Sed longe adhuc deterius erravit *Claudius Robertus* in Secunda Parte Appendicis ad suam *Galliam Christianam*. In Catalogo nempe *Mediolanensium* Archiepiscoporum,
F Num 84. de hoc *Anselmo* ita scripsit: *Conditur in Monasterio Clarævallensi in hac Urbe, quod ædificavit.* Quam multa quam paucis verbis errata! Quippe *Anselmus* in primis iste Archiepiscopus, cognomento *De Pusterla*, perperam in unum commiscetur cum *Anselmo Archinto*. Præterea Charevallense hoc Monasterium non in hac Urbe, sed in Suburbio, quatuor circiter milliaribus ab Urbe disjuncto, constructum fuit. Adhæc ne satis quidem adhuc scimus,

mus, an illud *Anselmus* aliquis *Archintus* re quidem vera construxerit, ibidemque sepultus sit. Quinetiam nonnihil suspicamur ab his Auctoribus *Anselmo Archinto*, tamquam conditori, adscriptum fuisse illud, quod ante Portam illius Ecclesiæ cernitur adhuc obvia sepulchrali Tabula testatum his verbis:

Millesimo ducentesimo vigesimo
Octavo Kalendas Majas
Manfredus Archintus, Patritius Mediolanensis, erogatis illustri Cœnobio latifundiis,
Monumentum sibi & Posteritati P.

De *Anselmo* certe illo nihil tale hactenus invenire potuimus inter ejus Monasterii origines, de quibus etiam paulo post agemus.

CCCLXXV. Per id tempus, quo Sanctus *Bernardus* intra hunc Annum iterato *Mediolani* fuit, certam quoque vivendi Normam Tertio Humiliatorum Ordini tradidit. Ii autem jam inde a prima origine vocabantur FRATRES DE CONVENIO; non autem DE CONVENTO, sicut in editione typographica *Tristani Chalci* erratum est contra fidem autographi Codicis; Anno videlicet Millesimo decimo nono; quo idem Ordo initium habuisse ipsimet *Chalco* visus est (sicuti Num. 202. prope finem memorabatur) nec procul a vero, sicut ego cumulatissime in alio Volumine ostendam. Post acceptam igitur eam vivendi Normam vocari etiam cœperunt alicubi FRATRES SANCTI BERNARDI: necnon etiam primus eorum Fundator fuisse Sanctus ipsemet Abbas nonnullis creditus est. Ejusmodi Fratrum DE CONVENIO residuum sine dubio est Locus ille Pius *Modoëtiæ* qui DE CONVENIO in hanc usque diem appellatur, quive in suomet ipsius stemmate tutelarem gestat hunc Sanctum Abbatem. Capituli Metropolitani Bibliotheca manuscriptum habet e communi charta Codicem, quo Privilegia continentur Ordinis Humiliatorum, & quidem paulo uberius, quam in altero pergameno, qui pariter ibidem asservatur. In ejus igitur Codicis initio inter alia quædam prænotamenta istud etiam extat: *Notandum est, quod Anno Domini nostri Jesu Christi Millesimo centesimo trigesimo quinto* (nobis autem trigesimo quarto) *Sanctus Bernardus venit Mediolanum, & ibi multis miraculis claruit, & Monasterium* (Anno nempe sequenti) *construxit. A quo quidam Magnates & Nobiles Cives Mediolani, spiritu divino inebriati, Formam vivendi in Habitu religioso, cum suis familiis habitando* (tale siquidem ipsorum erat institutum) *sumpserunt. Fuit ergo Sanctus Bernardus Ordinis hujus primus Fundator. Unde Fratres Tertii Ordinis hujus vocantur hodie alicubi* FRATRES SANCTI BERNARDI. *Manserunt autem sic Fratres Ordinis hujus per se in Habitu religioso per annos quinquaginta quatuor, priusquam concessa eis esset Regula ab Ecclesia Romana. Anno autem Millesimo centesimo nonagesimo nono, penultimo die Maji, data fuit eis Regula* (& hæc quidem paulo post in eodem illo Codice legitur) *a Domino Papa Innocentio Tertio. Quare sciendum, quod Fratres Tertii Ordinis hujus fuerunt Fundatores Primi & Secundi Ordinis Humiliatorum. Gualuaneus* autem *Flamma* in Chronico Majori, Cap. 255. mixtum hæc habet: *Mortuo Anselmo de Pusterla Archiepiscopo* (minime vero mortuo, sed e Sede tantum Archiepiscopali dejecto) *Beatus Bernardus fuit electus in Archiepiscopum Mediolanensem. Quod renuit. Et postea fuit electus Robaldus, qui* tunc erat Episcopus Albensis. Isto tempore Nobilis Vir Guido ex Capitaneis Portæ Orientalis fuit specialis adjutor Beati Bernardi in fundando Monasterio de Charevalle juxta Mediolanum de divitiis ejus Anno Domini Millesimo centesimo trigesimo quinto. Glossa: In Millesimo centesimo trigesimo octavo, die decima quarta Julii, fuit maximus ignis in Mediolano. Et iste Guido Tertium Ordinem Fratrum* DE CONVENIO SANCTI BERNARDI *in Porta Orientali* (ubi nempe nunc extat Clericorum Seminarium) *construxit in die Sancti Vincentii: quem Innocentius Tertius confirmavit: & ab Innocentio Tertio dictus est Ordo Tertius. Isti Fratres* DE CONVENIO FUNDAVERUNT ORDINEM FRATRUM HUMILIATORUM, *& ipsos visitabant.* Sed hoc ipsum præterea confirmemus ejusdem *Gualuanei* Manipulo Florum Cap. 171. in Annum *Christi* Millesimum centesimum trigesimum quintum, immo vero etiam *Petri* testimonio *Azarii*, qualem Scriptorem jam supra descripsimus Num. 236. Hic siquidem Anno Domini Millesimo centesimo trigesimo nono mutuatis per omnia *Gualuaneani* Manipuli verbis sic habet: *Sequenti Anno Beatus Bernardus rediit Mediolanum, Claravalle* (sive *Charavalle*) *construxit,* ORDINEM SANCTI BERNARDI ORDINAVIT, *qui modo dicuntur* FRATRES DE CONVENIO. *Prima Domus istorum Fratrum fuit Conventus Portæ Orientalis, quam Guido ex Capitaneis Portæ Orientalis construxit. Hic autem Guido, Vir Illustris, Romam ivit, & ab Innocentio Tertio in quodam prædio aquam ad manus recepit: & istum Ordinem confirmavit. Et quia iste Papa dicebatur Innocentius Tertius; ideo iste Ordo* (aliter tamen & melius alii sentiunt) *Ordo Tertius appellatus est. Et est exemptus ab omnibus gravaminibus Communitatis Mediolani. Hi Fratres fundaverunt Primum & Secundum Ordinem Humiliatorum: & visitabant ipsos Fratres Humiliatos die........ Julii. Georgius Merula* Lib. 3. Antiquitatis *Vicecomitum* subobscure id ipsum, nec sine aliqua erroris admistione, talibus innuit verbis: *Frequentavit hic homo* (Sanctus Bernardus Claræavallensis) *Mediolanum, cum ob Urbis magnitudinem & Civium opes, tum quia in regione, quam* ORIENTALEM PORTAM *vocant, religiose educatus* (quo id sensu, qua veritate?) *fundamenta inibi* SOCIETATIS INSEPARABILIS *jecit.* Ecquid enim aliud hoc nomine SOCIETATIS INSEPARABILIS intelligere *Merula* potuit, quam Domum illam DE CONVENIO, a *Guidone* illius Portæ Capitaneo constructam? Quid hac porro de re *Donatus Bossius? Anno* (inquit) *Domini Millesimo centesimo trigesimo quinto* (non autem *quadragesimo quinto*, sicuti haud dubie Typographus erravit) *Beatus Bernardus Mediolanum reversus* (de hoc infra etiam dicemus) *Clarevallem,* ORDINEMQUE SUI NOMINIS (quippequi ORDO SANCTI BERNARDI nuncupatus fuit) *qui postea* CONVENARUM *dictus est, condidit. Huic Ordini prima Domus a Guidone Capitaneo in Porta Orientali fundata est: qui Romam profectus, ut ab Innocentio Tertio appellavit, ab omnibus quoque vectigalibus tributisque Communitatis reddidit immunem. Ab his Fratribus Primus & Secundus Humiliatorum Ordo institutus est.* Hæc autem tam multa Scriptorum testimonia eo præsertim spectant, ut intelligamus, quemadmodum & Sanctus *Bernardus* & hic ipse *Guido* vocati fuerint hujus Humiliatorum Ordinis Fundatores; cum alioqui Ordo ipse initium habuisset ante vigesimum Millesimum *Christi* Annum; sicuti præter *Chalcum* alii etiam multi testantur. Testantur autem nominatim Sanctus *Antoninus* Secunda Parte Chronicorum Tit. 15. Cap. 23. *Raphaël Volaterranus*, Commentariorum Urbanorum Lib. 21. *Bartholomæus Cassanæus* in Catalogo Gloriæ Mundi, parte quarta, Consideratione 60. *Franciscus Modius* eo in Libro, quo cujusque Ordinis Ecclesiastici originem progressum & vestitus rationem delineavit, quive Liber legi potest in Chronico Chronicorum Ecclesiastico-politico *Joannis Gualterii: Andreas Hojus* in Annotationibus ad Historiam Orientalem & Occidentalem *Jacobi a Vitriaco:* prætera vero etiam duo, quæ penes me sunt, ejusdem Ordinis Humiliatorum Chronica manuscripta: quorum

rum unum contextum fuit Anno Domini supra Millesimum quadringentesimum decimo nono, alterum autem nonagesimo tertio. *Benedictus* tamen *Jovius* Historiæ *Novocomensis* Libro Secundo, & *Franciscus Ballarinus* Compendii Chronicorum *Comensium* Parte Tertia, primam hujus Humiliatorum Ordinis originem conjiciunt in Annum *Christi* trigesimum tertium supra Millesimum: *Sigonius* autem *De Regno Italiæ* in quadragesimum sextum. Veruntamen hi quoque Auctores nobis in rem præsentem sufficiunt. E prædictis porro nos satis pariter discernimus, quinam fuerit *Guido* ille, quem Humiliati postea tamquam Beatum & Ordinis sui Fundatorem venerati fuerunt. De quo quidem in eo Chronico, quod nuper dicebamus Anno Domini Millesimo quadringentesimo decimo nono elaboratum, sic habetur Cap. 39. quo Sancti & Beati hujus Ordinis numerantur: *Beatus Guido Domus Portæ Orientalis Mediolani: qui hujus Religionis Fundator extitit.* Sic etiam in fine Missalis Humiliati, Anno Domini Millesimo quingentesimo quarto typis *Mediolanensibus* impressi: *beatus Guido de Mediolano, qui hujus Religionis Fundator extitit.* Et apud *Arnoldum Wion* in Ligno Vitæ, Lib. 1. Cap. 63. *Beatus Guido Mediolanensis, Ordinis Fundator, antequam Regulæ Divi Benedicti subjiceretur.* In eandem porro sententiam loquitur etiam *Sylvester Maurolicus* in Historia Sacra, quam inscripsit, *Mare Oceano di tuttele Religioni del Mondo*, qua parte originem Ordinis Humiliatorum edisserit. Quod autem Conventus ille Portæ Orientalis, quem *Guido* iste construxit, prima dicebatur esse Domus istorum Fratrum de Convenio: nos quidem primam fuisse concedimus quo ex tempore Sanctus *Bernardus* huic Ordini Normam vivendi tradidit. Alioqui enim absolute prima jam fuerat Domus *Breræ*, sive *Braydæ*, ubi nunc celeberrimum extat Societatis *Jesu* Collegium. Ea siquidem jam extabat Anno Domini Millesimo trigesimo sexto. Sed hæc alteri promisso Volumini reservata sunto.

CCCLXXVI. Consequenter ad ea, quæ nos Num. 373. e *Landulfi* Capite 42. recitabamus, idemmet Historiographus Cap. 43. paululum progressus, in hunc subinde modum concludit: *Instantibus igitur iis infortuniis Mediolano, & Anselmo (prout dictum est) mortuo, Robaldus, ejusdem Civitatis Archiepiscopus, Pisis Innocentio Papæ juravit* (nempe fidelitatem) ET JURANDO LIBERTATEM ECCLESIÆ MEDIOLANENSI IN CONTRARIUM CONVERTIT. Sicut enim Num. 360. contra solitum decus Urbis & Ecclesiæ *Mediolanensis* ab ejus Clero juratam opinabantur *Mediolanenses Innocentio* Papæ fidelitatem in Concilio *Pisano*; sic etiam hoc ipso fidelitatis juramento, quo se *Robaldus* in Urbe *Pisana* eidem Pontifici nunc obstrinxit, derogatum censuerunt ejusdem Urbis & Ecclesiæ suæ libertati. Ego vero similiter etiam crediderim (& hæc quidem illa est conjectura, quam in fine Num. 359. pollicebar) Pontificem hoc tempore ab Archiepiscopo nostro contendisse, ut Archiepiscopalem quoque Stolam, sive Pallium, ex ipsius manu ibidem susciperet; sed eum renuisse; quippe memorem pariter ac in propria nunc causa tenacem consilii, quod *Anselmo* decessori suo antehac *Romæ* tradidisset. Ut enim Num. 338. vidimus, ab illo super hac re consultus respondit, *Quod prius sustineret, nasum suum scindi usque ad oculos, quam daret sibi consilium*, UT SUSCIPERET ROMÆ STOLAM, ET ECCLESIÆ MEDIOLANENSI PRÆPARARET HANC NOVAM ET GRAVISSIMAM, QUAM HONORIUS PAPA DICEBAT SIBI IMPONERE, MENSURAM. Quemadmodum igitur persuasus ejusmodi consilio tunc *Anselmus*, ab Urbe *Roma Mediolanum* sine Sto-

A la redire maluerat; sic etiam nunc *Robaldus* a *Pisana* rediisse mihi quidem videtur; neque temere, sicut infra dilucidius ostendam.

CCCLXXVII. *Mediolanensibus* videlicet persuasissimum erat, Ecclesiæ *Ambrosianæ* veterem honoris gratia consuetudinem hanc esse, ut Pallium archiepiscopale non ipsemet Archiepiscopus e manu *Romani* Pontificis immediate ac præsens, sed ut absens mediate per alium, a quo deferretur, susciperet. Ejusmodi vero consuetudinem vivis & bonis rationibus *Anselmus* ipse asserebatur eo Num. 338. defendisse coram *Honorio* Papa, ejusque Cardinalibus. Quocirca etiam demum *Anacletus* illud per

B suos Nuncios ad eundem *Anselmum* miserat; uti jam vidimus Num. 350. Quod si quis nobis objiciat, Pseudopontificem fuisse *Anacletum*; ecce alios Pontifices sane quidem legitimos, qui jam diu sic etiam ipsi se gesserant. *Paschalem* in primis Secundum habemus Num. 201. Annoque *Christi* Millesimo centesimo: qui per Sanctum *Bernardum* Cardinalem ac postea Episcopum *Parmensem* illud ad *Grosulanum* transmisit. Sed & *Joannes* Papa Duodecimus Num. 160. atque Nongentesimo trigesimo *Christi* Anno nobis memorabatur illud ad *Hilduinum* transmisisse, usus opera *Ratherii*, qui postea *Veronensis*, ac de-

C nique *Leodiensis* Episcopus fuit. Quid, quod etiam tempore Sancti *Gregorii* Magni recepta jam usu erat hæc ipsa consuetudo? Itaque tantus etiam talisque hic Pontifex luculentissimam ipsius mentionem facit Lib. 3. Registri, Epist. 1. *Constantio Episcopo Mediolanensi*: quæ data fuit Indictione duodecima, & quarto post ejusdem *Gregorii* Ordinationem anno, qui fuit Annus *Christi* Quingentesimus nonagesimus quartus. *Scripta* (sic incipit) *Fraternitatis vestræ suscipiens, magnas Omnipotenti Deo gratias retuli; quia Ordinationis vestræ merui celebratione relevari. Quod vero superno munere in electionem vestram concorditer omnium convenit assensus: hoc Fraternitas tua cum sum-*

D *ma debet consideratione pensare; quia post Deum valde est debitrix eis, qui sibi vos præferri tam subdita mente voluerunt.* Et paulo post: PRÆTEREA PALLIUM, AD SACRA MISSARUM SOLEMNIA UTENDUM, EX MORE TRANSMISIMUS. *Sed peto, ut, dum hoc suscipitis ejus honorem ac genium ex humilitate vendicemus.* Relegantur vero illa etiam, quæ nosmetipsi Num. 198. Annoque *Christi* secundo supra Millesimum recitabamus de *Arnulfo* Secundo Archiepiscopo, *Constantinopolim* ad Imperatorem profecto. Tunc utique tantus erat Archiepiscopi nostri honos, ut Stolam, sive Pallium, non modo inter sacra Missarum Solemnia, sed

E etiam semper ad collum gestare solitus esset.

CCCLXXVIII. Cum igitur *Robaldus*, ejusmodi consuetudinis tenacissimus, Pallium e manu Pontificis *Innocentii Pisis* accipere detrectasset, indeque *Mediolanum* rediisset; hinc ego factum interpretor, ut idem *Innocentius* & contra *Mediolanenses* propterea tumultuantes, & in *Robaldum* ipsis hac in parte adversari non audentem, vehementer excanduerit, quinetiam trimestri dehinc elapso graviter animadversurus in ipsos jam esset, nisi deprecatorem officiosissimum habuissent Sanctum *Bernardum*. Quippe a Pontifice per litteras his de rebus admonitus; hanc illi rescripsit Epistolam, quæ inter ceteras nu-

F meratur 318. titulumque præfert *Ad Dominum Papam Innocentium*, quave benignius quicquam erga *Mediolanenses* cogitari, nedum expectari, vix poterat.

AMANTISSIMO PATRI ET DOMINO INNOCENTIO, SUMMO PONTIFICI, *Frater Bernardus modicum id, quod est. Cremonenses induruerunt, & prosperitas eorum perdit eos. Mediolanenses contemnunt, & confidentia ipsorum seducit eos. Hi in curribus & equis spem suam ponentes, meam frustraverunt, & laborem meum exinanierunt.* ABIBAM TRI-

TRISTIS; *cum ecce non mediocris a vestra parte consolatio; ut, & si abundant tribulationes pro Christo, abundent & consolationes per ipsum. Accepi optatas literas, ferentes delicias cordis mei, certitudinem de vestra incolumitate, hostium infortuniis, successibus amicorum. Cæterum perlegenti rursum tristior finis lætitiam temperavit.* QUEM ENIM NON TERREAT VESTRA INDIGNATIO? FATEOR JUSTAM; ET EO PLUS TERREOR. *Dico tamen: Quod factum nondum est, faciendum est, sed tempore, quo præviderit Deus. Si quo minus? erit vobis æque in promptu quicquid intentatis inferre, & non æque forsan periculosum. Alioquin quod tantis Dei miserationibus, tantis vestris & vestrorum laboribus in Populo isto* (Mediolanensi) NOVITER ÆDIFICATUM EST, *heu quam leviter destrui potest! Mirum, si ei, qui misericordiam legitur superexaltare judicio, placere potest. Sed ô fœlicem illum Episcopum* (Robaldus hic indicatur) *qui in Urbe Chaldeorum de quodam quasi paradiso translatus, frater factus est draconum, & socius struthionum? Quid faciet?* OBEDIRE VULT; *& ecce bestiæ Ephesi frendent in eum dentibus.* DISSIMULARE VULT PRUDENTER PRO TEMPORE; *& omni feritate formidolosiorem vestram indignationem incurit.* ANGUSTIÆ SUNT EI UNDIQUE; NISI QUOD TOLERABILIUS JUDICAT SIBI ESSE SINE POPULO, QUAM SINE DOMINO; PLURIS HABENS, UT DIGNUM EST APOSTOLICAM GRATIAM, QUAM MEDIOLANENSEM CATHEDRAM. *An Vos* DE EJUS FIDELITATE *dubitatis? Si quis vobis aliud de eo maligna persuadere suggestione tentavit: se magis prodidit infidelem, qui* VIRUM TAM BONI TESTIMONII *lingua perfida in suo livore persequitur. Parce Pater benigne, parce* FIDELI TUO, *parce adhuc recenti structuræ, parce novellæ plantationi, parce denique Populo acquisitionis tuæ, hisque ipsis beneficiis tuis, quæ te eidem veracissime contulisse commemoras. Memento pie Domine sermonis Domini tui, quem* (Lucæ Cap. 13.) *dixit. Ecce anni tres sunt* (inquit) *ex quo venio quærens fructum in ficulnea hac, & non invenio.* TU VERO VIX TRES EXPECTASTI MENSES; *& jam securim paras? Si tres annos sustinuisset; quartum adhuc a fideli Servo dominici jure exigeremus exempli. Dicimus ergo & nos: Dimitte & hoc anno; si quod modo forte circumfossa humo ligone pœnitentia, adhibitoque fimo lachrymarum suarum, sterilitati Mediolanensium* IS, CUI ETIAM CREDIDISTI, *consulere, & fructum elicere queat.*

Quibus quidem postremis verbis Sanctus *Bernardus Innocentio* suasisse videtur, ut exitum potius expectaret operæ, quam *Robaldus* impenderet: cui utique non tantum crediderat juranti sibi fidelitatem, sed ipsummet etiam regimen Ecclesiæ *Mediolanensis* crediderat. Sic itaque benignissimus Pater pro suis *Mediolanensibus Innocentium* Pontificem obsecrabat.

CCCLXXIX. Ejus autem rogatu Pontifex mihi postea videtur hoc *Mediolanensibus* indulsisse, ut Pallium transmitteret huc ad *Robaldum*, neque *Pisas* eundem ire ad illud ex ipsius manu capessendum compelleret. Per eandem vero simul etiam occasionem Sanctus *Bernardus* mihi videtur ad *Mediolanenses* eam Epistolam scripsisse, quam supra Num. 359. contendebamus scriptam non fuisse, cum ad Synodum ille *Pisanam* festinaret. Quod ut clarius adhuc illucescat: utque tam superiori tractata Numero, quam itidem præsenti, conjectamenta nostra magis adhuc confirmentur; en eandem verbatim Epistolam, omniquaque integram & perfectam. Numeratur autem 131. atque Ad *Mediolanenses* inscripta, ita prorsus se habet:

SUIS MEDIOLANENSIBUS, UNIVERSO VIDELICET CLERO ET POPULO, *Bernardus, Abbas dictus de Claravalle, in Domino Salutem. Bene vobiscum facit Deus, bene vobiscum facit Romana Ecclesia. Facit ille, quod Pater: facit illa, quod Mater. Et re vera quid vobis debuit facere, & non fecit? Si postulastis mitti vobis de Curia honorabiles Personas ad honorem Dei & vestrum; factum est. Si postulastis, confirmari quod unanimitas vestra de Venerabilis vestri* (Robaldi nimirum) *electione firmaverat; factum est. Si voluistis, licuisse vobis, quod illicitum, nisi pro magna quidem necessitate, sacri Canones judicant, translationem Episcopi scilicet in Archiepiscopum* (Robaldus enim erat Episcopus Albensis) *concessum est. Si rogastis, erui Cives vestros de vinculis Placentinorum, quod utique ego prætermittere nec volo, nec valeo; & hoc factum est. In quo postremo quæcumque rationabilis petitio Filiæ, non dico repulsam, sed vel moram passa est apud piam Matrem?* EN AD COMPLEMENTUM PALLIUM PRÆSTO EST, PLENITUDO HONORIS. *Nunc vero audi me* INCLYTA PLEBS, GENS NOBILIS, CIVITAS GLORIOSA. *Audi, inquam, me (veritatem dico, non mentior) dilectorem tui, zelatorem salutis tuæ: Romana Ecclesia valde clemens est, sed nihilo minus potens. Fidele consilium, & omni acceptione dignum: Noli abuti clementia, ne potentia opprimaris. Sed dicit aliquis:* DEBITAM EI REVERENTIAM EXHIBEBO, ET NIHIL AMPLIUS. *Esto. Fac quod dicis: quia si exhibeas debitam; & omnimodam* (scilicet *exhibebis*, ut subintelligendum bene monet etiam *Baronius* ad Annum *Christi* Millesimum centesimum trigesimum quartum, Art. 9. PLENITUDO SIQUIDEM POTESTATIS SUPER UNIVERSAS ORBIS ECCLESIAS SINGULARI PRÆROGATIVA APOSTOLICÆ SEDI DONATA EST. *Qui igitur huic potestati resistit, Dei ordinationi resistit. Potest, si utile judicaverit, novos ordinare Episcopatus, ubi hactenus non fuerunt* (*Bobiensem* videtur Episcopatum innuere, recenter institutum, &*Genuensi* Archiepiscopatui recenter instituto subjectum) *Potest eos, qui sunt, alios deprimere, alios sublimare, prout ratio sibi dictaverit; ita ut de Episcopis creare Archiepiscopos liceat, & e converso; si necesse visum fuerit. Potest a finibus terræ sublimes quascumque Personas Ecclesiasticas evocare, & cogere ad suam præsentiam, non semel, aut bis, sed quotiens expedire videbit* (Ut quid ista sapientissimus ac prudentissimus hic Doctor? si *Robaldum* reluctantem *Innocentius* ad se non evocaverat, & nominatim ad Pallium ex ipsius manu suscipiendum) *Porro in promptu est ei omnem ulcisci inobedientiam; si quis forte eluctari conatus fuerit. Denique probasti & Tu. Quid enim contulit Tibi Vetus tua rebellio & recalcitratio male suasa a Pseudoprophetis tuis? Quem fructum habuisti in quibus nunc erubescis? Agnosce potius, in qua potestate gloria & honore Suffraganeorum tuorum tamdiu privata extitisti. Quis pro Te valuit obviare Apostolicæ auctoritatis justissimæ severitati? cum, provocata tuis excessibus, decrevit Te tuis illis antiquis ac præclaris ornamentis nudare, mutilare membris. Et hodie confusa & truncata jaceres; si non benignius, quam potentius, Tecum actum fuisset. Quis eam prohibere valebit etiam a gravioribus; si rursum (quod absit) adjeceris provocare? Vide, ne patiaris recidivum; quia pro certo (nisi fallor) non tam facile denuo poterit inveniri remedium. Si quis itaque dixerit Tibi,* PARTIM OPORTET OBEDIRE, PARTIM NON OPORTET: *cum Tu in Te experta sis plenitudinem Apostolicæ potestatis, auctoritatis integritatem; nonne hujusmodi aut seductus est, aut seducere vult? Sed fac quod dico; nam ego Te non seduco: Convertere magis ad humilitatem, ad mansuetudinem. Siquidem & humilibus dat gratiam, & mansueti hæreditabunt Terram. Esto cauta Dominæ*

& Matris tuæ recuperatam servare gratiam. Et sic ei placere studeas de reliquo, quatenùs placeat ei non solum servare tibi quæ reddidit, sed etiam adjicere quæ nondum dedit.

CCCLXXX. En igitur, quàm graviter & amanter *Bernardus* reverentiam Sedi Apostolicæ debitam suos edoceat *Mediolanenses*, pro quibus cæteroqui tam obnixè *Innocentium* ipsum nuper ac demum exoraverat. Per ejusmodi porro Epistolam *Mediolanenses Baronius* Anni proxime nominati Art. 8. affirmabat summa fidei constantia roboratos esse, cum antehac labarent titubarentque, neque firmiter in proposito permanerent. Unde nam verò tanta isthæc mutatio provenisset: hoc se *Baronius* nescire fatebatur. *Sigonius* autem de hac ipsa Epistola sic habet: *Postero Anno* (erat autem ipsius opinione trigesimus sextus supra centesimum Millesimum) *cum Mediolanenses Innocentio reconciliati, tamen titubare in officio & obedientia viderentur; Bernardus Litteras ad eos scripsit, ad retinendam constantiam incitans, & recentia Romanæ Ecclesiæ erga illos beneficia memorans.* Nos tamen hasce literas non Anno A.C. 1135. illo trigesimo sexto, sed potius circiter initium trigesimi quinti scriptas esse conjectamus ex iis, quæ narrata sunt hactenus. Sic etiam non multo post eodem *Innocentio* Papa mediatore *Mediolanenses* in gratiam Imperatoris *Lotharii* admissos fuisse arbitramur; quemadmodum *Bernardus* etiam ipse contradixerat; quinetiam datis ad Imperatricem litteris eam in tempus postea opportunum rogaverat.

CCCLXXXI. *Lotharium* Imperatorem cum majori, quam antea, exercitu in *Italiam* rediisse trigesimo sexto Anno supra Millesimum centesimum, ineunte autumno, testis est Sigonius *de Regno Italiæ*. Nos tamen eum trigesimo potius quinto rediisse credimus *Baronio*, idipsum Art. 13. confirmanti duobus e Chronicis, *Beneventano* & *Cassinensi*. Quocirca in hunc pariter Annum ea contrahimus, quibus *Ottho Frisigensis* Lib. 7. Cap. 19. eundem ipsius reditum describit, & his etiam nominatim: *Ad Padum usque progrediens, Garistallium cepit. Ibi Mediolanenses & Cremonenses, diuturnum inter se bellum habentes, obvios habuit: discussaque utriusque Urbis causa, Cremonenses à Principibus Italiæ hostes judicantur, proscriptique discedunt. Quos Imperator subsecutus, Territoria eorum ac Villas seu Castella destruxit: indeque Papiam veniens, Cives illos pactione pecuniæ in gratiam suscepit.* Similiter ad eundem quoque Annum ea pertinere arbitramur, quæ *Landulfus* noster Cap. 43. a nobis denique in medium producto hunc in modum prosequitur: *Addito quoque isto infortunio* (quod utique *Mediolanensibus* accidisset, eo quod *Robaldus*, *Innocentio Pisis* jurans fidelitatem, libertati *Mediolanensis* Ecclesiæ derogasse visus erat) *Imperator Lotharius cum Principibus cujuscumque dignitatis venit in Longobardiam. In cujus castris iste Mediolani* (Archiepiscopus) *cum suis Suffraganeis ad nutum Imperatoris circumferebatur: & circumferendo excommunicavit Cremomonensium quia non reddiderant Imperatori Mediolanenses, Cremonensium vincula & captionem sustinentes.*

CCCLXXXII. Sicut autem intra trigesimi quinti hujus Anni tempus, quo *Lotharius* in *Italia* fuit, eum credibile est *Mediolani*, quo primum tempore potuit, ac *Modoëtiæ* fuisse; sic etiam eundem utrobique a *Robaldo* fuisse nos credimus Archiepiscopo solemniter coronatum; tametsi e manu Pontificis *Innocentii* Diadema Imperatorium in Urbe *Roma* jam ante suscepisset pridie Nonas Iunias Anni trigesimi tertii supra centesimum Millesimum; sicuti Num. 353. dicebamus. Quod ergo Scriptores nostrates passim asserunt, *Lotharium*, tam *Mediolani* (& in hac ipsa Sancti *Ambrosii* Basilica) quam *Modoëtiæ* a *Mediolanensi* Archiepiscopo fuisse coronatum: istud utique nos etiam ultro libenterque consentimus. Quod autem addunt, ab *Anselmo*: nos quidem in hoc eos falli ostendimus Num. 374. proptereaque a *Robaldo* potius coronatum arbitramur.

CCCLXXXIII. Trigesimum sextum sine dubio A.C. 1136. nunc Annum à *Christi* Nativitate supra centesimum Millesimum ingressi narrando in primis prosequimur originem *Charevallensis* apud Urbem nostram Monasterii, quod jamdiu in hanc usque diem vulgo *Claravallense* nuncupatur. De ipso *Tristanus Chalcus* intra trigesimum quartum ac trigesimum octavum *Christi* Annum supra centesimum Millesimum hæc scribit: *Bernardus quoque Monachus, peragrata Gallia atque Germania, ad Italos reversus, Mediolani Cœnobium quarto ab Urbe milliario fundavit, Civibus opes offerentibus*, QUOD CARÆ VALLIS DICITUR. *Sigonius* autem trigesimoquarto præcise Anno. *Mediolanum inde* (scilicet ab Urbe Cremona) *regressus* (Bernardus) *ad Richizam Augustam diligenter de recipiendis in gratiam suam Mediolanensibus scripsit: ac Monasterium Claravallis prope Mediolanum ope Vidonis ex Porta Orientali Capitanei* (ejus nempe, quem Num. 375. videbamus usque adeo commendatum) *instituit.* De quo quidem *Vidone* hoc ipsum affirmat etiam *Joannes Franciscus Besutius* in *Anselmo* Quinto Archiepiscopo. Verumenimvero, quo præcise tempore constructum, & a primis (ut ex ipsomet die adnotato interpretamur) fundamentis fuerit ejusmodi Monasterium, marmorea illic Tabula certius nos edocet. Qua enim e Claustro in Ecclesiam itur, ea dextrum ad latus insita parieti conspicitur perantiquo charactere hisce notis insculpta:

Anno Dominicæ Incarnationis Millesimo centesimo trigesimo quinto constructum est Monasterium Sanctæ Mariæ Carevallis, tempore Sancti Bernardi Abbatis Clarevallis, undecimo Kalendas Februarii.

Undecimus vero ante Kalendas Februarii dies, Anno ab Incarnatione Domini Millesimo centesimo trigesimo quinto inclusus, quis dubitet, quin ad Annum pertineat Millesimum centesimum trigesimum sextum, ab ejusdem Domini Nativitate computatum? cujusmodi profecto supputationem in præsenti nos sequimur.

CCCLXXXIV. Attende vero Lector, quale Scriptum de illius Monasterii constructione, ac satis quidem antiquum, in *Ambrosiani* hujus Monasterii Archivo conservetur. Tale siquidem illud est:

Mediolanenses cum vidissent, Beatum Bernardum tum sermone & verbo Dei potentem, tum signis coruscantem; ultro polliciti sunt Cænobium de Ordine illius in Territorio suo à fundamentis erigere. Qua de re missi ab eo ad eandem Urbem nonnulli ex ejus Monachis, & ibidem per aliquot dies moram facientes IN MONASTERIO SANCTI AMBROSII (& id quidem salvis iis, quæ jam supra Num. 358. disseruimus, tanquam verum admittatur) SE LOCAVERUNT. *Cernentes autem, quod Mediolanenses frigescente Charitate à promissis deficiebant; arripuerunt iter ad propria. Quod ut Primatibus Mediolani in Broleto existentibus factum innotuit; hoc in suam vergere infamiam minime dubitantes, celerrime missis nunciis prædictos Monachos qui jam Novariam versus advolarant, revocavere. Iisdem Mediolanum reversis, certatim, se illis enixe auxilium præstituros, spoponderunt: emeruntque quædam Mapalia, quæ nostri vocant Cassinas: quod tunc* RAVAGIANUM *appellabatur.* UBI CONSTRUCTUM EST MONASTERIUM QUOD CARÆVALLIS NUNCUPAVERE. *Paulatim postea Fratres possessiones quatuor solidis tertiolorum comparando fines extenderunt suos. Quidam miles, nomine Ottho Marzus, Portæ, quæ Romana dicitur, inter alios Capitaneus deputatus, prin-*

principum & fundamentum VICI MAJORIS *Monasterio libere applicuit. Bellebonus, de Tritio dictus, possessionem, quam* DE GESSATE *vocant, & ipse largitus est. Hanc inde Monachi in Granciam* VILLIONI *permutarunt.* VALERAM, *quæ in forma Cassinæ unius aspiciebatur, Fratres Militiæ Sancti Johannis* (Jerosolymitani) *addicti pro commutatione Loci* DE INVERNO, *cujus possessio Monachorum erat, eis tradiderunt. Actu sunt hæc Redemtionis nostræ Anno Millesimo centesimo trigesimo quinto.*

Eadem vero ferme omnia, & iisdem narrata verbis, comperimus etiam in *Charevallensis* ejusdem Monasterii Codice, quo ipsius origo, progressus, & Abbates, & ejusmodi alia recensentur. Sed hæc quoque insuper insunt, quæ nobis prætermittenda non videntur: *Guidonus de Capitaneis Portæ Orientalis* (de quo nos item jam diximus) *largitus est multa bona Monasterio. Manfredus Archintus* (Anselmi ejus, quem nonnulli Conditorem hujus Monasterii fecerunt, nulla prorsus hic mentio) *Patritius Mediolanensis, erogatis latifundiis Cœnobio nostro, sepultus est ante Portam Ecclesiæ dicti Monasterii Millesimo ducentesimo vigesimo.* Cujus quidem Sepulchralem Inscriptionem nos jam ante recitavimus Num. 374.

CCCLXXXV. Quæ porro sequuntur, hæc nos Anno pariter huic trigesimo sexto adscribimus. Præterquam quod enim *Sigonius* ita tradit, nec aliunde nobis de opposito constat; *Bartholomæus* certe *Zucchius*, de hoc Imperatore *Lothario* locutus, ejusdem subinde Privilegium recitat, quo Canonicos *Modoetienses* & eorum Ecclesiam in suam tuitionem ac defensionem suscepit: datum *Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo centesimo trigesimo sexto, Indictione decima tertia, Anno vero Regis Lotharii undecimo, Imperii quarto:* & actum *apud Castrum Sancti Bassani*: quod utique Castrum mox nobis *Landulfus* destructum narrabit. Sic enim ille subdit Cap. 43. *Mediolanensium igitur exercitus, confortatus præsentia Imperatoris & vinculo excommunicationis, Soncinum,* SANCTUMQUE BASSANUM, *& alia multa Castella Cremonensium destruxerunt. Quibus destructis multitudo Mediolanensium ad Civitatem rediit. Archiepiscopus, & quædam pars inclyta Militiæ Mediolanensium, cum Imperatore in Roncalia supra Padum castrametati sunt. Ibique per plures dies & hebdomadas Imperator Curiam potestative habuit.* Quocirca idemmet *Landulfus* Historicus, ibidem per tres dies præsens, suam ipsius de Sancti *Pauli* IN COMPITO Ecclesia causam peroravit; sed non eo exitu, quem speraverat. Sic enim Cap. 44. ipsemet accurate recenset. Capite autem mox 45. narrare ita pergit: *Lotharius postmodum Imperator in quarta die, quæ fuit dies Sabbati, post meam querelam, secus Papiam est castrametatus ad Locum, qui dicitur* LARDIRACUS, *super flumen* ORONAM *positus. Cumque Imperator ibi pernoctasset, & diem Dominicam quasi dimidiasset; Militia ejus cucurrit ad Papienses, qui armati exierant. In prælio illo fortissima manus Principis Conradi* (hic ille est, qui se Regno *Italiæ* abdicaverat, quive *Lotharii* Vexillifer nunc erat; ut nos etiam supra dicebamus) *quamplures de Papiensibus ejecit, & apprehendit: neque a prælio se subtraxit, donec Papienses fere ad muros Civitatis conculcavit, & appropinquavit. Tunc Papienses valde conterriti, & metuentes hostilem exercitum Mediolanensium concurrentium ad Imperatoris triumphum, in primo diluculo secundæ Feriæ cum maxima devotione reddiderunt Imperatori quotquot habebant de Mediolanensibus in sua captione. Imperator, commotus maxima pietate, Papienses eadem die a sua custodia solvit, & liberos dimisit: & die altera sua Castra amovit, & ad Locum, qui dicitur* ABBIATECRASSUM, *pervenit: & omnis multitudo Mediolanensium, cum suis militibus e captione Papiensium liberatis, rediit Mediolanum. De cætero Im-*

A *perator Ticinum atque Padum ad suum commodum transivit.* Prosequitur subinde *Landulfus* Caput 46. & Historiæ suæ postremum. Quo quia tam nostrorum Archiepiscoporum, quam Episcoporum *Cremonensium* Historia nonnihil ditari & illustrari potest; propterea ecce nos illud verbatim proferimus. *At Innocentius Papa* (sic enim exorditur) *Cremonenses ab excommunicatione Robaldi Archiepiscopi solvit. Verumtamen Mediolanensis exercitus Cremonensibus nec eorum Episcopo pepercit; quia post absolutionem* JUVENALEM *Castellum eorum & alia apprehendit; atque Episcopum eorum loricatum, & hortantem suos ad pugnam*
B *proficientem homicidium, de ipso Castello pertraxit;* ET PLURES MENSES IN CUSTODIA TENUIT; *donec Herlembaldus de Bresorio, Custos illius custodiæ, contaminatus veneno, prout dicitur, subito in mortem corruit. Et in ipsa nocte, qua ipse Custos subito occidit, Episcopus de ipsa domo, qua claudebatur, effugit: & liberatus Papiam, deinde Cremonam pervenit. Hic fortassis Episcopus iste reminiscitur amaritudinis, qua potatus fuit Mediolani in die suæ Ordinationis. Sed, prout quibusdam placet, non bene. Quia si Jordanus Archiepiscopus* (de cujus Archiepiscopatu nos Numero 315. Annoque *Christi* undecimo supra centesimum Millesimum dicere orsi sumus) *ejusque Ecclesia amovit Ugonem de Noceto, nobilem Virum, &*
C *Parmensis Ecclesiæ quasi Archidiaconum, ab Episcopatu Cremonensi, in quo Cremonenses per suam electionem & Henricus Rex eorum per investituram suæ laudationis & confirmationis ipsum posuerant, & susceperant per plures annos reverenter, & diu intus & foris tenuerant; quid mirum, si Populus Mediolanensis compulit istum Ubertum, egregium Virum, jurare fidelitatem Ecclesiæ Mediolanensi & Archiepiscopo Jordano, quando ipsum Ubertum Episcopum consecravit? Ugonem* porro illum *Blasius Rubeus* in Tabula Diptycha Episcoporum Ecclesiæ *Cremonensis* Quadragesimum quartum, mox *Ubertum* istum numerat Quadragesimum quintum. Sequitur *Landulfus: Quod si forte quis dixerit: Amotio Ugonis fuit justa, sed compulsio Uberti*
D *fuit iniqua: nec dicat, cujus mortalis auctoritate principaliter est regenda Cremona, ejusque Ecclesia; si non dixerit, Utrumque fuit malum & iniquum. Surgat igitur Deus Exercituum: qui Mediolanum & Cremonam corrigat:* ET ME ACOLYTUM OPPRESSUM ET EXPOLIATUM, *quemadmodum in hac mea Copia continente probos & pravos legitur, jure gubernet & protegat. Deo gratias. Amen.* Et hactenus quidem Historia *Landulfi*: quem Numero 330. observabamus ætate sexagenarium jam esse, quando trigesimum tertium Caput conscribebat. Ceterum hæc illi deinde fuerunt adjecta: *Explicit Liber Historiarum Landulfi de Sancto Paulo.* DE GESTIS MEDIOLANI, *ab Anno Christi Millesimo nonage-*
E *simo quarto, usque ad Annum Christi Millesimum centesimum trigesimum tertium, tempore Robaldi Archiepiscopi &c.* Atqui nos, universam hujus Libri seriem ab Anno potius Millesimo nonagesimo sexto, sicuti jam constat e Num. 284. usque ad præsentem saltem Annum trigesimum sextum deductam esse, certo deprehendimus. Etenim ex iis, quæ denique ab ipso narrabantur, ea præsertim Episcopi *Cremonensis* (qui quidem prædicto *Lotharii* Privilegio *Modoetiensibus* concesso liber & ipse subscripserat) captivitas, in plures menses protracta, nobis profecto videtur in Annum etiam subsequentem ac trigesimum ad minus septimum protendi.

CCCLXXXVI. Sanctum *Bernardum* multoties
F ad Urbem *Mediolanum* venisse, nonnulli e nostratibus Scriptoribus, jam in medium a nobis producti affirmabant. Nos vero bis tantum venisse illum arbitramur: & hinc rursus varia etiam ipsorum effata, quæ Lector ipse per otium animo recolat, refellimus. *Porro ter contigit* (testimonium est *Baronii* ad An-

Annum *Christi* Millesimum centesimum trigesimum quartum, Art. x cui adhæret etiam *Miræus* in Chronico *Cisterciensi* ad Annum *Christi* superiorem) *eundem Sanctum Bernardum venire in Italiam ad Innocentium Papam. Primo, hoc Anno, cum Pisas ad Concilium venit. Secundo, paulo post eodem Anno, ut testatur ejus Vitæ Auctor* (Lib. 2. Cap. 4. *his verbis: Cum secundo per Mediolanum eodem Anno Pater Sanctus transiret &c. Tertius vero fuit adventus, quando Lotharius Imperator se contulit in Italiam cum exercitu, & finis est impositus Schismati obitu Petri Leonis. Testatur id ipse in Canticis Sermone* 24. *Bernardus* igitur tandem in *Italiam* rediit Anno *Christi* Millesimo centesimo trigesimo septimo; sicut eodem Anno narrat idem *Baronius*. Quo quidem teste locupletissimo hic ejus adventus, tum etiam mora, ac demum discessio, in hunc modum se habuit. Cum enim pervenisset e suo *Clarævallis* Monasterio in *Tusciam*, ratus, *Innocentium*, a quo fuerat vocatus, *Pisis* adhuc morari; *Viterbium* progressus, eum ibi convenit, Inde porro legatus ab ipso fuit *Romam*, ut eos converteret, qui adhuc in Schismate permanebant. Sicut ergo diuturnam, sic etiam cum magno Catholicorum profectu, moram ibi traxit. Ab eodem *Innocentio* Legatus inde mittitur ad *Rogerium Siciliæ* Regem, *Anacleto* pertinaciter addictum ac faventem: deinde vero in *Apuliam* quoque missus est. *Romam* inde redierat Sanctus Abbas, cum Pseudopontifex *Anacletus* Anno *Christi* Millesimo centesi-
A.C. 1138. mo trigesimo octavo, die septima Januarii misere obiit impœnitens (sicut hoc ipso narrat Anno *Baronius*) medioque postea mense Martio ab *Anacleti* Assechis eligitur in ejus locum *Gregorius* Presbyter Cardinalis, *Victorque* Tertius appellatur. Electus est autem *non tam pertinacia Schismatis* (inquit Auctor Vitæ Sancti *Bernardi* Lib. 2. Cap. 7.) *quam ut opportunius per aliquam temporis moram Papæ Innocentio reconciliarentur. Quod sine mora per manum Servi sui* (Sancti Bernardi *Christus effecit. Nam & ipse ridiculus Pontifex, Petri Leonis hæres, ad eundem Virum Dei nocte se contulit: & ille eum, nudatum quidem usurpatis insignibus, ad Domini Innocentii pedes adduxit. Quo facto Civitas gratulabunda lætatur: Innocentio Ecclesia redditur, Romanus Populus ut Pastorem & Dominum Innocentium veneratur: Abbas Claræ-vallis in mira reverentia habetur, ab omnibus* AUCTOR PACIS ET PATER PATRIÆ *prædicatur. Procedentem Viri Nobiles prosequuntur, acclamat Populus, Matronæ sequuntur, & omnes ei prompto animo obsequuntur. Sed quam diu ille gloriam toleravit? Quam diu pace fruitus est post tantum laborem? Nec diem pro anno recipere acquievit. Sedatis omnibus & compositis, vix quinque dies teneri potuit, qui septem annis & ultra pro resarcienda eadem scissione sudavit. Exeuntem Roma prosequitur, deducit Clerus, accurrit Populus, universa Nobilitas comitatur. Nec poterat sine communi mœrore dimitti, qui colebatur amore communi. Igitur, firmata pace, Vir Dei regreditur* (in *Galliam* & ad suum *Claræ-vallis* Monasterium) *& duplex exhibens gaudium, cum exultatione universæ Terræ suscipitur.* Hactenus Scriptor Vitæ Sancti *Bernardi*. Ceterum *Bernardus* ipse Epist. 320. *Godefredo Lingoniensi* Episcopo de hac tandem unitate ac pace Ecclesiæ, priusquam *Roma* discederet, in hæc verba scripsit: *In Octavis Pentecostes ipsa die complevit Deus desiderium nostrum, Ecclesiæ unitatem & Urbi dando pacem. Nam illa die filii Petri Leonis omnes simul humiliaverunt se ad pedes Domini Papæ: & facti homines ejus ligii, juraverunt ei ligiam fidelitatem &c.* Et paulo post: *De cætero jam nihil est, quod nos hic detineat. Facio quod imperastis: Veniam vertimus in Venio. Ecce enim venio cito: etiam & merces mea mecum est, victoria Christi, & pax Ecclesiæ. Sexta feria post diem illum egressus est noster de Civitate.* Sanctus itaque *Bernardus*. in *Italiam* tertio profectus, sic ex illa in *Galliam* discessit, ut *Mediolanum* tertio pariter venisse nobis quidem nullatenus videri possit.

CCCLXXXVII. *Hoc eodem Anno in fine ipsius* (teste *Baronio* Art. 12.) *nempe tertio Nonas Decembris, moritur Lotharius Imperator.* Et paulo post: *Fuit in terregnum quatuor mensibus. Quod enim prole mascula careret; quinam assumendus in Imperium esset, Comitiis Generalibus fuit decernendum.* Eadem *Sigonius*, & alii.

CCCLXXXVIII. Circa mediam ergo sequentis Anni Quadragesimam Conventus in Oppido *Galliæ* Confluentia celebratus fuit, quemadmodum A.C. 1137.
narrat *Ottho Frisingensis* in Chronico, Lib. 7. Cap. 22. *ibique Conradum, Imperatoris Henrici sororium, de quo supra diximus* (Cap. 17. & 18. ejusdem Libri septimi) *præsente Theoduino Episcopo Cardinali ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Legato, Summi Pontificis, ac totius Romani Populi, Urbiumque Italiæ assensum promittente, Nonagesimum quartum ab Augusto Regem creant.* Quocirca nunc e Sedis Apostolicæ consensu Rex creatus ille fuit *Conradus*, cujus antea electio & per Archiepiscopum nostrum Coronatio (de quibus agere nos incœpimus Num. 340.) fuerat anathemate damnata.

CCCLXXXIX. *Anno ab Incarnatione Domini Millesimo centesimo quadragesimo primo, residente in Archiepiscopali Cathedra Robaldo Archiepiscopo, & Monasterium Beati Ambrosii regente Abbate Vuifredo, Æribertus de Pasilvano, præfati Monasterii Monachus, hanc Ecclesiam ad honorem Apostolorum Petri & Pauli reædificavit.* A.C. 1141.

Ita siquidem Tabulæ marmoreæ insculptum erat supra Portam hujusmodi Ecclesiæ. Hæc ipsa vero Ecclesia Suburbii erat illius, cui nomen LA TURBIDA (scilicet a torrente illac præterfluente, ac limosam & turbidam vehente aquam) quingentis circiter passibus ab Urbe distantis, extra Portam *Vercellinam*. Eadem vero suberat etiam ditioni ac regimini Abbatis hujus *Ambrosiani*: quinetiam membrum fuit Parochialis Ecclesiæ Sancti *Bartholomæi* parvi, hac ipsa in Basilica extantis, & superiori Num. 336. memoratæ. Quocirca cum *Ludovicus Moneta*, specialiter ad hæc a Sancto Cardinali & Archiepiscopo *Carolo* delegatus, Anno *Christi* Millesimo quingentesimo sexagesimo septimo, die Martii vigesima, lustrare ac visitare de more cœpisset Ecclesias ei Parochiali subjectas; hanc item Sanctorum *Petri* & *Pauli*, tamquam ejus membrum, lustravit. Ut autem Sacerdos erat prudentissimus sic etiam inter ejusmodi Visitationis Acta eam ipsam Inscriptionem nobis exscriptam reliquit. Exinde vero nobis etiam constat, quisnam hoc tempore præesset huic *Ambrosiano* Monasterio. Præerat enim *Vuifredus*: quem aliter secundo ab hinc Anno appellatum invenimus *Guifredum de Ogiono*.

CCCXC. Monachos inter & Canonicos controversiæ veteres revirescunt, tum etiam novæ quædam primitus excitantur. Eas itaque communi juratoque consensu partes ambæ judicio Consulum A.C. 1141.
Mediolanensium subjiciunt. Verum enimvero satis manca (& in eo præsertim latere, unde scriptio ipsa incipit) ea est membrana, cui tota hujus judicii series inerat inscripta. Sed ea nihilominus ita etiam satisfaciet, ut germanus sensus per omnes sui partes intelligi commode possit, & a sincera rei veritate ne tantillum quidem declinetur. Certe autem juverit etiam observasse, qualem judicii formam Consules in hac causa servaverint; cum tam *Vuifredus* Abbas & Monachi, quam *Martinus* Præpositus & Canonici, per Advocatos suos juravissent, rata sibi & inviolata fore, quæcumque in ejusmodi causa Consules ipsi præciperent. Publicum igitur ejusmodi Documentum ita verbatim se habet:

. . . . . .

.... *futuris temporibus ad memoriam retinendam. Qualiter discordia, quæ erat* INTER DOMNUM VUIFREDUM, DEI GRATIA ABBATEM MONASTERII SANCTI AMBROSII, UBI EJUS SANCTUM REQUIESCIT CORPUS, ET MONACHOS IPSIUS MONASTERII, & ex altera........... ATQUE PRÆPOSITUM SEU CANONICOS EJUSDEM ECCLESIÆ, *fuit missa & deposita ab utraque parte, jurejurando per eorum Advocatos ex utraque parte facto in Consulibus Mediolanensibus, sicut ipsi Consules eis per Convenientiam* (sive Conventionem) *præciperent. Quæ discordia* .... *ipse Præpositus & Canonici* (subintelligendum absque dubio hic est *dicebant*) *Quod tota oblatio Altaris Majoris ipsius Sancti Ambrosii, & cæterorum Altarium, seu Oraculorum, quæ sunt infra ambitum ipsius Ecclesiæ, ad ipsam Canonicam pertinere debeat. Item dicebant,* QUOD CLOCARIUM NOVUM AD IPSAM CANONICAM PERTINEBAT, ET CLOCAS PONERE ET HABERE VOLEBANT. *Iterum dicebant, Quod debebant ferre incensum ad illas domos, quæ sunt ultra Muscetam, & ad Hospitale. Ad hæc ipse Abbas & Monachi respondebant. Quod tota oblatio ipsorum Altarium, seu Oraculorum, sicut superius legitur, ad ipsum Monasterium pertinere debeat. Sed quia quondam discordia fuit inter ipsum Monasterium & ipsam Canonicam de jam dictis oblationibus, & aliis quampluribus Capitulis; dicebat ipse Abbas, quod, sicut terminata & finita fuit, adtendere & adimplere volebat: & de ipsa Concordia Instrumentum unum ostendebat.* DE CLOCARIO VERO, SEU CLOCIS (hoc est, de Turri campanaria, vel aliter Campanili, seu Campanis) *ita respondebant:* QUOD IPSUM CLOCARIUM AD IPSAM CANONICAM NON PERTINEAT, NEQUE CLOCAS PONERE SEU HABERE LICEAT. *Ad incensum vero portandum ad casas ultra Muscetam* (proprium fuisse loci nomen hoc videtur) *& ad Hospitale, ita respondebant: Quod ad Ecclesiam Sancti Michaëlis, quæ est Cappella ipsius Monasterii, deferri debeat. His ita auditis ab utraque parte; tunc alia die sequenti,* IPSI CONSULES, *scilicet Joannes Mantegacius, Ardericus Sacco qui dicitur Cotta, Vasconus de Mariola, Ambrosius qui dicitur Calcamolus, Azo Cixeranus, Gregorius Caga in Arca,* VENERUNT CUM AMBABUS PARTIBUS IN PALATIO DOMNI ROBALDI MEDIOLANENSIS ARCHIEPISCOPI CORAM EJUS PRÆSENTIA. *Dixit prædictus Vasconus in Concordia ipsorum Consulum, & Ottonis de Rhaude, Sociorum ejus, atque*............ *cis Abbati & Præposito sub nomine sacramenti, quod fecerant ipsis Consulibus, ut vicissim unus versus alterum.*....... *facerent, sicut ipsi Consules ibi statim palam per Convenientiam laudarent: & insuper securitatem per fidejussores de ipso fine adtendere*........... *se facerent. Tunc ipse Abbas cum ligno, quod sua tenebat manu, sic finem fecit eidem Præposito, & vuadiam ei dedit: & posuit fidejussores Landulfum Capellum, & Villanum qui dicitur Marcellinus, sub pœna librarum duocentum. Etiam dictus Præpositus similiter*.......... *& securitatem fecit eidem Abbati: & posuit ei fidejussorem Azonem de Niguarda usque in ista pœna. Item jam dictus Vuasconus una cum eisdem Consulibus rogaverunt eundem Domnum Archiepiscopum, ut ipse præciperet per suam obedientiam eisdem Abbati & Monachis, atque Præposito & Canonicis, ut ita adtenderent & adimplerent, sicut ipsi Consules eis præciperent.* TUNC IBI STATIM IPSE DOMNUS ROBALDUS ARCHIEPISCOPUS JUSSIT ET PRÆCEPIT PRÆDICTO ABBATI ET MONACHIS, ATQUE PRÆPOSITO ET CANONICIS, UT ITA ADTENDERENT ET ADIMPLERENT,

A SICUT IPSI CONSULES EIS PRÆCIPERENT. *His omnibus factis & jussis, tunc Anselmus Judex pro eo, quod Consules fecerunt eum inbreviare ipsam Convenientiam in chartula una, quam sua tenebat manu, per jussionem & parabolam ipsorum Consulum jussit: atque præcepit eisdem Abbati & Monachis, atque Præposito & Canonicis, ut ambæ partes sic adtendant, & tacitæ & contentæ sint, sicut legitur de oblatione & sepelitione in chartula, quam ante hos dies & annos fecerunt Amizo Archidiaconus, Albertus Primicerius Notariorum, Nazarius Primicerius Presbyterorum Decumanorum, Lanterius Presbyter ac Præpositus de Sancto Georgio, Olricus Presbyter de Sancto Victore, Joannes Mantegacius. In qua chartula sic*

B *continebatur: Ut quicquid a modo in antea &c.* (prout scilicet nos quoque jam supra verbatim recitavimus Numero 336. Annoque *Christi* vigesimo tertio supra Millesimum centesimum) DE CLOCARIO VERO ITA DIXIT JAMDICTUS ANSELMUS JUDEX JUSSIONE PRÆDICTORUM CONSULUM: UT PRÆDICTUS PRÆPOSITUS ET CANONICI AMODO IN ANTEA PERMANEANT TACITI ET CONTENTI. DE CLOCIS VERO ITA DIXIT: UT PRÆDICTUS ABBAS DET EIDEM PRÆPOSITO

C ET CANONICIS UNAM CLOCAM IN CLOCARIO NOVO, SEU VETERI, QUO VOLUERIT IPSE ABBAS, DE ILLIS MEDIOCRIBUS, QUÆ MODO SUNT IN CLOCARIO, *id est, neque de majoribus, neque de minoribus. Et si Abbas noluerit eis dare unam de suis Clocis; Præpositus emat unam de eadem mensura; & Abbas faciat eam mittere in ipso Clocario, ut supra legitur.* ET FACIAT IPSE ABBAS EAM SONARE SUUM CUSTODEM, *si requisitus fuerit ipse, vel Monachi per Missum de ipsis Canonicis, seu per signum, quod ipsi Canonici fecerint cum SKella eorum ad illud tempus, quo ipsi Canonici soliti sunt celebrare Vesperas.* ET HOC

D FIAT PER OMNES DOMINICAS TOTIUS ANNI, ET PER OMNIA COMPLETORIA QUADRAGESIMÆ MAJORIS (quænam hæc sit, nos jam diximus Num. 257.) ET PER SEPTEM FESTIVITATES, QUAS IPSE PRÆPOSITUS ELEGERIT. *Et hoc fiat ter ad Vesperas & semel ad Completorium. In reliquis autem diebus, seu Officiis, vel ad Corpus* (hoc est, ad mortuorum funus) *ipsa Canonica penitus nihil amplius habeat ad requirendum. De Incenso vero deferendo ad domos, quæ sunt ultra Muscetam, & ad Hospitale per Cappellanum Ecclesiæ Sancti Michaëlis deferri debeat. In aliis vero partibus, ab ipsa Ecclesia Sancti Michaë-*

E *lis in intus versus Ecclesiam Sancti Ambrosii, sicut cernitur: a medietate ipsius Ecclesiæ Sancti Ambrosii versus Canonicam deferatur Incensum per ipsum Præpositum & Canonicos. Et sic confirmaverunt jam dicti Consules, & laudaverunt hoc totum, sicut supra legitur; sicut per prædictum Anselmum Judicem supra per eorum parabolam dictum est. Et sic finita est hæc causa.* FACTUM EST HOC, UT SUPRA, IN DOMO JAMDICTI ARCHIEPISCOPI CORAM EJUS PRÆSENTIA. *Anno Dominicæ Incarnationis Millesimo centesimo quadragesimo tertio, medio mense Junii, Indictione sexta.*

Manus Martini & Arderici, qui dicuntur de la Cruce:

F *Gotefridi de la Porta: Petri Cixerani: Johannis, qui dicitur Canis: Ambrosii de Lomacio: Bellixii de Sancto Georgio: Goslini, qui dicitur Pagani: Vuifredi Corvo: Frogerii de Calbuciano: Adelardi de Lampuniano: Johannis Berlandi: Ferracanis de Sancto Raphaële: Erinzonis, qui dicitur Canis: Bezonis de Sobladore: Azonis, qui dicitur Turrianus: Vuilielmi Monetarii: Manzioli Mirani: Petri de Calvenzana: Lafranci, qui dicitur Cua: Amici, qui dicitur Camolus de Servitoribus: Rustici, qui dicitur Mangietus: Arnaldi* de

de Sancto Ambrosio: Bombelli de Sancto Georgio: Maifredi de Cadorago: Rustici Diluvio: Johannis Guitone: Petri de Liscate: Arderici de Solario: Petri da la Clusa: Johannis Arpadore: Petri Cubatoris: Bellaboni: Pagani Leccamissoltum: Andreæ Ballossum: & reliquorum plurium Testium.
Ego Girardus, Judex & Missus Domni Tertii Lotharii Imperatoris, interfui, & subscripsi.
Ego Azo, Judex & Missus Domni Secundi Chunradi Regis, interfui, & subscripsi.
Ego Gregorius, Judex & Missus Domni Secundi Chunradi Regis, interfui, & subscripsi.
Ego Anselmus, Judex, per ammonitionem ipsorum Consuium hanc Chartam scripsi.
Hactenus ab hujus Urbis Consulibus ex Archiepiscopi consensu deliberatum super controversiis, quas Abbati ac Monachis Præpositus & Canonici demum intentarant.

CCCXCI. Clocarum (e quibus Clocaria dicta sunt) mentio nuper facta sermonem jam nostrum ad ipsasmet avocat. Erant autem Vasa ænea, quorum sonitu Clerus, aut etiam Populus, ad Ecclesiam convocabatur: quæve aliter appellata fuerunt Campanæ, Nolæ, Signa, Tintinnabula, Squillæ, vel etiam ut nos supra videbamus, SKellæ. Ac de ipsorum quidem etymologia, origine, usu legi possunt *Gulielmus Durandus* in *Rationali Divinorum Officiorum* Lib. 1 Cap. 4. *Joannes Stephanus Durantus De Ritibus Ecclesiæ Catholicæ* Lib. 1. Cap. 22. *Heribertus Rosuveydus* in Onomastico super Vitis Patrum a se in lucem datis, Verbo *Signum*: *Josephus Vicecomes*, *Ambrosiani* Collegii Doctor, *De Missæ Ritibus* Lib. 1. Cap. 25. aliique multi Scriptores, qui ab ipsis proferuntur. Ejusmodi ergo Vasa, ut bene *Durantus* observavit, *appellantur item Clocæ, vocabulo* (inquit ipse) *Germanico, ut in Capitulari Caroli Magni* UT CLOCAS NON BAPTIZENT. *Gallice dicimus Cloches*. Sed & *Lombardo* adhuc Idiomate vocabulum istud absque dubio videtur a quibusdam e rudiori vulgo hominibus expressum: qui Campanam hodieque nominant *la Ciocha*, Campanariam vero Turrim, seu Campanile, *il Ciochè*. Quod tamen attinet ad tempus, quo ejusmodi Clocarum atque adeo Clocariorum usus fuerit *Christianorum* Ecclesiis receptus, varia & anceps Scriptorum est opinio. *Baronius* ad Annum *Christi* Quinquagesimum octavum censet, post redditam Ecclesiæ pacem ex edito loco Tintinnabulorum sonitu, quæ postea a Provincia, ubi primo grandiora fieri cœperunt, Campanæ sunt appellata, Populum ad Ecclesiam convocari consuevisse. Quo tamen id fieri cœptum sit Anno, sibi fatetur incompertum. *Durantus* item disertissime loco citato sic fatetur: *Quo tempore cœptum fuerit Campanis uti in Ecclesia Christiana, mihi nondum compertum est.* Et paulo post: *Vulgo fertur, Paulinum, Episcopum Nolanum, Nolarum usum in Ecclesiam invexisse.* Hic autem Sancto fuit *Ambrosio* intima familiaritate conjunctus; sed, ipso vivente, Presbyter tantum erat, non autem *Nolanus* Episcopus. Sic enim accurate *Baronius* observavit, cum in eum inquireret *Paulinum*, qui ejusdem Sancti *Ambrosii* Vitam conscripsit. *Vicecomes* porro Capite illo 25. quærens, *Quando Ære campano cœperint Fideles ad Missam cæteraque Ecclesiastici cultus Officia congregari*: præcise respondet, hoc accidisse Anno Salutis humanæ circiter Sexcentesimo, cum Auctor Ordinis *Romani* vitam degeret. *Nullus enim* (inquit) *quem ego sciam, ipso antiquior, Æris campani meminit.* Qua tamen de re nos aliquid Numero sequenti pro parte adversa disseremus.

CCCXCII. Basilicæ profecto istius *Ambrosianæ* bina hoc Anno jam erant Clocaria, sive Campanilia, & pluribus quidem Campanis referta: VETUS videlicet unum, alterum NOVUM. Ac VETUS

A sine dubio vel ex ipso aspectu (præterquam quod etiam paulo post aliunde constabit) illud est, quod Porta maxima Basilicam ingredientibus hodieque dexterum & e latere Monasterii conspicitur; NOVUM autem sinistrum est illud, atque Canonicæ obversum. Ambo siquidem Basilicæ frontem grata hinc inde proportione ac proceritate Turrium instar muniunt & exornant. VETUS porro quispiam fortasse diceret ab ipsomet olim Sancto *Ambrosio* una simul cum Basilica constructum: ipsaque posset etiam molis vetustas primo statim obtutu nonnihil adstipulari. Quod si quis ceteroqui permotus iis, quæ in superiori Numero dicta sunt, saltem ambigit, an eo
B jam tempore invectus Ecclesiis *Christianorum* nostratum esset, sicuti Clocarum atque Campanarum, sic etiam Clocariorum & Campanilium usus; attendat ille, obsecro, quid *Gualuaneus Flamma*, & Auctor Chronici *Flos florum*, aliique tradiderint, *Vicecomiti* forte nostro ignoratum; remque simul admiratione dignam, & hujus etiam Basilicæ propriam observet: quam suo nos loco propterea prætermisimus; quia tunc ambo Codices isti non suppetebant. *Flamma* namque in Chronico Majori Cap. 124. de Sancto *Simpliciano*, Sancti *Ambrosii* Successore per quatuor annos immediato, scribens, hæc habet: *Iste Beatus Simplicianus, congregata universali Synodo suorum Suf-*
C *fraganeorum, ordinavit, omnibus Episcopis consentientibus,* UT QUILIBET EPISCOPUS SUFFRAGANEUS PER UNAM SEPTIMANAM HEBDOMADARIAM FACERET IN ECCLESIA SANCTI AMBROSII. *Et fuit factum unum Palatium juxta* NOXETAM *per tria milliaria longe ab Urbe: ubi Episcopus hebdomadarius excubaret. Ibi facta fuit Ecclesia Sancti Georgii cum Turri altissima: & quotiescumque Civitas destruebatur, Episcopus cum Clericis ibi habitabat. Episcopus autem* AUDITA CAMPANA ECCLESIÆ MAJORIS, *ascendens equum fortiter equitabat.* ILLA AUTEM CAMPANA TAMDIU PLUSABATUR, DONEC ADVE-
D NIRET. *Cujus consuetudinis molesta pulsatio durat.* SED QUIA FUIT VISUM GRAVE, UT EPISCOPUS AUGUSTANUS, AUT CURIENSIS, VEL CÆTERI, VENIRENT PRO HAC RE; *ipsi Episcopi, suam redimentes vexationem, aliqua Beneficia Ecclesiastica ementes, Ecclesiæ Mediolanensi donaverunt; quibus aliqui sustentati onera Episcoporum supportaverunt.* Et Cap. 149. inquit: *Reædificata Civitate* (Mediolani) *Beatus Honoratus Archiepiscopus ad suam Sedem rediit, & juxta* NOXETAM *habitavit cum aliis Cardinalibus Ecclesiæ Mediolanensis, qui ibi habitabant instante Urbis destructione: ubi & mortuus est. Jacet in Ecclesia San-*
E *cti Georgii.* Similiter auctor ille Chronoflorilegus fol. 86. pag. 2. *Ipse Beatus Simplicianus vigintiquatuor Canonicos Decimianos* (aliter *Decumanos*) *in Ecclesia Majori ordinavit: Ecclesiam Sancti Georgii* AD NOXETAM *ædificavit;* UT IBI HABITARENT EPISCOPI HEBDOMADARII, QUI IN ECCLESIA BEATI AMBROSII, ET SUPER CORPUS EJUSDEM BEATI AMBROSII SOLEMNIA CELEBRABANT, ET TUNC INOLEVIT IPSA DIUTURNA AC TOEDIOSA PULSATIO CAMPANÆ EJUSDEM ECCLESIÆ (Majoris) QUÆ USQUE NUNC DURAT. *Cum incipiebat pulsare, Episcopus hebdomadarius sur-*
F *gebat: & tamdiu ipsa Campana pulsabat, donec Episcopus in ipsa Ecclesia* (Beati Ambrosii) *Officium inciperet.* Et fol. 96. pag. 2. *Hic Honoratus* (Mediolani Archiepiscopus) *a timore Longobardorum Januam fugit ad Januensem Episcopum, Suffraganeum suum, qui ultimum locum in dextra Archiepiscopi Mediolani possidebat in Consilio. Obiit Honoratus Anno Domini Quingentesimo septuagesimo quarto. Jacet ad Sanctum Georgium* AD NOXETAM *extra Portam Romanam, ubi*

ubi Cardinales Mediolanensis Ecclesiæ habitare consueverant: & ideo inoluit consuetudo quod Campana Ecclesiæ Mediolanensis diutissime in Matutinis pulsabatur. & adhuc pulsatur; quia duo ex Cardinalibus per vices suas, audito primo signo Campanæ, surgentes Mediolanum veniebant per viam trium milliariorum; & nunquam Campana cessabat, donec pervenissent. Quæ diutina pulsatio usque hodie perseverat. Hic autem Auctor (ut alibi nos monuimus, & ipsemet aperte significat infra fol. 147. pag. 2.) ejusmodi Chronicon scribebat Anno *Christi* Millesimo trecentesimo nonagesimo nono. Vide autem, quid in Archiepiscoporum Catalogo, cum Archipresbyteri Metropolitani, tum etiam *Urbani* Secretarii, ad hoc ferme ipsum indicandum legatur. Legitur autem: *Obiit autem Beatus Honoratus* (inter Archiepiscopos Trigesimus primus) *Januæ Anno Domini Quingentesimo septuagesimo. Jacet ad Sanctum Georgium* AD NOXETAM, *quam dicimus* NOXEA, *prope Mediolanum, ubi habitabant Domini Cardinales Ecclesiæ Mediolanensis.* ET IDEO EST CONSUETUDO, QUOD CAMPANA PRÆDICTÆ ECCLESIÆ MANE PRIMA HORA MATUTINI ET VESPERARUM PULSARE DEBET TAMDIU, QUOD PRÆDICTI CARDINALES, SIVE ORDINARII, INTERESSE POSSINT MATUTINO, SIVE ALIIS OFFICIIS, PROUT MORIS ESSE DEBET. Ex his ergo Scriptorum testimoniis ante alia, quo tempore Sanctus *Simplicianus* Ecclesiam regebat *Mediolanensem*, colligi potest Campanæ usus, & quidem usque adeo prægrandis ac sonoræ, quinetiam e Turri usque adeo præalta, ut ejusdem sonitus, longe lateque diffusus, pertingere commode posset (quamcumque in partem venti flarent) usque ad NOXETAM, tribus ab Urbe milliaribus distantem. Quia insuper hic idem Campanæ atque Campanariæ Turris usus ab iisdem Scriptoribus memoratur, non tamquam novum aliquod inventum tunc temporis introductum, sed ut antehac itidem receptum; quid ergo vetat, quominus etiam Sancti *Ambrosii* tempore pariter viguerit? Quamobrem nihil ex hoc capite obstare jam videtur, quominus VETUS istud *Ambrosianæ* Basilicæ Clocarium ab ipsomet Sancto *Ambrosio*, sicut & ipsamet Basilica, constructum esse potuerit. Illud potius nos quidem obstare posse suspicamur, quod ab ingressu (per Portam scilicet primariam, binasque hinc inde ipsi proximas & laterales) Basilicæ usque ad quartum hinc inde intercolumnium certissimis indiciis demum animadvertimus, Basilicæ structuram in multis esse diversam ab ea parte, quæ ab ejusdem intercolumnii quarti pila grandiore versus Altare primarium similiter huic inde protenditur. Huic in primis grandiori pilæ, qua vergit ad Altare, consita visitur columna minus procera, quam ea sit, qua parte vergit ad Ecclesiæ ingressum. Sed hæc tamen & illa similes & pares item sunt ceteris, quæ intra prædictam cujusque partem continentur. Binis etiam hinc inde pilis minoribus, inter majores interjectis, quæ versus ingressum dispositæ sunt, totidem columellæ lapideæ parieti consitæ superstant, ex eodem pariete mediocriter prominentes: nec ex iis ullus deducitur amplioris ac medii fornicis arcus. Non sic autem minores illæ pilæ se habent, quæ sunt in altera parte Altari propinquiore. Sic etiam in portico superiori cernere licet artis ac structuræ diversitatem: ubi scilicet in utraque partium e pilis minoribus assurgit terminus, superiorem illac porticum in duas veluti fenestras discriminans, e quibus patet in Basilicæ sinum prospectus. Quocirca diverso sic etiam tempore, multosque etiam post annos, partem hanc situ ingredientibus anteriorem nos quidem arbitramur superadditam alteri posteriori, qua ipsummet Altare primarium includitur, quæve certo credi debet ab ipsomet Sancto *Ambrosio* constructa; iis tantum exceptis, quæ Numero 21. dicebamus huic etiam parti deinceps superaddita. Sicut autem propter hoc ipsum ejusmodi additamentum, tunc a nobis in utraque parte observatum, conjectabamus, tunc quoque Basilicam istam eo dignatam titulo, ut in honorem quoque Sancti Confessoris *Ambrosii* constructa nominaretur; ita nunc eundem illi titulum tanto magis adjudicamus ob anteriorem illam partem, posteriori vetustiorique postea decursu vel aliquot etiam annorum superadditam. Hinc autem illud etiam profecto credibilius efficitur; ut Vetus item Clocarium tunc potius & ipsum fuerit constructum, quando non pars illa posterior ac vetustior constructa fuit, a qua plurimos illud cubitos distat; sed quando anterior, cui proxime quinetiam intime cohæret. Quod si vera hæc sint; certe multo certius ac verius etiam sequitur, ut ipsamet quoque Basilicæ frons, atriumque porticibus omniquaque circumseptum, non Sancto *Ambrosio* debeatur auctori, sed piis potius deinde Fidelibus, qui Basilicam ipsius, ad Superos jam delati, amplificare magis & ornare voluerint.



Ut autem ad Clocarium Vetus revertamur: sicut illud in præsenti conspicitur dispositis in ligneo tecto lateritiis tegulis superne contectum; ita olim (quippe nos ipsius imaginem vidimus in pergamena olim charta delineatam, sicut etiam hic ruditer exprimendam curavimus) coctili per gyrum lapide opertum, paulatim e medio in acutum definebat; in quatuor vero supremis sui angulis Turriculas totidem quadratas attollebat. Atqui cum tandem talis ejusdem vertex vetustate fatiscens ruinam minaretur; provide sublatus inde fuit; & in eam Campanile formam redactum, ferreisque clavibus firmatum est, quam in præsenti præfert; ut etiam nos suo tempore narrabimus.

CCCXCIII. Ceterum auratus ex ære Gallus, vetus utique symbolum, vertici ejusdem hodieque insistit, quocumque ventus afflet, versatilis: de quo par itidem fuerit, ut aliquid dicamus. *Porro supra pinnaculum Turris* (de campanaria loquitur prædicto Cap. 22. Durantus) *Gallus effingi solet, ad Prælatorum & Curionum alliciendam atque excitandam vigilantiam.* Quod ipsum doctissimi *Andreæ Alciati Mediolanen-*

lanensis nostri decimo quinto, *De Vigilantia & Custodia*, Emblemate confirmat. *Inde* (subdit) *Alciatus in Emblemate*:

Instantis quod signa canens det Gallus Eoi,
Et revocet famulas ad nova pensa manus;
Turribus in sacris effingitur; aerea mentem
Ad Superos Pelvis quod revocet vigilem.

Quibus quidem Versibus per nos addantur etiam bini postremi, velut in gratiam Basilicæ præsertim Metropolitanæ: ante primariam cujus Portam duo excubant ingentes e marmore Leones. Sequitur ergo *Alciatus*.

Est Leo: sed custos oculis quia dormit apertis;
Templorum idcirco ponitur ante fores.

Scite autem *Franciscus Sanctius Brocensis*, hoc item *Alciati* Emblema suis illustrans Commentariis, ita explicat, ut ea verba *Instantis Eoi* perinde significent ac *Matutini temporis*; *aerea* vero *Pelvis* non aliud sit, quam Campana. Præterea vero etiam sic tradit: *Apud nos Salmanticæ multis in Nobilium Turibus visitur hujusmodi effictus Gallus; ut possimus facile inspicere, qua regione ventus inflet. Interroganti mihi, cur potissimum Gallus huic inserviret negotio, aliqui dixere, proprium esse Gallinaceorum rostrum ad ventum dirigere.* Sive autem Sancti *Ambrosii* sive Posteritatis fuerit hoc inventum, ut in hoc Veteri Clocario Gallus effingeretur; ei profecto quammaxime vel eam congruebat ob causam; quia Ritus noster *Ambrosianus* hoc exigat, ut Matutinæ Preces Canonicæ ab eo semper Hymno incipiantur, *Æterne rerum Conditor &c.* in quo tam multa de Gallo concinuntur, quemve a Sancto *Ambrosio* compositum fuisse constat etiam e Sancti *Augustini* Libro Primo Retractationum, Cap. 21. Ibi namque sic ille scribit: *In hoc Libro* (contra Epistolam Donati) *dixi in quodam loco de Apostolo Petro, quod in illo, tamquam in Petra, fundata sit Ecclesia.* QUI SENSUS ETIAM CANTATUR ORE MULTORUM IN VERSIBUS BEATISSIMI AMBROSII, UBI DE GALLO GALLINACEO AIT: HOC, IPSA PETRA ECCLESIÆ, CANENTE, CULPAM DILUIT.

CCCXCIV. Nobis oblata prædicti Veteris Clocarii occasione, paulo ante meminimus, quemadmodum Sancti *Simpliciani* Archiepiscopi nostri tempore Comprovinciales & Suffraganei ejus Episcopi ex condicto cœperint sua quisque hebdomada tanto cum incommodo ad Basilicam istam ventitare *Ambrosianam* (tanta insederat eorum animis erga ipsam, & Sanctissimum ejus Conditorem ibidem sepultum, veneratio & amor) ut supra ipsius Corpus Solemnia celebrarent. Placeat ergo nunc hoc itidem loco ritum istum, sane quidem admiratione dignum, simili quodam exemplo confirmatum inspicere, quod *Carolus Sigonius De Regno Italiæ*, & *Hieronymus Rubeus* in Historiis *Ravennatibus* recensent ad Annum *Christi* Octingentesimum sexagesimum primum. Siquidem *Romæ* in Concilio *Lateranensi* cum data fuisset accusandi *Joannis* Archiepiscopi *Ravennatis* facultas; Episcopi *Æmiliæ* inter alia conquesti de ipso fuerunt, quod eos adigeret (utor enim recitatis a *Rubeo* verbis) UT ECCLESIIS SUIS DESERTIS, MORE PRESBYTERORUM, SINGULIS MENSIBUS RAVENNÆ MINISTRARENT: *& se viginti aut triginta diebus per vim Ravennæ teneri: neque ulli Clerico suo equo vehi per Urbem, injussu ipsius, sine magno discrimine licere.* QUOD QUAMQUAM SUPERIORES ARCHIEPISCOPI FACERE CONSUEVISSENT, AC POSTERIORES ETIAM FECERINT, *certis cuique Episcopo assignatis Ravennæ Ædibus, quas incolerent &c. tamen id acerbius aliquanto, quam res aut dignitas ferret, ab Joanne fieri videbatur.* Neque tamen Concilium

A quicquam statuit, quominus iidem illi Episcopi deinceps tale obsequium Archiepiscopo Ecclesiæque *Ravennati* præstarent. Quod vero attinet ad Episcopos Archiepiscopi *Mediolanensis* Suffraganeos: jam ipsos legimus tantum à se postea onus & incommodum in Ecclesiæ *Mediolanensis* Cardinales, assignatis in idipsum Beneficiis quibusdam Ecclesiasticis, exonerasse. Quonam ex tempore hoc nescimus. Certe autem iidem Cardinales ministerium istud exequebantur Anno circiter septuagesimo supra Quingentesimum, sicuti paulò ante recitabamus. Quamdiu vero postea isti pariter perseveraverint: B hoc nobis pariter ignotum. Per ea profecto tempora, quibus hanc Basilicam vidimus potestati ac regimini subjectam unius Diaconi Custodis, *Aunemundi* nimirum, ac denique *Fortis*, nihil usquam tale comperimus eorumdem Cardinalium usu retentum; tametsi postea, velut in ejus memoriam, tot per annos perseveraverit e Campanili Metropolitano diuturna illa Campanæ maximæ pulsatio, de qua jam diximus, nec non etiam postea forsitan dicemus.

CCCVC. Nunc ad Clocarium Novum & sinistram in partem obversi paululum immoramur. Hoc idem vero sub hæc tempora primis e fundamentis C constructum videtur. Sed & primario eorundem fundamentorum lapidi de more solemniter jaciundo ascitos tantummodo Abbatem ac Monachos fuisse, tam luculenter a Veteribus olim testatum nos interim credimus, quam fidenter assertum vidimus in quodam Jurium istius Monasterii Compendio, typis quondam impresso. In eo siquidem inter cetera sic habetur: *Constat ex Testibus antiquitus examinatis* (*de quibus in Rotulis pariter Romæ transmissis ad effectum ut producerentur, & suis loco & tempore producendis*) QUOD IN FABRICATIONE CAMPANILIS DICTORUM CANONICORUM (his quippe Novum istud postea, sive proximo ab D hinc Anno, concessum fuit) FUERUNT TANTUM ABBAS ET MONACHI REQUISITI AD PONENDUM PRIMARIUM LAPIDEM, UTI SOLI DOMINI DICTÆ ECCLESIÆ. Certe quidem, inspecta superiori Consulum Sententia, dubitare nobis nefas videtur, quin hoc tempore utrum istud Campanile, Novum pariter ac Vetus, in potestate solummodo foret Abbatis ac Monachorum, nec ad præpositi & Canonicorum jura ullatenus pertineret. His utique antehac deservierat unica illa SKella, sive Campanula, infra Claustrum Canonicæ collocata: cujus factam vidimus mentionum Num. 336. Annoque *Christi* vigesimo tertio supra censimum Millesimum. Quem- E admodum vero nunc alterius Campanæ postmodum ex alterutro eorum Campanilium pulsandæ usus concedatur, satis jam dictum: satisque sic etiam inde conclusum, quod nuper nobis assumebamus. Ceterum Campanilis hujus Portæ transversus inhæret quadratus ingensque lapis, insculptos vindemiatores ac pendulas e vitibus uvas repræsentans. Hinc ergo nonnulli, argutantur, ejusmodi Basilicam *Baccho* antea in Templum deservisse. Quos profecto manifesta non minus ejusdem Portæ, quam Campanilis, novitas tenet manifesti convictos erroris. Neque tamen nos illud negaverimus: multos etiam in hujus Basilicæ molem congestos fuisse lapides, qui F tunc è profanis Idolorum Templis aliisque dirutis Ædibus aut Palatiis superessent. Hujusmodi autem videntur ii presertim, quos alicubi, ac præcipue in vestibulo & ingressu Basilicæ, videmus variis belluarum ac monstrorum figuris insculptos ac nonnunquam præpostero etiam ordine pene contemptim, velut in signum triumphatæ tandem absurdæ Gentilitatis dispositos.

CCCXCVI. Eodem hoc Anno Millesimo centesimo quadragesimo tertio *Innocentius* Papa Secundus

A.C. 1144. dus octavo Kalendas Octobris moritur. Cumque ipsi postridie substitutus *Cœlestinus* Secundus ad octavam solummodo proximi mensis Martii diem supervixisset; eidem pariter altera post obitum die *Lucius* sufficitur Secundus.

CCCXCVII. *Anno ab Incarnatione Domini nostri Jesu Christi Millesimo centesimo quadragesimo quarto, Kalendis Aprilis, Indictione septima. Præsentia bonorum hominum, quorum nomina subtus leguntur, steterunt & convenerunt inter se: id sunt, Johannes Presbyter Officialis Ecclesiæ Sanctæ Valeriæ* (cujus Ecclesiæ mentionem Num. 78. faciebamus) *& Petrus qui dicitur de Roxate, & Johannes qui dicitur de Cinixello, & item Johannes qui dicitur de Scagnio, & Vitalis qui dicitur de Nova, & Ambrosius qui dicitur Ansildi, & Malfactus & Magnifredus qui dicitur Machetto, & Ubertus qui dicitur de Golzano, omnes habitatores prope ipsam Ecclesiam: necnon ex altera parte inter* DOMNUM GUIFREDUM, VENERABILEM ABBATEM MONASTERII SANCTI AMBROSII, UBI EJUS SANCTUM QUIESCIT CORPUS: *eo tenore, sicut hic subtus legitur: ita ut a modo in antea non debeant ipsi Johannes Presbyter, & Petrus* &c. *nec eorum hæredes, vel successores, habere virtutem neque potestatem faciendi fenestras, neque pertusos, neque cognilios, neque ullum transforamentum in muros, qui sunt inter ipsos, Johannem Presbyterum, & Petrum* &c. *& inter ipsum Domnum Guifredum, Venerabilem Abbatem, in Claudenda ex parte Montis & Meridie:* & ejusdem generis alia, quæ brevitatis gratia prætermittimus. Ejusmodi vero Convenientiæ (vel, sicut hodierni Notarii loquuntur, Conventionis) Instrumentum actum fuit in suprascripto Monasterio. Cumque, non *Joannes* quidem Presbyter, sed ceteri tamen omnes una cum ipso nominati, tresque præterea Testes subscripsissent; ita demum illud concluditur: *Ego Vassallus, Judex ac Missus Domni Secundi Chunradi Regis, hanc Chartam Convenientiæ scripsi, post traditam complevi & dedi.* Hæc autem libenter nos recitavimus eo præsertim consilio, ut hinc etiam intelligeretur, quam constanter per hæc tempora Monasterium istud sola Corporis Sancti *Ambrosii*, non autem Sanctorum *Protasii* & *Gervasii*, præsentia, sive sepultura, describi soleret: necnon etiam *Chunradus* hoc tempore *Romanorum* Rex, non Tertius, sed Secundus appellaretur; cum alioqui duo *Chunradi* Reges ante ipsum a nobis numerati supra fuerint; ac Primus quidem Num. 216. 217. 218. Secundus autem Num. 280. & 281.

CCCXCVIII. Tametsi superiore Anno Consules *Mediolani* Sententiam, ex Archiepiscopi *Robaldi* quinetiam e Canonicorum non minus quam Monachorum consensu, pronunciaverant super Capitibus inter ipsos controversis; non tamen Canonici propterea contenti conquieverunt. Quamobrem necesse fuit, ut ipsemet rursum Archiepiscopus eosdem ad Concordiam revocare niteretur. Hoc igitur tandem Anno revocavit: & ad Concordiam quidem multo erga Canonicos liberaliorem, quam superior unquam ulla extitisset. Ipsius exemplar hunc in modum se habet:

IN Nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Omnium, maxime autem spiritualium est Potestatum, uti Filiis suis paterno providentes affectu, si qua inter eos emerserit discordia; vel si qua excreverint jurgia; ad ea omni modo extirpanda, tanquam pacis amatores, ut ejus pacis, quæ exuperat sensum omnem, munere glorientur, cura invigilando solerti totis desudent viribus. Proinde EGO ROBALDUS, DEI GRATIA SANCTÆ MEDIOLANENSIS ECCLESIÆ VENERABILIS ARCHIEPISCOPUS, *communicato cum Fratribus nostris consilio, discordiam inter Venerabiles Fratres nostros,* GUIFREDUM MONASTERII BEATI AMBROSII ABBATEM ET EJUS FRATRES, *necnon* MARTINUM CANONICÆ BEATI AMBROSII PRÆPOSITUM ET EJUS FRATRES, *diutius agitatam decidere, eorumque animos ad pacem revocare cupiens, ut eum, qui scissuras mentium refugit, habitatorem habeant; in utriusque partis beneplacito, inter eosdem pacis ligando fœdere, Divina adjuvante Clementia, hanc, quæ inferius legitur, Concordiam, manifeste ab eis ante præcognitam, una cum Fratribus nostris posuimus; atque, ut omnis altercandi seu rixandi in posterum succidatur occasio, prædictis Abbati & Præposito & eorum Fratribus, ante nostram evocatis præsentiam, sub juramenti debito, quo omnis Abbas & Monachi, Præpositus & Canonici nobis erant astricti (juraverant siquidem supra sancta Dei Evangelia, quod super discordia præfata sine fraude & malo igenio nostro obedirent præcepto) uti de cætero Concordiam inviolabiliter observarent; auctoritate Dei, & Beati Ambrosii, & Sanctæ Mediolanensis Ecclesiæ, & nostra firmiter præcepimus. Quæ est hujusmodi. Oblationes omnes, quæ* INFRA ECCLESIAM BEATI AMBROSII ALTARIBUS VEL ANTE CRUCEM *offeruntur, per medium sine fraude dividantur: quarum una medietas Canonicis, altera vero medietas Monachis absque contradictione vel diminutione tribuatur; his tamen exceptis, quæ sequuntur. Quia illæ oblationes, quæ in manibus Presbyterorum Monachorum venerint, ad Monachos pertinent: quæ autem in manibus Sacerdotum Canonicorum venerint, Canonicorum sint. Notandum vero est, quod oblationes, quæ offeruntur* ALTARIBUS BEATI SATYRI, ET BEATI BARTHOLOMÆI, NECNON SANCTI GEORGII, *ad Monachos tantum pertinere debent. Illas autem oblationes, quæ* ALTARI BEATI PANTALEMONIS *offeruntur, omnes prorsus: atque illas, quæ* ALTARI BEATI ANDREÆ, *tam in ejus Vigilia, quam in ejusdem Festivitate offeruntur (his exceptis, quæ in tertia Missa oblatæ fuerint, quam Abbatis esse constat) has, inquam, omnes Canonici quiete habeant & possideant. Alias vero per totum annum quicquid* EIDEM ALTARI BEATI ANDREÆ *oblatum fuerit, commune sine fraude Canonicorum & Monachorum sint. Insuper illæ oblationes, quæ in manibus extraneorum Sacerdotum tempore Psalmorum venerint, eorum sint, quibus dare voluerint, alias dantes sine fraude quibus soliti sunt dare. Præterea si forte aliquid* ANTE VEL SUPER ALTARE BEATI AMBROSII *causa conversionis alicujus, seu causa susceptionis infra Orationes suas, ad partem Monachorum seu Canonicorum oblatum fuerit; ad ipsos tantummodo jure pertineat, ad quorum partem datum esse constiterit. Hactenus de oblationibus.* CÆTERUM NOVUM CAMPANILE ECCLESIÆ EJUSDEM IN LIBERA PRÆPOSITI ET CANONICORUM POTESTATE JURE PERPETUO STATUENDO DONAVIMUS: TRES QUOQUE CAMPANAS SOLUMMODO IN EODEM CAMPANILI PONERE, ET SECUNDUM PROPRIUM ARBITRIUM CANONICORUM, QUOTIENS EXPEDIERIT, SONARE EISDEM ABSOLUTE CONCESSIMUS. *Verumtamen si pro sepeliendis Corporibus defunctorum Abbas vel Præpositus a defunctorum propinquis,* QUI AD SCHOLAS SUAS PERTINEANT, *ad sonandum Tintinabulum invitati fuerint; illa pars,* AD QUAM PRÆDICTA SCHOLA PERTINUERIT, *pulsandi Tintinabulum liberam potestatem habebit. Quod si defunctorum parentes communem vel generalem pro charis suis sepeliendis invitationem fecerint: atque eisdem defunctorum propinquis tam Veteris quam Novi Campanilis singu-*

las Campanas sonare placuerit: & hoc ab utraque parte petierint; dignum & æquum esse duximus, ut tam Canonici quam Monachi singula Tintinabula similiter sonare faciant. Sin autem forte contigerit, quod defunctorum propinqui pro jam dicta communi & generali invitatione sepeliendorum corporum unam tantummodo Campanam, & nullatenus duas, sonare postulaverint; IN CASU HUJUSMODI MONACHIS SOLUMMODO, ET NON CANONICIS, CAMPANAM SUAM PULSARE LICEBIT. *Præterea unum fuit, quod Canonicis observare specialiter præcepimus: uti videlicet ante Matutinas Laudes Monachorum, sed tantummodo post ipsas Laudes incœptas, ad Matutinale Officium Canonicorum nullatenus sua Tintinabula sonare faciant. Alias vero, quacumque hora Tintinabula pulsare utile & honestum duxerint, secundum eorum beneplacitum, sicut jam diximus, honeste & utiliter Campanas suas ipsis Canonicis libere sonare licebit. Et hæc ita diligenti peragant providentia, quatenus, sua nullatenus confundentes Officia, IN ECCLESIA BEATORUM MARTYRUM PROTASII ET GERVASII ET SANCTISSIMI PATRONI NOSTRI AMBROSII DEO GRATUM EXHIBEANT FAMULATUM, ET PACIS CONCORDIÆQUE, QUÆ HOMINIBUS BONÆ VOLUNTATIS ANGELICA LAUDE PROMITTITUR, VENTURO JUDICI MANIPULOS REPORTANTES, PRÆMIUM CAPIANT SEMPITERNUM. Si quis, quod absit, hanc nostræ Constitutionis Paginam infringere temptaverit; a Sacratissimo Corpore & Sanguine Domini alienus existat; & maledictionem Centesimi & octavi Psalmi incurrens, nisi resipuerit, æterno puniatur supplicio. Observantibus autem pax multiplicetur & gratia: & in Regno cœlesti præmiis ditentur æternis. Data est hæc Sententia Pactionis Anno Dominicæ Incarnationis Millesimo centesimo quadragesimo quarto in Palatio Mediolanensi, mense Novembris, Indictione octava* (superiori videlicet Septembri mense inchoata) *Præcepimus siquidem tres Chartulas uno tenore fieri: quarum unam Abbati & Monachis, alteram Præposito & Canonicis dedimus: tertiam vero in Secretario Beatæ Mariæ r servavimus.*

✠ EGO ROBALDUS, DEI GRATIA MEDIOLANENSIS ARCHIEPISCOPUS, HANC CONCORDIAM FIERI JUSSI, ET OBSERVARI SUB JURAMENTO PRÆCEPI, *& propria manu subscripsi.*

✠ *Ego Guilielmus, Terdonensis Episcopus, subscripsi.*
✠ *Ego Ubertus, Archidiaconus, subscripsi.*
✠ *Ego Anselmus, indignus Diaconus, subscripsi.*
✠ *Ego Adelardus, Diaconus, subscripsi.*
✠ *Ego Jordanus, Diaconus, subscripsi.*
✠ *Ego Landulfus, Presbyter, interfui & subscripsi.*
✠ *Ego Vuido, Presbyter, subscripsi.*
✠ *Ego Vualterius, Subdiaconus, interfui & subscripsi.*
✠ *Ego Obitus, Subdiaconus & Cimiliarcha, subscripsi & interfui.*
✠ *Ego Nazarius, Presbyter ac Primicerius, subscripsi.*
✠ EGO VUIFREDUS, ABBAS, *subscripsi.*
✠ *Ego Johannes, Monachus & Sacerdos, subscripsi.*
✠ *Ego Otto. Monachus, subscripsi.*
✠ *Ego Lafrancus, Monachus, subscripsi.*
✠ *Ego Thedaldus, Monachus, subscripsi.*
✠ *Ego Amizo, Monachus, subscripsi.*
✠ *Ego Johannes, Monachus, subscripsi.*
✠ *Ego Suzo, Monachus, subscripsi.*
✠ *Ego Romanus, Monachus & Sacerdos, subscripsi.*
✠ *Ego Petrus, Monachus, subscripsi.*
✠ *Ego Petrus, Monachus, subscripsi.*
✠ *Ego Gregorius, Monachus, subscripsi.*
✠ *Ego Aribertus, Monachus, subscripsi.*
✠ *Ego Vuido, Monachus, subscripsi.*
✠ *Ego Farutella, Monachus, subscripsi.*
✠ EGO GALDINUS, SUBDIACONUS ET CANCELLARIUS, *a me dictatæ subscripsi.*

Hic autem *Galdinus*, Archiepiscopalis nunc Cancellarius, ille est, qui post aliquot ab hinc annos *Oberto* Archiepiscopo, *Robaldi* successori, suffectus est: quive præterea Sanctæ *Romanæ* Ecclesiæ Cardinalis & Legatus Apostolicus, quinetiam Sanctorum Catalogo adscriptus fuit; ut suo nos tempore agemus.

CCCIC. Proximo inde mense Decembri exeunte, *Robaldus* Archiepiscopus ex hac vita discessit. Clarissimi Viri *Aloysii ab Ecclesia* Catalogus expresse sic habet: *Obiit prædictus Roboaldus* (sive *Robaldus*) *secundo die ante Kalendas Januarii, Anno Domini Millesimo centesimo quadragesimo quarto. Jacet in Ecclesia Hyemali* (sive *Sanctæ Mariæ*) *juxta Pulpitum.* Mox vero de ipsius Successore sic inquit: *Ubertus* (a nobis appellabitur *Obertus*, quemadmodum ipse suum subscribebat nomen) *ex Capitaneis de Pirovano, Mediolanensis Archiepiscopus Octogesimus tertius, venit ad Sedem secunda Februarii die, Anno Domini Millesimo centesimo quadragesimo quarto.* Catalogus vero alter Metropolitani Archipresbyteri post obitum *Robaldi*, quem ipse nominat *Tibaldum*, addit: *Vacat tum Sedes diebus viginti tribus.* Sibique concors mox etiam de *Oberto* subdit: *Venit ad Sedem vigesimo primo Januarii, Anno Domini Millesimo centesimo quadragesimo quinto.* Nimirum, si Annus Domini ex ejus Incarnatione supputetur; tam *Robaldus* obiit, quam *Obertus* ei successit Anno supra Millesimum centesimum quadragesimo quarto; quippe qui Annus usque ad vigesimam quintam subsequentis Martii diem protenditur. Computato autem a Kalendis Januarii, *Robaldus* obiit quadragesimo quarto; sed *Obertus* ei successit quadragesimo quinto. Quod si computetur e vigesima quinta Decembris die, quo præcise die *Christus* Dominus ex utero Virginis in hanc lucem processit; tum vero tam *Robaldus* occubuisse, quam *Obertus* in ejus locum successisse dicetur Anno quadragesimo quinto. A.C. 1145. Quem quidem nos Annum, saltem propter *Oberti* successionem, hic in ora marginali disponimus.

CD. Quærimus hoc tandem loco, an *Conradus* Rex, quo ex tempore rite ac legitime fuit electus, a *Robaldo*, vel saltem ab *Oberto*, coronatus aliquando fuerit. Catalogus ille uterque nuper a nobis nominatus hoc disertissime affirmant: *Conradus Secundus per prædictum Archiepiscopum* (Robaldum) *primo in Modoëtia, deinde in Mediolano coronatur.* *Gualuaneus* item *Flamma* in Chronico Majore, Cap. 256. *Conradus perveniens Mediolanum, per Robaldum Archiepiscopum fuit in Mediolano coronatus in Ecclesia Sancti Ambrosii extra Civitatem: postea in Modoetia iterum voluit coronari.* In Manipulo autem Florum, Cap. 171. non expresso Archiepiscopi nomine, sic etiam tradit, quinetiam innominati cujusdam Poëtæ versibus confirmat: *Mortuo Lothario Imperatore, Conradus Dux Sueviæ, Sororis Henrici filius, factus est Rex Alamaniæ. Septimo autem Regni sui anno venit Modoëtiam, & per Archiepiscopum Mediolanensem coronatus fuit, postea in Mediolano. Unde isti Versus:*

Consilio Seneca, specie Paris, Hector in armis,
Lothario moriente, venit Conradus honestus:
Est Mediolani Diadema potenter adeptus.

Indefinite sic etiam Chronicon *Flos florum* fol. 139. pag. 1. *Conradus Imperator, de Allamania exiens, venit in Italiam: & per Archiepiscopum Mediolani fuit coronatus in Mediolano.* Atqui *Tristanus Chalcus* ad Annum Millesimum centesimum trigesimum octavum, commemorata *Lotharii* Imperatoris morte sic prosequitur: *Deinde Conradus Secundus, ex Henrici Sorore & Frederico Scophio (ut quidem opinantur)*

cogno-

cognomento Suevorum Duce genitus, Imperium excipit: & Mediolani, præbente Diadema Robaldo Archiepiscopo, coronatur. Hæc Auctores isti. Verum enimvero *Conradum* interea temporis nec a *Robaldo* nec ab *Oberto*, nostris Archiepiscopis, coronatum fuisse, nos aliis potius assentimur Scriptoribus, qui magis ex instituto Vitam & acta ejusdem *Conradi* Regis descripserunt. Ex iis enim aperte constat ipsum interim aliis alibi distentum implicitumque curis, *Mediolanum* ac *Modoëtiam* venire non potuisse: cumque Coronæ item hujus accipiendæ studio inflammatus Anno *Christi* supra Millesimum centesimum quinquagesimo primo jurasset, se propediem cum exercitu in *Italiam* trajecturum; Anno sequenti occubuit repentino morbo oppressus; quemadmodum inter alios eo narrat Anno *Sigonius.*

CDI. *Satis quidem constat* (inquit idem *Sigonius*, sed Anno Millesimo centesimo quadragesimo quinto) *Lucium* (Papam) *hoc Anno, quinto Kalendas Martii, alienissima Reipublicæ morte esse extinctum. Eo vero sepulto Cardinales in Aede Sancti Cæsarii convenerunt: & cum neminem ex Collegio approbarent; extrinsecus asciverunt. Hic fuit Bernardus* (ex ordine Cisterciensi) *Sancti Anastasii Abbas: homo, ut Bernardi Claravallensis discipulus, simplicis quidem ac rectæ mentis; sed animi parum, ut judicabatur, in gerendis rebus prompti atque constantis.* Et paulo post: *Tertio igitur Kalendas Martii Cardinales maximo animorum consensu Bernardum Pontificem sublegerunt, ac Populo renunciatum Eugenium Tertium appellarunt. Is, ubi primum est designatus, contra opinionem omnium ingentem animi indolem præ se tulit.*

A.C. 1146. CDII. *Guifredum*, istius Abbatem Monasterii, *Martinus* Anno *Christi* Millesimo centesimo quadragesimo sexto excipit: & hunc aliquoties etiam postea nominatum nos videbimus.

A.C. 1148. CDIII. Anno *Christi* supra Millesimum centesimum quadragesimo octavo amplissimum se nobis offert *Oberti* Archiepiscopi Privilegium, idemque archetypum, & omniquaque integrum: e quo ingentem Abbatis ac Monasterii hujus *Ambrosiani* ditionem dignitatemque continuatam discernere licet. Illud vero est hujusmodi:

OBERTUS, DEI GRATIA SANCTÆ MEDIOLANENSIS ECCLESIÆ ARCHIEPISCOPUS, DILECTO IN CHRISTO FRATRI, MARTINO, MONASTERII BEATI CONFESSORIS AMBROSII ABBATI, *ejusque Fratribus, tam præsentibus, quam futuris in perpetuum. Sacra testante Scriptura, ex officio nobis injuncto interest Ecclesias & Ecclesiasticas personas, nostro commissas regimini, paterno affectu diligere, & eas earumque bona pia protectione munire. Dignum namque & honestati conveniens esse aperte cognoscitur, ut qui ad Ecclesiarum regimen, sub Mediolanensis Ecclesiæ obedientia commorantium, sumus assumpti, eas & a pravorum hominum nequitia tueamur, & Sanctæ Mediolanensis Ecclesiæ patrocinio foveamus. Proinde, Dilecti in Domino Filii, vestris justis petitionibus clementer annuentes, præfatum Beati Ambrosii Monasterium, in quo divino mancipati estis obsequio, & ejus bona, sub nostra & Sanctæ Mediolanensis Ecclesiæ protectione atque defensione suscipimus, & præsentis Pagina Privilegii communimus. Statuimus itaque, ut quascumque possessiones quæcunque bona prædicta Beati Ambrosii Ecclesia in præsentiarum juste & canonice possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione Fidelium, seu aliis justis modis, Deo propitio poterit adipisci, firma vobis vestrisque Successoribus & illibata permaneant. In quibus hæc propriis nominibus duximus exprimenda: in primis* ECCLESIAM BEATI SATYRI, QUÆ EST JUXTA IPSUM MONASTERIUM: ECCLESIAM
A SANCTI PETRI, JUXTA ECCLE-
SIAM SANCTI VITALIS ÆDIFI-
CATAM: ECCLESIAM SANCTI AU-
GUSTINI: ECCLESIAM SANCTI
MICHAELIS, ET HOSPITALE IBI
PROPE ÆDIFICATUM: ECCLE-
SIA BEATI PETRI UBI DICITUR
AD SALA, ECCLESIAM SANCTI SYRI
AD VEPERAM, CUM EARUM PARO-
CHIIS: ECCLESIAM SANCTI SATYRI
IN CIVITATE SIMILITER CUM SUA PA-
ROCHIA, *& cum omnibus ad eam pertinentibus:*
OLEODUCTUM (Italice jam communiter
B ORIGGIO appellatur) *cum duabus Cappellis,*
scilicet ECCLESIAM SYRI, ET ECCLESIAM
BEATÆ MARIÆ, *cum famulis & cum Decima:*
ECCLESIAM SANCTI SEPULCHRI, ET
ECCLESIAM SANCTÆ TRINITATIS DE
TRINATE *cum earum possessionibus:* CAMPI-
LIONEM *cum tribus Cappellis, videlicet* EC-
CLESIAM SANCTI ZENONIS, ECCLE-
SIAM SANCTI PETRI, ET ECCLESIAM
SANCTÆ MARIÆ, *cum Parochiis, & omnibus*
ad eam pertinentibus: ECCLESIAM SANCTI
SYRI, *quam habetis in Cœnobio, cum aliis possessio-*
nibus: TERTIAM PARTEM LOCI DE
DUBINO *cum duabus Cappellis, scilicet* CAP-
C PELLAM SANCTI PETRI, ET CAPPEL-
LAM SANCTI BENEDICTI, *cum famulis:*
LEMONTAM CUM ECCLESIA SANCTI
GENESSII, *cum famulis:* CURTEM DE BIS-
SONO CUM ECCLESIA SANCTI CAR-
POPHORI, *cum Primitiis atque cum famulis:*
ANTICIACUM *cum duabus Ecclesiis,* ECCLE-
SIAM SCILICET SANCTI AMBROSII,
ET ECCLESIAM SANCTÆ MARIÆ, *cum*
famulis: ECCLESIAM SANCTI DAMIANI
DE BARAZIA *cum omnibus, quæ ad eam perti-*
nent: CURTEM DE PASCILIANO *cum tri-*
bus Cappellis, videlicet ECCLESIAM BEATI
PETRI, ATQUE ECCLESIAM SANCTI
D SALVATORIS, ET ECCLESIAM SANCTI
GEORGII: IN CASTANETO ECCLESIAM
SANCTI MICHAELIS: IN TURRICULA
ECCLESIAM SANCTI MARTINI *cum De-*
cimis, & famulis: CURTEM DE MONTE
CUM ECCLESIA SANCTI VIGILII, ET
ECCLESIA SANCTI EUXEBII, *cum decimis:*
ECCLESIAM SANCTI AMBROSII *cum Deci-*
mis, & famulis, aliasque possessiones, quas habetis
IN CIRIXOLA: IN QUINTO ECCLESIAM
SANCTI AMBROSII *cum aliis possessionibus:*
ECCLESIAM SANCTÆ MARIÆ, ET EC-
CLESIAM SANCTI MARTINI, *& alias pos-*
sessiones, quas habetis in CASTERNO: *atque*
E *jus illud, quod antiquitus habetis* IN MONAS-
TERIO ORONIS (quod antehac nominatum vi-
dimus AURUNÆ, vel AURONI, ORONI-
QUE) *atque possessiones, quas habetis in* DOME-
NEGASCO. PRÆTEREA DIGNITATEM
ILLAM, QUÆ, UT IN VESTRIS CONTINE-
TUR PRIVILEGIIS, VOBIS EX LONGO ET
ANTIQUO TEMPORE CONCESSA EST,
VIDELICET, QUOD ABBAS IN DOMINI-
CIS, ET SOLEMNIBUS DIEBUS CUM IN-
FULA ET ALIIS ORNAMENTIS EPISCO-
PALIBUS IN ECCLESIA BEATI AMBROSII
MISSAS CANTAT, VOBIS CONFIRMA-
MUS. *Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum li-*
F *ceat prænominatam Beati Ambrosii Ecclesiam temere*
perturbare, vel ejus bona auferre, vel ablata retinere,
minuere, seu aliquibus molestiis fatigare; sed omnia
integra conserventur, eorum, pro quorum gubernatione
& sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis pro-

futura. Si quis igitur noster Parochianus in futurum contra hanc nostræ Constitutionis Paginam sciens venire temptaverit; secundo tertiove commonitus, nisi reatum suum digna emendatione correxerit, Centesimi octavi Psalmi maledictionibus repleatur; & à Sacratissimo Corpore & Sanguine Domini nostri Jesu Christi fiat alienus. Cunctis autem, eidem Loco servantibus justa pax Domini nostri multiplicetur & gratia; quatenus hic fructus bonæ actionis percipiant, & in futuro æternam vitam sibi paratam inveniant. Actum est hoc Anno Dominicæ Incarnationis Millesimo centesimo quadragesimo octavo, quarto Nonas Aprillis, Indictione undecima.

✠EGO OBERTUS, ARCHIEPISCOPUS, SUBSCRIPSI.

✠*Ego Tedaldus, Archipresbyter subscripsi.*
✠*Ego Obitius, Diaconus & Cimiliarcha, subscripsi.*
✠*Ego Joannes Rhodensis, subscripsi.*
✠*Ego Anselmus indignus Diaconus, subscripsi.*
✠*Ego Vuilielmus, Diaconus, subscripsi.*
✠*Ego Adelardus, Diaconus, subscripsi.*
✠*Ego Enricus, Subdiaconus, subscripsi.*
✠*Ego Nazarius, Presbyter ac Primicerius, subscripsi.*
✠*Ego Julius, Presbyter, subscripsi.*

Subtus autem integrum adhuc pergamenæ adnexum est Archiepiscopale Sigillum e cera rubra, cum suis e serico ligaculis, Sancti *Ambrosii* effigie impressum.

CDIV. Sicut hodie, sic etiam olim moris erat, ut anniversariam Sancti *Satyri* festivitatem Monachi pro suo jure celebrarent in Urbana ejusdem Sancti Confessoris Ecclesia, de qua in superioribus dictum est; Canonici vero, velut in sociale subsidium, eandem celebrarent in Cappella domestica, ubi sacrum ipsius Corpus a nobis creditur asservatum. Quocirca etiam vicissim à Monachis prandio satis lauto excipiebantur. Hinc ergo nova inter ipsos contentio suborta: cujus qualitatem licet e proxima ipsius dijudicatione dignoscere; unde pariter ferculorum conditu ram, per ea tempora non ingratam, nos etiam ipsi cum voluptate contuebimur. Exemplar tamen illud, quod ad manus nobis accidit, nonnullis in locis mancum est, immò verò nec archetypum & autenticum. Quocirca minus etiam mirum erit; si quid fortè alicubi erroris in ipsum irrepserit.

IN Nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Recordatio Sententiæ quam DOMNUS TEDALDUS, SANCTÆ MEDIOLANENSIS ECCLESIÆ ARCHIPRESBYTER, JUSSIONE VENERABILIS DOMNI OBERTI IPSIUS ECCLESIÆ ARCHIEPISCOPI .... *super discordia, inter* MARTINUM CANONICÆ ECCLESIÆ SANCTI AMBROSII PRÆPOSITUM ET EJUS FRATRES, *& ex altera parte* MARTINUM MONASTERII SANCTI AMBROSII ABBATEM *diutius agitata. Discordia enim sic erat. Conquerebantur siquidem prædicti Canonici, quod ipse Abbas convivium unum, in quo debebat habere novem diversa fercula, de istis scilicet tribus: in prima appositione* PULLOS FRIGIDOS, GAMBAS DE VINO, ET CARNEM PORCINAM FRIGIDAM: *in secunda* PULLOS PLENOS, CARNEM VACCINAM CUM PIPERATA, ET TURTELLAM DE LAVEZOLO: *in tertia* PULLOS ROSTIDOS, LOMBOLOS CUM PANITIO, ET PORCELLOS PLENOS: *in festivitate Sancti Satyri: & denarios viginti quatuor: & candelas duodecim ipsius Ecclesiæ Canonicis dare debebat. E contra Abbas respondebat: In festivitate Beati Satyri Canonicis de Sancto Ambrosio refectionem secundum nostram voluntatem, honorifice tamen, & non secundum hoc quod eorum indicat querimonia, dare debemus: denarios verò, & candelas, quas exigunt nullo modo. Ad quod manutenendum idem Abbas quoddam ostendit Instrumentum: in quo quidem de refectione, sed non cujusmodi esse debeat, continetur: de denariis & candelis in eo nihil continetur. Sed prænominati Canonici refectionem, quæ superius determinata est, ita se per triginta annos habuisse asserere intellexerunt .... ad quod probandum duos induxerunt Testes, videlicet Joannem Ariprandum de Sancto Vitale, atque Presbyterum Ottonem de Sancto Paulo in Compito. Visis itaque utriusque partis prædictis rationibus: atque Instrumento, quod ipse Abbas in hoc negotio attulerat, diligenter inspecto; communicato cum aliis Fratribus consilio,* DOMNUS TEDALDUS, *ut dictum est, ex jussione atque præcepto ejusdem* DOMNI OBERTI ARCHIEPISCOPI *hanc promulgavit Sententiam, inquiens: Si prædicti Testes hoc, quod de refectione testati sunt, præstito juramento affirmare volunt, Domnus Abbas in festivitate Beati Satyri secundum Testium testationem suprascriptis Canonicis refectionem de cætero honorifice tribuat. Denarios verò & candelas, quoniam de his Instrumento nihil continetur, Canonicis, vel eorum Missis.....................* (supplenda videtur hæc lacuna his verbis, *non tribuat*, vel certe similibus) *Supradicti igitur Testes ibi in præsentia ipsius Domini Archiepiscopi id, quod de refectione testati fuerint, verum esse juramento præstito affirmaverunt. Testium autem testimonium hoc est. Presbyter Ariprandus dixit: Ego fui tempore Johannis Abbatis ad prandium, quod in festivitate Sancti Satyri, cum Præposito Girardo de Sancto Ambrosio, & cum suis Fratribus: & habuerunt refectionem de novem diversis cibis: in primis* PULLOS FRIGIDOS, ET GAMBAS DE VINO, ET CARNEM PORCINAM FRIGIDAM: *in secundo* PULLOS PLENOS, ET CARNEM VACCINAM CUM PIPERATA, ET TURTELLAM DE LAVEZOLO: *in tertio loco* PUELOS ROSTIDOS, ET LUMBOLOS CUM PANITIO, ATQUE PORCELLOS PLENOS; *porcellos vero plenos quandoque in prima appositione, & carnem porcinam frigidam in tertia appositione habebant; & è converso: & hoc vidi infra quadraginta annos, & postea infra triginta. Presbyter Otto dixit idem: & adjunxit, quod hoc vidit per septem vices.............*

Anno Dominicæ Incarnationis Millesimo centesimo quadragesimo octavo, in Palatio Mediolani, mense Februarii, Indictione undecima.

EGO OBERTUS, ARCHIEPISCOPUS, SUBSCRIPSI.

EGO TEDALDUS, ARCHIPRESBYTER, SUBSCRIPSI.

Ego Anselmus, indignus Diaconus, interfui, & subscripsi.
Ego Adelardus, Diaconus, interfui, & subscripsi.
Ego Jordanus, Diaconus, interfui, & subscripsi.
Ego Obitius, Diaconus & Cimiliarcha interfui, & subscripsi.

EGO GALDINUS, CANCELLARIUS, INTERFUI SUBSCRIPSI.

Ceterum Februarius ille mensis, Anno ab Incarnatione Domini Millesimo centesimo quadragesimo octavo inclusus, citra controversiam continetur Anno ab ejusdem Domini Nativitate quadragesimo nono; propterea que nos ei Sententiam istam subjecimus. Præterea vero etiam ipsius Indictionem re vera non undecimam, sed duodecimam esse, superiore Septembri mense inchoatam, nos colligimus cum e præcedenti *Oberti* Archiepiscopi Privilegio, tum etiam e publico pariter & archetypo Documento, cujus initium ecce proferimus verbatim hanc item ob causam. A.C. 1149.

CDV. Sic enim hoc se habet: *Anno ab Incarnatione Domini nostri Jesu Christi Millesimo centesimo quadragesimo nono, secundo die mensis Octubris,* INDICTIONE TERTIADECIMA (proximo nimirum

mirum Septembre inchoata) *præsentiâ nonnullorum, quorum nomina subtus leguntur: per lignum & chartam, quæ sua tenebat manu*, DOMINUS JOANNES, DEI GRATIA ABBAS ECCLESIÆ ET MONASTERII BEATI COMFESSORIS AMBROSII, UBI EJUS SANCTUM REQUIESCIT CORPUS, *constructi foris non multum longe ab hac Civitate Mediolani, ibi astante & laudante Landulfo, qui dicitur Grafto, Advocato ipsius Monasterii, investivit Johannem Mariam*, & aliquot alios subinde nominatos incolas Loci VILLÆ ALBÆ, de mansis septem terræ, deque ceteris; quæ eodem continentur Instrumento: cui denique subscriptum, *Ego Carlevarius, Notarius Sacri Palatii, hanc Chartam scripsi & tradidi.* Jam vero *Martino* Abbati certe quidem suffectum cernimus *Johannem*: cui cognomen *Arzago* fuisse, nobis item aliunde constat.

A.C. 1151. CDVI. Quod supra Num. 400. testatum a *Sigonio* nos asserebamus: nunc suis ipse verbis confirmet. Ad finem igitut Anni supra Millesimum centesimum quinquagesimiprimi sic ille inquit: *Conradus Coronæ accipiendæ, Apuliæ recuperandæ, & Lombardiæ non tam componendæ quàm comprimendæ studio inflammatus, juravit, se propediem cum exercitu in Italiam tra-* 1152. *jecturum. Verum sequenti Anno, repentino morbo oppressus, non sine veneni suspicione, à Medicis inductu Rogerii dati, decimo quinto Kalendas Martii vita cessit; cum Insignia Regalia Friderico fratris filio tradidisset, eidemque filium suum parvulum commendasset.* Et paulo post: *Mortuo Conrado, tertio Nonas Martii Principes atque Episcopi Francfordiæ convenere; ac concordibus animis Fridericum, Ducem Sveviæ, ut ætate sic virtute ad famam hominum florescentem, Regem Germaniæ delegere.* De quo *Tristanus Chalcus*, ipsum *Conradi fuisse* fratrem opinatus, initio Libri Octavi sic item habet: *Conrado in Romano Regno Procerum suffragiis suffectus est Fridericus frater, ejus nominis Primus: quem, de capilli colore insignem, vulgus Barbarussam, paulo eruditores Rubrobarbum; nos æquiore, ut arbitramur & ex aliqua antiquitate Romana petito vocabulo Ænobarbum nuncupabimus.* Quod item non displicet. Et rursus paulo post idem Sigonius: *Angebant ingentis spiritus juvenem* (Fridericum) *primum res Germaniæ, quas componere ante omnia cupiebat, deinde Italiæ. Nam præter Coronam, quam Conradus patruus assequi morte præventus nequiverat, eximium quoddam frænandorum Mediolanensium cæterorumque Italicorum, qui libertatem instituerant, studium, & incredibilis Apuliæ de Rogerii manibus extorquendæ cupiditas, ipsum assiduè stimulabant.*

CDVII. De bello ac tandem excidio, Urbi *Laudensi* a *Mediolanensibus* illato, aliquid nos jam diximus Num. 307. 313. & 314. pluraquè multò alii Rerum *Mediolanensium* Scriptores & in ea tempora

A.C. 1153. & in posteriora tradidere. Forte accidit, ut hoc Anno supra Millesimum centesimum quinquagesimo tertio duo Viri *Laudenses* apud *Fridericum* (qui *Constantiæ* tunc convocato Conventu jus dicebat) conquesti de *Mediolanensibus* fuerint, a quibus dure admodum & graviter opprimerentur. Hæc & alia in Rerum *Laudensium* Historia enarrant *Ottho Morena*, ejusque filius *Acerbus*, coævi utique Scriptores: & ab ipsis mutati *Tristanus Chalcus*, *Bernardinus Corius*, & *Carolus Sigonius*, aliique ab eodem Anno. Quæ quidem querimoniæ per varia deinceps hinc inde irarum irritamenta excidium nostræ pariter Urbi ab *Ænobarbo* tandem rependerunt: Anno scilicet sexagesimo secundo. In hunc usque Annum iidem consulantur Scriptores. Nobis enim tam multa, luculenter ab ipsis jam descripta, ne innuere quidem vacat, dum propria hujus Basilicæ ac Monasterii ex instituto consectamur.

CDVIII. Eodem Anno *Eugenius* Papa Tertius o-

A ctavo Idus Julii vitæ modum imposuit: atque post biduum ipsi substituitur *Anastasius* hujus nominis Quartus. Sic etiam Sanctissimus ille Pater, Urbique nostræ addictissimus, *Bernardus*, Clarevallensis Abbas, hinc ad Superos emigravit. *Tristanus* inde *Chalcus* hunc in modum scribit: *Annus deinde quinquagesimus tertius habetur insignis obitu duorum summorum in Ecclesia Virorum: Eugenii Pontificis, cui Anastasius Quartus suffectus est: & Bernardi Abbatis. Qui sacrarum Scripturarum studio, virtute, & peregrinationibus, ad exteras quoque Nationes in Fide instruendas, obitis clarus, multa ampla & opulenta Cœnobia ædificavit: plurimosque statim sectatores habuit. Quorum via*

B *vitaque posteris per manus tradita, quoniam tuto cælestes ad sedes ducat, nunc quoque observatur.* &c

CDIX. *Carolus* Rex *Crassus* Anno *Christi* Octingentesimo octuagesimo, atque Num. 131. a nobis memorabatur donasse Monasterio huic *Ambrosiano* TERRAM JUXTA ECCLESIAM SANCTI MICHAELIS, AD ÆDIFICANDUM HOSPITALE, AD RECIPIENDUM PAUPERES: moxque Num. 132. ejusmodi Hospitale absque dubio esse asserebamus illud, quod nunc ibidem constructum SANCTI AMBROSII HOSPITALE nuncupatur. Sic etiam Num. 299. Annoque *Christi* tertio supra centesimum Millesimum

C *Paschalis* Papa Secundus eidem Monasterio concedebat, sive confirmabat, DOMINIUM HOSPITALIS CUM ECCLESIA INIBI FUNDATA IN HONORE SANCTI MICHAELIS. Præterea vero, sicut hanc Sancti *Michaelis* Ecclesiam, ita etiam Hospitale istud eidem Monasterio adjudicabant e *Robaldi* Archiepiscopi consensu Consules *Mediolani* Num. 390. Annoque *Christi* Millesimo centesimo quadragesimo tertio: quin etiam quinto pariter inde Anno ac Num. 403. *Obertus* ipse Archiepiscopus, *Robaldi* successor. Tametsi vero res ita se haberet; non defuere tamen qui se illi hoc tempore opposuerint. Quamobrem, ad ejusdem *Oberti*

D judicium ac tribunal delata controversia, eam ipse hoc Anno, ab Incarnatione quidem Domini quinquagesimo tertio supra centesimum Millesimum, sed A.C. ab ejusdem Nativitate quinquagesimo quarto, sic 1154. diremit:

RECORDATIO SENTENTIÆ, QUÆ DATA EST A DOMNO OBERTO, SANCTÆ MEDIOLANENSIS ECCLESIÆ VENERABILI ARCHIEPISCOPO, SUPER CONTROVERSIA, QUÆ INTER JOHANNEM MONASTERII SANCTI AMBROSII ABBATEM, ET FRATRES HOSPITALIS, QUOD HOSPITALE SANCTI AMBROSII

E *DICITUR, AGITABATUR. Controversia autem hæc erat. Prædictus siquidem Abbas dicebat, ipsum Hospitale esse de Parochia Ecclesiæ Sancti Michaelis, & per ipsam Ecclesiam, quæ Cappella est Monasterii Beati Ambrosii, ad se pertinere: atque in ipso Hospitali, tamquam in sua Parochia, per quadraginta annos & ultra jus parochiale libere exercuisse, visitando, sepeliendo, & post exequias mortuorum Aquam benedictam, & in Vigiliis Natalis Domini Aquam benedictam & Incensum in eodem Hospitali portando, & alia quæ ad jus spectant parochiale exercendo. Ad quæ vera esse monstranda plures Testes idem Abbas produxit. E contra præscripti*

F *Fratres respondebant, dicentes, præfatum Hospitale nec esse de Parochia Ecclesiæ Sancti Michaelis, nec ad Abbatem Monasterii Sancti Ambrosii pertinere, ita quod in eo per se, vel per suum Cappellanum, aliquod debeat divinum exercere Officium: sed affirmabant, se liberam habére potestatem requirendi Sacerdotem undecunque vellent, qui in celebrandis divinis Officiis eis serviret. Ad quod probandum quosdam adduxerunt Testes. Quibus ita auditis,*

& diligenter inquisitis, Domnus Obertus Archiepiscopus, communicato cum Fratribus suis & aliis sapientibus Viris consilio, hanc promulgavit Sententiam, inquiens: Si quinque ex Testibus, qui a parte sæpedicti Abbatis producti sunt, videlicet Philippus Monachus Monasterii Sancti Laurentii Novariensis, & Landus & Henricus de Magezate, & Milo & Rogerius de Fabrica, præstito juramento, quod testati sunt, verum esse affirmaverint: & ipse Abbas per suum Advocatum juraverit, quod memoratum Hospitale est de Parochia Ecclesiæ Sancti Michaëlis; jus parochiale ejusdem Hospitalis eidem Ecclesiæ Sancti Michaëlis adjudicamus. Ibi autem statim in præsentiarum & Abbate & Testibus juramenta, sicut in Sententia dictum fuerat, facere paratis; a Fratribus ipsius Hospitalis fuerunt remissa; & sic finita est Causa. Testium autem testimonium hoc est. Philippus Monachus dixit: Ego steti in Monasterio Sancti Ambrosii tempore Abbatis Johannis, scilicet Guazina: & vidi Domnum Albertum de Incino, qui serviebat Cappellam Sancti Michaëlis, servire Hospitale Sancti Ambrosii, per visitationem, & sepelitionem, & Incensum in Vigiliis Nativitatis Domini, & sepelitionem, & Aquam benedictam post sepelitionem: & quando non aderat; serviebat pro eo, aut Domnus Ubertus aut Domnus Petrus de Cistellago, vel Presbyter Aripandus de Sancto Vitali, vel Presbyter Michignus de Sancto Martino, per invitationem Monachorum Sancti Ambrosii: & hoc vidi per annos octo & plus a terremotu in zâ, & a decem annis in là. Milo dixit: Ego scio, quod ego eram Major in Schola Sanctæ Ceciliæ, & quidam homo de Hospitali nobiscum erat in ea Schola. Quo mortuo, diximus Guilielmo de Moneta, qui erat Major in Hospitali: Si vultis sepelire eum ad Sanctum Michaëlem; dabimus vobis cilicium, & candelas Monachis Sancti Victoris. Et ipse dixit: Sepelite eum apud Sanctum Victorem. Et nos ivimus, & invitavimus Monachos Sancti Victoris: & ipsi dixerunt, quod non venirent sine Cappellano Hospitalis: & affuit Cappellanus Presbyter Petrus Incino: & hoc fuit ab undecim annis in zâ, & a mense in là: & mecum erat Rogerius de Fabrica. Rogerius de Fabrica dixit idem; excepto quod non dixit, quod prius ivissent ad Domnum Hospitalis; & requisissent ab eo, si vellet sepelire apud Sanctum Michaëlem; & quod promisissent ei cilicium, & alia. Hæc non dixit; sed dixit, quod invitaverunt Abbatem & Monachos, & post quæsierunt Cappellanum, & habuerunt Presbyterum Petrum, & cætera, sicut Milo. Landus dixit: Ego vidi, Domnum Nazarium Tembado bis & plus portare Incensum in Hospitali in Vigiliis Nativitatis: & Domnum Aribertum de Bargatio similiter ter portare Incensum: & Domnum Albertum de Incino quater idem facere. Et hoc faciebant ex parte Monasterii. Et vidi, eosdem Sacerdotes sepelire mortuos Hospitalis apud Sanctum Michaëlem. Sed nescivit dicere, quos. Et hoc fuit a quadraginta annis in zâ, & a viginti quinque in là. Henricus de Magezate dixit idem. Laudo a quinquaginta annis in zâ & a triginta in là.

Data est hæc Sententia Anno Dominicæ Incarnationis Millesimo centesimo quinquagesimo tertio, mense Februarii, Indictione prima.

✠ EGO OBERTUS, ARCHIEPISCOPUS, SUBSCRIPSI.

✠ *Ego Obitius, Archipresbyter, subscripsi.*

✠ *Ego Guifredus, Presbyter, subscripsi.*

✠ *Ego Milo, Presbyter, subscripsi & interfui.*

✠ *Ego Johannes, Presbyter, subscripsi.*

✠ *Ego Stephanus, Primicerius, subscripsi & interfui.*

✠ *Ego Ardericus, Primicerius Notariorum, interfui & subscripsi.*

✠ EGO GALDUINUS, ARCHIDIACONUS, SUBSCRIPSI.

✠ *Ego Anselmus, indignus Diaconus, interfui & subscripsi.*

✠ *Ego Adelardus, Diaconus, subscripsi.*

✠ *Ego Algisius, Diaconus, interfui & subscripsi.*

✠ *Ego Jordanus, Diaconus, interfui & subscripsi.*

✠ *Ego Vuilielmus, Diaconus, subscripsi.*

✠ *Ego Guaterius, Subdiaconus, subscripsi.*

✠ *Ego Presbyter, Subdiaconus, subscripsi.*

Hactenus *Oberti* Archiepiscopi Sententia: cujus pariter archetypum est exemplar, propria singulorum manu subscriptum, & Archiepiscopali de more Sigillo, quale supra describebamus, firmatum. Interim porro Sanctum *Galdinum* ex Archiepiscopali Cancellario & Basilicæ Metropolitanæ Subdiacono (qualem supra vidimus Num. 398.) Archidiaconum habemus. Observare sic etiam hic placet, quemadmodum per hæc tempora Parochi subditorum suorum domos in Vigiliis Dominicæ Nativitatis non tantum Aqua benedicta adspergere (quemadmodum in præsenti quoque usitatur) sed insuper etiam Thure sacro suffumigare soliti essent.

CDX. Eodem hoc Anno quinquagesimo quarto supra Millesimum centesimum *Fridericus* in *Ambrosiana* Basilica coronatur. Qua de re *Carolus* in primis *Sigonius* sic habet: *In Mediolanensibus continetur Annalibus, ipsum* (Fridericum) *per Taurinos montes transgressum, accessisse Mediolanum: ibique extra Urbem per Ubertum Archiepiscopum coronatum. Inde tertio Kalendas Decembris Castelleonum progressum, a Laudensibus promissi obsequii jusiurandum exegisse, idque Laudenses, Mediolanensibus conniventibus præstitisse. Gualuaneus* vero *Flamma* primum istum *Friderici* adventum in *Lombardiam*, moxque *Mediolanensem* Coronationem, in Chronico Majori, Cap. 258. in hunc modum recenset: *Interim Gulielmus Marchio Montis-ferrati & Papienses & Cremonenses iverunt in Alamaniam: & Imperatori omnia mala de superbia Mediolanensium dixerunt. Imperator dissimulabat omnia talia verba propter Coronam, quam Civitate Mediolani recipere eum oportebat. Imperator, per Taurinum transiens, Mediolanum pervenit in Millesimo centesimo quinquagesimo quarto; attamen Civitatem intrare non potuit. Archiepiscopus Ubertus de Pirovano, dominandi ambitione succensus, cogitavit privatim cum Imperatore tractare, quomodo posset dominium Comitum Engleriæ* (quam hodie nos communiter *Angleriam* nuncupamus) *de Civitate Mediolani extirpare. Unde convocans Fulchum de Landriano, Andream de Scaccabarotiis, Simonem de Curte, Albertum de Gambaris, dixit Imperatori, quod Comes Gualuaneus de Engleria prohibuerat, ne intraret Civitatem: &, si volebat facere Archiepiscopum Dominum Civitatis, quod illum Comitem traderet in manus ejus. Placuit Imperatori: & Rampinus Sironus, Notarius, scripsit pacta. Et propter istam proditionem finaliter Civitas Mediolani destructa fuit. Tunc extra Civitatem* IN ECCLESIA SANCTI AMBROSII FUIT IMPERATOR PER UBERTUM DE PIROVANO CORONATUS *per manus Comitis Gualuanei.* Hæc alter ille *Gualuaneus*: quocum etiam consentit Auctor Chronici *Flos florum*, fol. 141. pag. 2. & ambo quidem congruenter ad ea, quæ mox *Sigonius*, tamquam ex Annalibus collecta *Mediolanensibus*, paulo strictius narrabat de primo pariter hujus Imperatoris in *Lombardiam* ingressu. Quod vero attinet ad eam proditionem, quæ nostro adscribebatur Archiepiscopo: fides interim penes eundem *Gualuaneum* esto. Nec enim satis ei nos adhuc ipsam credidimus; quinetiam ne fide quidem dignam opinamur; ut infra opportuniore in loco disseremus.

CDXI. Maxima profecto nobis renovatur lætitia, statimque nobis adoratum rursus accurrere videmur, quoties novam cernimus mentionem, qua denuo moneamur, sacrosanctas Patroni ac Tutelaris nostri *Ambrosii* exuvias in hac ipsius Basilica perenniter custoditas extare. Quocirca sic etiam facere non possumus, quin ejusmodi mentionem hisce nostris interseramus Monimentis; quemadmodum & hactenus feci-

fecimus. Hujus ergo generis duæ pariter se nobis in præsens offerunt Commutationes, quas una eademque die hujus Abbas Monasterii hac in Urbe contraxit: & unam quidem cum *Arialdo* quodam, filio Quondam *Oldonis*: alteram vero cum quadam *Farica*, relicta Quondam *Landulfi*, qui fuit dictus *Capellus*. Publica enim harum Commutationum Documenta iisdem prorsus verbis hunc in modum inci-
A.C. 1155. piunt: *Anno Dominicæ Incarnationis Millesimo centesimo quinquagesimo quarto, quinto die Mensis Januarii* (& hinc nos quidem indubitanter dignoscimus, quinquagesimum quintum fuisse Nativitatis Dominicæ Annum, recenter inchoatum) *Indictione Secunda. Commutatio bonæ fidei noscitur esse contractus, & ad invicem emptionis obtinet firmitatem eodemque nexu obligat contrahentes. Placuit itaque, bona convenit voluntate*, INTER DOMNUM JOHANNEM, HUMILEM ABBATEM ECCLESIÆ ET MONASTERII SANCTI AMBROSII, UBI EJUS SANCTUM REQUIESCIT CORPUS, *& quod est constructum foris prope Civitatem Mediolani, ibi astante & confirmante Azone, qui dicitur Grassus, Advocato ejusdem Ecclesiæ & Monasterii: nec non inter &c.* Primæ autem Commutationis Documento sic denique subest: *Ego Martinus, Notarius Sacri Palatii, scripsi.* Secundæ vero: *Ego Musso, Judex ac Missus Domni Regis, interfui, & rogatus scripsi.*

CDXII. *Fridericus* Imperator *Junio* ejusdem Anni mense ab *Hadriano* Papa in Urbe *Roma* coronatur. Qua de re legatur etiam *Baronius* in eundem Annum, Art. 17. De ipsa vero *Gualuaneus* item noster in Chronico Majori, Cap. 260. & 261. agit. *Roma* deinde digressus *Fridericus*, & in *Germaniam* reversus, *Ratisponæ* jam Idibus erat Octobris.

CDXIII. Inde *Sigonius* sub ejusdem Anni finem sic scribit: *Mediolanenses, quantum Friderici in Italiam adventus exterruit, tantum discessio confirmavit. Itaque, illo profecto, ingentem armorum apparatum fecerunt: ac primum Derthonenses, quorum sua causa eversum Oppidum erat, sibi sublevandos: deinde Papienses & Laudenses, qui Fridericum in se accenderant, opprimendos decreverunt.* Quæ quidem sequenti mox
A.C. 1156. Anno re quoque ipsa peregerunt; sicut idem *Sigonius* luculenter prosequitur.

CDXIV. Hoc ipso Anno se novus nobis offert & Abbas & Præpositus *Ambrosianus*, dum sua uterque nomina subscribunt Donationi ab *Oberto* Archiepiscopo factæ Præposito & Fratribus (hoc est, Canonicis) Ecclesiæ Sancti *Eustorgii*: de qua quidem Donatione mentionem postea rursum faciemus. *Actum est hoc* (sic enim archetypum Donationis ejus exemplum concluditur) *Anno Dominicæ Incarnationis Millesimo centesimo quinquagesimo sexto, mense Julii, Indictione quarta.* Mox autem post *Obertum* Archiepiscopum aliosque nonnullos ita etiam legitur subscriptum: ✠ EGO AMIZO, ABBAS SANCTI AMBROSII, SUBSCRIPSI. Deinde vero, post *Johannem* Sancti *Victoris* & *Guillielmum* Sancti *Vincentii* Abbates, sic item: ✠ EGO LANTERIUS, CANONICÆ SANCTI AMBROSII PRÆPOSITUS, SUBSCRIPSI. Ceterum eidem *Amizoni*
A.C. 1157. aliunde scimus cognomentum fuisse *De la Cruce*.

CDXV. *Fridericus* interea vehementer ira incensus, expeditionem contra *Mediolanenses* juravit, & in Annum sequentem indixit; tametsi eam postea distulerit, ut adversus *Polonos* procederet. Inde ve-
A.C. 1158. ro, re bene gesta, cum revertisset; idem *Sigonius* Anno subsequenti sic etiam prosequitur: *Fridericus interim vehementius adversus Mediolanenses incensus, expeditionem Italicam maturavit, ac Mediolanenses internecino persequi bello constituit. Itaque ex Saxonia, ubi Domini Natalitia celebrarat, Ratisponam atque inde Augustam cum venisset; Rinaldum Cancellarium & Otthonem Palatinum in Italiam, ad sacramenta Civitatum de more exigenda, præmisit, &c.* Et rursus aliquanto post: *Interea Fridericus Conventum Augustæ peregerat, atque omnes ad se Germaniæ Principes evocarat, & innumerabiles ex omnibus Regionibus copias accersiverat. Quæ cum mature convenissent; in diversas partes divisas diversis Ducibus ac diversis itineribus in Italiam adducendas attribuit; atque ipse, circa Pentecosten motis castris, prospere superatis Alpibus in campos Italiæ extremo mense Majo descendit. Præcedebat Rex Bohemiæ cum copiis suis &c.* Et paulo post: *Interim advenerunt ex Italia Marchiones Montis-ferrati, Atestis, Salutiarum, Caretti, Malæspinæ, & Capitii: præterea Ferrarienses, Bononienses, Patavini, Veronenses, Vicetini, Tarvisini, Ravennates, Mutinenses, Regienses, Parmenses, Mantuani, Cremonenses, Papienses, Laudenses, Comenses, Novarienses, Vercellenses, Hastenses, Bergomates, Blanderatenses, Etruscique, & Umbri.* Narratis vero, quæ deinceps ante cœptam *Mediolani* obsidionem gesta fuerunt, *Fridericum* tradit cum centum millibus armatorum ad Urbem accessisse, ac castra locavisse, *Mediolanensibus* tacitis super vallum stantibus, ac nihil omnino moventibus. Deinceps autem sicut nobilissima clarissimæ Urbis obsidio in obsessoribus fortissimum ac militaris laudis studiosissimum quemque ad præcipuum decus petendum, & nomen suum insigni aliquo facinore illustrandum, stimulabat; sic etiam obsessi *Mediolanenses*, eodem laudis studio tracti, suam præstare operam Patriæ per omnem occasionem omni ope nitebantur.

CDXVI. Expugnare tandem *Fridericus* Urbem cum decrevisset; ab Arcus *Romani* oppugnatione incœpit. Qualisnam esset hic Arcus, & quemadmodum a *Friderico* fuerit in potestatem redactus: nos quidem non *Tristani Chalci* non *Caroli Sigonii* verbis hoc loco describemus. Hæc siquidem in eorum Historiis, typographiæ beneficio in lucem jam datis, lectitari commodissime possunt. Quo minus igitur obvium est *Gualuanei Flammæ* Chronicon (quippe nonnisi manuscriptum) sic etiam eo curiosius ex ipso depromi a nobis oportet, quæ pariter in rem præsentem ille tradit; præterquam quod ipse aliquid etiam superaddit hujus Basilicæ proprium. Etenim Cap. 270. sic narrat: *Imperator, habito Consilio Principum, dixit Duci Bohemiensi: Si poteris Arcum triumphalem expugnare; ego faciam te ex Duce Regem; & feuda Imperialia, quibus obligaris, relaxabo. Erat autem Arcus triumphalis quædam Turris ex lapidibus vivis, politis opere mirifico: in cujus pede erant quatuor arcus: & erat situata in loco, ubi est Hospitale Leprosorum, ante Portam Romanam. Dux Bohemiæ inanimatus totam suam gentem in quatuor partes divisit. Prima cohors pugnabat contra Arcum triumphalem a prima usque ad nonam: alia cohors a nona usque ad noctem: tertia cohors a sero usque ad noctem mediam: quarta cohors a nocte media usque ad diem. Cumque continuatis bellis nostros Cives usque ad mortem die noctuque expugnaret; Arcum obtinuit; & tota Civitas obriguit.* ET TUNC IMPERATOR IPSUM DUCEM BOHEMIÆ IN REGEM EJUSDEM REGNI CORONAVIT IN ECCLESIA SANCTI AMBROSII EXTRA Civitatem: *& omnia gravia onera, quibus Imperio erat obligatus, relaxavit.* Hæc porro a *Gualuaneo* repetuntur etiam in Manipulo florum, Cap. 189. cum hac tamen exceptione, quod ibi conjiciuntur in Annum *Christi* Millesimum centesimum sexagesimum secundum, quo *Fridericus* postea nostram Urbem, rursus obsessam, demum evertit. Nonnulli tamen alii *Fridericum* tradunt Arcu *Romano* aliter potitum. Nec vero etiam desunt, qui scripserint, eum *Bohemiæ* Ducem prius a *Friderico* creatum fuisse Regem, quam e *Germania* cum ipso ad ejusmodi expeditionem veniret. *Æneas* quidem

dem *Sylvius* (qui postea creatus Pontifex *Romanus* *Pii* Secundi nomen assumpsit, quive jam ante fuerat *Laurentianæ Mediolani* Basilicæ Præpositus) in Historia *Bohemica* Cap. 22. prosequutus, quemadmodum *Uratislaus* Dux ab *Henrico* Imperatore Anno *Christi* Millesimo octogesimo sexto factus fuerit primus *Bohemorum* e Duce Rex: Cap. postea 24. hæc subdit: *Inveni in Historia Bohemorum, post Uratislaum primum Regem pluribus annis interregnum fuisse. Nam Conradum fratrem ejus, ac deinde Uratislai filios, non Regis nomine, sed Ducis tantum usos; tamquam Regni decus homini, non Provinciæ, datum fuisset. Uladislaum vero* (hic nimirum est ille, de quo nobis institutus est sermo) *quarto loco Uratislao natum, a Friderico Primo sibi & posteris regiam dignitatem obtinuisse: &, cum in expugnatione Mediolanensi egregiam operam navasset, Imperatori mirifice gratum, Leonem rubeum bifurcatæ caudæ in clypeo albi coloris Insigne regium accepisse:* CANDELABRUM QUOQUE SALOMONIS (vide, quid hic Auctor insuper addat) EX MEDIOLANO ASPORTATUM, *in Ecclesia Sancti Viti Pragensis recondidisse.* In eandem vero sententiam luculentius aliquanto & expressius hæc ipsa describuntur a *Joanne Dubravio*, *Olomulzensi* Episcopo, in Historia *Bohemica* (aliter *Bojemica*) Libro duodecimo: e cujus narratione nos aliquid infra verbatim proferemus.

CDXVII. Post amissum Arcum *Romanum*, multisque aliis afflictati malis *Mediolanenses* deditionem cum *Friderico* paciscuntur. Inde *Ottho Morena* in sua Rerum *Laudensium* Historia sic scribit: *Mediolanenses itaque videntes, totam eorum terram destrui: scientes etiam, se non posse defendere: timentesque insuper, ne Imperator ab obsidione discederet, donec ipsos caperet; cum ipso Imperatore pepigerunt; ac se in ejus manibus ponentes, ei de suis præceptis observandis plures ducentis obsidibus tradiderunt. Post hæc itaque ab obsidione discedens: ibique de suis relinquens, qui fidelitatem a Mediolanensibus exigerent & reciperent; Modoëtiam perrexit; ibique militibus de Martesana & de Seprio convenientibus, & pactum cum ipso ineuntibus omnibusque sibi fidelitatem facientibus, eos in sua tuitione accepit.* Aliquanto uberius hæc ipsa prosequitur *Sigonius* hoc eodem Anno supra Millesimum centesimum quinquagesimo octavo. Nos tamen inde tantum hæc pauca decerpemus: *Meliorum tamen sententia vicit: ut decreto facto Consules & Principes Civitatis Legati ad Regem Bohemiæ Ducemque Austriæ mitterentur: qui eos, ut a Friderico pacem sibi impetrarent, orarent. Missi Legationem exposuerunt: neque Principes Mediolanensium voluntati aliquid abnuerunt. Fridericus, ut Mediolanenses pacem petere audivit, magnum lætitiæ fructum cepit: & quod Urbem Civibus, Cives Urbi conservare discuperet; Consilio habito, pacem se daturum ostendit; atque has ejus conditiones dixit: Ut Mediolanenses Comum & Laudam restitui paterentur &c. His conditionibus acceptis, Mediolanenses hoc ordine in gratiam a Friderico recepti. Conventu instituto, Civitas duobus agminibus factis supplex ad Fridericum processit, atque ad ejus pedes doloris ac tristitiæ plena procubuit. Primum agmen Clericorum fuit: qui, prælatis Crucibus, pedibus nudis, humili habitu Archiepiscopum sequebantur. Alterum Primorum Civitatis: quos vestibus abjectis, nudis pedibus, strictos super colla ferentes gladios, Consules præcesserunt.* Et paulo post: *Recitatæ inde suprascriptæ conditiones sunt. Quibus acceptis, pax confirmata est, Vexillumque Imperatorium victoriæ argumento in Urbe erectum est* &c. *Is dies sexto Idus Septembris fuit, quo Beatæ Dei Matris celebratur Natalis. Motis inde Mediolano castris, Modoëtiam, sedem olim Italici Regni perrexit, &* CORONAM INDUIT. Hactenus *Sigonius*.

CDXVIII. Tunc igitur *Modoëtiæ Fridericum* Ferreo coronatum Diademate, testis est etiam *Radevicus*, *Frisingensis* Canonicus, & Continuator Historiæ de *Friderici* Rebus ab *Otthone Frisingensi* Episcopo inchoatæ, quinetiam binos usque ad Libros protractæ. Ille siquidem Libro 1. Cap. 44. postquam seriem totius obsidionis ac demum deditionis in proximis Capitibus recensuisset, hæc subdit, quæ per errorem a *Bartholomeo Zucchio* in sui *De Corona Ferrea* Operis ora marginali adscribuntur *Otthoni Frisingensi*: *Princeps Romanus* (Fridericus) *a Mediolano castra movens, apud Modoicum* (nobis Modoëtiam) *sedem Regni Italiæ, coronatur.* Eadem *Sigonius*. *Gualuaneus* autem *Flamma* in Chronico Majori Cap. 268. tamquam e Chronico *Danielis* recitat, Imperatricem ibi quoque *Beatricem* una simul cum *Friderico* fuisse coronatam. Sic itaque *Modoëtiensem Friderici* Coronationem cernimus *Romana* etiam posteriorem fuisse: contra quam scilicet Auctor Chronici *Flos florum*, fol. 141. pag. 2. hisce verbis, ex altero quodam Scriptore desumptis, scribebat: *Fridericus per Archiepiscopum Mediolani extra Civitatem* IN ECCLESIA SANCTI AMBROSII *coronatus est: deinde per ipsum Archiepiscopum fuit coronatus* IN MODOETIA: *postea perrexit* ROMAM, *ubi per Hadrianum Papam fuit coronatus.* Quamquam etiam tacendum nobis non est, quod ipsemet etiam *Gualuaneus* idem prorsus sentit in Exemplari Bibliothecæ *Ambrosianæ*, Cap. 141. Quocirca post victoriam istam de *Mediolanensibus* reportam *Fridericus* etiam fortasse Coronam cum sua Conjuge, tamquam in triumphi potius signum, gestavit *Modoetiæ*; sicut etiam postea *Papiæ* gestavit, posteaquam *Mediolanum* ipsum evertisset; ut suo loco recensebimus. Nec enim uspiam nobis quicquam occursat impedimenti, quo minus ille coronari *Modoetiæ* pariter ab Archiepiscopo potuerit circiter illud ipsum tempus, quo *Mediolani* coronatus indubitanter supponitur.

CDXIX. Anni a Dominica Nativitate Millesimi centesimi quinquagesimi noni mense Januario *Fridericus* binos e suis Proceribus *Mediolanum* mittit Legatos, qui novos ei Consules creent; sed iidem furenter a *Mediolanensibus* repelluntur. A.C. 1159. Hæc *Ottho Morena*, præterea etiam *Radevicus* Lib. 2. Cap. 21. *Sigonius De Regno Italiæ* in hunc ipsum Annum, & alii: præ quibus nobis placet *Tristanum* potius *Chalcum* producere, propterea quod insuper affirmet, eos *Friderici* Legatos in hoc *Ambrosiano* Monasterio hospitatos fuisse. Ipsius verba sunt hujusmodi: *Eodem tempore Mediolanum venere Rainaldus Coloniensis Archiepiscopus & Ottho Comes Palatii. Qui,* HOSPITIUM IN COENOBIO AMBROSIANO HONORIFICE SORTITI, *vocatis Præsidibus Consilii Civitatis, suadere eis nixi sunt, ut ipsi quoque Potestatem Cæsareum, quemadmodum aliæ Urbes fecerant, acciperent. Id vero novum erat, & manifeste contra conventa proximæ pacis apparebat, Quare studiosi libertatis, Actius Bultrasius, Castellinus Ermenulfus, & Martinus Malopera, ingenti animo sese opponentes, multitudini suaserunt, ne omnino huic jugo colla submitterent, manifestæque servituti sese addicerent. Quorum oratione adeo incensi inflammatique sunt odio peregrini Magistratus Civium animi, ut ad ejiciendos ab Urbe Legatos concurrerint, & tumultu ipso illi pene obtriti fuerint. Hi, ad Fridericum reversi, illatam injuriam retulerunt; nec mediocriter conceptam in Mediolanenses indignationem auxerunt.* Eodem vero sic etiam mense Januario *Cremensibus* per Legatos suos imperaverat (*Otthone Morena* nominatim teste) *ut muros & fossata Castri Cremæ ab eo die usque ad Sanctam Mariam, quæ dicitur* CEREALIS, *destruerent. Ipsi vero Cremenses, hoc audientes, & in magnum dedecus accipientes, super ipsos Legatos fortiter irruerunt, & interficere volebant; sed ipsi fugientes, & se abscondentes, vix evadere potuerunt. Quod cum evenisset; valde tristes ad Imperatorem redie-*

redierunt, renunciantes ea, quæ sibi Cremenses fecerant.

CDXX. Iratus inde *Fridericus*, novo adversus *Mediolanenses* destinato bello (sicut in hunc Annum *Sigonius* testatur) *Beatricem conjugem, & Henricum Ducem Bajoariæ, aliosque Principes Germanos, in Italiam novis cum delectibus revocavit. Ipse, arma spectans, Regionem cum paucis perlustrare instituit.* Et aliquanto post: *Interim Mediolanenses, libertatis detrimentum magno dolore ferentes, nihil sibi prætermittendum rati, quod ad eam recuperandam pertineret; bellum omnibus viribus, non tam propulsandum, quam, si fortuna permitteret, inferendum,* IPSO AUCTORE ARCHIEPISCOPO, *decreverunt. Et quod Fridericum haud dubie ad oppugnandam aut obsidendam Urbem rediturum putabant;* SUBURBANA OMNIA ÆDIFICIA, SACRA ÆQUE ATQUE PROFANA, *ne quid afferre aut hostibus utilitatis aut sibi incommodi possent,* DIRUERUNT. *Ea de causa vetustum Monasterium & Sanctorum multorum Reliquiis augustissimum* SANCTI EUSTORGII *everterunt a fundamentis: &, quidquid in eo sacrati erat, transtulerunt in Urbem. In primis autem* TRIUM MAGORUM CORPORA, *qui ad Christum infantem adorandum & mysticis muneribus colendum venerant,* SUNT INVENTA. *Hæc olim in adito Templi ejus recondita ipsorum quoque Aedituorum notionem fugiebant. Verum manifestis tam indiciis patefacta: quibus declarabatur, Viros eos, adorato Salvatore puero, in Regionem suam reversos, illi in Crucem acto supervixisse: & ab Apostolis sacro Fonte ablutos, inde ad eum, quem in cunabulis honoraverant, ad dextram Patris sedentem, vita functos migrasse. Erant autem Corpora ossibus & nervis compacta, & cute adhuc arida convestita: vi, ut existimatum est, balsami, quo Gentilium more fuerint delibuta. Sed circulus aureus ea ambiebat, & inter se constricta tenebat; ut Gulielmus Neubrigensis, eorum temporum æqualis, memoriæ prodidit.* Talia utique *Sigonius* ex hoc Auctore: nimirum Libro Secundo Rerum *Anglicarum*, Cap. 8. quidem natum se scribit Anno Domini Millesimo centesimo trigesimo quinto: & ab hoc ipso Anno copiose describit Historiam Gentis suæ usque ad Millesimum centesimum nonagesimum septimum; sicut in Libro *De Scriptoribus Ecclesiasticis* observavit etiam eruditissimus æternaque dignus memoria Cardinalis *Bellarminus.* Sed hæc saltem ipsiusmet *Neubrigensis* verba ex ejusmodi narratione nos quidem proferamus: nec eadem Lector attente perlegere gravetur: *Cumque* SUBURBANA (Mediolanenses) DEMOLIRENTUR ATQUE DIRUERENT, *ne tam obsessis nociva quam obsidentibus usui forent; ea de re Monasterium quoque antiquum & nobile, & Sanctorum insigne Reliquiis, extra mœnia destruentes, quidquid in eo sacrum reverendumque inventum est, in Urbem transtulerunt:* TRIUM PRÆCIPUE MAGORUM CORPORA: *qui Salvatoris infantiam mysticis honorando muneribus facti sunt ex Gentibus primitiæ Deo & Agno. Et quidem Thesaurus iste olim in ejusdem Ecclesiæ secreto repositus* IPSOS QUOQUE MONACHOS CLERICOSQUE IBIDEM MINISTRANTES *latebat. Sed cum usque ad fundamentum destrueretur ipsa Ecclesia, repertus & revelatus est cum manifestis indiciis* &c. Et paulo post: *Nec notum est, a quibus personis sacræ illorum Reliquiæ illuc delatæ, ibique repositæ fuerint.* Et hæc nobis e *Neubrigensi* verbatim recitasse sufficiat. In quibus tamen aliqua extant, quæ satis adhuc nobis nota non sunt, vel etiam nullatenus probantur.

CDXXI. Quod enim *Mediolanenses* tunc ignorasse dicebantur, an sacra ibi Magorum Corpora & ubinam extarent, itemque an illuc a Sancto *Eustorgio* Archiepiscopo e *Constantinopoli* fuissent olim al-

A lata: hæc profecto nobis dura creditu videntur; cum præsertim tantæ molis esset, quantam hodieque illic ad veterem ipsorum Regum Cappellam conspicimus, necnon etiam ex humo muroque superstructo promineret, lapidea illa Arca, in qua necesse est ut deprehensa eadem Corpora concedantur; cumque præterea translationem illam passim ab Historicis non alteri, quam ei Præsuli nostro, adscriptam legamus. Sic etiam ne illud quidem ita facile credimus, quod addebatur: sacram illam *Eustorgii* Ædem tunc ab imis destructam fundamentis fuisse. Nihil enim tale Scriptores nostri tradunt; tametsi nonnulli etiam scribant, eadem Corpora in Urbem

B translata, Turrique campanaria Sancti *Georgii* AD PALATIUM inclusa fuisse. Sic enim e Chronico *Leonis* expresse testatur *Gualuaneus Flamma* in Chronico Majori Cap. 266. & 289. idemque traditioni Majorum apud nos in hanc usque diem creditur. Bene vero se res habet, quod *Neubrigensis*, & *Sigonius Eustorgianam* tunc Ædem inde inferebant hoc tempore dirutam fuisse; quia *Mediolanenses* (ut expressius loquitur *Sigonius*) SUBURBANA OMNIA ÆDIFICIA, SACRA ÆQUE ATQUE PROFANA, diruerint; *ne quid afferre aut hostibus utilitatis aut sibi incommodi possent.* Atqui falsum est istud. Quidni ergo & illud? Certe quidem *Morena*,

C de prima *Mediolani* obsidione loquens, sic scribit: *Postea sequenti die Mercurii, quæ fuit Anno Millesimo centesimo quinquagesimo octavo, Indictione sexta, & quæ fuit tunc sexta die mensis Augusti, equitavit Dominus Fredericus Imperator una cum Rege Bohemiæ, & Cremonensibus, atque Papiensibus, necnon & Laudensibus, aliorumque Principum maxima multitudine, ac super Mediolanum castrametatus fuit. Itaque ipso die Mercurii ipsemet Dominus Imperator* APUD ECCLESIAM, QUÆ DICITUR OMNES SANCTI, *quæ est Ecclesia Templi, & extat ipsa Ecclesia in capite Brolii, juxta ipsum Brolium: Rex vero Bohemiæ* INTRA MONASTERIUM SAN-

D CTI DIONYSII HOSPITATUS EST: *cæteri autem Principes* AB IPSO SANCTO DIONYSIO *usque ad Pusterlam Sanctæ Euphemiæ juxta Mediolanum hospitati sunt.* Postea vero, ad Annum *Christi* Millesimum centesimum sexagesimum primum, de hac secunda obsidione sic etiam rursus scriptum videmus: *Imperator itaque die Lunæ, quæ fuit tertio Calendas sequentis mensis Junii, in festo Sancti Maximi, cum dictis Principibus & maxima quantitate Lombardorum, supra Mediolanum tendit, ad eorum segetes devastandas. Et devastaverunt ipsas segetes* USQUE AD SANCTUM CAREMOLUM (sive, sicuti nos e po-

E pulari etiamnum Sancti ejus vocabulo interpretamur, CALIMERIUM, cujus Ecclesia intra suburbium Portæ *Romanæ* sita est) ET AD ECCLESIAM OMNIUM SANCTORUM, *quæ est in capiti Brolii,* ET ECCLESIAM SANCTI BARNABÆ, ET MONASTERIUM SANCTI DIONYSII: *fixeruntque Castra ea die a Cassina Guazinæ de Aliete usque Morsengiam: ibique per biduum stantes, omnes segetes ac partem Mediolani devastaverunt. In sequenti vero die Mercurii castrametantes,* AD SANCTUM DIONYSIUM HOSPITATI SUNT. Ecce igitur, quemadmodum stabant adhuc omnes istæ sacræ Ædes; & eæ tamen suburba-

F næ erant. Non igitur omnes suburbanas, tam sacras quam profanas, demoliti jam fuerant *Mediolanenses*, antequam secunda vice ab Imperatore obsiderentur. Quid igitur vetat, quominus incolumia pariter a *Mediolanensibus* adhuc conservata censeamus reliqua item suburbana Monasteria, Sancti *Simpliciani*, Sancti *Victoris*, Sancti *Vincentii*, Sancti *Celsi*? quorum mentio Monumentis etiam hisce nostris aliquando semet obiter adhuc immiscuit.

Non igitur abs re fuerit hoc idem credere de suburbana Sancti *Eustorgii* Basilica; tametsi vel etiam inde Corpora trium Magorum *Mediolanenses* in Urbem adsportarint. Quod si verum est; ob eam fortasse causam id egerunt; quia regias præsertim ejusmodi Reliquias sibimet a *Germanis*, penes quos *Italiæ* Regnum & Imperium erat, invideri præsensissent. Alioqui enim cetera quoque Sanctorum Corpora, quorum dives erat non modo Basilica illa, sed etiam ceteræ Monasteriorum illorum Basilicæ, quidni pariter intra Urbis mœnia comportassent? id quod tamen a nullo Scriptorum affirmatur. Sed ne placere quidem nobis hactenus potuit Monasterii nomen, quod *Neubrigensis* & *Sigonius* Ædi adscribebant *Eustorgianæ*; sive quia Monachi soli, sive quia saltem una cum Clericis, nempe Sæcularibus (ut *Neubrigensis* indicabat) ibidem ministrarent. Relegatur in primis *Ariberti Mediolanensis* Archiepiscopi Testamentum, Num. 224. & Anno *Christi* Millesimo trigesimo quarto verbatim a nobis recitatum. Ibi profecto ea Sancti *Eustorgii* Ecclesia, non Monachorum (sive soli, sive etiam una simul cum Sæculari Clero ibi essent, quemadmodum tunc temporis in hac erant *Ambrosiana* Basilica) sed Sæcularis Cleri Ecclesiis connumerata recognoscetur. Idipsum etiam constat ex ea *Oberti* Archiepiscopi Donatione, cujus mentionem faciebamus Num. 414. Annoque *Christi* quinquagesimo sexto supra centesimum Millesimum: qua ille *Guifredo* ejusdem Sancti *Eustorgii* Ecclesiæ Præposito, ejusque Fratribus (hoc est, Canonicis) jure perpetuo donando concessit, & concedendo donavit ordinationem, dispositionem, regimen, dominium & investituram superstantiæ ipsorum Ecclesiæ: *cui auctore Domino præesse dignoscerit*; sic enim Præpositum etiam ipsum singillatim *Obertus* alloquitur. Præterea vero ejusdem quoque rei documento esse potest authentica pariter ejusdem *Oberti* Sententia super quadam controversia, inter ejus Ecclesiæ Præpositum & Præpositum Ecclesiæ Sancti *Laurentii* (cujus item in Archivo ea, sicut & superior Donatio, conservatur) agitata. Cujus in extremo ante subscriptiones sic legitur: *Data est hæc Sententia in Palatio Mediolanensi Anno Dominicæ Incarnationis Millesimo centesimo quinquagesimo secundo, mense Januarii, Indictione quinta decima.* Sed & *Eustorgianam* ejusmodi Ecclesiam non alii, quam Præpositus & quatuor Canonici, tunc temporis obtinebant, quando, ipsis denique *Laurentianæ* Basilicæ aggregatis, ea fuit Fratribus Ordinis Prædicatorum (a quibus in hanc usque diem retinetur) attributa. Sic enim *Tristanus* etiam *Chalcus* observavit in Annum *Christi* Millesimum ducentesimum decimum octavum; præterquam quod sic etiam nos ipsi publicis e Tabulis, super ea translatione confectis, & in Archivo similiter *Laurentiano* asservatis, didicimus. Quocirca cursim etiam & obiter hoc loco refellimus *Erhardi Vuinheim* errorem. In suo namque Libro, *Sacrarium Agrippinæ* inscripto, de Cathedrali Ecclesia, deque trium jam in ea Magorum Corporibus, olim a Sancto *Eustorgio* e *Constantinopoli Mediolanum* translatis, loquens, sic inquit: *Ea ibidem in Ecclesia Monialium Ordinis Sancti Dominici reverenter collocavit.* Quasi vero vel Sancti *Eustorgii* tempore Moniales hujus Ordinis in Orbe extiterint: vel eis saltem post ejusdem Ordinis originem tradita unquam fuerit ejusmodi Ecclesia: quod utrumque falso falsius esse, quis nostrum ignorat?

CCCCXXII. Expedit autem hoc item loco ea recitare, quæ de tribus hisce Magorum Corporibus a Sancto *Eustorgio Mediolanum* asportatis *Boninus* scribit *Mombritius*, qua Sanctuarii sui Parte Vitam ejusdem Sancti Archiepiscopi describit. Postquam enim veniam ille *Constantinopoli* ab Imperatore sibi

A opportunam obtinuisset: *Confortatus itaque* (verba sunt Mombritii) *& discedens Eustorgius, præelegit Arcam marmoream sanctam & sacratissimam, Sanctorum trium Magorum & Regum Corpora continentem, accipere: qui tria munera, aurum thus & mirrham, nato in terris Dei Filio Christo Domino obtulerunt. Quæ siquidem de diversis terrarum partibus olim a Beata Regina Helena, genitrice Constantini Imperatoris, in unum studiose collecta sunt, & in eadem Arca cum devotione recondita. Hanc autem superelevatam divino auxilio, comitiva adjutus, tanto proficiscens itinere, terra marique, multisque laborans vigiliis & orationibus, fidei plenus, ad memoratam Urbem* (Mediolanum) *usque deduxit.* B *Itaque in celebri loco*, UBI IN DIEBUS SUIS IN HONORE DEI ET IPSORUM HONORABILIS EST FABRICATA ECCLESIA, *eandem Arcam cum Sanctorum trium Regum Corporibus honestissime collocavit. Ubi videlicet est Fons celeber & sanctissimus* (etiam in præsens SANCTI BARNABÆ FONS appellatur) *in quo baptizabantur Sancti ad Christi Fidem venientes. Cujus aqua salubris, pro meritis in ea baptizatorum & magna fide credentium, tantam fertur olim divinitus accepisse virtutem, ut nonnulli febricitantes, cum ex ea biberent, a suis cito liberarentur febribus, & pristinam reciperent sanitatem. Illic vero sancta illa Arca composita,* C SANCTI REGES *simul, major medius & minor, quorum nomina Gaspar Balthasar & Melchior,* MEDIOLANI DIE NOCTUQUE VENERARI ET GLORIFICARI ET DIGNE LAUDARI SOLEBANT; *per totius utique Mundi Christianum cultum ab omnibus honorandi & devotissime venerandi; quos misericors Deus infundendo lumen splendidum ineffabiliter ut primitias Gentium illustravit, & ab æterno dilexit. Cum tantis igitur sanctarum Reliquiarum thesauris, tantaque hujus insignis miraculi gloria, Electus Dei Eustorgius in suæ promotionis introitu Mediolanum profectus est.* Et hæc quidem *Mombritius*. De quibus legi etiam possunt non modo nostrorum Archiepiscoporum Catalogi, sed etiam D Sanctus *Antoninus* Parte Chronicorum Secunda, Tit. 16. Cap. 9. *Petrus Natalis* in Catalogo Sanctorum, Lib. 4. Cap. 46. *Hilarion* Monachus *Mediolanensis* in Supplemento Legendarii Sanctorum *Jacobi de Voragine*, scilicet in Vita Sancti *Eustorgii*: *Petrus Galesinius* in suis Notationibus ad Martyrologium, sub octavo Idus Januarii: quinetiam *Ægidius* Aureæ Vallis Religiosus in Gestis Pontificum *Leodiensium* Cap. 45. apud *Joannem Chapeavillam* De ipsorum Gestis Tomo Secundo. Qui tamen *Ægidius* in eo nonnihil fallitur, quod addit: *Porro Arca ipsa posita fuit* IN ECCLESIA BEATI PETRI APOSTOLORUM PRINCIPIS (hoc utique jam constat esse falsum) *prope Civitatem* E *Mediolanensem: quæ postea in honorem Sancti Eustorgii consecrata est: & in eadem jacuerunt cum iisdem* SANCTI FÆLIX ET NABOR (& hoc item falsum) MARTYRES: *item Sancti Eustorgius, Magnus, Beatus Eugenius, & Victor.* Ille scilicet *Victor* (sicut etiam Scriptores nostri tradunt) qui Sanctæ *Coronæ* connumeratur, & quorum mentio junctim habetur in Martyrologio *Romano* die Maji decima quarta. Certe quidem citra omnem apud nos controversiam Sancti *Nabor* & *Felix* Martyres non ibi unquam jacuerunt, sed in Basilica *Philippi*: F quæ postmodum propter eorundem Martyrum Corpora, per Sanctam *Savinam Laudensem* Matronam illuc translata (sicut etiam paucis ab hinc annis late prosecutus est in eorum trium Vita *Gaspar Trissinus* e Somaschensi Congregatione) ipsorum etiam nomen obtinuit: quæve post *Franciscanos* Fratres ibi collocatos decursu temporis *Franciscana* demum Ecclesia vocitata fuit, & in hodiernum usque diem voci-

vocitatur. Ibidem vero illos adhuc jacere: ipsismet profecto Fratribus æditituis indubitatum hæret, neque nos quicquam discrepamus. Dubitandi tamen occasionem aliunde datam prosequemur infra.

CCCCXXIII. Eodem hoc Anno, post Dominicæ Resurrectionis Pascha die primo Dominico *Mediolanenses* Castrum *Trecii* armata manu sibi e manibus *Fridericianorum* recuperant: ingentique pecuniæ summa, quam *Fridericus* illuc contraxerat, potiuntur. Pluries vero deinceps tam hoc Anno quam sequenti *Laudensibus* arma intulerunt. Et hæc satis ex *Otthonis Morenæ* Historia dignosci possunt.

CCCCXXIV. Calendis interea Septembribus ejusdem Anni Millesimi centesimi quinquagesimi noni moritur *Hadrianus* Papa: eique mox legitime substituitur *Alexander* hujus nominis Tertius; ex adverso autem subintruditur *Octavianus* Presbyter Cardinalis Tituli Sanctæ *Cæciliæ*, novoque *Victoris* (sive Tertii, sive Quarti, variant enim Scriptores) nomine insignitur. Perniciosissimum ergo Schisma inde obortum, diuque propagatum, auctore præsertim *Friderico* Imperatore, *Victoris* intrusi & schismatici partes tuente. Præ ceteris hac de re Scriptoribus legi potest *Baronius* in hunc ipsum Annum, Artic. 28. multisque aliis deinceps. Ibi vero ex Codice Vaticano ille profert ejusdem *Alexandri* Papæ Acta, per ejus temporis Auctorem satis fideliter conscripta, quæ hunc in modum incipiunt: *Alexander Tertius, natione Tuscus, patria Senensis, ex patre Rainutio, qui antea dictus fuit Rolandus, Presbyter Cardinalis Tituli Sancti Marci, & Apostolicæ Sedis Cancellarius, sedit annos decem & octo.* QUI CUM ESSET IN ECCLESIA PISANA CANONICUS, CLERICUS MAGNI NOMINIS, *& charus haberetur ab omnibus, ad hanc Sanctam Romanam Ecclesiam a Beato Eugenio* (Papa nimirum, & ex Ordine *Cisterciensi*, uti jam diximus) *est vocatus.* *Pisanus* ergo Canonicus ille fuerat. Hoc utique concedit etiam eruditissimus *Chrysostomus Henriquez* in suis ad Menologium *Cisterciense* Notationibus, in diem Augusti vigesimam septimam. Sed enim postea illum asserit, variisque probat Monumentis antiquis, factum fuisse *Cisterciensem* Monachum: *non quidem* (inquit ipse) *in Cœnobio Claraevallis, quod in Gallia situm est, & cui præerat Sanctus Pater Bernardus*; SED IN MONASTERIO CLARÆVALLIS IN LOMBARDIA, PROPE MEDIOLANUM CONSTRUCTO. Quod quidem nos jam supra diximus appellatum primitus fuisse CHARÆVALLIS MONASTERIUM. Tantus igitur Pontifex, de hoc *Ambrosiano* ceteroqui Monasterio nostrisque *Mediolanensibus* benemerentissimus, ad hæc nostra Monumenta eo quoque peculiariter titulo pertinebit, quod in ejusmodi Monasterio Monachus vixerit. Menologium eo loci de ipso sic habet: *Romæ depositio Sanctissimi Patris nostri Alexandri Tertii, Pontificis Maximi. Qui in Ordine Cisterciensi; quem amplexus fuit, sanctis se operibus exercens, ad magnam perfectionem devenit: & ex eo ad majores dignitates evectus, ac tandem summi Pastoratus apicem consecutus, præclara sanctitatis & humilitatis exempla dedit. Cujus post obitum gloria divinitus cuidam Christi Famulo fuit revelata.* Et hæc quidem ipsius præconia mox in Annotationibus abunde comprobantur.

CCCCXXV. *Crema*, post diuturnam gravemque oppugnationem fortiter toleratam, *Friderico* tandem se tradit in potestatem, ab eoque direptioni data e-
A.C. 1160. vertitur Anno *Christi* Millesimo centesimo sexagesimo, mense Januario. Nec multo post ab eodem Conciliabulum in Urbe *Papia* congregatur in id, ut decernatur, uter Electorum ad Sedem Apostolicam censendus sit legitimus Pontifex. Ambo fuerant huc vocati; sed solus affuit *Victor* Antipapa, Imperatoris ejusque asseclarum favore fretus; idem-

A que demum ab universo Conciliabulo acclamatus ac denunciatus fuit legitimus Sancti *Petri* Successor; in *Alexandrum* vero, tamquam in schismaticum & *Deo* rebellem, generali decreto sententiam tulerunt. De quo quidem Conciliabulo legi possunt *Morena* in Historia *Laudensi*, *Radevicus* Lib. 2. Cap. 54. & deinceps, *Gulielmus Neubrigensis* Lib. 2. Cap. 9. *Carolus Sigonius* & Cardinalis *Baronius* in hunc ipsum Annum & in præteritum. Exinde mox *Sigonius* in præsentem Annum hæc subdit: *His igitur cognitis, Alexander Anagniæ sacra detestatione Victorem & Fridericum execratus, litteras & ipse ad Principes & Ci-
B vitates dedit: ac, quibus rationibus id fecisset, exposuit: simulque, ut se causamque suam susciperent, obsecravit: & ad id Episcoporum Concilium suorum indixit: præcipue vero ad Mediolanenses Joannem Anagninum Cardinalem legavit. Is fœdere cum Mediolanensibus icto, quinto Kalendas Aprilis suggestum Majoris Ædis ascendit: ac, Concione advocata, Victorem, Fridericum, quique sectam eorum sequerentur, Cremonensem, Laudensem, Comensem, Papiensem & Mantuanum Episcopos, Sacris abdicatos pronunciavit: ac Civitates Cremonam, Papiam, Laudem, Comum, Novariam, Vercellas, Marchionem Montis-ferrati, Comites Blanderati, Seprii & Marthesii, Sacris arcuit: & Archiepiscopum
C ac Consules Mediolanenses sacramento fidelitatis obstrinxit. Quibus rebus ingens iterum vulnus Ecclesia Dei accepit: bellumque novum inter Pontificatum Imperiumque susceptum, quo Civitates Italiæ, in primisque Lombardiæ, in diversas partes diductæ, parvis inter se certaminibus initis, ad extremum prope exitium sunt redactæ. Hujus autem belli principes fuere Mediolanenses: qui, cum veteribus odiis, tum recentibus Alexandri adversus Fridericum & socios ejus execrationibus incitati, bellum ardentiore animo gerere perrexerunt.* &c.

CCCCXXVI. Circa initium porro mensis Junii *Fridericus*, eodem teste Morena, *cum Cremonensibus & Papiensibus aliisque Civitatibus Lombardiæ ad Co-
D mitatum Mediolanensem devastandum perrexit: & ibi multa devastavit.* Quod vero *Mediolanensibus* nostris perniciosius accidit, tertia deinde pars Urbis fortuito incendio conflagravit. *Ipso quoque die* (Sancti *Bartholomæi* Apostoli, ut idem inquit Morena) *maximum detrimentum accidit Mediolanensibus, & maxime illis de Porta Romana, scilicet quod* BENE TERTIA PARS MEDIOLANI TOTIUS COMBUSTA EST: *nec fuit aliqua Porta in toto Mediolano, quæ ex aliquo latere non combureretur. Et, magna aura tunc ventilante, multæ domus optimæ, in quibus valde confidebant, combustæ sunt. Et idcirco ad inopiam & summam necessitatem pervenerunt, amissis in igne omni-
E bus victualibus, tam hominum quam jumentorum, & vestibus.* Ejusdem incendii meminit etiam *Sigonius*, & alii.

CCCXXVII. *Interea* (narrat idem *Sigonius* in Annum *Christi* Millesimum centesimum sexagesimum A.C.
primum) *Germani Principes, qui post Conventum Pa-* 1161.
*piensem a Friderico dimissi fuerant, sive ab eo acciti, sive vicem ejus soliciti, cum maximis in Italiam auxiliis redierunt. Quorum adventu Fridericus erectus, ac simul promptis Italicarum Civitatum, quæ in fide erant, auxiliis nixus; quod adhuc facere prætermiserat, Urbem ipsam Mediolani sibi tentandam decrevit; ratus, dum ea Urbs incolumis staret, se haud quaquam quie-
F tam Italiam habiturum. Atque ita, rebus omnibus necessariis apparatis, quarto Kalendas Junii cum universo exercitu in Agrum Mediolanensem procedit; ac segetes vineasque toto late percursu Agro corrumpit. Inde, castris propius Urbem admotis, in multas partes copias dividit, atque Urbem undique septam intentiore cura obsidere instituit:* Et paulo post: *Clausa undique Urbe, omnium rerum pretiis auctis, magna Civitatem caritas primum, deinde impedita cibariorum invectione inopia cepit.* Nec multo post: *Fridericus*

interea, Agro ad quindecim millia passuum circumquaque vastato, Germanos in suburbana divisit: ac Cremonenses & Papienses in Civitates suas dimisit. Ipseque cum ala equitum Laudem se recepit, quo Victor cum aliquot Cardinalibus decimo quinto Kalendas Junii venerat. Perlegi vero eadem quoque possunt apud *Morenam*: e quo nobis in præsenti lubet eos tantum nominare Principes, qui recenter in *Friderici* auxilium e *Germania* venerunt. *Interim* (narrat ille) *Gens Theutonica maxime fremens, quod Imperator adeo cum paucis Theutonicis relictus erat in Lombardia, quod plenarie non valebat expugnare Mediolanum; ad ejus auxilium obnixe se præparavit. Inter quos fuit Lantgravius, cognatus Imperatoris: & Conradus Comes Palatinus de Rheno, frater Imperatoris: atque Fredericus, frater Regis Conradi, qui fuit patruus Imperatoris: Dux de Rotemburgo, qui duxerat secum ultra sexcentum milites bene armatos. Raynaldus quoque Cancellarius, & tunc electus Archiepiscopus Coloniæ, duxit secum ultra quingentos milites. Filius quoque Regis Bohemiæ una cum Duce Bohemiæ patruo suo ultra tercentos equites secum duxit. Alii etiam multi Episcopi, Marchiones, Comites, & alii Nobiles, in Lombardiam ad Imperatoris auxilium venerunt.*

CCCCXXVIII. *Victore* Antipapa cum aliquot Cardinalibus itemque Imperatore *Laudam* profectis; *Ibi* (subdit idem *Sigonius*) *Conventu altero Episcoporum atque Abbatum habito, iterum ex eorum sententia Victorem verum justumque Pontificem esse pronunciavit; & Archiepiscopum cum Consulibus Mediolanensibus, & fautores eorum, Episcopos Placentinum Brixianumque cum Consulibus, a Sacris amovendos curavit.* In hoc autem Conventu recitatæ fuerunt excusatoriæ litteræ Regis etiam *Bohemiæ*, tamquam absentis, moramque suo in Regno trahentis. Hoc enim *Morena* & *Chalcus* testantur.

CCCCXXIX. Ineunte Augusto Imperator obsidione rursus *Mediolanum* premere aggreditur: omnique contendit ope, ne commeatus in Urbem importentur. Quocirca *Mediolanenses*, fame jam urgente permoti, Legatum miserunt ad Lantgravium, & ad Ducem *Bohemiæ*, atque ad *Palatinum* Comitem ac fratrem Imperatoris: qui eis denunciaret, *Mediolani* Consules velle cum ipsis Principibus colloquium de pace habere. Jamque securi etiam fide accepta ibant, cum a militibus *Raynaldi Coloniensis* Archiepiscopi electi intercipiuntur, nec ad propositum cum ipsis colloquium perveniunt. *Morena* nobis & *Sigonius* hæc ipsa, sicut & alia subinde multa, testabantur. Iidem pariter nobis edisserent supplicium, quo *Brixiani* ac *Placentini* puniebantur, quandocumque deprehenderentur ad Urbem nostram cibaria deferentes; vel etiam nostri, ex Urbe ipsa lignatum egressi. Præcisis namque manibus, aut effossis oculis, aut truncatis naribus, domum quisque suam dimittebantur; ut hac supplicii fœditate ceteri quoque ab ejusmodi conatu absterrerentur. Nonnullos etiam, die noctuque imbribus objectos, ac frigore maceratos, ad paciscendam pro redemptione pecuniam compellebant, quantamcumque vellent.

A.C. CCCCXXX. *Ineunte inde Januario* (Millesimi
1162. scilicet centesimi sexagesimi secundi Anni: verbaque sunt ejusdem Sigonii) *cum nulla ex parte res ad victum necessariæ acri diligentia hostium supportari Mediolanum possent; eo inopiæ necessitatisque redacti sunt, ut canes equosque comederent. Qua de re graves in Urbe tumultus atque acerba passim jurgia audiebantur; cum alter alterum, omnes vero Archiepiscopum increparent; quasi ille aut bello temere tanto causam dedisset, aut paci moram atque impedimentum afferret.* QUA RE AUDITA PERMOTUS ARCHIEPISCOPUS, AD ALEXANDRUM GENUAM SE RECEPIT. Illuc enim *Alexander* jam pervenerat festo Sanctæ *Agnetis* die mensis Januarii vigesimo primo;

A sicut ex ejusdem Papæ Actis constat apud *Baronium*, in præsentem Annum, Artic. 2.

CCCCXXXI. Cum ipsomet autem *Oberto* Archiepiscopo erat etiam Sanctus *Galdinus*, aliique nonnulli. Quocirca in ejusdem Sancti Vita cum apud *Mombritium*, tum apud *Hilarionem* Monachum *Mediolanensem* in superioribus nominatum, hæc leguntur: *Beatus Galdinus, Mediolanensis Civis egregius, nobilium Valvassorum de Sala stirpe progenitus, sacris ab infantia litteris eruditus, Mediolanensis primo Ecclesiæ Archidiaconus, necnon & Cancellarius, ordinatus est. Postea vero tempore schismatis, sub Alexan-*

B *dro Tertio & Frederico Imperatore facti*, CUM SUO PRÆDECESSORE (*Oberto* Archiepiscopo) AC ALIIS QUIBUSDAM URBEM SUAM RELINQUENS, AB EODEM ALEXANDRO, SCHISMATIS RABIEM SIMILITER FUGIENTE, GRATANTER ET OFFICIOSISSIME SUSCEPTUS EST. Sed hinc præmature ad proxima progrediamur (obsecro) verba, quibus ipsemet *Oberti* narratur interitus. Hac enim prima data occasione facere non possumus, quin quanto fieri potest efficacius, tantum Archiepiscopum ab ea vendicare conemur proditionis nota, quam Num. 410. ex opinione quorumdam innuebamus. Ea verò verba sic se habent: *Exilium igitur Beatus Galdinus &*

C *labores non modicos* SUO CUM PONTIFICE *præfatoque Papa ac aliis quibusdam pariter perpessus: cum per quadriennium circiter in Gallicana exulassent Ecclesia; demum navigio Palermum, postea Beneventum pervenerunt. Non autem multum post temporis a præfato Summo Pontifice Romam evocatus; ibi suis suffragantibus meritis, Sanctæ Sabinæ Cardinalis Presbyter ordinatur. Cumque ibi aliquantulum moraretur; contigit*, UT UBERTUS MEDIOLANENSIS EPISCOPUS, PRÆDECESSOR SUUS, AD DOMINUM IN PACE MIGRARET; OMNIBUS RELINQUENS EXEMPLUM, PRO

D FIDE ET UNITATE ECCLESIÆ SE MORTI AC PERICULIS DARE, AC PRO DOMINO CADUCAM HANC ET MORTALEM VITAM PONERE. *Beatus itaque Galdinus*, TANTO PATRE ORBATUS, TANTOQUE DESTITUTUS SOLATIO. *multas* PRO CHARISSIMO PATRE ET DOMINO *lachrymas fudit*: Etc. Tam *Obertum* igitur quam *Galdinum* eadem pariter impulit causa, ut ab Urbe sua profugi sese *Genuam* reciperent, totumque illud temporis spatium procul a Patria velut in exilio transigerent. Certe autem *Galdino Ambrosiana* etiam Ecclesia in ejus Missa non aliam adscribit causam, quam Dei

E gratiam, quam zelum Fidei *Catholicæ*, quam Ecclesiasticæ defensionem unitatis. *Deus* (inquit in Oratione super Sindonem) *qui Beato Galdino tantam fidei constantiam contulisti, ut peregrinari potius elegerit, quam Schismaticis, hostibus Ecclesiasticæ unitatis, consentire*, &c. Et in Præfatione item: *Hic namque ardens zelator Fidei adeo extitit, & pugil Ecclesiasticæ unitatis; ut, Patriæ relictis liminibus, maluerit exul vivere; quam Schismaticis, inconsutilem Domini tunicam scindentibus, obedire.* Tanta igitur sic etiam procul a nobis absit perversitas, ut aliam fugiendi exulandique causam *Oberto* ipsi Archiepiscopo, quem *Galdinus* sequebatur, affingamus, vel ab aliis temere affictam comprobemus.

F CCCCXXXII. Ceterum, *Sigonio* teste, *Obertus* *Genuam* confugit, priusquam *Mediolanenses* ad *Fridericum* rursus Legatos pro pace ac deditione mitti decernerent. Nec ultra profecto cunctandum ei erat; si Schismatis ac Schismaticorum rabiem fugere vellet. Cujus etiam tunc fugæ indicio illud esse potest; quoniam in præsenti, quam mox dicemus, deditione nunquam *Obertus* coram Imperatore (quippe jam vere schismatico justeque execrato) comparuerit una cum

cum aliis Proceribus deditiis: quorum tamen primus, comitante Clero, ipse fuerat in superiori deditione, quam Num. 417. Annoque *Christi* quinquagesimo octavo supra Millesimum centesimum e *Sigonio* pariter describebamus. *Tristano* autem *Chalco* fugisse videtur post pauculos inde dies, dum Legati ab Imperatore missi jusjurandum jam viritim ab universo Populo exigerent: quod nimirum exegerunt decem circiter ante dies, quam *Ænobarbus*, *Papia* veniens, victor ac mox eversor *Mediolanum* ingrederetur. Socios autem *Oberti* fuisse *Tristanus* asserit, non modo *Galdinum* (quem ipse CALDINUM perperam nominat) Archidiaconum, sed etiam *Milonem Cardanum* ejusdem Basilicæ Metropolitanæ Archipresbyterum & *Algisium Piroveneum* Cimiliarcham: quos itidem quatuor jam supra dixerat exercitui præfuisse, cum *Carcani* Castrum denique fuisset a *Mediolanensibus* obsessum. Tunc ergo isti (sicut loquitur Tristanus) *seu manifestam Patriæ desolationem ruinamque imminentem cernentes, seu iratiorem sibi fore Cæsarem ominati, Urbe cedunt: seque Genuam, quo superioribus mensibus adnavigasse Alexandrum constabat, conferunt: seque unam cum eo fortunam habituros ostendunt.* Longe vero aliter *Gualuaneus Flamma* in Chronico Majori. Etenim Cap. 277. sic scribit: *Comes Gualuagnus Engleriæ, Dominus Civitatis, convocatis duodecim Consulibus, & Credentiæ* (publici Magistratus hoc erat nomen) *Judicibus*, *ait: Ego habeo plusquam quinque millia modia bladi: & sum paratus ponere in Verzario die crastino. Et fecit impleri plusquam mille saccos de sabulo, & ad Verzarium portari. Custodes Imperatoris, qui erant supra Arcum triumphalem* (scilicet *Romanum*, de quo jam supra diximus) *ut viderunt Mercatum blado, ovis, pullis & leguminibus plenum, dixerunt: O Domine, tota Civitas plena est blado. Imperator stupefactus Arcum conscendit: & videns victualium copiam; quasi desperans, de obsidione recessit.* Mox Cap. 278. *Tunc Archiepiscopus cum suis Complicibus proditoribus* (*scilicet Andrea de Schacabarotiis. Fulcro de Landriano, Simone de Cruce, Alberto de Gambaris*) *prætendentes, quod vellent inter Comitem Gualuagnum & Imperatorem componere; petierunt, ut possent extra Civitatem ad Imperatorem exire.* Et dicit Chronica Danielis, *quod Archiepiscopus dixit Imperatori: O Imperator nolite de obsidione recedere. Jam comedunt equos & canes: & quicquid in Verzario vidistis expositum venditioni, non est bladum, sed sabulum. Tunc inter Imperatorem & Archiepiscopum pacta facta de novo sunt: videlicet, Quod, extirpato dominio Comitum Engleriæ, Archiepiscopus esset Dominus Civitatis, & ipse daret ei omni anno sex mille libras tertiolorum: item, Quod Imperator per Portas Civitatis nunquam intraret, dummodo Comites Engleriæ de Civitatis dominio extirpare posset. Et fuerunt in ista conjuratione sive tradimento multi* &c. Quos ubi multis ex familiis enumeravit, tum rursus ita prosequitur: *Archiepiscopus Mediolanum rediit, Imperatorem de misericordia & clementia commendavit: & firmiter Populo promisit, quod Imperator non intraret Mediolanum, nec Civitatem destrueret. Quo audito, Populus gavisus est valde: & data est potestas, ut de pace tractarent: scilicet Ossæ de Ossis, & Alberto filio ejus, & Anselmo de Horto. Isti venerunt ad Imperatorem, postulantes: nec aliquod pactum petierunt: nisi quod Imperator ivit Laude, ubi dominium Civitatis sibi dare volebant.* De hinc ergo *Gualuaneus* recenset, quæ *Fridericum* inter & ipsos deditionis ergo acta fuerunt: *Fridericum* vero tandem, non sine dolo, nec sine Pseudopontifice suo *Victore*, nostram intrasse Civitatem, ab ipsomet *Oberto* Archiepiscopo aliisque Civibus sociatum: mox vero etiam sævitum esse in Comites *Engleriæ*, tum etiam expoliatas Ecclesias, destructas Abbatias, duos librorum currus ex Urbe extractos, Reliquias insuper Sanctorum deperditas *Tunc omnes* (subdit) *clamaverunt contra Archiepiscopum: Moriatur proditor, qui nos ad talem portum conduxit.* Quomodo autem *Fridericus* tandem cum Archiepiscopo item ipso se gesserit: ecce nobis idem *Gualuaneus* Cap. 280. his verbis: *Imperator Archipiscopi proditoris palatium expoliari jussit; & usque Beneventum in exilium misit. Et justo Dei factum fuit judicio, ut, qui proditor semper fuerat, proditoris ultionem reciperet. Qui ex hoc desperatus adjudicavit se ipsum, quod in hora mortis suæ præcideretur ei lingua, manus, & pedes: recognoscens, se fuisse proditorem. Quod & factum est, cum in Benevento discessit.* Talia in *Obertum* Archiepiscopum probra & dedecora a *Gualuaneo* narrata in Chronico, & credita nec ab his dissentit Auctor Chronici *Flos florum* fol. 146. & 147. Verumtamen ea idem *Flamma* nusquam narrat in Manipulo Florum: ac solum Cap. 190. descripta jam Urbis excidione, sic habet: *Ubertus autem Archiepiscopus Mediolanensis fugit: & in Benevento per Imperatorem exul fuit: ubi vitam suam finivit.* Forte siquidem falsa penitus esse jam cognoverat probrosa illa, & tanto cæteroqui Archiepiscopo indigna. Quæ nos quidem nihilo minus esse ficta & commentitia censuimus, quam si Sancto ipsimet *Galdino* adscripta fuissent. Nihil profecto tale traditum extat in *Morenarum* Historia *Laudensi*: non *Tristanus Chalcus*, non *Bernardinus Corius*, non *Carolus Sigonius* ejusmodi contumeliis, quin etiam calumniis, fidem ullam habuerunt. Quod item inter alia tam præcise ac luculenter asserebatur, *Mediolani* dominium per hæc tempora fuisse penes *Gualuaneum Engleriæ* Comitem: istius profecto (quod tamquam unicum struendæ proditionis fundamentum supponebatur) *Ottho* & *Acerbus Morenæ* non potuissent non expressam facere mentionem: apud quos tamen ne gry quidem unquam indicatum extat. Mitto enim, quod *Tristanus Chalcus* in hunc ipsum Annum contendit, parum aut etiam nihil deberi credulitatis ejusmodi prærogativis, quas de illis *Engleriæ* Comitibus, ac nominatim etiam de *Gualuagno* illo & *Viviano*, aliqui Scriptores magnifice tradiderunt. Quicquid enim de ceteris sit nec enim de ipsis differere nobis vacat) certe quidem, *Gualuagnum* illum per hæc tempora *Mediolani* Dominum fuisse, constanter una cum eodem *Chalco* inficiamur. Cujus tamen autographum, immo vero & alterum in *Ambrosiana* pariter Bibliotheca manuscriptum exemplar, observavimus longe aliter quo ad hanc de Comitibus *Angleriæ* dissertationem se habere (ibi namque multo nervosior & accuratior ea est) quam in editione typographica legatur. Quocirca etiam exinde sine dubio emendanda erit hæc ipsa editio: hincque nominatim expungendum erit testimonium illud, quod a *Tristano* dicebatur ex *Germania* non ita pridem allatum. Etenim hoc in iis Codicibus ne dignum quidem mentione visum est. Quis verò etiam neget, ipso, sicut editum fuit, errorem contineri manifestum? qua scilicet parte *Fridericus Romanorum* Imperator fuisse *Anno Dominicæ Incarnationis Millesimo quingentesimo* asseritur.

CCCCXXXIII. Sed hinc tandem ad incœptam cum *Sigonio* seriem pacis ac deditionis revertamur. Sic ergo ille statim prosequitur: *Civitas ut Legati iterum de pace ad Fridericum mitterentur, decrevit. Missi tres cum liberis mandatis, Ossa Ossius & Albertus filius & Anselmus Ortus, ipsum Laude, quo recesserat, convenerunt: ac, potestate dicendi impetrata, pacem petierunt, pollicentes, se in honorem ejus sex locis muros Urbis dejecturos, fossas completuros, ipsique demum dicto audientes futuros. Fridericus, Germanicis Principibus sociarumque Civitatum Consulibus in Consilium advocatis; sui se, non eorum; arbitrii deditionem velle respondit. Quam conditionem Legati, etsi gravissimam, acceperunt. Itaque deditio quinto Nonas Martii*

tii hac ratione perfecta est. &c. Perlegat ergo Lector eundem *Sigonium*, sic etiam *Acerbum Morenam*, & ex ipso *Chalcum* & *Corium*. Sed insuper jam extat etiam *Burchardi* cujusdam ad *Nicolaum Sigebergensem* Abbatem, *De victoria Friderici Imperatoris, & excidio Mediolanensi*, Epistola: in qua fideliter ac dilucide narrantur quæ conventa gestaque *Laudæ* hoc tempore fuerunt inter *Fridericum* ac *Mediolanenses*, priusquam ipse *Mediolanum* victor veniret, ac direptioni traderet. *Burchardus* hic autem Imperatoris Notarius erat: professusque fuit, a se non alia narrari, quám quæ suis ipse viderat oculis, cum intra solium Imperatoris tunc esset. Epistola vero in est Tomo, cui titulus, *Germanicarum rerum Scriptores aliquot insignes, hactenus incogniti:* quive primum typis editus fuit *Francoforti* apud Hæredes Andreæ Wecheli, Anno Domini Millesimo sexcentesimo.

CCCCXXXIV. Sicut igitur ex iisdem *Acerbo Morena* & *Burchardo*, testibus oculatis, manifeste constat, deditio ista summatim hunc in modum se habuit. Calendis Martiis Consules *Mediolani* suo & Civitatis nomine sese *Friderico* in ejus Palatio *Laudensi* dediderunt jurantes, *quod parerent omnibus præceptis ejus, & quod facerent similiter jurare omnes Cives Mediolani.* Quarta vero subinde die trecenti milites eodem profecti sunt: e quibus triginta sex Vexilliferi totidem vexilla, Vir autem quidam ingeniosissimus, nomine *Quintelinus*, claves Urbis Imperatori tradiderunt. Sed & sexta mox die mille circiter pedites acciti Carrocium illuc suum, tamquam Victori trophœum, advexerunt, prægrandi conspicuum vexillo, cui nonaginta quatuor alia minora circum erecta stabant, binæque insuper aderant æneæ tubæ, universi Populi supremum indicantes consensum. Carrocium porrò istud videre licet à *Georgio Merula*, *Tristano Chalco*, *Carolo Sigonio*, Latine pariter ac egregie descriptum, in Annum *Christi* Millesimum trigesimum octavum. Iidem hoc nominatim meminere: proceram in ejus medio constitisse perticam, in cujus fastigio Crux esset aurea, e qua vexillum album, rubra Cruce intersectum, penderet. Ecce vero Lectori nunc aliquid amplius, quod nos è prædicta *Burchardi* Epistola didicimus. Etenim de hoc *Mediolanensium* Carrocio, *Laudam* tunc adducto, sic ille inter cetera scripsit: *Stabat autem Currus multiplici robore conseptus, ad pugnandum desuper satis aptatus, ferro fortissime ligatus: de cujus medio surrexit arbor procera, ab imo usque ad summum ferro, nervis & funibus tenacissime circumtecta. In hujus summitate supereminebat Crucis effigies;* IN CUJUS ANTERIORI PARTE BEATUS DEPINGEBATUR AMBROSIUS, ANTE PROSPICIENS, ET BENEDICTIONEM INTENDENS, QUOCUMQUE CURSUS VERTERETUR. Poststridie *Fridericus*, Edicto Imperiali adversus *Mediolanenses* sublato, alios rursum ex ipsis obsides ad numerum quadringentorum exegit. *Omnibus autem peditibus* (verba sunt Acerbi Morenæ) *tribuit licentiam redeundi domum: præcepitque eis, ut tantum de fossato & muro Mediolani demolirentur per unamquamque Portam, quod cum exercitu suo possit largiter Civitatem introire. Elegit quoque Imperator sex Lombardos, & sex Theutonicos, qui Mediolanum irent, & universos Mediolanenses præfato modo jurare facerent. Et ego Acerbus Morena, filius* Otthonis *Morenæ, qui deinceps hanc Historiam dictavi* (scilicet ab Anno *Christi* supra Millesimum centesimum sexagesimo secundo usque ad sexagesimum septimum) *qui tunc eram Potestas Laudæ, fui unus de prædictis duodecim. Et usque ad Sabbatum proximum* (decimus hic erat Martii dies) *fecimus jurare quasi omnes Mediolanenses quos invenimus.*

CCCCXXXV. Sequenti autem die, inter ejusmodi gravissimas Urbis, nostræ angustias & discrimina, sese nobis authetica ex Archivo nostro Membrana offert, hisce primum verbis inscripta: *Anno Dominicæ Incarnationis Millesimo centesimo sexagesimo primo, undecimo die mensis Martii* (atque adeo, sicut multoties jam monuimus, Dominicæ Nativitatis sexagesimo secundo) *Indictione nona. Placuit atque convenit inter Lanfrancum, qui dicitur Gattarus, de Civitate Mediolani,* NEC NON INTER DOMNUM AMIZONEM, ABBATEM DEI GRATIA ECCLESIÆ ET MONASTERII SANCTI AMBROSII *constructi foris prope prædictam Civitatem,* UBI EJUS SANCTUM REQUIESCIT CORPUS: *ut in Dei nomine debeat dare, sicut à præsenti dedit, ipse Lanfrancus eidem Domno Amizoni Abbati ad partem ipsius Monasterii, ad habendum & tenendum sine ficto reditus libellario nomine usque in perpetuum: hoc est, omnes casas & res territorias ejus libellarias, quas habere videtur in Loco* VILLA ALBA, *& in ejus territorio* &c.

CCCCXXXVI. Martis proxima dies & Martii decima tertia jam erat, cum Imperator una cum *Beatrice* conjuge, & cum omni ferme supellectili sua, itemque cum Duce *Bohemiæ*, cumque aliis Proceribus, & omnibus fere militibus, quos *Laudæ* habebat, *Papiam* inde processit: eodemque duxit etiam omnes *Mediolanenses*, quos sibi obsides retinuerat, sicut idem narrat *Morena*.

CCCCXXXVII. Ecce vero nobis alterum pariter archetypum Archivi nostri Documentum, sequenti die confectum. Cujus initium est hujusmodi: *Anno Dominicæ Incarnationis Millesimo centesimo sexagesimo primo* (quippe qui Annus ad vigesimam quintam usque protenditur ejusdem Martii diem) *quarto decimo die mensis Martii, Indictione nona. Placuit atque convenit inter Guidotum, qui dicitur, Cassina, de Civitate Mediolani, & Alegrantiam uxorem ipsius Guidoti, ipsi Alegrantiæ consentiente ipso Guidodoto viro suo* &c. *nec non ex altera parte* INTER DOMNUM AMIZONEM, ABBATEM ECCLESIÆ ET MONASTERII SANCTI AMBROSII, SITÆ INFRA FOSSATA CIVITATIS MEDIOLANI, UBI EJUS SANCTUM REQUIESCIT CORPUS, *ad partem & utilitatem ipsius Monasterii: ut Dei nomine debeant dare, sicut a præsenti dederunt, ipsi jugales eidem Abbati, ad partem & utilitatem ipsius Monasterii, ad habendum & tenendum, sine ullo ficto reddendo. libellario nomine usque in perpetuum: hoc est, omnes casas & res territorias quas habere & tenere visi sunt in Loco & fundo* UDULUCTO, IN VILLA, ET CASTRO, *& ejus territorio &c.*

CCCCXXXVIII. Sequitur protinus idem *Morena*, & funestum deditionis hujus exitum hisce verbis perstringit: *Sequenti deinde die Lunæ* (mensis ejusdem Martii undevigesima) *præcepit Imperator Consulibus Mediolani, ut usque ad octo dies facerent omnes personas, tam masculos quam fœminas, exire Civitatem Mediolani. Quod equidem, licet luctuose, plenarie adimpleverunt Mediolanenses: euntes Papiam, Laudam, Bergomum, atque Cumas, & per alias Civitates & Loca Lombardiæ. Maxima pars tamen ipsorum stetit circa Civitatem, circa fossatum, Imperatoris misericordiam expectantes: atque putantes, quod Imperator Civitatem intrare subito eis concederet, & in ipsa solito amore habitare. Verum ipse Imperator die Lunæ, quæ fuit sexta dies ante Calendas Aprilis, Mediolanum venit cum Principibus suis, & cum Cremonensibus, Papiensibus, Novariensibus, Comensibus, & Laudensibus, & cum illis de Seprio & Martesana. Qui illuc cum pervenisset; præcepit Laudensibus, ut Portam Orientalem, quæ vulgo* RENTIA *dicitur, totam destruerent; Cremonensibus vero Portam Romanam demoliendam commisit; Papiensibus Portam Ticinensem; Novariensibus Portam Vercellinam; Cumanis Portam Cumanam; illis*

illis vero de Seprio & Martesana Portam Novam. Qui omnes ad destructionem sic conati sunt, quod usque ad proximam diem Olivarum tantum de muro (in binis Bibliothecæ *Ambrosianæ* manuscriptis exemplaribus legitur *de mœnibus Civitatis consternaverant*, *quod ab initio à nemine credebatur in duobus posse mensibus dissipari. Et vere, ut opinio est, quinquagesima pars Mediolani non remansit destruenda. Remansit tamen totus murus Civitatem circumdans* (excepto scilicet, ubi ad unamquamque Portam diurutus ille jam fuerat, priusquam Imperator huc veniret) *qui adeo bonis & magnis lapidibus confectus fuerat, & quasi centum turribus decoratus, quod, ut existimo, nunquam tam bonus fuit visus in Italia, nec deinceps videbitur, præter fortem murum Romanum. Remansit etiam Campanile Majoris Ecclesiæ, miræ pulchritudinis, & magnæ latitudinis, atque mirandæ altitudinis, quale nunquam dicitur fuisse in Italia: quod post paucas dies Imperator in terra deponi fecit: quod tunc super Majorem Ecclesiam ruens, magnam ipsius Ecclesiæ partem dissipavit. Laudenses autem, præteritorum & innumerabilium dolorum memores, quos a Mediolanensibus olim sustinuerant: non solum Portam Orientalem, eis commissam ad destruendum, plenariæ demoliti sunt, verum etiam de Porta Romana magnam partem ad terram prostraverunt. Ipso die Dominico Olivarum reversus est Imperator Papiam: & quicumque cum Imperatore Mediolani fuerat, domum reversus est.* His igitur *Morena* excidium istud *Mediolanensis* Urbis concludit: quæ tamen par est ut à nobis aliquanto uberius, & hisce Monimentis quin etiam historicæ veritati commodius, expromantur.

CCCCXXXIX. Nos ergo quærimus in primis, quem ad locum primo statim Urbis ingressu *Ænobarbus* perrexerit: & ubinam sibi delegerit hospitium in id tempus, quo tantæ Urbis excidione, tam furenter & avide celeriterque ab efferatis ejus hostibus perpetrata, longe lateque omnia perstrepebant. *Joannes* quidem ille *Dubravius*, cujus mentionem Num. 416. faciebamus, eodem Historiæ suæ *Boiemicæ* Libro duodecimo versus finem, posteaquam posteriorem istam *Mediolani* obsidionem ac demum deditionem descripsisset: tum vero narrare pergit his verbis: *Postridie ejus diei* (quo pacta fuerat deditio) *Cæsar, insigni equo paludatus, assumptaque Corona, auro & gemmis resplendente, quam ei Rex Angliæ dono miserat; Templum, in quo Archiepiscopus Urbis Sacra solemnia obibat, introiit. Quo peracto, Senatores cum magna Civium multitudine, quæ præsto erat, jurare fidei sacramentum adacti sunt: Se fideliter omnia facturos, quæ Cæsar imperaverit: nec unquam defecturos ab Imperio illius. Post hæc, capite deposita Corona, illam ad Regem Boiemiæ transfert, inquiens:* AD TE, ULADISLAE, CORONÆ HUJUS DECUS DONUMQUE JURE PERTINET; QUI PRÆSENTIS VICTORIÆ ET CAPUT ET PES FUERIS. *Sed & cæteros Principes, pro merito quemque suo, laute remuneravit. Archiepiscopo vero Coloniensi permisit, ut trium Magorum Corpora inde Coloniam Agrippinam deportaret. Ex eodem Templo Uladislaus* CANDELABRUM ÆREUM, ADFABRE FACTUM, QUOD SALOMONIS FUISSE FERTUR, *largitione Mediolanensium, cum decies præterea mille nummis aureis, Pragam ad Ædem Sancti Viti asportavit*, &c. Talia *Dubravius* hic *Olomuzensis* Episcopus. *Bohemiæ* vero Regem, tum etiam nostrum Archiepiscopum supposuit hoc ipso die *Mediolani* affuisse: quorum nos quidem utrumque inficiamur. Ac de Archiepiscopo quidem satis jam diximus Numero 430. & deinceps. Quod si re vera ipse juxta *Sigonii* testimonium, a nobis eodem Num. 430. recitatum, *Genuam* pervenit, priusquam inde Pontifex *Alexander* in *Galliam* discederet; ecce nobis alterum item non exigui momenti argumentum. *Alexander* siquidem (sicut in ejus Actis habetur apud *Baronium* eodem hoc Anno *Christi* Millesimo centesimo sexagesimo secundo, Art. 2.) inde navigans discessit in Quadragesimali Dominica, quæ dicitur *De Passione*, quæve Dominicam *Palmarum & Olivarum* proxime antecedit. *Ænobarbus* autem hac vice *Mediolanum* venit non nisi die Lunæ, quæ Dominicam ipsam *Passionis* subsecuta proxime fuerat, quæve Dominicam *Olivarum* antecedebat; quemadmodum paulo ante nobis *Acerbus Morena* testabatur. Quod si præterea non modo Sanctus *Galdinus*, sed etiam *Obertus* Archiepiscopus patriam deseruit, ne Schismaticis hujusmodi consentiret unitatis Ecclesiasticæ hostibus, & anathemate propterea pontificio percussis; quomodo igitur idem Archiepiscopus iisdem hoc consensit, ut Missarum solemnia coram ipsis celebraret? Quod autem *Bohemiæ* pariter Regem hoc tempore *Mediolani* cum *Ænobarbo* non affuisse dicebamus: hoc utique satis constare potest è contentis Num. 427. prope finem, ac Num. 428. Certe autem consentit etiam *Morenarum* Historia *Laudensis*. In hac enim post primam *Mediolani* deditionem nusquam nominatum videas *Bohemiæ* Regem tamquam *Mediolani* vel etiam in *Lombardia* existentem; sed solummodo ejus Filium una cum Duce *Bohemiæ* ipsius patruo, ac proinde Regis ejusdem fratre. Quocirca nos hinc etiam observamus, *Uladislaum* è *Bohemiæ* Duce sic a *Friderico* fuisse titulo Regis insignitum, ut nihilominus Ducis nomen infra Regem ipsum alteri, scilicet ejus fratri, fuerit inditum. Quo quidem observato, consequenter animadvertimus, male apud *Baronium* Anno superiore, Art. 16. in margine fuisse emendatum *Rex Bohemiæ* pro *Dux Bohemiæ*; sicuti *Morenæ* verba è regione illic recitata se habent; quibus ii nominantur, qui secundæ Pseudosynodo in favorem Antipapæ *Victoris* habitæ (habita vero hæc est in Urbe *Laudensi*) affuerant. Mendosa profecto emendatio, eoque minus tolerabilis; quia post paucas inde lineas ipsemet *Bohemiæ* Rex iis connumeratur absentibus, quorum in eadem Pseudosynodo recitatæ fuerunt excusatoriæ litteræ. *Fuerunt autem* (inquit) *in ipso Concilio recitatæ litteræ excusatoriæ Regis Daciæ, Regis Norvegiæ, Regis Ungariæ*, ET REGIS BOHEMIÆ, *& sex Archiepiscoporum, & viginti Episcoporum, multorumque Abbatum*, TAM CLARÆVALLENSIS (hoc est, CHARÆVALLENSIS apud *Mediolanum*, qui quidem Abbas cum suis Monachis hac in re a suis *Cisterciensibus* deerravit, ut infra memorabimus) *quam aliarum Congregationum, atque Præpositorum. In quibus omnibus litteris continebatur, ipsos Reges cum universis eorum Provinciis, & prædictos Archiepiscopos, Episcopos, Abbates, & Præpositos, velle se tenere præfatum Dominum Victorem pro Papa & Domino: & se velle ratum habere totum, quod Dominus Victor statuit in ipso Concilio cum aliis ibi præsentibus.* Quæ cum ita se habeant; non igitur *Fridericus Uladislao Bohemiæ* Regi Coronam illam tradidit, quam ipse tunc suo mox capite gestasset. Sed ne ullam quidem ipse tunc gestavit; quippe cujus gestationem sibi tunc reservabat in id tempus, quo *Papiam* revertisset; ut infra ostendemus. De Candelabro autem illo æreo, quod *Mediolanenses* eidem *Bohemiæ* Regi donaverint, *Joannes Nauclerus* idem narrat secundo Chronographiæ Volumine, Generatione 39. versus finem: quinetiam *Æneas* quoque *Sylvius* idipsum nobis supra testabatur Num. 416. Annoque *Christi* Millesimo centesimo quinquagesimo octavo. Quo quidem potius Anno illud ei nos donatum crediderimus: & eam maxime ob causam; quia ipse una cum *Austriæ* Duce pacem tunc a *Friderico Mediolanensibus* impetrasset; ut Num. 417. *Sigonium* vidimus affirmantem.

CCCCXL. Cum igitur *Dubravius* in hac sua narratione tam multa erret; ne fidem quidem videtur in eo

eo mereri, quod asserebat, *Fridericum* intrasse Templum illud *Mediolanense*: quo citra dubium Basilicam indicabat Metropolitanam: & hanc (sicuti nos interpretamur) Sanctæ *Mariæ* Virgini consecratam, quæ vocabatur HYEMALIS, quæve ceteras amplitudine ac majestate superabat. Sed nos tamen illuc recta *Fridericum* pervenisse concedamus. Quid si vero protinus inde saltem sese ad *Ambrosianam* istam Basilicam recepit, quinetiam prope ipsam deinde habitavit? Millesimo ducentesimo atque etiam subsequente *Christi* Anno super aliquot capitibus, inter Monachos & Canonicos controversis, examinati auctoritate Apostolica (sicut etiam Num. 171. meminimus) fuerunt hinc inde multi Testes: viginti nempe pro Monachis, undecim vero pro Canonicis. Ex eorum vero responsis aliqua profecto nobis lux veritatis in aliquantum etiam tempus, hoc excido *Mediolanensi* anterius, emicat. Quod ad rem attinet præsentem: secundus Testis a Monachis productus, *Guifredus de Oggiono*, hoc ipso tempore, quo dirutum fuit *Mediolanum*, Canonicus erat hujus *Ambrosianæ* Basilicæ; tametsi postea Monachus ejusdem hujus Monasterii sit effectus. Inter cetera vero sic etiam verbatim testatur: *Quod illi Canonici per se, vel eorum nuncios, consueverunt adornare* ECCLESIAM BEATI AMBROSII *cortinis & palliis in festivitate Beati Ambrosii, & Beatorum Protasii & Gervasii, & Beati Laurentii,* ET MAXIME QUANDO IMPERATOR FREDERICUS VENIT IN MEDIOLANUM CAUSA DESTRUENDI ILLUD: *& ipsemet* (Guifredus) TUNC, *& per alias vices plures, adornavit, & adjuvit adornare.* Ut quid autem tunc temporis Basilicam istam credamus eum in modum adornatam; nisi quia tunc ibi *Fridericum*, quanto poterant apparatu, excepturi essent? Certe autem, sicut è dictis jam constat, propinquum etiam hic erat Palatium Imperiale, in quo Imperatores, ad Coronam in hac Basilica suscipiendam huc profecti, habitare consueverant: ipseque *Fridericus* etiam hic deinde habitavit, posteaquam, restaurata jam Urbe, pacem rursus cum *Mediolanensibus* ad ipsam reversis iniisset; ut suo nos tempore videbimus. Quod si Palatium etiam in Urbe aliquod interea sibi ad habitandum deligere voluisset; ne commode quidem poterat, tali tantoque Urbis excidio durante.

CCCCXLI. Numquid vero *Fridericus* asseclas suos ab Ædibus saltem sacris abstinere manus jussit? Qui ne ipsi quidem pepercit Ecclesiæ Majori, sicuti *Morena* mox narrabat; quomodo ceteris pepercisse credendus videatur? *Sigonius* tamen hac de re in hunc Annum sic tradit: *Negotio vicinis Civitatibus, id muneris sibi præcipue deposcentibus, dato, Urbem,* PAUCIS TEMPLIS SERVATIS, *excidit.* Et paulo post: *Templa spoliata, Abbatiæ populatæ. Gualuaneus Flamma* longe mitius ac religiosius de *Friderico* sensit. In Chronico namque Majori, Cap. 285. sic scribit: *Mandavit insuper* (Fredericus) *quod Suburbia Civitatis manerent illæsa; quia semper sibi fuerant obedientia. Similiter præcepit, quod domus Nobilium proditorum, quæ erant in Civitate, illæsæ remanerent,* ET ECCLESIÆ. *Attamen Turres & campanilia dejecit.* Et paulo post: *Monasterium Majus, ubi erat Porta Vercellina, septem Turribus communitum, voluit Imperator præservari propter reverentiam Otthonis Imperatoris* (nimirum Primi) *qui illud Monasterium fundaverat* (vel saltem amplificatum ingentibus ditaverat prædiis) *de cujus stirpe descenderat.* Dehinc vero Capite sequenti, *Tandem data* (subdit) *licentia de destructione Civitatis, Laudenses destruxerunt Portam Romanam, Cremonenses Portam Orientalem, Pergamenses Portam Novam, Cumani Portam Cumanam, Novarienses Portam Vercellinam, & Papienses Portam Ticinensem. Tunc unus ex Papiensibus, nomine Obizo,*

A *accepit super se dejicere Campanile Ecclesiæ Majoris, cujus altitudo fuit ducentorum quadragintaquinque brachiorum, latitudo cujusque, ... in cujus casu malitiose fecit ipsum descendere super Ecclesiam: & destructa fuit Ecclesia per majorem partem. Tunc iste Obizo Papiensis exportavit Baculum Pastoralem, qui erat in summitate Turris, & Mortarium cum Pistono. Ex hoc postea Communitas Papiensis solvit decem & octo mille libras illius grossæ monetæ, cujus libra valebat florenum.* Et rursus Cap. 294. in Annum *Christi* Millesimum centesimum septuagesimum quintum: *Tunc* (sive postquam in die sancto Paschæ *Mediolanenses* castrametati versus *Papiam* essent juxta Imperatoris exercitum)

B *Papienses restituerunt decem & octo millia florenorum pro destructione Campanilis. Sed Communitas illam pecuniam ab Ordinariis* (Ecclesiæ Majoris) *abstulit sub nomine mutui: & nunquam restituit fere per ducentos annos, quando illa Turris fuit reædificata.* Eadem tamen Turris, teste pariter *Gualuaneo* in *Ambrosianæ* Bibliothecæ Codice Cap. 875. reædificata fuit tempore *Azi* (sive *Azonis*, vel *Actii*) *Vicecomitis*: &, ut *Bernardinus Corius* in suo Chronico præcise affirmat, Anno Domini Millesimo trecentesimo trigesimo tertio. Ceterum, quæ nostri præcipue sunt instituti, eadem affirmat itidem Auctor Chronici *Flos florum* fol. 148. pag. 1. Qui pariter in Annum *Christi* Mille-

C simum centesimum sexagesimum octavum folio deinde 150. pag. 1. sic etiam tradit: *Ipso Anno Beatus Galdinus fecit fieri Palatium Archiepiscopatus a fundamentis: & in quantum Legatus Ecclesiæ* (videlicet Romanæ) *Civitatem Papiæ Interdicto supposuit Ecclesiastico, donec satisfaceret de Turri Ecclesiæ Majoris Mediolani, quam Papienses dejecerant. Quod ipse fecerunt. Quia restituerunt decem & septem* (in hoc enim Auctor iste discrepat a *Flamma*; nisi potius arbitremur esse calami errorem) *mille libras grossæ monetæ.* Præstat autem hic etiam recitare, quæ *Tristanus Chalcus* in hunc ipsum Annum sexagesimum secundum de Campanilis hujus excidione scribit his verbis: *Turrim Ma-*

D *jor Ædes habebat, quadrato silici substructam, omnium, quas Italia respectaret, nobilissimam. Hanc invidere maligni in invisa Urbe stare. Quare sic eam suffoderunt, ut ejus casus duplicem ruinam faceret. Cadens namque supra Aedem, illam quoque confregit. Jacuerunt diu immania saxa, donec centesimo post anno, eruto subterraneo specu, in proxima Area, quam tunc quoque* ARENGHI *nuncupabant, congesta fuerunt.* Hactenus *Chalcus*. Ubinam vero situm & quale foret ARENGUM, *Gualuaneus Flamma* in Chronico Majori, Cap. 43. nobis hunc in modum describit: *Inter Ecclesiam Majorem & Ecclesiam Sanctæ Theclæ fuit quoddam ædificium, dictum* ARENA, *nunc dicitur*

E ARENGUM. *Et erat rotundum & magnum, cujus muri erant alti, nigro & albo marmore vestiti: & erat locus atrocitatis magis, quam consolationis; quia rei ibi puniebantur.* Et dicit *Datius* in Chronica, *quod habuit iste murus tot cameras per aliquot occultos meatus, quot sunt dies in anno, scilicet trecentos sexaginta quinque. Et fuerunt tantæ capacitatis, quod Italiæ milites omnes ibi poterant sedere, & quicquid ab uno præcone dicebatur faciliter audire, & sine impedimento videre.* Hæc Datius. *Ibi fuit Palatium, & cathedra facta ex leonibus marmoreis.* Sed nos insuper inter alia *Beroldi* adnotamenta hoc item (sive sit ipsius, sive alterius cujuspiam) invenimus: *In nomine Domini,*

F *Millesimo ducentesimo septuagesimo secundo, locus, sive platea, quæ est ante atrium Hyemalis Ecclesiæ Sanctæ Mariæ Majoris Mediolanensis, qui vel quæ dicitur* ARENGUS, *locus Communitatis, in quo est multitudo lapidum quadratorum vivorum, fuit repletus terra, & prædicti lapides omnes fuerunt dicta terra operti & subterrati. Qui quidem lapides fuerunt de muro Campanilis prædictæ Ecclesiæ .... ut Campanile novum constructum ab occidentali parte Ecclesiæ & latere aqui-*

aquilonari, via media inter ipsum & Canonicam Decumanorum. Quod quidem Campanile destructum fuit per Fredericum Imperatorem Millesimo centesimo sexagesimo tertio (sic enim ibi legitur) *quando destructa fuit Civitas Mediolanensis. Et eo tempore, quo fuerunt operti, æstimabantur dicti lapides valere libris quadringentis: & sunt dictæ Ecclesiæ. De quibus lapidibus fuerunt factæ sedes post dictam destructionem, ut in eis sederent convenientes ad Arengum.* Sic igitur olim Arengum erat, ubi nunc perampla extat Area, quam communiter Idiomate nostro LA PIAZZA DEL DUOMO nuncupamus; quia nimirum Basilicæ Metropolitanæ fronti ea præjacet: tum etiam ex parte ubi nunc Curia Ducalis conspicitur; sic enim affirmat *Paulus Jovius* in *Actio Vic comite*, *Mediolani* jam Domino, cujus paulo ante mentionem faciebamus. Sed ut ad propositam quæstionem revertamur: nobis quidem non displicet *Gualuanei* ejusque Asseclæ opinio: quinetiam eidem aliquatenus adstipulari arbitramur, quod pro reparandis postea Ecclesiis Sanctus *Galdinus* in ejus Vita laborasse non traditur. Sic enim solummodo legimus: *Suscepta autem Vir Sanctus Ecclesiæ cura, illam intrepidus gubernavit:* PRÆDIAQUE ET PATRIMONIUM ECCLESIÆ, QUOD IN PRÆDAM RAPINAMQUE MULTORUM DATUM FUERAT, DE FAUCIBUS EORUM QUANTOCYUS ERIPUIT. *Sed & Palatium* (Archiepiscopale) *ab inimicis funditus diruptum, longe excellentius miroque decore & ornatu reparavit.* De reparatione autem *Marianæ* illius ac Majoris Ecclesiæ *Gualuaneus Flamma* Cap. 293. sic habet: *In Millesimo centesimo sexagesimo nono nobiles Matronæ ex devotione ad Beatam Virginem, quæ ipsas in suam Civitatem reduxerat. Ecclesiam Beatæ Mariæ Virginis Majorem venditis annulis & ornamentis reædificari fecerunt.*

Muneribusque datis, collectis undique turbis,
Emicat Aula Dei Genitricis, janua cœli.

Auctor autem Chronici *Flos florum*, fol. 150. pag. 2. *Anno Domini Millesimo centesimo septuagesimo nobiles Dominæ de Mediolano venditis annulis, corrigiis, & aliis monilibus, Ecclesiam Sanctæ Mariæ Virginis, videlicet Ecclesiam Majorem, fabricari fecerunt.* Idipsum vero similiter e *Petro* accipe *Azario*: cujus mentionem jam fecimus Num. 236. & 375. Ad Annum enim Millesimum centesimum septuagesimum quintum sic habet: *Beatus Galdinus, Mediolani Archiepiscopus, Palatium Archiepiscopale a fundamentis erexit. Sed & Dominæ de Mediolano contribuentes, & omnia sua jocalia vendentes, Ecclesiam Majorem in honorem Beatæ Virginis reædificaverunt. Duæ Turres erant in Mediolano, in sua altitudine omnia ædificia Lombardiæ superantes. Scilicet Turris, quæ dicitur modo Campanile Beatæ Mariæ* (perperam hic primævo textui facta fuit hæc interlinearis additio, AD CIRCULUM) *hæc erat Turris Archiepiscopatus, in summitate habens unum Baculum Pastoralem in signum dominii Archiepiscopi. Alia Turris erat Campanile Sancti Georgii.* Perperam vero factam ingeminamus ejusmodi additionem. Certissimum enim est, Metropolitanam & Majorem Sanctæ *Mariæ* Ecclesiam (quæ scilicet ad Arengum erat) longe diversam fuisse ab Ecclesia Sanctæ *Mariæ* AD CIRCULUM; sicut etiam hodie, non procul a Carrubio Portæ *Ticinensis* sita, nuncupatur, antiquo celebrique Circi (unde Ludi Circenses) vocabulo in Circulum corrupto. Quæ quidem Ecclesia, non in præsenti tantum, sed per ea etiam tempora potestati suberat & dominio Monasterii Majoris, paulo etiam ante a nobis memorati, atque tunc etiam Sancto *Mauritio* sacri. Sic enim nobis constat ex archetypis ejus Monasterii Documentis: ac nomi-

A natim ex *Adelardi* Ecclesiæ *Mediolanensis* Diaconi Sententia, data *in Palatio Mediolanensi Anno Dominicæ Incarnationis Millesimo centesimo quadragesimo octavo, pridie Kalendarum Junii. Indictione undecima*, & quidem subscripta quoque ab ipsomet *Oberto* Archiepiscopo, nec non a *Galdino* Cancellario & Diacono; quippe Diaconi etiam titulum in Ecclesia Metropolitana hic obtinuit, antequam crearetur Archidiaconus: tum etiam ex altera ejusdem *Oberti* Archiepiscopi Sententia, ejusdem Anni mense Julio data: denique vero etiam ex *Eugenii* Papæ Tertii Privilegio, *Brixiæ* dato per manum *Guidonis* Diaconi Cardinalis & Cancellarii, eodem Anno, die quarto Kalendas Augusti. B Ceterum si forte alicui prædicta de *Mediolanensium* Ecclesiarum incolumitate opinio non placet; placeat illa saltem, quam nonnulli Rerum *Germanicarum* Scriptores tradidere. Quos utique nos adhuc legimus, in eadem plane verba conveniunt. Sed ea tamen lubentius e Magno Chronico *Belgico* proferemus, primoribus typis evulgato in eo Volumine, quod Num. 215. indicavimus. Illic ergo pag. 183. in Annum Salutis Millesimum centesimum sexagesimum secundum, postquam *Mediolanenses*, ab Urbe migrare jussi fuerant, sic protinus legitur: *Deinde jussit* (Imperator) *suos Civitatem ingredi, & muros & Turres alta & superba fastigia & ædificia destrui.* C TRIBUS TAMEN PEPERCIT ECCLESIIS (perinde ac si expresse dicatur ceteris non pepercisse) SANCTÆ MARIÆ (sicuti de ipsa jam diximus) SANCTI MAURITII (sive Monasterii Majoris) ET SANCTI AMBROSII, *cum Officinis Clericorum, Officialibus ipsorum, domibus etiam indemnitate rerum concessa. Aerarium publicum sibi reservat &c.* Eadem vero ad eundem Annum habentur etiam in Chronico *Emondi* de *Dijnter*: & in Auctario *Affligemense*, quod *Aubertus Miræus* una cum suo denique Chronico edidit. D Ignotum porro nomen est ejus Auctoris, a quo *Belgicum* ejusmodi Chronicon fuit collectum. Sed certe quidem unus fuit e Canonicis Regularibus *Augustianis* apud *Nussiam*: vivebatque Anno *Christi* Millesimo quadringentesimo trigesimo nono; sicut e pag. 373. constat: quinetiam Concilio affuit *Florentino* per *Eugenium* Papam Quartum celebrato: sic etiam vivebat Anno postea Millesimo quadringentesimo septuagesimo quarto (sicut e pag. 414.) ad quem usque Annum idipsum Chronicon ab Anno Domini Quinquagesimo quarto protenditur. Sed jam melius cognoscatur etiam *Emundus* ille cognomento *de Dijnter*. E Ipsemet igitur in Chronici sui Procœmio se vixisse indicat Anno Domini Millesimo quadringentesimo quadragesimo quinto. Fuerat autem Secretarius *Antonii* Primi, *Joannis* Quarti, *Philippi* Primi, ac denique alterius *Philippi*, qui prædicto Anno dominabatur, *Lotharingiæ*, *Brabantiæ* ac *Lymburgiæ* Ducum: quorum scilicet in primis gesta commemorat. Quinetiam typis quondam editum videtur hoc ipsius Chronicon. In secundo enim variorum *Germanicarum* Rerum Scriptorum Tomo, *Francofurti Wechelianis* edito typis apud *Claudium Marnium* & Hæredes *Joannis Aubrii* Anno Domini Millesimo sexcentesimo secundo, sive in Auctorum Catalogo illic post Nuncupatoriam F Epistolam collocata, recensetur etiam *Philippi a Burgundia, Boni Philippi Burgundi filii, clarissimi Principis, Vita (in qua etiam origo belli inter Episcopum Ultrajectinum & Carolum Gelriorum Principem inseritur) Auctore Emondo Dyntero, Viro prudentissimo, qui Bono illi Philippo Duci a secretis fuit: excusa Argentorati apud Christianum Egenolphum Millesimo quingentesimo vigesimo nono.* Nos tamen ejusmodi Chronicon minime vero vidimus typis excusum; sed certe quidem manuscriptum, at-

que nobis commodatum ab officiosissimo illo *Matthæo Valerio Carthusiano*, cujus jam toties gratam (nec unquam satis) fecimus mentionem. Quippe illud pariter ipse commodatum simul cum *Petri Azarii* Chronico (sicut jam supra diximus Num. 236.) acceperat ab altero illo genii ejusdem Viro Clarissimo, & erga nos item humanissimo, Defendente *Laudensi*.

CCCCXLII. Descripto *Tristanus Chalcus* tam luctuoso nostræ Urbis excidio hæc subdit: *Cessationis quietisque concedendæ instans Dies Palmarum Olivarumque cærimonia religiosus admonuit: qui eo Anno Kalendis Aprilis contigit.* TULITQUE SACROS RAMOS FRIDERICUS E TEMPLO AMBROSIANO: *a quo sacrilegam manum abstinuisse hostes, indicio est Angilberti Archiepiscopi lamina aurea argenteaque, multis ante sæculis Altari circumdata.* Quæ quidem in hanc usque diem perenniter illi circumdata & asservata conspicitur: quæve prætere nobis argumento est, ne tunc quidem inde amota & alio translata fuisse Sanctorum *Ambrosii Protasii* & *Gervasii* Corpora, quorum in honorem lamina ista fuit huic Altari circumdata. Sed hac de re suo postea loco abunde disseremus. Nunc, quod agimus: atque tum *Tristani* testimonio, tum aliis etiam argumentis, quæ præsertim desumi possent e præmatura illa nostri Archiepiscopi ad *Alexandrum* Papam fuga, illud refellamus, quod *Gualuaneus Flamma* in Chronico Majori, Cap. 285. in hæc verba scribit: *In Kalendis Aprilis fuit Festum Olivarum. Tunc in Ecclesia Sancti Laurentii Archiepiscopus in equo albo fecit Festum Olivarum: & Imperator ibidem accepit Olivas.* Perinde scilicet, ac solita quotannis celebritas hoc etiam die servata tunc fuisset; tametsi vel etiam ipsæmet Urbis viæ non possent non esse recentibus passim ædium ruinis impeditæ.

CCCCXLIII. Quænam post hanc *Mediolani* deditionem Statuta *Ænobarbus* condiderit, *Gualuaneus* idem *Flamma* commemorat Cap. 284. & istud quidem inter cetera: *Quarto ordinavit, quod Sepulchrum Comitum* (Engleriæ) *QUOD ERAT IN SANCTO AMBROSIO, ex marmore & leunculis miro opere fabricatum, destrueretur: & omnia ossa septem Regum Engleriæ dispergerentur, qui fuerunt Reges Italiæ, ut dicit Chronica Danielis: ubi postea Comites, Regum successores, tumulati sunt. De isto Sepulchro habetur supra Cap. 165.* Quo quidem in Capite sic etiam ille jam scripserat: *Istis temporibus* (proxime autem Annum *Christi* nominaverat Sexcentesimum vigesimum septimum) *IN ECCLESIA SANCTI AMBROSII jacebant & erant sepulti septem Reges de Corona: qui dicti fuerunt Reges Engleriæ, & maximi Domini super totam Italiam: inter quos ultimus dictus est Rex Milo: qui genuit Alionum, de quo plura dicturi sumus. Isti Reges, dum viverent, stabant in uno Palatio magno inter Ecclesiam Majorem Sanctæ Mariæ & Canonicam Decumanorum: ubi erant multæ stantiæ. Inter alias erat una sala, quæ continebat decem millia personarum, & plus. In isto Palatio superius erat una cathedra marmorea, situata super duos leones marmoreos, qui tenebant duas Cruces in branchis suis: & ibi sedebat Rex, quando super Populum volebat arrengare. Extra Palatium erat in platea unus leo ex marmore, qui tenebat unam Crucem in brancha. Vexillum istorum Regum erat figura Herculis, tenentis unum leonem per caudam cum una manu: in altera manu tenebat baculum. Cum autem morerentur, sepeliebantur IN ECCLESIA SANCTI AMBROSII, in navello marmoreo rubeo, quod erat positum super duos leones marmoreos rubri coloris. ET ERAT IBI FIGURA HERCULIS, tenentis baculum cum una manu, & cum alia leonem per caudam: QUOD ERAT VEXILLUM REGUM, ut dictum est.* Sed & Capite rursus 286. idem *Gualuaneus*, descripta *Mediolani* eversione, historiam prosequitur his verbis: *Isto tempore Alico Comes Italiæ* (scilicet a *Friderico* recenter constitutus, ac natione *Germanus*) *moritur. Cujus corpus jussit Imperator sepeliri IN ECCLESIA SANCTI AMBROSII, in loco, ubi quondam fuerat tumulus Comitum Engleriæ. Et in illo navello, deleta imagine Herculis, tenentis leonem per caudam quod erat vexillum istorum Comitum, fecit sculpi imaginem istius Comitis Alico, & desuper deaurari. Et super navellum est UNA AQUILA, UBI CANTATUR EVANGELIUM ET EPISTOLA IN ECCLESIA SANCTI AMBROSII. Et hoc factum est, ut de illis Comitibus nulla extaret memoria.* Ex adverso autem *Mediolanenses* postquam in Patriam rediissent, quinetiam Sanctus *Galdinus* Archiepiscopus ac Legatus Apostolicus jam hic adesset; eodem *Gualuaneo* teste Cap. 292. Annoque *Christi* Millesimo centesimo sexagesimo octavo, *tunc Lissa de Lampugnano Consul Civitatis Jurisperitus, aliique Consules & Sapientes, plura fecerunt Statuta:* videlicet *Friderici* Statutis opposita. Inter quæ hoc item fuit: *Quod ossa septem Regum de Corona & aliorum Comitum Engleriæ in suo sepulchro reponerentur.* Hactenus e *Gualuaneo Flamma*. Sed profecto juvabit Chronico etiam *Flos florum* eadem confirmasse. Folio in primis 147. pag. 2. post hanc *Mediolani* deditionem sic habet: *Tunc* (Imperator) *constituit in Civitate Mediolani unum Ducem, genere Theutonicum, qui dictus est Alico: qui post paucos dies obiit, & fuit sepultus in navello Comitum Angleriæ IN SANCTO AMBROSIO.* Et paulo post: *Insuper omnes Comites Angleriæ, numero octoginta quinque, misit in exilium: aliquos Fontegium, aliquos ad Sanctum Petrum AD SALAM. Unus solus, scilicet Comes Vivianus, evasit, & Bononiam perrexit: QUI POSTEA SCRIPSIT CHRONICAM COMITUM ANGLERIÆ. De Comite Viviano nati sunt illi DE VIVIANIS de Barzanore. Omisso nomine Comitum de Angleria dicti sunt DE VIVIANIS: qui, per Civitates Lombardiæ discurrentes, Notarios Comites Judices Ordinarios faciunt. Quorum unus in Civitate Cumarum, nomine Beltramolus, moram trahit: qui & ipse Notarios facit isto Anno, Millesimo trecentesimo nonagesimo nono* (quippe hoc ipso Anno Auctor hujus Chronici hæc scribebat, ut alibi jam notavimus) *ut patet ex Privilegiis ipsius Beltramoli Viviani, & per Instrumenta publica de publica fide, per Testes fide dignos facta coram Abbate Sancti Petri de Clivate Anno Domini Millesimo trecentesimo sexagesimo quinto, subscripta per plures Notarios fide dignos: ubi etiam continetur,* QUOD IPSE VIVIANUS COMES ANGLERIÆ FUIT NATUS DE DOMO DESIDERII REGIS LOMBARDIÆ: QUI ET IPSE ERAT EX COMITIBUS ANGLERIÆ. Quæ quidem attende Lector, obsecro: & diligenter examina, num forte prævaleant ei etiam nostræ conjecturæ, quam Num. 432. opponebamus ei dominio, quod hac in Urbe *Gualuagnus* ille *Engleriæ* Comes habuisse dicebatur a nonnullis rerum Scriptoribus. Sequitur idem Chronicon: *Insuper Imperator, timens potentiam Comitum Angleriæ, omnes subito capi fecit: & fuerunt interfecti ex eis sexaginta tres; & viginti duo missi in Allamaniam, de quibus nunquam fuit auditus nuncius bonus, nec malus* &c.. *Item fecit dirui sepulchrum, in quo erant septem Reges de domo Comitum, & plures ipsorum Comitum: & ossa fecit dispergi.* Quocirca etiam postea fol. 150. pag. 1. in Annum *Christi* Millesimum centesimum sexagesimum octavum, sic etiam Consules *Mediolani* ex adverso sanxisse traduntur: *Quod ossa Regum Angleriæ, quæ dispersa erant, recolligerentur, & in tumulo suo reponerentur.* In hæc igitur tempora sic habet Chronicon *Flos florum*. At in superiora tumulum ipsum ejus-

ejusmodi Regum & Comitum *Angleriæ* nobis ita descripserat, ut hodieque nos eundem commonstrare possimus. Ecce enim quid folio 91. pag. 1. jam extaret: *Maximiani, Regis Angleriæ, vexillum patrimoniale fuit figura Herculis, tenentis leonem per caudam, habens in alia manu clavam elevatam.* Et paulo post: *Cum autem mortuus fuit*, SEPULTUS FUIT IN ECCLESIA SANCTI AMBROSII SUB PULPITO, UBI CANTATUR EVANGELIUM, IN SEPULCHRO PLENO IMAGINIBUS ET FIGURIS IN CIRCUITU. *Videtur autem vixisse tempore Theodori Mediolani Archiepiscopi: qui hanc Ecclesiam regere cœpit Anno Domini Quadringentesimo nonagesimo octavo.* Et rursus fol. 93. pag. 1. *Deinde Maximianus Rex, cum regnasset annis triginta quinque, mortuus est:* ET SEPULTUS FUIT IN SANCTO AMBROSIO, IN SEPULCHRO PLENO IMAGINIBUS, UBI CANTATUR EVANGELIUM: *ubi postea sepulti fuerunt septem Reges de domo Comitum de Angleria.* Utinam igitur tam veracia sint, quam expressa nobis etiamnum apparent, sepulchri ejus indicia.

CCCCXLIV. Marmoreum & singulare in *Ambrosiana* ista Basilica Pulpitum, sive Suggestum, adhuc extat, columellis item marmoreis superstructum: e quo Evangelium & Epistola inter Missarum solemnia cani, vel etiam Conciones aliquando musicique concentus haberi jam solent. E regione ipsius olim stabat illud *Herculis* simulachrum, de quo jam diximus Num. 102. 296. & 297. Ad hoc igitur Pulpitum duo adhuc extant sepulchra, ex Ecclesiæ pavimento eminentia. Unum est ad medium ejusdem latus, medio pariter Basilicæ sinui obversum. Est autem unica solummodo, nec valde capax, e silice arca, paululum etiam humi depressa: cujus tegmen unica & plana est e marmore tabula: cujus extremitati, Pulpito in longum conterminæ, binæ innituntur ejusdem Pulpiti columellæ, ceteris paulo breviores. In ejusdem porro tabulæ quasi medio discissa forte fuit in transversum aliquanta pars: quæ quidem ceteris ita cohæret, ut arcam commode nihilominus contegat; sed ea tamen suo amoveri loco facile potest; ac si amoveatur, oculis protinus se offert quidquid intus ibidem continetur. Hinc igitur compertum est, nosque ipsi nuper etiam conspeximus, unius cadaveris ossa, valde quidem jam comminuta, & cum his prægrande viri cranium ibidem contineri: nec aliud præterea quidquam, præter aliquot osseos rubri coloris orbiculos: e quibus forte olim filo de more insertis precatoria Corona, *Christiano* huic homini gestari solita, eidemque contumulata, constabat. Sed cujus aut qualis illa sint viri, hoc nobis indidem constare non potuit. *Joannes Franciscus a Basilica Petri*, tunc temporis Ordinarius Metropolitanæ Canonicus, qui postea *Caroli* nomen una cum religioso *Barbanitarum* indumento sibi assumpsit: in suo illo *Italico* de nonnullis *Mediolani* Ecclesiis Libro, cujus aliquoties jam fecimus mentionem: vide, obsecro, quid hac de re scripserit, cum de Basilicæ istius memorabilibus loqueretur. Sic enim scribebat: *Sotto il Pulpito, innanzi ad un' magnifico & antico Sepolcro, che dicono essere d'uno Imperatore* (hoc nobis esse Regum & Comitum *Angleriæ* Chronicum illud *Flos florum* expresse testabatur; sicut infra e nostra ejusdem Sepulchri descriptione constabit) *e un' altro Sepolcro* (scilicet illud, quod nos nuper describebamus) NEL QUALE SI TIENE ESSERE IL BEATO MANSUETO, ARCIVESCOVO NOSTRO: IL QUALE TUTTE LE NOSTRO SCRITTURE AFFERMANO CHE E IN QUESTA CHIESA. Ac Sancti quidem Archiepiscopi hujus nostri Corpus in hac Basilica conditum extare: nos item tali scripturarum traditioni consensimus jam

A Numero 27. Sic enim communi consensu tradidere omnes Archiepiscoporum nostrorum Catalogi, quos hactenus inter hæc Monumenta nominavimus, vel etiam ceteroqui aliquando legimus. Sic etiam *Gualuaneus Flamma* in Chronico Majori Cap. 174. & in Manipulo Florum Cap. 108. nec non etiam Chronicon *Flos florum* fol. 106. pag. 2. Sic etiam Breviarium nostrum *Ambrosianum*, postremo recognitum. Secunda enim Septembris die in matutina Sancti ejusdem *Mansueti* Lectione perenniter adhuc recitamus hæc verba: *Sancte constanterque administrata Ecclesia* (Mediolanensi) *moriens*, IN BASILICA AMBROSIANA SEPULTUS EST MAGNO POPULI CONCURSU: EJUSQUE
B RELIQUIÆ IBI REVERENTER ET PIE SEMPER CELEBRATÆ FUERUNT. Sic etiam *Philippus Ferrarius* in Catalogo Sanctorum *Italiæ*, in ejusdem Sancti Vita sub die decima nona Februarii. Sed hic tamen postea in ejusdem Catalogi Indice mutasse videtur sententiam: ejusdemque Sancti Corpus asseruit in Ecclesia Sancti *Stephani* conditum jacere. Forte siquidem illum ad hoc denique adegit ea illic Inscriptio, quam nos infra verbatim recitabimus: quave testatum legitur, ipsius etiam Sancti Archiepiscopi Corpus ibidem tumulatum esse. Nobis tamen adhuc in hac re ne propterea quidem a tot illis Testibus dissentiendum videtur.
C Quid si enim nomine illo Corporis, in *Stephaniana* Basilica extantis, pars tantum aliqua, vel etiam insignis, intelligi debeat? *Ferrarium* profecto ipsum, quinetiam *Baronium* & *Bellarminum* Cardinales, & alios, alio infra loco nos proferemus ejusmodi doctrinæ adstipulantes, eandemque præterea veterum Ecclesiæ Patrum testimoniis confirmantes. Quod si cui forte durum creditu hoc videtur; prælegat ipse interim, quæ illi docuerunt: *Bellarminus* utique *De Reliquiis Sanctorum* Lib. 2. Cap. 4. in fine: *Baronius* ad Annos *Christi* Quinquagesimum quintum Art. 15. & Septingentesimum sexagesimum quartum: *Ferrarius* autem in fine Indicis, quem Catalogo Sanctorum *Italiæ* adjecit. Ceterum in hoc
D *Ambrosiano* præcise Sepulchro illud ipsum Sancti *Mansueti* Corpus extare, solus adhuc nobis testatur *Joannes* ille *Franciscus a Basilica Petri*: ac ne nos quidem satis hactenus credimus. Sic etiam multo minus illud credimus, quod hoc ipso de Corpore affirmat *Joannes Baptista Villa* (quippe qui longe minoris est apud nos auctoritatis) in Libro de septem Urbis nostræ Stationalibus Ecclesiis, dum de *Ambrosiana* ista Basilica sic loquitur: *A mezza la Chiesa vi è un' Pulpito, ò sia Lettorile, di marmo, fatto all' antica: sotto al quale stauvi un' Arca mortoria, simil mente di marmo.* QUIVI VOGLIONO CHE VI SIA SEPOLTO IL CORPO DI SAN' MANSUETO SAVELLO ROMANO, ET ARCI-
E VESCOVO: *& altri vogliono vi sia sepolto uno di quegli Imperadori, che in questa Basilica sono sepolti: & altri vogliono vi siano sepolti i duo Diaconi di Sant' Ambrogio, ciò é, San' Castoe San' Polimio* (quos quidem nos Numero 302. ac deinceps ostendimus in proxima Sancti *Satyri* Ecclesia conquiescere) *in fine quivi bisogna vi sia sepolto qualche gran' Personnaggio.* Hactenus *Villa*. Cujus verba si conferantur cum superioribus *Joannis Francisci a Basilica Petri* verbis; inveniemus, eos duobus ac inter se diversis Sepulchris unum idemque Sancti *Mansueti* Corpus adjudicasse. Quippe *Joannes Franciscus* hoc illi adjudicabat, quod nos proxime descripsimus; *Villa* vero ei potius alteri, quod jam nobis describendum in-
F cumbit, quodque Regum & Comitum *Angleriæ* fuisse *Gualuaneus Flamma* & Auctor Chronici *Flos florum* asserebant; & hic quidem aliquanto expressius, quam ille. Hic siquidem hujusmodi Sepulchrum insuper asserit fuisse PLENUM IMAGI-

NIBUS ET FIGURIS IN CIRCUITU: quale profecto etiam in præsens sub eodem Pulpito conspicitur. Perampla illud est arca, e candido molis ingentis marmore excavata: eademque pariter e marmoris mole deforis eminent circumquaque imagines plurimæ, ac satis etiam eleganter scalptæ, multumque spirantes antiquitatis. Ac versus quidem Aram maximam expressa nobis apparuit *Eliæ* Prophetæ historia, quando curru equisque igneis in altum sublatus *Eliseo* suum dimisit pallium; sicuti narratur Libro Quarto Regum Cap. 2. Qua vero latus inde alterum vergit ad medium Basilicæ sinum, cernere licet *Christum* Dominum in Templo, cum duodennis tantum esset, in medio Doctorum disputantem: atque etiam velut ad pedes ipsi adscalptum hinc *Josephum*, inde vero *Mariam*: perinde ac si eum alloquatur in ea verba, quæ *Lucas* in Evangelio recitat Cap. 2. *Fili, quid fecisti nobis sic? Ecce Pater tuus & ego dolentes quærebamus te.* Neque vero tantum in hoc latere sed etiam in ceteris continuatas cernimus talium imagines Doctorum. Eadem porro arca candido pariter contegitur marmore, variis item imaginibus insculpto. In primo namque illo latere infantulus extat fascia involutus, ac velut in cuna reclinatus: cui duo jumenta, unum hinc, alterum inde (unumque bos absque dubio videtur, alterum vero vel equus vel asinus) aggeniculata consistunt. *Christus* ipse nobis visus est, statim ab ortu reclinatus in præsepio. Conjecturam quoque hujusmodi nostram illud etiam confirmavit; quod in cornu statim alterius lateris Deipara occursat sedens, ac *Christum* infantem gremio gestans, cui tres Viri (Pastores potius, quam Reges, videntur) munera offerunt. Ceterum in hoc ipso tegumenti latere aliquot aliæ visuntur imagines: quæ quorum sint, nos quidem adhuc ignoramus. *Christianus* certe quispiam hic quoque cernitur tractus ante Idolum, columnæ insistens: qui de cultu ipsi exhibendo quæsitus, vel ipso corporis habitu, ad speciem recusantis bene composito, constanter tantum nefas aversetur ac detrectet. Sequitur jam tertium latus, atrio Basilicæ obversum. In cujus quidem medio sculptum est *Christi* nomen, in Græcam litteram X, cui media intercedat littera P, contractum: quale scilicet *Constantinus Magnus* (*Eusebio* teste Lib. 1. de ipsius Vita Cap. 24. sicut etiam *Baronius* ad Annum *Christi* Trecentesimum duodecimum observat) in Labaro, quinetiam in galea sua gestare consuevit: eique pariter laterales hinc inde sunt Græcæ litteræ alphabetales, prima & ultima, Α & Ω juxta illud Apocalypseos Cap. 1. *Ego sum* Α *&* Ω, *Principium & Finis, dicit Dominus Deus: qui est, & qui erat, & qui venturus est omnipotens.* Sed & hinc inde tandem binæ adsunt aviculæ, rostro ad cibum inferne acclinato. Quarti porro lateris imagines vel ita conspectum effugiunt, vel ita sunt ad intelligendum obscuræ, ut de ipsis nihil nobis dicendum supersit. Quod vero tacendum non est: ejusmodi quidem arcæ operimentum superstructo usque ad suppedaneum Pulpiti fornicem opere ita prorsus jam impeditur, ut suo e loco dimoveri non possit; ac ne quidem, quid intus lateat, introspici. Quoniam igitur fide potius opus hic est; hoc utique sepulchrum congruenter ad indicia, quæ nobis protulit Auctor præcipue Chronici *Flos florum*, sine dubio illud est, e quo *Fridericus* everso Regum & Comitum *Angleriæ* ossa exturbavit. Tametsi vero illa postmodum a *Mediolanensibus*, ad Urbem reversis, restituta illuc sive in eandem fuerint arcam; credibile tamen nobis videtur, ipsummet etiam sepulcrum ab ipsis ad pristinam non fuisse restitutum majestatem, quam nobis *Gualuaneus* ipse *Flamma* describebat. Vel ipsamet arca jam videatur, quemadmodum eo nunc loci sine ulla congruenti substructione sita sit; nemo profe-

A cto nobis id negabit; quinetiam quisque præterea nobis assentietur, tanti operis sepulchrum antehac extitisse alibi, & in loco magis conspicuo, atque altitudini debitæ necessario; ut proinde tunc etiam ei leones marmorei substarent, præterea vero superstaret illa etiam *Herculis* figura, in cujus locum *Fridericus* sculpi fecerit ac deaurari Comitis illius *Alico* imaginem. Quid si vero ad dexteram illud quoque in Chori erat introitu? Quid si pariter huic ipsi lapidi marmoreo superstabat illic illud ipsum *Herculis* simulachrum, de quo nos jam Num. 102. 296. ac 297. diximus? Quid si non aliud hoc itidem erat,
B quam quod in præsenti *Fridericus* ex ejusmodi sepulchro detrahi jussit? Quod autem *Gualuaneus* idem *Flamma* rubeum appellabat navellum illud hujus sepulchri marmoreum, in quo Reges isti *Angleriani* sepelirentur; hoc ille fortasse dixit, vel quia ipsimet arcæ subesset aliquod e rubro marmore ornamentum, vel quia ipsamet arca ei propter pulverem rubricare visa esset. Certe quidem non aliud ipse hujus sepulchri navellum (sive sepulchralem arcam) designavit, quam illud, supra quod ipsius ætate, qua Chronicon scribebat, erat UNA AQUILA: UBI CANTATUR (ajebat tunc ipse, sicut etiam in præsens cantatur) EVANGELIUM ET EPI-
C STOLA. Sine dubio autem hoc non erat navellum illud, quod primo nos loco descripsimus, quodque nec rubrum, sed ne marmoreum quidem est; uti jam diximus. Reliquum est igitur, ut hoc tantummodo secundum indicare voluerit. Quidni enim supra istud quoque dicatur Aquila esse illa ænea: cujus dorso, tamquam lectorili, etiamnum inter Missarum solemnia superimponitur Epistolarum & Evangeliorum Liber? Cui quidem Aquilæ vetustissima pariter ex ære nunc etiam subest hominis effigies, eidem Pulpito antrorsum affixa: & hanc opinamur ob causam, ut per hæc duo symbola duo Sancti Evangelistæ *Joannes* & *Matthæus* de more
D juxta *Ezechielis* Cap. 1. prophetiam indicarentur. Sed enim de duabus hisce arcis sepulchralibus binæ nos item suspiciones adhuc solicitant. Si enim grandior & augustior hæc arca Regum erat & Comitum *Angleriæ*: quorum propterea *Ænobarbus* inde ossa extrahi dispergique jusserat, ibique postea Comitem suum *Alico* sepeliri; certe quidem nos identidem hoc suspicari compellimur; ut nostri postea *Mediolanenses* inde vicissim extractum Comitis *Alico* cadaver in hac viliore ac demissiore arca collocarint, velut ad pedes suorum *Angleriæ* Regum & Comitum, quos in primorem sui arcam nuperrime restituerant; utque tunc etiam istam, qualis qualis jam erat, sine
E primoribus aliis ornamentis sub Pulpitum contraxerint, ubi nunc etiam conspicitur, atque prædictum in modum occluserint. Sed per nos quidem ista probent alii, vel improbent, prout cuique videbitur. Eadem profecto tamen recitari saltem a nobis, & utcumque ad rei veritatem consequenter expendi oportebat; quippe cum a Scriptoribus prædictis, non modo narrata, verum etiam credita fuerint.

CCCCXLV. Kalendis Aprilis, in Dominica Palmarum, matutino videlicet tempore, *Fridericus* sacros ramos e Basilica tulit *Ambrosiana*; sicuti Num. 442. narrabamus. Eodem postea die *Papiam* revertit: proximoque Dominicæ Resurrectionis die splendidum Proceribus epulum dedit. Sed hæc ipsa no-
F bis recenseat *Acerbus Morena*, qui tunc ibi præsens aderat: maturumque jam erit tempus, ut Lector hinc ea discutiat, quæ Num. 418. & 439. discutienda reservabamus hunc in locum. *Ipso die Dominico Olivarum hæc Morenæ verba sunt) reversus est Imperator Papiam: & quicumque cum Imperatore Mediolani fuerat, domum reversus est. Fridericum, Bernardinus Corius* insuper asserit, hoc reditu secum advexisse sacra Magorum, quinetiam Sanctorum

ctorum *Protasii* ac *Gervasii*, *Naboris* ac *Fœlicis* Martyrum Corpora: quæ deinde in *Germaniam* transtulerit. Qua de re nos infra. Sequitur *Morena: Proximo die vero Paschæ fuerunt Papiæ fere omnes Lombardiæ Potestates* (quos aliter nos jam nominamus *Prætores*) *& quamplures Episcopi, & Marchiones, & Comites, aliique multi Nobiles Italiæ.* FUITQUE EA DIE IMPERATOR INCORONATUS PAPIÆ AD MISSAM IN ECCLESIA MAJORI, UNA CUM SERENISSIMA AUGUSTA, *cum magnis solemnitatibus, maximaque lætitia:* QUOD IMPERATOR IPSE ANNIS RETRO MINIME FECERAT. PROPOSUERAT ENIM, QUOD IPSE NUMQUAM CORONAM SUMERET IN CAPITE, DONEC MEDIOLANUM SUPERASSET. *Post Missam vero Imperator dulcissimus fecit invitare ad prandium suum omnes Italiæ Episcopos, Marchiones, Comites, & Civitatum Consules, qui ibi aderant.* INTER QUOS FUI EGO ACERBUS MORENA, QUI HUNC LIBRUM COMPOSUI: QUI TUNC ERAM POTESTAS LAUDÆ. *Comederuntque Imperator & Imperatrix cum Coronis in capite: cum quibusdam Episcopis, qui erant in mensa sua a dextris & a sinistris, cum Mitris in capite, & aliis ornamentis Episcopalibus. Et fuit ipsum convivium in Curia Episcopi Papiensis, ubi Papienses faciunt Concionem.* Hactenus *Morena:* quem concordes *Tristanus Chalcus* & *Bernardinus Corius* secuti fuere.

CCCCXLVI. *Friderico* interea perterrefacti sese dedunt *Brixienses*, & *Placentini*: nimirum illi die Dominico post Octavam Paschæ, isti autem die Veneris duodecima mensis Maii; quemadmodum idem *Morena* subinde narrare perigit. Cujus itidem sunt ista, quæ sequuntur: *Quibus omnibus fœliciter actis, dedit Imperator nobilissimus Brixiensibus & Pergamensibus in Potestatem Marcoaldum de Grumbach,* MEDIOLANENSIBUS VERO DOMINUM EPISCOPUM DE LEGIO (Civitas est in Belgio celeberrima, quæ *Leodium* aliter ac *Leodicum*, vel etiam *Legia* nuncupatur) *Placentinis autem primo dedit Aginulfum, deinde Arnaldum Barbavariam. Comitem Conradum de Balamite præposuit Ferrariæ, Cumensi Comitatui Magistrum Paganum: & sic in multis aliis Civitatibus & Castris alios præposuit. Cremonensibus, & Parmensibus, atque Laudensibus, & quibusdam aliis, permisit se sub propriis de ipsis Civitatibus regi Consulibus.* Eadem habet etiam *Chalcus:* ac de prædicto quidem Protestate *Mediolanensibus* dato isthæc habet expressius: MEDIOLANO AUTEM PRÆFECTUS FUIT HENRICUS LEODIENSIS EPISCOPUS. *Qui sparsam vicatim multitudinem quatuor veluti in ergastula coegit: pauloque remotius ab Urbe, quam sibi ipsi elegissent, sedes constituit; his Vigentini, illis Nocetæ (quæ non longe a Caravalle est) aliis Lambrati, aliis ad Canariam, aliis ad Syri Vepram designatis. Terminabaturque ejus jurisdictio Seveso fluvio, Legano & Busto Garulpho Oppidis. Corius* autem insuper addit, Comitatum *Mediolanensem* a *Friderico* sex in partes divisum: quarum singulis Procerem *Theutonicum* præfecerit: & quarum sextam esse voluerit *Mediolanum*, ex Urbe videlicet jam in Villas distractum. DOVE POSE (*Lombardica* sunt ipsiusmet *Corii* verba) ALICO EPISCOPO DI LEGIO. *Questo come Imperiale Vicario volse che gubernasse: e che anche de auctoritate fusse superiore a gli altri* (quos nempe ceteris ejusmodi partibus præfecerat) &c. *Alicum* proinde *Corius Leodiensem* hunc Episcopum nominat: quem tamen paulo ante nominaverat *Henricum*; quippe tunc præsentem, quando quinta Junii die proxima *Januenses Friderico* fidelitatem prope *Papiam* juraverunt. Ceterum *Gualuaneus Flamma* eundem hunc Episcopum *Mediolanensium* Potestatem atque Vicarium Imperatoris ap-

A pellat in Chronico Majori Cap. 285. *Berrutium*, & Cap. 288. *Beruzium:* in Manipulo autem florum Cap. 195. *Beruzum.* Hoc etiam denique loco ipsum affirmat a *Friderico* fuisse factum *Mediolanensem* Archiepiscopum; quippe cum perpetuo jam exilio damnatus ab eodem Imperatore fuisset Archiepiscopus *Obertus.* Sed procul a nobis esto, ut credamus, ea *Fridericum* fuisse mente ac voluntate, ut Archiepiscopum mox daret *Mediolano:* quod nuper ita diruerat, ut ne speciem quidem ac nomen Oppidi reliquum ei unquam esse vellet; propterea que incolas inde omnes facessere jussisset; atque vel ab ipso *Leodiensi* Episcopo ne habitare quidem prope dirutam
B Urbem sinerentur. Re quidem vera *Leodiensis* hujus Episcopi ac *Mediolanensium* Prætoris nomen *Henricus* fuit: nec alium per hæc tempora sui Episcopum agnoscunt Tabulæ ac Monumenta Episcopalis illius Ecclesiæ. Testis instar omnium sit nobis *Ægidius*, Aureæ Vallis Religiosus, apud *Joannem Chapeavillum* (mentionem utriusque jam fecimus Num. 160. & Num. 422.) Tomo Secundo inter Episcoporum *Leodiensium* Gesta, quæ ipse conscripsit, quæve *Chapeavillus* etiam ipse suis notis locupletavit. Cap. siquidem 40. in fine narrat, Episcopum *Alberonem*, hujus nominis Secundum, obiisse Anno Dominicæ Incarnationis Millesimo centesimo quinquagesimo quin-
C to, die sexto Kalendas Aprilis (vel, ut *Chapeavillus* ibidem observavit, undecimo Aprilis) Cap. autem 41. eidem mox canonice subelectum fuisse quarto Idus Maii, & a Metropolitano *Coloniæ Agrippinensis* Archiepiscopo *Arnulfo* Primo consecratum octavo Kalendas Julii *Henricum* nominis item hujus Secundum: & hunc Cap. 43. *Papiæ* tandem occubuisse pridie Nonas Octobris Anno Domini Millesimo centesimo sexagesimo quarto: qua de re nonnihil etiam infra nobis agendum erit, cum de trium Magorum Corporibus *Coloniam* translatis disseremus. Ecce vero tibi, Lector, quid eodem Cap. 41. *Ægidius* in præsentem quoque Annum de hoc Episcopo affirmet *Henrico. Is in prima expeditione Italica* (inquit ille) *qua Fredericus Imperator Mediolanum obsedit* (Annus
D vero *Christi* tunc erat quinquagesimus octavus supra Millesimum centesimum) *strenue se gessit, in omni negotio & consilio Imperatori assistens. In tantum autem familiaritate & amicitia ei complacuit;* UT, MEDIOLANO DESTRUCTO, OMNES REDITUS EPISCOPATUS CIVITATIS DIRUTÆ EI COMMITTERET; *ut in restitutione (ut ita dicam) Troiæ in relocandis aliis mœnibus, agrisque indigenis terræ ad placitum suum secundum statum novæ Villæ distribuendis, jam fieret alter Æneas.* Ipsum quippe *Fridericus* sui Vicarium & *Mediolanensium* Potestatem constituit; uti jam diximus. Sin autem videre præterea cupis plurima & ingentia miracula, quæ Sanctus *Bernardus Clarævallensis* Abbas *Leodii* patra-
E vit, cum profectus iterum illuc esset; hæc Capite 42. ejusdem *Ægidii* continentur. Quamquam etiam non satis adhuc nos discernimus, quemadmodum illa ibi dici possint patrata tempore quinetiam in conspectu *Henrici* hujus Episcopi: quæ ipse admiratus, ejusdem Sancti Abbatis suasu *Alnensem* fundaverit sub Regula Sancti Benedicti Abbatiam. Sanctus enim *Bernardus*, sicut etiam *Papa Eugenius* (de cujus mandato illuc eum tunc ad prædicandam ivisse Crucem *Chapeavillus* e Chronico *Gemblacensi* ostendit) jam obierant Anno *Christi* supra Millesimum centesimum quinquagesimo tertio; uti nos quoque Num. 408. meminimus. An ideo fortasse sic assertum, quia *Henricus* hic eo miraculorum tempore Præpositus & Ar-
F chidiaconus Majoris Ecclesiæ *Leodiensis* esset, factusque postea Episcopus Abbatiam illam fundaverit? Præpositus enim & Archidiaconus tunc fuisse videtur eodem teste *Ægidio* Cap. 1. Verumtamen hoc alii potius discutiant: nosque interim ad ulteriora festinemus.

CCCCXLVII. Post hæc, & alia ejusmodi multa, *Fridericus* (ut *Tristani Chalci* verbis utamur) *iturus in Flaminium, ex obsidibus Mediolanensibus, qui Papiæ custodiebantur, cæteris dimissis, centum tantum retineri jussit, & eos subinde per singulos menses demutari.*

CCCCXLVIII. *Alexander* interim una cum Archiepiscopo *Mediolanensi Oberto*, ceterisque ipsius sociis, *Genua* in *Galliam* profectus, *Claromonte* tandem congregato Concilio, *Victorem* ac *Fridericum*, eorumque Factionem sacro rursus anathemate perculit. Qua *Fridericus* re offensus, ut *Francorum* obsequio *Alexandrum* spoliaret; compositis *Italiæ* rebus, *Vesontionem* in *Burgundiam*, dotalem Uxoris regionem, iter una cum *Victore* instituit; ut ibi Concilium congregaretur pro redintegranda (sic enim obtendebat) veteri Ecclesiæ concordia: in quo ipsemet etiam *Gallorum* Rex *Ludovicus* una cum suis Episcopis ac Prælatis adesset. Fraude tandem ipsius comperta, noluit adesse *Ludovicus*. *Quare iratus* (*Fridericus*: & ista sunt *Sigonii* verba, e quo pariter proxima indicavimus) *ex Burgundia in Germaniam transiit: atque in Italiam Victorem & Rinaldum Archiepiscopum Coloniensem Legatum ad res moderandas dimisit.* Priusquam tamen ille in *Germaniam* transiret, in mensem Augustum *Acerbus Morena* narrat magnum Colloquium apud *Berenzonam* in *Lombardia* (notissimum est apud nos Oppidum, *Helvetiis* nunc subjectum) statutum fuisse: cujus judicio, quale describitur ibidem, *Alexander* Pontifex, *Raynaldus* ante hac vocatus, se subdere recusaverit. *Ita dirupto* (subdit *Morena*) *Colloquio, Dominus Papa Victor Cremonam ivit; Imperator vero cum Serenissima conjuge ejus Augusta, & aliis Principibus, & immenso exercitu proficiscitur in Theutonicam.* *Tristanus* enimvero *Chalcus* non aliud, quam *Vesontionense* (idque non ab Oppido aliquo, sed ab Urbe, in qua congregatum est) Concilium fuisse istud interpretatur. *Bernardinus Corius* in prima sibique contemporanea suæ Historiæ impressione paulo expressius sic scribit: IN BESENZONO DI LOMBARDIA *fu celebrato uno Concilio &c.* Atque sic etiam profecto nos legimus in duobus *Ambrosianæ* Bibliothecæ Manuscriptis, quibus *Morenæ* Historia *Laudensis* continetur, in haec præcise verba: *Æstatis vero prædictæ mense Augusto statutum est maximum Colloquium* IN LOMBARDIA APUD BESENZONUM; cum alioqui exemplar *Venetiis* impressum habeat, IN LOMBARDIA APUD BERENZONAM. Sicut igitur nos pro rei veritate legendum censemus, non BERENZONAM, sed BESENZONUM, quod idem est ac VESONTIONUM, aut VESONTIUM, aut VESONTIO; sic etiam consequenter legendum concludimus, non IN LOMBBRDIA, sed in BURGUNDIA; in qua utique Regione Civitas ac Metropolis illa sine dubio sita est. De hoc igitur Concilio idem *Chalcus* ita prosequitur: *Ita sine effectu dimisso Concilio, Aenobarbus cum Beatrice Germaniam, Victor Italiam repetiit, Cremonæque hyemavit.* Sed præterea etiam sic addit: *Henricus quoque Leodiensis, Præses Rerum Mediolanensium, Cæsarem trans Alpes secutus, curam Urbis* (an potius Suburbiorum?) *reliquit Petro Cuvin, avarissimo homini, & in emungendis pecuniis nulla non arte abutenti. Nulla fides, nulla pietas illi erat.* Quæ quidem *Tristanus* ipse singillatim mox explicat.

CCCCXLIX. Sequitur porro protinus *Morena*: *Post paucos vero dies remisit Dominus Imperator in Italiam Raynaldum Archicancellarium & electum Archiepiscopum Coloniæ; ut vice sua, quæ forent ordinanda in Italia, statueret ipse.* Sed quid mox in *Italia Raynaldus?* Ex eodem similiter constat illico *Morena*, hunc in modum prosequente: *Archicancellarius aliquantulum* IN LOMBARDIA, *& in Marchia, deinde Thuscia & Romania, singulas Civitates perambulans, sua solertia eximia omnes Civitates & Principes Marchiæ & Tusciæ atque Romaniæ ad Imperatoris amorem & obsequium mirabiliter provocavit:* ET AD HONOREM DOMINI PAPÆ VICTORIS QUOSDAM EPISCOPOS, REBELLES EI, DEPOSUIT, ALIIS IN LOCUM EORUM SUBROGATIS. Quod ipsum *Chalcus* noster his explicat verbis: DEMUM NONNULLOS SACERDOTUM, QUI VICTORI REFRAGABANTUR, SACERDOTIIS ET OPIBUS MULCTAVIT. Interea igitur sic etiam omni *Raynaldus* nobis videtur curasse ope, ut ad schismaticam *Victoris* Factionem nostros abduceret *Mediolanenses*, ac nominatim sacros Basilicæ hujus *Ambrosianæ* Administros: quos utique *Fridericus* ab omni molestia immunes hic morari permiserat. Ac profecto, si non Præpositum & Canonicos, certe tamen Abbatem ac Monachos abduxisse videtur. In sæculari hujus Urbis Clero bini erant Græco Cimiliarchæ (qui videlicet sacræ supellectili custodiendæ præessent) titulo insignes: in Metropolitana Sanctæ *Mariæ* Majoris Basilica unus, alter autem in hac ipsa *Ambrosiana*. Et hic quidem unus erat e Canonicis: quem Præpositus cum ipsis in unumquemque annum deligebat. Unus illis erat locus, REFECTORIUM CANONICORUM appellatus: in quo etiam fortasse tunc aliqui eorum (sicuti jam diximus Numero 255.) vel etiam omnes una simul aliquando reficerentur. In eum certe convenire soliti ad Capitulum erant: ibidemque communi consensu, sicut Ecclesiæ Custodes, sic etiam Cimiliarcham instituebant. Et hunc quidem instituebant servata hujusmodi formula verborum: *Tollite claves: & Dominus permittat vos bene regere ad honorem Dei, & hujus Domus, & Beatorum Ambrosii & Protasii & Gervasii.* Officium siquidem istius Cimiliarchæ hoc erat: *Tenere claves ornamentorum & Palliorum Ecclesiæ Sancti Ambrosii, & librorum, & Planetarum, & ornamentorum, maxime Canonicorum: & imperare Custodibus, ut occludant & aperiant Ecclesiam: & recipere ducentas libras olei, quas dat Dominus Archiepiscopus, & libras viginti quatuor ceræ, & libras duas incensi, quam ceram & incensum dat similiter in anno Dominus Archiepiscopus: & facere ornare Ecclesiam & Altaria Sancti Ambrosii diebus congruentibus: & aperire, vel facere aperiri Altare* (scilicet Majus & aureum, quod ad cautiorem custodiam tunc etiam erat asseribus circumseptum) *vel per se, vel per nuncium suum: & recipere* (prout nimirum infra explicabimus) *oblationes, quæ fiunt in Ecclesia, & dividere per Canonicos, & assignare, sicut tenetur.* Talibus enim verbis tam institutionem, quam munus ipsum *Ambrosiani* Cimiliarchæ, nobis descriptum reliquit Secundus Testis per Canonicos in eo processu, de quo supra dictum est (præterquam quod toto passim Processu eadem constant) productus: *Manfredus* videlicet *Oculi blanci*, Anno Millesimo ducentesimo primo, die Mercurii tertia decima mensis Decembris examinatus. Priusquam tamen ipsius testimonium recitare progrediamur; explicemus, obsecro, quem ad finem Archiepiscopus oleum illud ceram & incensum quotannis huic *Ambrosianæ* Basilicæ dare solitus esset; sed & præterea recenseamus, quomodo reciperentur oblationes illæ ac dividerentur. Oleum nempe deserviebat cicindilibus (usitatissimum apud nostrates vocabulum erat) hoc est, lampadibus, quæ, ad illuminandum Beati *Ambrosii* Chorum, in eo pensiles perenniter ardebant. E singulis autem octo illius ceræ libris conflabantur cerei quatuor, qui eodem in Altari accenderentur singulis trium festivitatum, ad quas hic celebrandas idem Archiepiscopus cum Capitulo suo Metropolitano quotannis veniebat. Erant autem duæ Sancti *Ambrosii* (una Ordinationis, altera Obi-

Obitus, sive Transitus ad æternam beatamque vitam: quarum illa in mensem Decembris, hæc in Ferias incidit Paschales) tertia vero Sanctorum *Protasii* simul & *Gervasii*. In iisdem porro festivitatibus, atque illo præterea triduanarum Litaniarum die, quo ad Basilicam istam de more procedebat cum reliquo Clero & Populo Archiepiscopus, incensum item illud adolebatur. Quod attinet ad oblationes: ita nobis comperta res est. Ea nocte, quæ singulas Sanctorum *Ambrosii* ac *Protasii* simul & *Gervasii* festivitates præcederet, Abbas Monasterii faciebat, ut arca in id opportuna deferretur ac sisteretur juxta Sancti *Ambrosii* Altare, sed a tergo. Adstabant ibi postea Nuncii sive Ministri duo, Monachorum unus, alter Canonicorum: quæve offerentur, eadem in arca collocabant. Hæc denique occlusa clavi, quæ penes Monasterii Ministrum erat ac remanebat, deferebatur inde in CIMILIARCHIAM, post idem Altare sitam: ibique sic occlusa remanebat & ipsa sub custodia Cimiliarchæ, quoadusque coram ipso per Monasterii Ministrum aperiretur, atque Monachos inter & Canonicos fieret præscripta earumdem oblationum divisio. CIMILIARCHIA porro illa ibi erat, ubi nunc Chorus & Odæum extat: eademque per hæc tempora vocabatur etiam TRIBUNAL, ac SEDES EPISCOPORUM, & EPISCOPALE. In hoc siquidem loco marmoreæ adhuc extabant Episcoporum Sedes illæ, de quibus nos jam diximus Numero 20. Quocirca etiam ibidem aliquando interea conspecti sunt Episcopi sedisse, ad Basilicam profecti. Sic etiam ipse pariter Archiepiscopus sua illic in Sede, inter Episcopales media (quæ superest adhuc) toties tapeto instrata sedebat, quoties in hac Basilica Missam in tribus prædictis festivitatibus celebraturus esset. Ceterum in eodem loco scrinia nihilominus erant & arcæ, quibus Basilicæ thesaurus (sic enim vocabant) sub Cimiliarchæ custodia continebatur: eidemque propterea loco CIMILIARCHIÆ cognomentum fuerat inditum. Et hæc quidem omnia nos fideliter e prædicto Processu identidem testata deprompsimus. Nunc ad promissum *Manfredi* testimonium. Qui quidem juratus ante omnia sic incipit: *Quadraginta & duo anni & plures sunt, quod utor & usus sum in Canonica Beati Ambrosii: & viginti & septem anni sunt, quod sum Canonicus Ecclesiæ Beati Ambrosii.* Atque per hoc etiam tempus aliquando Cimiliarchæ ministerium obierat, quinto nimirum ante anno. Ejusmodi ergo Testes super hoc præcise inter alia interrogabantur: *Si alteri Clerici, vel Sacerdotes, habuerunt claves Paramentorum &. Altaris, quam Cimiliarcha & Canonici.* Cui quidem interrogationi Primus Testis (jam loquimur de productis per Canonicos) *Honestus de Cosenigo*, pariter Canonicus, ita respondit: *Non, quod sciam; nisi quod Monachi habuerunt* PER THEUTONICOS TEMPORE SCHISMATIS ET DESTRUCTIONIS MEDIOLANI *claves; & quas claves ipsi tradiderunt Canonicis* SECUNDUM PRÆCEPTUM BEATI GALDINI ARCHIEPISCOPI, *ut credo.* Sed & postea rursus hunc in modum interrogatus fuit: *Si scit, vel credit, quod aliquis Archiepiscopus, & præsertim Beatus Galdinus Archiepiscopus, dedisset claves Paramentorum & Altaris quondam Satrapo* (ex Canonico Præpositus hic fuerat) *vel alii de Canonicis.* Ipse vero respondit: *Nescio. Sed audivi, & credo, quod Monachi habuerunt claves Altaris & ornamentorum Ecclesiæ* TEMPORE SCHISMATIS: *& quod,* PRIUSQUAM DOMINUS GALDINUS VENIT ROMA MEDIOLANUM, *fecit reddere Præposito & Canonicis ipsas claves, & etiam ornamenta.* Ceterum Secundus ille Testis, *Manfredus*, ad primam interrogationem ita respondit: *Non, quod recorder;* NISI TEMPORE DESTRUCTIONIS MEDIOLA-

A NI, *quo Monachi ipsas habuerunt injuste* A QUODAM CARDINALI TENIOSO, *ut credo, & audivi.* Forte autem Cardinalis ejus vocabulo *Raynaldum* ipsum *Coloniensem* designabat, *Victoris* Antipapæ fautorem acerrimum: qua in re decipi tunc erat facilius; quia purpureus necdum color indumentorum Cardinales a ceteris Prælatis distinguebat; sicut eos postea distinguere a pileo cœpit ex decreto Concilii *Lugdunensis*, Anno Millesimo ducentesimo quadragesimo quinto celebrati. TENIOSUM vero etiam illum appellavit; quia fortasse caput illi erat eo infectum morbo, quem Italice TEGNA nuncupamus, vel saltem simile quippiam ostentabat. Quod

B si hoc non placet, quippe cum non ita illum *Morena* in fine suæ Historiæ describat; forte etiam ita dixit, quia ei, utpote Schismatico, morbosum erat mysticum Caput, Antipapa, cui pertinaciter adhærebat. Ad secundum vero interrogationem idem ipse *Manfredus* sic respondit *Nescio: & nescio, quid inde credam; quia non interfui.* Tertius vero Testis, itidem Canonicus, quinetiam in præsens Cimiliarcha, nomine *Guitfredus*, ad primam luculentius præ ceteris Testibus ista respondit: TEMPORE DESTRUCTIONIS MEDIOLANI ET SCHISMATIS, *quia nec Præpositus, qui tunc erat (scilicet Satrapus) & neque aliquis Canonicus voluit* CONTRA ROMA-

C NAM ET MEDIOLANENSEM ECCLESIAM (quippe quæ fidelitatem *Alexandro* Papæ jam juraverat) JURARE; *Canonicam & Ecclesiam Beati Ambrosii & omnia sua Canonici tunc reliquerunt: & Monachi jurantes sacramentum illud, ibi steterunt: & claves ipsas, sicut audivi, habuerunt* PER RAYNALDUM CANCELLARIUM IMPERATORIS. Quod si hæc ita se habent; Canonici ergo in fide *Alexandro* data constantiores Monachis fuerunt; propertereaque tantum inde detrimenti retulerunt. Atque hoc etiam illud erat, quod Sanctum *Galdinum* postea graviter metuere cogebat, ne *Mediolanensis* periclitaretur Ecclesia, quemadmodum in ejus Vita legi-

D mus. In qua protinus & ista: *Præsertim cum eo tempore Civitas dirupta jaceret, & Populus, sub jugo captivitatis duræque servitutis detineretur.* SED ET SACERDOTES ET CLERICI, QUI FIDEM ET UNITATEM SERVANTES PRÆFATUM SUMMUM PONTIFICEM (*Alexandrum*) INVOCARE AUDEBANT, VARIIS A SCHISMATICIS AFFICIEBANTUR SUPPLICIIS.


CCCCL. Mirarisne vero Lector, quod Monachi isti tunc temporis *Ambrosiani* ad *Victorem* Antipapam, impellente *Raynaldo Coloniensi*, nec non etiam stimulos fortasse acriores adjiciente studio Basilicæ ac

E Monasterii hujus conservandi, ne Schismaticis obstinatissimis in potestatem vel etiam prædam & direptionem daretur, defecerint? Sed profecto magis etiam mirandum esset; si jamtum *Cistercienses* fuissent; quales alioqui erant, qui non procul ab Urbe ad *Charavallem* habitabant (Numero 383.) cujus etiam Monasterii Monachus olim fuerat *Alexander* (Numero 424.) & quorum Schisma nos jam Num. 439. observavimus. Quamvis enim omnibus expositi jam essent Imperatoris injuriis; colligere tamen illi magis animos idcirco etiam debuissent, ne ab Ordine suo *Cisterciensi* hac in parte quicquam desciscerent. Scite *Baronius* ad Annum Millesimum centesimum sexagesimum primum Art. 4. e Sancti

F *Anthelmi* Episcopi *Bellicensis* Vita apud *Surium* Tomo Tertio, die 26. Junii, hæc recitat: ORDO CARTHUSIANUS PRIMUS ANTE OMNES *in Ecclesia Occidentali, quemadmodum satis constat, Alexandrum pro Catholico & vero Pontifice habendum, eique præstandam obedientiam, confirmavit.* &c. Et paulo post: *Interim vero,* PRÆEUNTIBUS CARTHUSIANIS AC CISTERCIENSIBUS, *Alexan-*

der

der Pontifex a Gallis, *Hispanis*, *Britannis brevi receptus est.* Poteratne vero *Sigonius* talem ob causam *Cistercienses* ad eundem Annum elogio celebrare nobiliori, quam istud sit, quod proxime sequitur? FLOREBAT TUM (inquit) ORDO CISTERTIENSIS, *Archiepiscopis Episcopisque multis*, *&* *Abbatibus plusquam septingentis*, *& Monachorum multitudine innumerabili præditus. Hi quotannis Concilium apud Cistertium celebrabant: &*, *quæ e Republica erant*, *decernebant. Itaque*, *proposita præsenti pontificia causa*, *publico decreto Alexandro se ad junxerunt*, *atque maximas ei parti vires addiderunt. Quibus rebus Fridericus incensus*, *Edictum proposuit: Ut omnes Cistertiensis Ordinis Monachi*, *qui in Regnis suis agerent*, *aut Victori subscriberent*, *aut Regnis suis excederent.* QUARE NUMERUS EORUM INGENS, RELICTIS SEDIBUS SUIS, IN FRANCIAM COMMIGRAVIT. *Quinetiam Episcopos multos*, *licet sanctitate insignes*, *quia Alexandro dediti erant*, *Sedibus suis ejecit*, *atque alios in eis imposuit.* Veraciter propterea *Gulielmus* etiam *Neubrigensis* Lib. 2. Cap. 9. scribebat in hæc verba: *Parebatque ei* (Alexandro) *in eis*, *quæ ad curam spectant pastoralem totus Orbis Latinus*, EXCEPTIS PROVINCIIS ALEMANNICÆ DITIONIS. *Imperator enim ex privata simultate semel in reprobum sensum datus*, *& vel a ratione vinci indecorum Imperatoriæ reputans Majestati*, *multo tempore distulit palmam dare perspicuæ veritati.* Sed ad Monachos tunc temporis *Ambrosianos* revertamur. De ipsis profecto tacendum saltem non est, quod subinde tamen a celebratione Missarum abstinuerint: terrore videlicet ac reverentia, sicuti nos interpretamur, Censurarum (quid enim causæ poterat aliud esse?) quas ab *Alexandro* Papa promulgatas ipsi propterea perjurio illo suo, tametsi per vim ac metum sibi extorto, incurrissent. Testimonio nobis est ex eodem Processu Domnus *Ubertus*, ejusdem Monasterii Monachus & Sacerdos, in ipsius Monasterii favorem quarto loco testatus in hæc item verba: *Et recordatur*, *quod Canonici illius Ecclesiæ tempore Præpositi Martini*, *& Præpositi Alberti de Sancto Georgio*, *& Præpositi Lanterii de Castilliono*, *ac Præpositi Satrapi*, *consueverunt* (*scilicet illi*, *qui pro temporibus illis erant*) *facere qualibet die hebdomada celebrare tantum unam Missam valde tempestive*; EXCEPTIS DIEBUS LUNÆ, IN QUIBUS, PROPTER COPIAM GENTIUM VENIENTIUM AD ILLAM ECCLESIAM, QUALIBET DIE LUNÆ PERMISSUM FUIT EIS CELEBRARE DUAS MISSAS. *Et illas duas vidit eos ipsis diebus Lunæ multum tempestive & valde expedite celebrare*, *quod non præstabant impedimentum Monachis ad eorum Officia celebranda. Sed etiam tam festinanter eas finiebant*, *quod ipse* (Domnus Ubertus) *& alii Monachi illius Monasterii Primam eorum habebant cantatam antequam Sol oriretur quandoque*; EXTRACTO TAMEN TEMPORE, PER QUOD MEDIOLANUM STETIT DESTRUCTUM, IN QUO NON FIEBANT ALIQUÆ MISSÆ IN ILLA ECCLESIA. Quod quidem Secundus etiam Testis proxime innuerat, sicut & deinde Quintus.



A.C. 1163. CCCCLI. Jam sequitur Annus *Christi* supra Millesimum centesimum sexagesimus tertius, ac *Turonensi* præsertim *Alexandri* Papæ Concilio insignis. Plura de ipso videri possunt apud *Baronium*. *Sigonius* hæc breviter ad nostrum institutum: *Alexander*, *Parisios profectus*, *Concilium Turonum in Pentecosten indixit.* Et paulo post: *Octo inde post Pentecosten diebus frequentissimum in Turonibus Episcoporum Abbatumque Concilium habuit. Ibi vero & Acta Concilii Papiensis rescidit*, *& sacras adversus Victorem & Fridericum detestationes redingravit.* &c.

CCCCLII. *Tristanus* item *Chalcus* in hunc An-

A num hæc nobis suppeditat: *Interea Leodiensis Episcopus*, *cognito*, *Vicarium suum*, *Petrum Cuvin*, *avare nimis se gessisse*; *ineunte jam Septembri mense Anni sexagesimi tertii*, *cum abrogavit*; *alterumque dedit*, *nomine Fridericum*, *Clericum a ludo litterario Grammaticesque professione petitum. Qui*, *& præsenti inopia & recenti dignitate impulsus*, *brevi ditescere nixus*, *nihilo melior Petro fuit. Quæ ille residua fecerat*, *quæ Tertiæ Quartæque nomine miseris relinqui solita erant*, *nova Charybdis integra absorbuit.*

CCCCLIII. Octobri postea mense *Fridericus* una cum sua Conjuge, atque *Raynaldo Coloniæ* Archiepiscopo, multisque aliis (quos *Acerbus Morena* enu-
B merat) e *Germania Laudam* Urbem accessit: eodemque mox ab Urbe *Cremona* sese *Victor* Antipontifex recepit. Circa medium postea Novembris *Papiam* fuit: cumque *Modoetiam* inde tendens, atque per *Viglentinum* nostræ Urbis Suburbium tertio Nonas Decembris transiens, a miseris ibi *Mediolanensibus* fuisset obsecratus præsertim, ut obsides e carceribus dimitteret; annuit ille quidem, sed ab ipsis extorta pecunia; sicuti *Chalcus* initio Libri undecimi recenset.

CCCCLIV. Proximi Anni Februario mense in A.C. 1164.
Picentes Fanum profectus, Kalendis deinde Aprilis revertitur *Laudam*, & paulo post *Papiam*. Interea vero, *Venetis* pecunias suppeditantibus, *Veronenses*
C & *Paduani* ac *Vicentini*, ceterique de illa Marchia (ut loquitur *Morena*) præter paucos Imperatoris fideles sese ipsi opposuerant; quia scilicet ab ejus ministris enormiter gravarentur; quorum inhumanitas plusquam barbara, inexplebilis avaritia, sævitia intolerabilis erat. Legantur etiam *Chalcus*, *Corius*, & *Sigonius*. *Proximo vero mense Junio* (subdit Morena) *profectus est Imperator cum militibus Civitatum Lombardiæ & cum paucis Theutonicis usque prope Veronam: & multa Veronensium Castra & Villas dissipavit. E contra Veronenses cum multo majori peditum & equitum agmine se Imperatori opposuerunt. At Imperator considerans*, *paucos Theutonicos secum fore*, ET LOMBARDOS TEPIDE AD EJUS AUXI-
D LIUM VENISSE: *bellumque*, *si tunc committeretur*, *damnosum sibi futurum pavescens*; *cum toto suo exercitu reversus est. Quo dolore commotus*, *in Alemaniam*, *causa congregandi maximum Theutonicorum exercitum*, *ire disposuit.* Vide, obsecro, quid in rem præsentem interea in *Angliam* scripserit ad Sanctum *Thomam Cantuariensem* Archiepiscopum ejus apud *Alexandrum* Papam Nuncius, cujus Epistolam recitat Art. 30. *Baronius.* URBES ITALIÆ (scribebat) MINUS SOLITO PROMPTÆ SUNT IN OBSEQUIUM EJUS: *adeo quod Papienses & Cremonenses*, *per quos Italiam domuit & contrivit*, *ei in facie resistant: denunciaverintque ei*, *quod ab eo recedent omnino*, *nisi deponat tyrannidem*, *& civiles induat*
E *mores*; *ut liberi esse possint*, *sicut in diebus aliorum Imperatorum:* Idem igitur *Morena* paulo post narrando sic prosequitur: *Sequenti vero mense Septembri Imperator cum Imperatrice*, *causa colligendi exercitum*, *ut superius dictum est*, *in Terram Theutonicam cum omnibus fere*, *qui secum erant ex Theutonicis*, *perrexit: suosque Missos & Procuratores per omnes fere Lombardiæ Civitates*, *qui sua jura*, *suasque rationes*, *quas in Lombardia habere debebat*, *colligerent*, *dimisit.*

CCCCLV. Ceterum iis, quæ nuperrime nos ex *Acerbo Morena* recitavimus, isthæc ille præmiserat: *Dominus vero Papa Victor die Lunæ primo men-*
F *sis Aprilis in Civitate Lucæ Fati munus implevit. Cujus sanctis meritis* (credite posteri) *dicitur*, *Deum multa fecisse ibi miracula.* Quod quidem impudens figmentum *Baronius* acerrime refellit ab Art. 27. usque ad 31. quo denique talibus in ipsum verbis invehitur: *At cum a tot nobilibus ejus temporis scriptoribus Octaviani* (hoc est, *Victoris* Antipapæ) *obitus miserandus*,

randus, sepultura infamis, redempta minis describatur; A tamen qui inhærebat Frederico Imperatori Otto Morena *Laudensis* (non ipse, sed *Acerbus* ejus filius re vera fuit) *in gratiam schismatici Domini, & ad consolationem consortum Schismatis, schismaticus ipse mendaci stylo asseruit, eundem Octavianum Antipapam claruisse miraculis. Quem & non Schisma tantum, sed & publica etiam latrocinia oportuit ad Inferos demersisse, toto id Orbe Catholico conclamante.* Subsequitur illico *Morena*: *Deinde in locum ipsius* (Victoris) *Dominus Guido Cremensis substituitur a Cardinalibus tunc ibi existentibus, & a Domino Raynaldo Archicancellario, ac Episcopo Laudensi* (nos *Leodiensi* potius legendum conjicimus ex iis, quæ mox dicemus) *& aliis quibusdam Episcopis, in Apostolicæ Sedis honorem sublimatus est.* B Huic autem *Paschalis* Tertii nomen indiderunt: nec non etiam ipsius electioni monitus consensit Imperator, qui jam profectus in *Germaniam* erat; sicut ex *Alexandri* Papæ Actis, apud *Baronium* Articulo 28. recitatis, liquido constat. Illa quidem sic habent: *Ne in malo proposito suo* (Fridericus) *superari videretur & vinci; tantæ iniquitati; Dei timore postposito, absque dilatione consensit; & extinctum Schisma, quantum potuit, resuscitare omnino studuit. Ad majorem vero suæ damnationis cumulum, ut Catholicos forte detineret, & complices suos in malitiæ haberet fortiores, addens peccatum peccato, juravit ore proprio super sancta Dei Evangelia, quod dictum Guidonem ejusque Successores haberet Catholicos Papas, Ale-* C *xandrum vero ac Successores ejus semper Schismaticos teneret.* IDIPSUM QUOQUE VIROS ECCLESIASTICOS, QUOUSQUE FACERE POTUIT, NIHILO MINUS JURARE COEGIT. Novus vero hic Antipontifex ab *Henrico Leodiensi* Episcopo, *Mediolanensium* Prætore, qui tantum illud honoris fastigium recusaverat, consecratus, sive potius execratus fuit. Quocirca Lectorem hic nostrum nos monemus, ut caute legat, quæ Religiosus Aureæ Vallis *Ægidius* incaute (ne quid deterius suspicemur) hac de re in hæc verba conscripsit Cap. 44. quæ profecto miramur, quomodo eruditissimi censuram *Chapeavilli* effugerint. Inquit enim: *Cum ad hanc secundam* (Frederici) *expeditionem se contulisset Henricus Episcopus; accidit, ut Victor Papa Quartus in Civitate Italiæ Luca migraret ad Dominum* (quanto verius in prædictis *Alexandri* Papæ Actis apud Baronium Art. 27. de ipso legitur? IMPOENITENS ET EXCOMMUNICATUS DE HOC MUNDO MIGRAVIT AD INFEROS) *& omnium vota in eum tenderent, eumque Apostolica* (nos *Apostatica* dicamus) *Cathedra dignum a minimo usque ad maximum* (nempe Schismaticorum: egregia profecto laus!) *acclamarent. Sed ille multa reluctatione multisque precibus* (utinam ex virtute zeloque Catholicæ unitatis) *honorem declinavit. Electum deinde Papam Paschalem (a quo Pallii dignitatem invitus lachrymansque accepit) nec non & Regem Sardiniæ, nomine Burazam* (aliter *Barisonem*, de quo *Chalcus* & *Sigonius* in hunc ipsum Annum) *ab Imperatore coronatum, consecravit.* Dignum scilicet patella operculum.

CCCCLVI. *Interea Mediolani novis vexationibus novisque tributis Populus exagitati: Chalcus* inquit, atque mox singillatim enarrat. Tum vero sic etiam concludit: *Auxit temporum calamitatem rei sacræ longe omnium eminentissime jactura. Erant* TRIUM MAGORUM, *qui Christum Deum recens natum adoraverunt*, CORPORA *in suburbana Divi Eustorgii Aede, prægrandi sepulchro, quod & extat, clausa. Quorum excellentiæ admonitus Raynaldus Præsul*, EA SIMUL ET OSSA NABORIS ET FÆLICIS *quarto Idus Junii sustulit, & in suæ Diœcesis Metropolim transtulit; ubi adhuc summa Populorum veneratione coluntur.* Sed præstat etiam hic attexere, quod ille mox addit: *Augusto mox mense Henricus Leodiensis Episcopus Papiæ moritur. Cui in Præfectura Mediola-*

Hanc, Trium Magorum sepulchri figuram, & qua ratione eorum corpora Mediolanum delata sint, ad historiæ hujus elucidationem hic inseri curavimus.



Legitur in quadam Chronica, quod B. Eustorgius in fine sui Archiepiscopatus Sanctorum trium Magorum corpora Mediolanum deduci fecit: Cum enim (ut ibi dicitur) tunc temporis Patriam suam Constantinopolim revisisset, Archam magnam marmoream, quam juga Bouum sexaginta, ut intuentibus liquido patet, vix trahere possent, cum dictorum Regum pretiosis corporibus Navi imposuit, & per Mare usque Venetias prospero gressu; exinde vero usque Placentiam contra Padi fluenta navigio feliciter deduci fecit: In Placentia autem dictam Archam cum ipso pretioso thesauro in curru cujusdam Aurigæ, qui Boz dicebatur posuit, super cujus Arcæ summitatem Angelus Domini de cœlo descendit, cujus administerculo suprascriptus eam cum duabus parvis Vaccis de Placentia usque ad tria milliaria prope Mediolanum feliciter conduxit. Nocte autem illa qua ipse Boz auriga prædicto in loco prope Mediolanum pernoctavit cum pretioso thesauro, quidam lupus superveniens unam ex ipsis Vaccis interfecit, quam jam mortuam comedere cæpit: Tunc jam supervenit B. Eustorgius, qui negotium cernens, eidem lupo præcepit in virtute spiritus sancti, ut Vaccæ Mortuæ offitium ipsemet supplere deberet, qui statim Beati Viri jussa complens jugo colla submisit & currum taliter onustum per optime cum alia superstite Vacca Angelo Domini Duce usque propè Mediolanum conduxit; propter quod miraculum illo in loco ubi interfecta fuit prædicta Vacca, ædificata fuit quædam solemnis Ecclesia, quæ nuncupata fuit Ecclesia de Bacchivacca, quæ etiam prima fuit Ecclesia, quæ in Comitatu Mediolani unquam ædificata fuerit. Cum vero B. Eustorgius ubi tantum recondere deberet thesaurum ignoraret, se devote in oratione posuit, ut ad locum magis Deo gratum deduceretur; & statim Augelus Domini super ipsam Archam apparuit, cujus nutu sine alio regimine prædicti lupus, & Vacca ad transversum per sepes & fossata usque ad magnum lutum, ubi nunc Ecclesia ipsius Beati Eustorgii habetur, Archam cum corporibus conduxerunt, & in medio luto, in quo multorum erant Martirum corpora ab infidelibus turpiter projecta, ipse Angelus Archam suprascriptam cum ipsis prætiosis Sanctorum Regum corporibus solemniter collocavit, & dimisit. Beatus autem Eustorgius volens ipsa veneranda Sanctorum Regum corpora honorare. In ipso luto circum ipsam Archam, quandam ædificari fecit Ecclesiam, quam vocari voluit Ecclesia trium Regum, sed modo dicitur Ecclesia Sancti Eustorgii pro eo quod ipse ibi honorifice sepultus fuit; In qua quidem Ecclesia prædicta Sanctorum trium Regum corpora amplius Octingentis Annis in magna populi veneratione sunt habita usque ad tempus FEDERICI Imperatoris, qui Anno Domini M. C. LXII. de mense Martii Mediolani civitatem destruxit, & prædicta SS. Regum corpora Coloniam transportari fecit, ubi usque hodie in magna veneratione habentur. HEC in præfata Chronica. B. autem Eustorgio surcessit Sanctus Dionisius. & post ipsum eximius præsul, & Doctor Ambrosius: Cui &c.

diolanensi sufficitur Marchoaldus Grumbach, & *illi Ruynus in Triciana.* Tempus igitur jam est, ut de Sanctorum ejusmodi Magorum in *Germaniam* translatione disseramus: nec non etiam una simul perquiramus, an illuc itidem translata hoc tempore hinc fuerint aliorum Corpora Sanctorum, ac præsertim nostratum *Protasii* & *Gervasii* Martyrum: quibus sub Ara maxima simul cum Sancto *Ambrosio* conditis perenniterque custoditis Basilica ista in hodiernum usque diem gloriatur, atque majori cum religione a *Mediolanensibus* hoc etiam titulo frequentatur & colitur.

CCCCLVII. Quoniam vero *Leodienses* dolenter hoc sibi saltem gratulantur, quod ejusmodi Magorum Corpora sibi prius ab Imperatore promissa fuissent; videamus in primis, quid hac de re scribat Religiosus Aureæ Vallis *Ægidius*, paulo ante a nobis notatus: cujus etiam mentionem huc pertinentem faciebamus Num. 422. & 446. Sic igitur ille scribit Cap. 44. *Contigit quoque illis diebus* (secundæ *Frederici* in *Italiam* expeditionis) *ut*, *Domino revelante*, *in quadam Ecclesia juxta Mediolanum Corpora trium Magorum* (*qui*, *ut in Evangelio legitur*, *Domino in cunabulis pretiosa munera obtulerunt*, *Aurum scilicet Thus & Mirrham*) *reperta fuerint. Henricus*, *qui valde charus erat Imperatori*, *rogavit Regem*, *ut ad honorem suæ Ecclesiæ prædicta Corpora ab illo loco*, *in quo inventa erant*, *ad Urbem Leodiensem permitteret transferre. Qui cum annuisset*, & *ei tantum thesaurum dedisset*, *sicut a Majoribus nostris audivimus*; *in reditu Italiæ apud Papiam defunctus est pridie Nonas Octobris*, *Anno Dominicæ Incarnationis Millesimo centesimo sexagesimo quarto*, *Indictione duodecima. Cujus ossa relata sunt Leodium*, & *in Majori Ecclesia decenter humata tertio Kalendas Octobris* (nos *tertio Kalendas Novembris* legendum arbitramur, nisi forte de subsequentis saltem Anni Octobre loquatur *Ægidius*) *Et sic Leodiensis Ecclesia pretiosa Corpora trium Magorum perdidit usque in hodiernum diem.* Hactenus *Ægidius*: cui etiam Scriptores alii consentiunt, quos ibidem *Chapeavillus* mox in Annotationibus enumerat. Iisdem nos addimus *Joannem Placentium Trudonensem* in Catalogo Antistitum *Leodiensium*, inserto Volumini *De Leodiensi Republica Auctores præcipui*: quod Anno Millesimo sexcentesimo trigesimo tertio *Amstelodami* editum legimus in *Ambrosiana* Bibliotheca. In hoc igitur *Henrico* Secundo, quem Anno *Christi* Millesimo centesimo quinquagesimo electum ille computat trigesimum primum Antistitem, sic habet: *Deinde in Italiam contendens*, *Frederico Imperatori comes effectus*, *trium Magorum inventis corporibus*, *Leodium transferre cogitavit. Sed huic voto obstitere Fata. Obiit Paphiæ* (legendum est *Papiæ*) *Anno administrationis decimo nono. Pridie Nonas Octobris Sepultus in Collegio Divi Lamberti*, videlicet *Leodiensis*. Quamobrem juxta hunc Auctorem obiisset *Henricus* Anno supra Millesimum centesimum, non sexagesimo quarto (sicut asserebat *Ægidius*) sed sexagesimo nono. Verum enimvero ejusmodi donationi, cujus executio dicebatur per Episcopi *Henrici* mortem impedita, *Chalcus* etiam in primis adversatur, superiori a nobis Numero productus. Sed insuper adversatur item Auctor Magni Chronici *Belgici*. Ejus namque testimonio *Reynaldus Coloniensis* Archiepiscopus cum venerandis ejusmodi trium Regum, necnon (sicut ipse putat) duorum Martyrum *Naboris* & *Fælicis*, Corporibus *in Vigilia Beati Jacobi Apostoli* (quæ in vigesimam quartam incidit Julii diem) *sub Anno Domini Millesimo centesimo sexagesimo quarto*, *Pontificatus sui anno sexto*, *Imperii vero Frederici duodecimo*, *cum gaudio* & *exultatione omnium gloriose Coloniam advenit*, *dictas ibidem Reliquias ad honorem* & *exaltationem ipsius Civitatis Coloniensis usque in hodiernum ibidem relinquendo.* Sed quæstionem istam *Co-*

A *lonienses* hinc, inde vero *Leodienses* dijudicent: nosque potius de tanta nostræ Urbis jactura jure merito conqueri permittant.

CCCCLVIII. Quid causæ fuerit, cur e suburbana Sancti *Eustorgii* Ecclesia *Mediolanenses* in Sancti *Georgii* urbanam transtulerint (si tamen transtulerunt; nec enim usque adeo id constat, etiamsi a nonnullis affirmetur) Sanctorum Magorum Corpora: nos quidem Num. 421. aliqua conabamur assequi conjectura. Credamus nunc *Gualuaneo Flammæ*, cui pariter credidit Auctor Chronici *Flos florum* fol. 142. pag. 1. ipseque nobis causam edisseret, propter quam ejusmodi Corpora *Mediolanenses* timore in Urbem, *Raynaldus* autem amore *Coloniam* transtulerint.
B Ille igitur in Exemplari Basilicæ *Ambrosianæ* (commodatum siquidem nobis talem causam non exprimit) Cap. 847. quod est *De Fortilitiis*, hunc in modum narrat: *Intra Civitatem erant aliquæ magnæ Fortilitiæ. Quia juxta Ecclesiam Majorem erat Turris alta brachia ducenta quadraginta quinque: quæ respiciebat totum planum Lombardiæ*, & *specialiter Civitatis Papiensis etiam secreta rimabatur.* Et hanc fortassis etiam ob causam *Papienses* illam diruerunt, uti jam diximus. Sequitur *Flamma*: *Erat aliud magnum Campanile in Ecclesia Sancti Georgii* IN PARAZO (sive IN PALATIO) *ubi Cives*, *antequam fieret ob-*
C *sidio* (loquitur autem de prima, qua *Fredericus Mediolanum* pressit) *portaverunt Corpora trium Regum de Ecclesia Sancti Eustorgii*, *ubi steterant octingentis annis* TUM QUIA VALEBANT CONTRA GRANDINES ET TEMPESTATES, TUM QUIA SUCCURREBANT MORBO CADUCO; IDEO CUM DILIGENTIA FUERUNT IN CAMPANILI SANCTI GEORGII ABSCONDITI, PAUCIS HOC SCIENTIBUS. *Quod si non fuissent moti*; *non fuissent exportati. Quia Burgi semper obediebant Imperatori*: *nec quicquam mali delatum est Burgis*; *sicut patet* DE BEATO AMBROSIO (attende interim hoc Lector: & hinc
D *Gualuanei* saltem opinionem observa) & *aliis Ecclesiis*, *quæ erant extra Civitatem.* Negari tamen etiam non potest, quin *Ambrosianæ* Basilicæ conditio admodum esset peculiaris. Etenim, si non intra muros Urbis, certe tamen intra fossatum, sive vallum, continebatur. Præterea vero etiam Basilica erat Imperialis: quam propterea Imperatores, ob Coronam saltem ibi solitam suscipi, singulariter tueri ac favore prosequi meritissime deberent. Sed fortasse ne illa quidem displicebit causa, quam *Donatus Bossius* assignat, cur ejusmodi Corpora *Mediolanenses* in Urbem contulerint. *Hoc Anno* (inquit, ac de Millesimo centesimo quinquagesimo octavo loquitur) *Me-*
E *diolanenses quoque*, *audientes Fredericum in Italiam reversurum*: *veriti*, *ne Corpora trium Magorum*, *quæ in Templo Sancti Eustorgii jacebant* (UT ALIAS FUERAT COMMINATUS) *asportaret*; *ea in Campanili*, *ut ita loquar*, *Sancti Georgii*, *quod id Templum intra mœnia esset*, *abdiderunt.* Itaque postea etiam, in Annum sexagesimum quartum, de *Rodulfo* (sic enim eum ipse nominat) *Coloniensi* Archiepiscopo subdit: *Mediolanum accedens*, *Corpora trium Magorum*, *olim ex Perside Mediolanum translata*, *quæ diu in Campanili Sancti Georgii latuerant*, *Coloniam undecimo Julii transtulit.* Videamus nunc, quid item *Flamma* de hujusmodi translatione con-
F scripserit. Capite nimirum postea 886. sic inquit: *Anno Millesimo centesimo sexagesimo quinto Imperator de Laude exiens pervenit ad quatuor Burgos Civitatis Mediolani*: *ubi*, *auditis quærimoniis suorum Vicariorum* (sive de suis Vicariis, de quibus *Mediolanenses* eidem Imperatori supplices conquerebantur) *compassus fuit eis. Unde præcepit*, *quod omnes captivi relaxarentur*: & *instituit suum Vicarium Rodulfum* (melius a nobis & a plerisque aliis *Raynaldus* appellatur) *Archie-*

Archiepiscopum Coloniensem. Hic Rodulfus totis viribus cœpit perquirere Corpora trium Magorum. Quæ cum non invenirentur in Ecclesia Sancti Eustorgii, eo quod jam dudum fuissent absconsa sub terra sub Campanili Sancti Georgii IN PARAZO; *revelante* QUADAM VETULA *reperta sunt, & in Coloniam asportata per Archiepiscopum Coloniensem. Qui cum recederet cum istis tribus Regibus; dimisit in Mediolano, loco sui, suum Vicarium Marchual de Cubab.* Sic enim hunc cognominat *Gualuaneus.* Qui quidem superiori jam Cap. 339. cum de Sancti *Eustorgii* Vita, deque Regibus istis *Coloniam* denique adsportatis ageret, CATULLAM nominaverat eam vetulam, qua prodente illi a *Raynaldo* comperti fuisse dicuntur.

CCCCLIX. Venditatum tamen istud ac vulgo plausibile indicium aniculæ neutiquam probatur a disertissimo *Mediolanensis* Historiæ Scriptore, *Josepho Ripamontio*: a quo propterea in dubium vocatur cujusdam fides Scripti, quod *Bernardinus Corius*, ad se missum ex *Germania*, in publicum edidit, quodque nos item postea ex ipso depromemus. *Quis enim credat* (instat urgetque *Ripamontius*, Partis Secundæ Historiarum Ecclesiæ *Mediolanensis* Libro Secundo) *aut potuisse mulierculam scire, quod Populus ignoraret universus? aut; cum ea consensu paucorum occultarentur, tantam fuisse vecordiam, ut muliebri ingenio rem permitterent? Id, sicuti tunc in ipso discrimine videretur anceps & infidum; ita deinceps in temporum illorum Annalibus prudentia nostrorum hominum esse mendosum putavit.* Quocirca prudentior hac in parte videri fortasse posset *Joannes Geebrandus*, *Leydensis*, Carmelita, in Chronico *Hollandiæ* Comitum, & Episcoporum *Ultrajectensium* &c. a *Christo* scilicet nato usque ad Annum Millesimum quadringentesimum septimum, quo ipse vivebat: qui quidem Chronologus passim vocitatur *Joannes a Leydis.* Hic enim Lib. 18. Cap. 4. tale Magorum indicium ac proditionem, non aniculæ adscribit, sed ditissimo Civi. *Capta* (inquit: nec te pigeat, Lector, lepidum istud figmentum & fabellam contueri) *Civitate, quidam ditissimus Civis Reynaldum Archiepiscopum Coloniensem secreto convenit: ut vita sibi & res suæ hoc pacto conservarentur, ut idem Civis eidem Episcopo tres Magos Sanctos Reges in manus suas resignaret: &, quomodo adducerentur, nullo Civium vel extraneorum sciente, consilium daret. Promisit Episcopus, & suscepit Magos tres. Qui quia integri erant, nec facile abdi vel abscondi poterant; a Datore eorum hoc accepit consilium: ut, factis tribus feretris, simularet, tres amicissimos suos cognatos pestilentia mortuos: & se conjuratum ab eis, ut per seipsum adducerentur ad Patriam suam. Dispersa est igitur hæc fama de mortuis cognatis Episcopi in Populo. Qui, accepta Imperatoris licentia, & equis velocibus lecticas trahentibus, & aromatibus mirrhæ & thuris aerem circum circa permulcentibus, Coloniam pervenit: & appropinquans Civitati, Clericis & Civibus, quid afferret, mandavit* &c. *His itaque completis, festinus Episcopus Mediolanum ad Imperatorem rediit.* Hactenus *Joannes a Leydis.*

CCCCLX. Quomodocumque tamen narretur modus, quo sacra Magorum Corpora *Reynaldo* Archiepiscopo innotuerint: sic etiam num ab ipso per se, vel per alium: qua pariter ex Basilica, *Eustorgiana* ne, an *Georgiana*: tum etiam ex qua tandem Urbe, *Papia* ne, an *Mediolano*, translata *Coloniam* fuerint: de his quidem (in quibus variant Scriptores) nos parum, vel etiam nihil laboramus. Illa certe (quod satis superque nostram remoratur operam) nostrates quoque Scriptores communi consensu fatentur, quinetiam vacua ipsorum apud nos Arca, communisque *Mediolanensium* dolor, attestantur, hinc re vera illuc translata fuisse. De illo igitur potius laborandum jam est; quod aliqui, non e *Germanis* tantum sed

A etiam e nostratibus scripserint, ablata insuper hinc fuisse non modo Sanctorum Martyrum *Naboris* & *Fælicis* Corpora *Coloniam*, sed etiam *Protasii* ac *Gervasii Brisacum.* Ac trium quidem solummodo Magorum mentionem fecerunt etiam *Emundus Deinter* in Chronico, *Joannes Nauclerus* Volumine secundo Chronographiæ, Generat. 39. & alii, quorum aliquot nos obiter infra nominabimus. Ceterum his alii adiecere prætera Sanctos *Naborem* ac *Fælicem*; sicuti jam constat e Magno Chronico *Belgico*; cui nunc adnumeramus etiam *Petrum Merssæum Cratepolium* in Catalogo Electorum Imperii Ecclesiasticorum, in *Reynoldo Coloniensi* Archiepiscopo Quadragesimo quarto; & e nostratibus ante alios omnes B (quos quidem hactenus nos legerimus) *Donatum Bossium* Anno Millesimo centesimo sexagesimo quinto, ac *Tristanum Chalcum*, cujus verba jam supra recitavimus. *Bernardinus* enimvero *Corius*, his non contentus, hinc itidem translatos *Brisacum* credidit *Protasium* ac *Gervasium* Martyres, sub *Ambrosiano* Altari antehac conditos. De quibus *Ludovicus* etiam *Vives*, in Sancti *Augustini* Caput Octavum Libri vigesimi secundi *De Civitate Dei*, sic habet: *Corpora eorum Mediolano translata sunt Brisacum Germaniæ a Friderico Primo.* In eo autem Volumine *Francofurti* Anno Millesimo sexcentesimo septimo per *Joannem* C *Pistorium* edito, & inscripto *Rerum Germanicarum veteres jam primum publicati Scriptores sex*, Quarta etiam extat ad *Constantiense* Chronicon Appendix, quæ *Catalogus* est *Sanctorum indigenarum & advenarum Diœcesis Vindonensis & Constantiensis.* In hac igitur Appendice sic etiam legimus nostrates hujusmodi Sanctos, tamquam ex indigenis nostris factos illic advenas, in hæc verba ceteris ibi connumeratos: *Sancti Gervasius & Protasius (quorum parentes Sanctus Vitalis & Sancta Valeria Martyres) in bello Friderici Primi Barbarossæ, post captum Mediolanum, ab Electore Coloniensi Reynoldo, beneficio Cæsaris exportati, & Brisacensibus post mag-* D *num miraculum in transitu concessi: ubi summo honore coluntur.* Ut autem intelligeremus, quandonam contexta fuerit hæc Appendix; eadem in fine clauditur his verbis: *Finis Libri. Quem Author Brigantiæ absolvit Anno Millesimo quingentesimo decimo nono, decima septima die Augusti.* Quo circa non modo *Ludovicus Vives*, verum etiam hæc Appendix *Coriano* fuit posterior Chronico: quod utique jam primum in lucem prodierat Anno Domini Millesimo quingentesimo tertio. Ceterum in eandem sententiam nobis ad manus accidit *Germanus* alter Scriptor, *Fælix Fabri*, seu *Faber*, ex Ordine Fratrum Prædicatorum, & ex *Ulmensi* Conventu. Hic, E *Antonio Possevin* teste in Apparatu Sacro, vivebat Anno Domini Millesimo quadringentesimo octogesimo tertio, eidemque propterea *Corio* contemporaneus erat. De ipsius autem scriptis multaque ipsorum levitate non leve judicium ille tulit, qui *Suevicam* ejus Historiam primitus imprimendam typis curavit in Volumine inscripto: *Suevicarum Rerum Scriptores aliquot veteres* &c. Quocirca legatur illic in fronte Præfatio ipsius. Quæ vero *Fabri* hujus verba sunt præsentis instituti, hæc in prædicta ejus Historia sic se habent Lib. 1. Cap. 12. *Porro in destructione Civitatis Mediolanensis donavit Imperator Principibus & Episcopis Corpora Sanctorum, & Reli-* F *quias inventas per Ecclesias. Inter quos Reginaldus Archiepiscopus Coloniensis accepit* CORPORA SANCTORUM TRIUM REGUM *de loco, ubi nunc est Conventus noster* (*Eustorgianus* utique, *Dominicanis* jamdudum Fratribus attributus) *eaque Coloniam transportavit, ubi hodie clarent.* CORPORA AUTEM SANCTORUM GERVASII ET PROTASII ACCEPIT, ET IN CIVITATEM BRISACUM TRANSTULIT. *Et sic de aliis.* Hæc ille,

ille. Talibus igitur testimoniis hunc in modum præmissis; nunc de Sanctis *Nabore* ac *Fælice* agemus; deinde vero de Sanctis *Protasio* & *Gervasio*; denique vero rursus etiam inquiremus, an per hanc excidii *Mediolanensis* occasionem translata in *Germaniam* hinc fuerint alia Corpora Sanctorum.

CCCCLXI. Agite vero: proferamus in primis, quæ Religiosus Aureæ Vallis *Ægidius* Cap. 45. de ipsis tam Regibus quam Martyribus scripsit *Coloniam* translatis: quos utique gratissimum nobis est debito coli honore, ubicumque terrarum illi sint. *Postmodum* (inquit) *Anno Domini Millesimo centesimo sexagesimo quarto, cum Fridericus Romanorum Imperator Mediolanenses sibi rebelles subjugisset, & esset Civitas in ejus potestate; mortuo in partibus illis, ut supra diximus, Henrico Leodiensium Episcopo, cui Imperator* TRIUM MAGORUM CORPORA *contulerat* (qua de re nos item supra disseruimus) *Raynaldus Coloniensis Archiepiscopus sæpe dictos* BEATOS REGES *sibi dari petiit, & obtinuit.* SUSTULIT ETIAM INDE DUOS PRETIOSISSIMOS MARTYRES FÆLICEM ET NABORIUM: *qui in eadem Urbe Mediolanensi passi fuerant pro Christo.* Vere tamen illi passi fuerant ad Urbem *Laudensem*: indeque postmodum Sancta *Savina* ipsos ad *Mediolanensem* advexit, ut bene docet etiam *Gaspar Trissinus* Cap. 4. præterquam quod Ecclesia quoque *Mediolanensis* in eorum Lectionibus matutinis idem attestatur. *Ægidius* porro sic pergit: *Qui nimium exultans,* TAM REGES QUAM MARTYRES *per honestas personas Coloniam transmisit. Quibus appropinquantibus tota Civitas obviam ruit, tam Clerus quam Populus, uterque sexus, omnis ætas, cum hymnis & canticis. Et Thesaurum sibi cœlitus missum in Ecclesia Sancti Petri deposuerunt. Instituit vero idem Raynaldus in Diœcesi Coloniensi agi Festum Translationis eorundem, legans ad hoc decem marchas singulis annis. Temporibus deinde Domini Philippi Archiepiscopi, qui successit Raynaldo, fabricata est capsa miræ pulchritudinis ex auro & gemmis pretiosis: in qua reposita sunt Corpora eorum: inferius quidem* REGUM, SUPERIUS SUPRADICTORUM MARTYRUM. *Porro cum Corpora eorum levarentur de locellis tanta suis, fuit fragrantia, ut omnes, qui aderant, ejus suavitate reficerentur. Singula Corpora singulos dederunt odores, differebatque odor ab odore; ut merito dicere possent illud apostolicum,* CHRISTI BONUS ODOR SUMUS IN OMNI LOCO. *Adhuc eorum, ut fertur, integra perdurant Corpora, pellibus suis & nervis cohærentia: eisdem vestibus involuti, in quibus cum mirrha & aromatibus fuerant sepulti.* Hactenus *Ægidius.* Quoniam vero *Philippi* ejus Archiepiscopi mentio nobis hic incidit; iccirco ne illa quidem displicent, quæ *Petrus Merssæus Cratepolius* in eodem *Philippo*, immediato *Raynaldi* successore, sic enarrat: *Jam recenter* TRIUM MAGORUM CORPORA *Coloniam translata fuerant: & multi erant Principes, qui illi hanc gloriam invidebant, & ei insidiari non desistebant. Quare necesse erat Civitatem munire, & adversus hostes defendere. Quare hic Clarissimus Princeps eam ampliavit, confirmavitque muro validissimo, Turribus multis per circuitum cinxit, includens multa Monasteria & Collegia mœnibus, Anno Domini Millesimo centesimo nonagesimo secundo.* Talia *Cratepolius.* Atqui Sanctos ejusmodi Martyres Populus *Mediolanensis* in hanc usque diem, tamquam in Basilica *Franciscana* etiamnum extantes, veneratur; sicut indicabamus Num. 422. In cujus rei confirmationem recitare hoc præstat loco, quæ *Carolus a Basilica Petri* narrando disseruit in Historia *Mediolanensi*, sive in Sancto *Materno*, Mediolani Archiepiscopo Septimo. Descripto enim Sanctorum *Naboris* ac *Fælicis* martyrio apud *Laudem Pompejam* consummato, ita prosequitur: *Eorum deinde sancta Cor-*

A *pora a pia sanctaque Matrona Savina Mediolanum paulo post asportata traduntur. Eos certe tempore Sancti Ambrosii intra cancellos quosdam summa celebritate cultos fuisse, Ambrosius ipse in Epistolis* (vide supra Num. 2. *& Paulinus in ejus Vita commemorat, in Basilica, quæ nunc Franciscana, prius autem horum Martyrum nomine appellata est:* IN QUA HODIE QUOQUE ASSERVANTUR. *Sed non est silentio prætereundum, quod ea nobis ablata, ut de Sancto Gervasio & Protasio dictum est* (in Sancto *Cajo*, Archiepiscopo Tertio: quem locum nos infra excribemus) *Corius noster testificatur.* QUA IN RE, UT IN ALIIS QUIBUSDAM, NON SATIS B CONSIDERATE ILLUM SCRIPSISSE, FATERI NECESSE EST. *In Additamentis quoque Martyrologii Usuardi de eorumdem translatione una cum Magis facta mentio est. Sed apud illum Brisaci, in his vero Coloniæ posita dicuntur; ut vel ex hac varietate appareat, quæ fides illis habenda sit. Præterquam quod de his quoque inquisivi, cum de Sanctis Gervasio & Protasio Brisaci inquisivisse me superius commemoravi. Sed neque Crantzius, cum de Magis ablatis loquitur, hos nominat, neque horum Festum in Germania celebrari aliquis dicit. Verum, quod caput est* (& hoc nobis item sit caput) C *cum ejus Basilicæ Reliquias Anno Millesimo quingentesimo septuagesimo primo, quarto decimo Septembris, Carolus Archiepiscopus* (Sanctorum postea Catalogo adscriptus) *reconderet; horum quoque Martyrum Corpora recognovit, & transtulit a loco, ubi prius erat Altare Majus* (*antequam ii Fratres Chorum a gremio Basilicæ in posteriorem partem reducerent*) *ad novum Altare Majus, quod tunc constitutum est. Invenit autem ea in arca silicea in terram defossa, operimento laminis ferreis arcæ adstricto: & in ea præter Corpora invenit vasa quædam vitrea, quæ visa sunt liquorem quendam tunc exsiccatum continuisse. Inventi* D *etiam sunt baculi & fragmenta chartæ viridis, foliorum palmarum speciem exhibentis: ex quibus quidem baculis & charta Martyrum palmas Veteres illos effingere voluisse dubium non est.* Et hæc quidem *Carolus a Basilica Petri* suo tempore gesta, & publicis consentanea Documentis, quæ tunc confici prudentissimus Archiepiscopus jussit: quorum mentionem facit etiam *Gaspar Trissinus* Cap. undecimo. Qui quidem *Trissinus* verissime ibidem talibus *Caroli* verbis, a semetipso pariter e Vita Sancti *Materni* recitatis, hæc subdit: *At vero Martyrum Capita seorsim posita haud voluit in novum, quem sub Ara Maxima Sanctus Antistes Carolus tumulum paraverat, inferri; sed thecis occlusa argenteis* (hoc est, E duobus argenteis capitibus, & antiquitatis quidem multum spirantibus) *in Lavario asservari Eaque statis tantum diebus in Templo publicitus exponi videmus.* Fallitur ibidem in eo tamen *Trissinus*, quod *Genebrardum* in primis pro *Sigeberto* allegat, tum etiam quod *Sigeberti* sententiam minus fideliter recenset. Non enim *Sigebertus* in Chronico asserit: Sanctorum *Naboris* & *Fælicis* Corpora fuisse in *Galliam* translata; sicut illi sub falso *Genebrardi* nomine *Trissinus* adscribit in Annum *Christi* Septingentesimum sexagesimum quartum. Hæc tantum ipse illic habet: *Chrodegangus Episcopus Corpora Martyrum Gorgonii,* NABORIS, ET NAZARII (hoc est, eorum Corporum F partem, sicut ad eundem Annum *Baronius* bene interpretatur, & ex ipso etiam *Trissinus*) ROMA IN GALLIAS *transtulit.* Sed lapsu etiam graviore *Philippus Ferrarius* in Catalogo Sanctorum *Italiæ* deerravit. Etenim sub die duodecima Julii, descripta Sanctorum *Naboris* & *Fælicis* Martyrum Vita, mox in Annotatione sic subdit: *Horum Corpora Coloniam Agrippinam una cum Corporibus trium Magorum translata fuisse circa Annum Salutis Septin-*

tingentesimum sexagesimum quartum, *Sigebertus in Chronico ad eum Annum author est*, *& Surius loco memorato*, nimirum Tomo Quarto. Verum enimvero illa ne Anno quidem Duodecimi hujus Sæculi sexagesimo quarto translata *Coloniam* fuisse: probemus id sane denuo quibusdam Versibus, quos in eadem *Franciscana* Basilica nobis offert marmorea Tabula, sub Organo parieti consita. In qua quidem illi jussu Fratris *Gabrielis de Barlassina* insculpti fuerunt ex altera longe vetustiori: quæ in claustralibus ejusdem Basilicæ foribus collocata quondam fuerat: nec multo post, quam *Franciscani* Fratres, hic habitare incœpissent. Etenim nudis etiamtum pedibus juxta primoris disciplinæ rigorem incedebant, B ac NUDIPEDES propterea tunc vocabantur ii, qui nunc CONVENTUALES appellantur. Hic autem habitare incœperunt Anno Domini Millesimo ducentesimo trigesimo tertio; sicut etiam *Tristanus Chalcus* in eum Annum affirmat. Per ejusmodi vero Versus simul etiam ostendemus, quemadmodum unaquaque Feria secunda conveniret huc ad Concionem Populus frequens, posteaquam pias in Æde *Ambrosiana* preces fudisset; sicuti nos Num. 450. meminimus. Tabula porro illa hunc prorsus in modum se habet; excepto quod orthographiæ præcepta nos paulo accuratius servavimus:

Versus, vetustissimis litteris exarati præ foribus Claustralibus Ecclesiæ Fratrum Minorum de Mediolano.

C *Alma nitet, renovata piis Cultoribus, Aula.*
Tempore quam modico Fratres statuere Minores.
Hortus erat quondam locus iste Domusque Philippi,
Corpora martyrium pro Christo passa recondens:
Hortus fœcundus dictis (an *dictæ*) *Domus unde repletur*
Fructibus immensis totus generaliter Orbis.
Barnabam huc perhibent translatum scripta vetusta,
Fama refert, usti cineres, & plumbea tumba.
HIC NABOR, HIC FÆLIX, *hic Fortunatus habetur.*
Et cum Materno Gayus, dictusque Philippus,
Necnon Savinæ Sanctæ venerabile Corpus.
D AMBROSIO PAULUS COELOS HINC MENTE PETENTE
PROTASIUM CUM GERVASIO PANDENDO REVELAT.
Sanguine Sanctorum totus locus iste sacratus,
Multipotens factus delere piacula Plebis:
Atque unum ex Pueris Sanctis, quos dira necavit
Ambitio Herodis pro Christo, continet hujus
Sacristia Aedis, quo tota hæc Patria gaudet.
Quam bene NUDIPEDES *loca hæc sanctissima servant.*
Cernere cum Moyse Josueque Hierarchica digni.
PERPETUO RITU, FERIA REDEUNTE SECUNDA,
PLEBS PRIUS AMBROSI MERITUM TEMPLUMQUE REQUIRENS
E HUC VENIT: ET DOMINI VERBIS IMPLETA RECEDENS,
LÆTA DEUM LAUDAT, TANTIS DOTATA PATRONIS.

Frater Gabriel de Barlassina,
Provincialis Terræ Sanctæ Minister, fieri fecit
Millesimo quadringentesimo sexagesimo quarto.

Ceterum apud me Calendarium etiam extat *Ambrosianum*, in pergamena charta manuscriptum Anno Domini Millesimo trecentesimo octuagesimo primo: in quo passim Ecclesiæ nominantur, in quibus festa Sanctorum celebrarentur, vel etiam ipsorum Corpora tumulata conquiescerent. In eo autem sub duodecimo Julii die sic legitur: SANCTORUM MARTYRUM NABORIS ET FÆLICIS, F JACENT AD SANCTUM FRANCISCUM. Similiter vero etiam sub undevigesima die Junii opportune ad ea, quæ proxime differemus, A sic habetur: TRANSLATIO SANCTORUM MARTYRUM PROTASII ET GERVASII. JACENT AD SANCTUM AMBROSIUM.

CCCCLXII. Sequitur enim nunc, ut de Corporibus Sanctorum *Protasii* & *Gervasii* disseramus. Hæc igitur in *Germaniam* fuisse translata, primus e nostratibus Scriptoribus credidit *Bernardinus Corius*. Quo motus argumento, liquidissime constat e prima ejus Chronici editione. In hac enim verbatim recensuit Scriptum illud, quod ea de re transmissum sibi fuerat e *Germania*: quodque non immerito quiritari nos possumus ommissum in posteriori ac *Veneta* editione, quam *Thomas Poraccius*, e *Lombardico* B illo rudique temporis illius Idiomate reformatam in sui temporis *Italicum*, Anno Millesimo quingentesimo sexagesimo quinto evulgavit. Quonam vero Fato nos factum dicemus, ut non modo apud *Chalcum*, sicuti Num. 432. tandem observabamus, sed apud *Corium* quoque, quinetiam sud ipsius oculis, dum typographicam suæ Historiæ texturam corrigeret, error gravissimus irrepserit in ejusdem Scripti principium? An forte, ut illud vel inde commentitium & erroneum esse totum primo statim aspectu judicaremus, vel ad minus suspicaremur? Apud *Tristanum* quidem sic illud incipiebat: *Fredericus Romanorum Imperator Primus*, *filius Hermanii generosi Ducis Sueviæ*, ANNO DOMINICÆ INCARNATIONIS MILLESIMO QUINGENTESIMO: C & hic manifestissimus erat error chronologicus. Apud *Corium* vero sic: *Fredericus Romanorum Imperator Primus*, *filius Hermanii generosi Ducis Sueviæ*, ANNO DOMINICÆ INCARNATIONIS MILLESIMO CENTESIMO QUINQUAGESIMO. Quem quidem nos Annum statim ac vidimus adnotatum; certe quidem gestientes ac pene triumphantes mirari etiam cœpimus, quomodo *Corius* vel ex eo saltem Anno convictum erroris mordicus non tenuerit illud idem Scriptum. *Fridericum* enim constat non quinquagesimo illo, sed quinquagesimo secundo Anno a *Germanis* fuisse Proceribus electum *Germaniæ* ac *Romanorum* Regem: D sic etiam eundem postea coronatum fuisse, *Mediolani* quidem Anno quinquagesimo quarto, quinquagesimi autem quinti mense Junio in Urbe *Roma*: quibus de rebus nos jam egimus Num. 406. 410. & 412. Cum igitur nos ei Scripto talia quoque meditaremur opponere; forte fortuna cupido repente nos item incessit inspiciendi, num forte *Corius* jam tandem impressam Historiam suam relegens (semet autem profitetur diligenter universam relegisse) inter graviora errata, quæ solita typographorum negligentia & incuria in eam irrepsissent, aliquid in eodem Scripto emendandum esse deprehendisset, Lectorique indicasset. Ecce autem indicabat, eo loci pro Anno *quinquagesimo* legendum esse *quinquagesimo secundo*. E Quocirca nos etiam illud pro solita nostra ingenuitate ac solius veritatis studio ecce tandem ita emendatum recitamus: & una quidem cum verbis, quæ *Corius* ipse sua præmisit. Sic enim habet: *Finalmente l'infensissimo Imperatore nel solenne giorno de l'Oliva, non imitando il nostro Salvatore (che in Jerosolima, cantandosi Benedicto sei quale veni nel nome dil Signore, gloriosamente fu riceunto) si parti da la destructa Sita con infinite exe*crationi: *e ritorno a Pavia*, SECO TRANSFERENDO LI GLORIOSI CORPI DE LI TRI MAGI: *li quali Sancto Eustorgio, milite e Vicario de Constantio Imperatore, circa al fine dil suo Episcopato seco condure a Milano; ma a lui dal memorato Cesare furono concessi in dono l'Anno de Christo undeci*F*mo sopra trecento. Questi li Milanesi per paura di lo acerrimo Imperatore havevano nascosti nel Campanile dil Templo dedicato a Sancto Giorgio, nuncupato* IN PALAZO. DRETO ANCORA SI FECE PORTARE

TARE LI CORPI DE SANCTO GERVASIO E PROTASIO, NABORE ET FELICE: ET INDE QUEGLI TRANSFERI IN ALAMANIA. *Per justificatione dil che poneremo* IL TESTO D,UNA SCRIPTURA AUTENTICA, *a me transferita da Alamania: la quale dice in questo modo: Fredericus Romanorum Imperator*, *Primus*, FILIUS HERMANII GENEROSI DUCIS SUEVIÆ, *Anno Dominicæ Incarnationis Millesimo centesimo* (ecce enim, sicut præmonuimus, emendatum nunc recitamus) *quinquagesimo secundo*, IMPERAVIT TRIGINTA SEX ANNOS. *Anno* IMPERII SUI *decimo destruxit Mediolanum. In qua destructione* SOROR UNIUS VICECOMITIS, *qui erat in potestate Frederici*, *propter liberationem Fratris ivit ad Reverendum Patrem*, NOMINE RODULFUM, *& Dominum Archiepiscopum Coloniensem:* ET OSTENDIT CORPORA TRIUM MAGORUM, *videlicet Gaspar Melchior & Baldesar:* CORPORA SANCTORUM GERVASI ET PROTASI: ET CORPORA SANCTORUM NABORIS ET FÆLICIS. *Unde* PRÆDICTUS RODULFUS CORPORA SANCTORUM GERVASI ET PROTASI IN OPPIDO BRISACH *juxta Renum*, *in Ecclesia Sancti Stephani Protomartyris*, *in Choro ejusdem Ecclesiæ*, *in sublimi loco*, *latere sinistro*, *ferro circumdato & firmissimis clausuris* COLLOCAVIT, *cum duabus lampadibus*, *die noctuque lucentibus. Requiescunt gloriosi: in quibus Sanctis Dominus quotidie operatur miracula.* Hactenus ergo Scriptum, tanti a *Corio* æstimatum; quippe pro authentico ac per omnia verissimo habitum. Longe tamen aliter alii de ipso postea senserunt, ac nominatim *Carolus a Basilica Petri*: cujus sensum paulo ante innuebamus, cum de Sanctis *Nabore* ac *Fælice* ageretur. Ipse siquidem in Sancto *Cajo*, *Mediolani* Archiepiscopo Tertio, postquam de Sanctorum *Protasii* & *Gervasii* translatione, per Sanctum *Ambrosium* ad hanc suam Basilicam peracta, egisset; illico in hæc verba concludit: *Condidit igitur Sanctus Vir* (Ambrosius) *sancta Corpora sub Altari Basilicæ Ambrosianæ:* UBI: ADHUC, DEO GRATIA, ILLA ESSE NON DUBITAMUS; LICET VIVES *in Librum* 22. *Cap.* 8. *De Civitate Dei* (*quo loco item illud cæci miraculum Augustinus narrat*) EA SCRIBAT FRIDERICI JUSSU BRISACUM GERMANIÆ TRANSLATA; *quod ex Corio nostro*, *opinor*, *sumpsit.* SED ADHUC SUB ALTARI AMBROSIANÆ ECCLESIÆ ILLA VENERAMUR; *licet memoria eorum*, *qui vivunt*, *non aperta:* ET UNA CUM EIS EODEM LOCO SANCTISSIMI MAGNIQUE NOSTRI PATRIS AMBROSII CORPUS; *quod*, *si Martytyres asportati essent*, *certe non retineremus. Neque*, *qui de Magis evectis scribunt*, *Auctores graves & Germani*, *de his Martyribus aliquid dicunt: dicturi certe*, *si ita res se habuisset. Crantzius certe*, *& Trithemius in Historia Hirsaugiensi*, *ubi de multis translationibus ex Italia*, *præsertim Magorum*, *nihil dicunt. Quin & ipse cum tribus ab hinc annis ea de re primarium ejus Regionis Virum per amicum percunctatus essem*; *ignota penitus audire visus est.* Talia ergo *Carolus a Basilica Petri:* quibus (ut breviter ac libere dicamus) Scriptum illud a *Corio* recitatum expresse pernegat authenticum esse: nec ullam ipsi fidem adhibendam censet.

CCCCLXIII. Idipsum profecto nos itidem sentimus: nec iis tantum permoti argumentis, quæ ille proferebat; sed aliis præterea multis, quæ nos deinceps prosequemur. Quomodo autem in primis authenticum vere meritoque vocari possit Scriptum illud, de cujus Auctore atque adeo authoritate (unde scilicet authentici nomenclatura processit) non constat? Numquid vero saltem constat de tempore, quo fuerit exaratum? Minime gentium. Solummodo enim dignoscitur exaratum postquam *Fridericus* continuato per triginta sex annos Imperio vitaque functus esset; non autem quoto præcise tempore postea fuerit exaratum. Quocirca illud iisdem prorsus verbis a tenebrione pariter aliquo sub illud concipi tempus potuisset, quo ad *Corium* e *Germania* transmissum fuit. Sane vero nos, proxima *Corii* verba prælegentes, inspecta Scripti authentici mentione per ipsum facta, statim aliquod expectabamus Scriptum, quod authoritate publica, nec sine testibus tanto congruis Monimento, posteritati ad perpetuam memoriam relinquendo, confectum fuisset eodem ipso Anno quo Corpora ipsa *Mediolano* dicuntur in *Germaniam*, & nominatim *Brisachum*, adsporta. Sed ne in computandis quidem *Friderici* annis servatam videmus hic formulam, Scriptis ceteroqui authenticis usitatam: scilicet, ut Regni ejus anni seorsim ab Imperii annis numerarentur: illique a *Germanica*, isti vero a *Romano* per Pontificem Coronatione deducerentur. Exemplo nobis interea sit ejusdem *Friderici* Privilegium, *Henrico* jam sæpius nominato *Leodiensi* Episcopo concessum, & a *Chapeovillo* recitatum in Annotationibus ad Caput 41. *Ægidii. Actum* (sic enim denique legitur) *Anno Dominicæ Incarnationis Millesimo centesimo quinquagesimo quinto*, *Indictione tertia*, *regnante Domino Frederico Romanorum Imperatore glorioso*, *anno Regni sui quarto*, *Imperii primo. Data apud Civitatem Tridentinam septimo Idus Septembris.* Sequitur subinde sigillum ejusdem Imperatoris, ac denique isthæc etiam subscriptio: *Ego Arnoldus* (idem est, ac *Raynaldus*, vel *Reynoldus*) *Coloniensis Archiepiscopus*, *& Italici Regni Archicancellarius*, *recognovi.* Quam quidem annorum distinctionem videre postea sic etiam licet in altero ejusdem Imperatoris Privilegio, in Annotationibus ad Caput. 48. producto. Datum vero postea id fuit Anno Dominicæ Incarnationis Millesimo centesimo septuagesimo primo. Quocirca secundum authenticam ejusmodi formulam *Fridericus* male ac perperam in eo Scripto dicebatur jam esse Imperator Anno illo Dominicæ Incarnationis Millesimo centesimo quinquagesimo secundo: male ac perperam dicebatur anno Imperii sui decimo destruxisse *Mediolanum*, ac triginta sex annos imperasse.

CCCCLXIV. Quomodo vero etiam hic Imperator HERMANII FILIUS appellabatur? Nonne communi Scriptorum consensu testatum est, ipsius pariter Patrem nomine *Fridericum* fuisse? Super hoc vel unus instar omnium consulatur *Ottho Frisingesis* Episcopus, ejusdem *Friderici* patruus, in Chronici Libro 7. Cap. 17. quod a nobis etiam Num. 340. recitabatur, & Cap. ultimo: præterea vero etiam pluries Libro 1. De ipsius Gestis, & expeditius Libro 2. Cap. 1. An enim dubium esse cuiquam poterit, quin tantus hic *Friderici* Patruus optime noverit, suisque Monumentis fidelissime consignarit, quinam esset tanti Nepotis sui Pater? Sed ecce nobis ex adverso forte opponitur *Dominicanus* ille *Fælix*, cognomento *Faber*, cujus paulo ante fecimus mentionem. Historiæ siquidem *Suevorum* Libro 1. Cap. XI. narrata Imperatoris *Lotharii* morte, sic ille historiam prosequebatur: *Mox congregatis Principibus Electoribus*, *ad Suevorum Duces animos inclinaverunt: & præfatum Conradum*, FILIUM HERMANNI DUCIS SUEVORUM, FRATREM FRIDERICI PRIMI *& nepotem Heinrici Quinti*, *elegerunt in Romanorum Imperatorem Anno Domini Millesimo centesimo trigesimo octavo. Et regnavit quindecim annis*, *&c.* Ecquid vero vobis, *Brisacenses*, ad hæc verba videtur? Respiratis, opinor: immo vero spiritus etiam fortasse ingentes contra nos ex una parte colligitis; ex altera vero gratias refertis, quod hunc vobis patronum ac defensorem in tanto discrimine asciverimus. An vero tam

tam infæliciter vos hanc vestri causam defendetis, ut *Otthonem Fælicem* istum, tot annis posteriorem, auctoritate fide prudentia tanto inferiorem, muscam scilicet Elephanti, pygmæum Giganti, opponere audeatis? Vos utique protinus quilibet vir sanæ mentis ac vel mediocriter prudens irridebit: vos sannis protinus & cachinnis ex hominum litteratorum cætu explodendos exterminandos pronunciabit. Audere vos tamen, ut lubet: ac si pro parte vestra *Fælix* pugnat; vos una cum ipso contra quemlibet vestri adversarium viriliter pugnate. Per nos quidem vobis hoc liceat. Illud etiam, si vobis placet, nos facile credemus: vel ex ipsius, vel e simili saltem alterius cujuspiam Scriptoris testimonio, desumpta fuisse talia Scripti verba, quibus *Aenobarbus* enunciabatur FILIUS HERMANII (quod idem est ac HERMANNI) GENEROSI DUCIS SUEVIÆ. Verumtamen hoc nobis interim vos amice commonendi estis: Cavete vobis diligenter, ne contra vos potius *Fælix* ille *Faber* pugnet, vos oppugnet, vos expugnet. At certe quidem ita prorsus se res habet. Ibi siquidem ille loquitur de *Friderico* nominis hujus Primo, non Imperatore, sed *Sueviæ* tantum Duce, qui quidem Imperatoris *Friderici* Primi pater extiterit. Quocirca, ne vos tergiversari, ne talem ipsius sensum dissimulare possitis; ecce vobis, quid ille postea Cap. 12. eloquatur. Describens enim *Ænobarbi* promotionem ad Imperium, sic inquit: *Post Conradum* (quem utique superioribus illis e Cap. 11. verbis dixerat *Friderici* Primi fratrem) *sublimatus est ad Imperium Fridericus Primus hujus nominis, Dux Suevorum*, PRÆFATI CONRADI (quid clarius?) EX FRATRE NEPOS. *Hic vocatus est Barbarussa.* Sed ne frustra vobis hoc saltem blandiamini, quod *Ænobarbi*, si non Patri, certe tamen Avo nomen fuerit HERMANII, seu HERMANNI; ecce nos insuper hoc addimus, ac præfracte tuemur, in eo videlicet *Fabrum* errasse, quod asserebat, *Hermannum* nomine fuisse Patrem *Conradi* ejus Imperatoris & *Friderici* ejus *Suevorum* Ducis. Etenim ex eodem *Otthone Frisingensi* Episcopo (cujus absque dubio auctoritate *Fælix* ille, si reniti voluerit, frangatur & obteratur necesse est) identidem Libro Primo de Gestis ejudem Imperatoris *Friderici* constat, non *Hermanni*, sed *Friderici* pariter nomen eorum Patri fuisse: quin etiam hunc ipsum fuisse nominis hujus Primum, qui *Sueviæ* Ducatum obtinuerit. Quocirca nos etiam hinc alterum quoque *Fabri* refellimus errorem: cum *Fridericum* illum Imperatoris *Conradi* fratrem appellaret Primum, eo scilicet sensu, quem nos explicabamus (nec aliter profecto poterat explicari, nisi contradicere præterea sibi turpissime vellet) hoc est *Suevorum* Ducem. Non enim vere Primus hic fuit hujus nominis Dux, sed Secundus; sicuti tam inclytus ille, tamque conscius ejusmodi veritatis, *Ottho* Chronologus enarrat. Ex his autem illud etiam denique consequitur, ut ne ab iis quidem Scriptoribus *Aenobarbus* appellari pro rei veritate possit HERMANII (vel HERMANNI) SUEVIÆ DUCIS FILIUS, qui eundem censuerant Imperatoris *Conradi*, non nepotem (sicuti re quidem vera ex fratre fuit) sed fratrem. Qua quidem in re nonnulli procul a vero aberrarunt: ac nominatim e nostratibus *Bernardinus* ipse *Corius*, præterea vero etiam *Chalcus*, Num. jam 406. obiter a nobis notatus. Sic igitur tam certi erroris convicto ejusmodi Scripto, nonnulla etiam ejus reliqua deinceps discutiamus.

CCCCLXV. Quisnam (precamur) fuit etiam Reverendus ille Pater, nomine RODULFUS, qui Corpora nostratum ejusmodi Martyrum in Oppido *Brisach* collocavit? Nusquam profecto ipsius mentio nobis adhuc inter *Aenobarbi* asseclas occurrit apud probatos ejus ævi Scriptores. Sed ipsemet etiam Scripti contextus sicuti nobis videtur in affirmativam & negativam partes facile versatilis; sic etiam nos ambigere cogit, num ex germana ipsius sententia unus idemque Vir ille fuerit cum Domino illo *Coloniensi* Archiepiscopo, cujus mentio subtexitur; an potius ab eo fuerit diversus. Unus idemque cum eo fuisse sane quidem doctissimo visus est *Ripamontio*, qui tamen a *Rodulfi* nomine prudenter abstinuit, in Parte videlicet Altera Historiarum Ecclesiæ *Mediolanensis*, Libro Secundo: idemque sic etiam constantissime responderent *Gualuaneus Flamma* & *Donatus Bossius*, a nobis Num. 458. jam producti, atque *Coloniensi* tunc temporis Archiepiscopo nomen expresse *Rodulfi* adscribentes. Atqui, dum textus ipse ambiguus est, diversum potius illum fuisse, nobis argumento sunt *Coloniensis* Ecclesiæ Monumenta: quæ suo per id tempus Archiepiscopo non alterum fuisse nomen significant, quam *Raynaldi*, *Reginaldi*, *Reynoldi*, ac *Arnoldi*: quæ tandem in unicum recidunt Præsulis nomen, a *Rodulfi* penitus nomine diversum. Quod si diversus ille fuit; ecce quemadmodum ejusmodi Scriptum ab ea discrepet ad *Constantiense* Chronicon Appendice, in qua paulo ante legebamus, horum Martyrum Corpora *Mediolano* fuisse ab Electore *Coloniensi Reynoldo* exportata, & *Brisacensibus* concessa; & quidem propter inclytum aliquod miraculum, ab ipsis, dum illac transveherentur, perpetratum; scilicet ut inde intelligamus, Exportatori consilium ac voluntatem ceteroqui fuisse, non ut ea illic dimitteret, sed ut ad ulteriorem locum, nempe *Coloniam*, adsportaret. Ecce pariter, quemadmodum a *Fælicis Fabri* discrepat Historia. Per hæc profecto Scriptum illud & Appendix *Fabri*que Historia fidem sibi quoque vicissim apud nos derogant. De *Ludovico* autem *Vive* par item nobis judicium; quando etiam ipse scribit, non a *Raynaldo*, non a *Rodulfo*, sed a *Friderico* ipso Corpora ejusmodi Martyrum fuisse *Brisacum Germaniæ* translata. Ex iis pariter, quæ modo dicta sunt, hoc saltem ad extremum nos colligimus: ejusmodi Scriptum neutiquam fuisse temporibus Imperio *Ænobarbi* propinquis, vel ab homine aliquo bene in *Germanica*, vel *Coloniensium* saltem Præsulum Historia versato, concinnatum.

CCCCLXVI. De illa vero *Vicecomitis* Sorore quid nos tandem arbitrabimur? Liberaliter agamus. Noverit etiam *illa* sane, ubinam Corpora trium Regum fuissent ad *Georgianam* Basilicam collocata: maxime vero cum *Mediolanenses* illa ibi collocasse (si tamen collocarunt) nobis videantur, non tam ut occultarent, Populique universi notitiæ subducerent, quam ut intra muros, tutiori, quam extra, in loco custodirent; sicut etiam *Bossius* Num. 458. indicabat. Sed esto: ita etiam illic occultarint: sed nihilominus illa (utpote primaria fœmina) hoc scierit, eademque Regum Corpora cupidine Fratris in libertatem vindicandi ostenderit ei *Rodulfo* atque *Coloniensi* Archiepiscopo. Nos igitur isthæc omnia ultro concedamus. Numquid vero fortasse illuc etiam reliquorum ejusmodi Martyrum Corpora fuerant suis e locis comportata? Ecquis unquam hoc asseruit? Suis igitur ac primoribus in locis etiam tum illa perseverabant. Quomodo igitur *Raynaldo* saltem opus erat, ut ab ea Muliere sibi locus indicaretur, quo tunc *Protasii* nominatim ac *Gervasii* Corpora continebantur? Necdum scilicet ille aureum Basilicæ *Ambrosianæ* Altare viderat unquam: nec unquam vel curiose requisierat, vel etiam irrequirens forte ab aliis audierat, quænam Sanctorum Corpora sub eo Altari delitescerent. Atqui Canonicis ablatas Altaris claves Monachis ille jam tradiderat; ut supra jam diximus Num. 449. Præterea vero etiam ipse *Mediolanum* (sicut aperte colligitur e *Morenæ* contextu) venerat una cum Imperatore, quando venit

ad

ad illud excidio tradendum. Quocirca tunc ipse pariter ad Basilicam venisse, ac præ ceteris etiam ipsius ornamentis, tunc præsertim expositis, aureum vidisse Altare (congruenter ad ea nimirum quæ Num. 440. dicebamus) atque hic etiam domicilium habuisse credendus videtur. Quo credito, quidni etiam credamus, eum tunc saltem scivisse, quale foret hoc Altare, quem ad finem tanta impensa extructum esset, ac quorum Corpora Sanctorum sub ipso condita extarent? Sed illud etiam huc accedit, quod idem Altare jam fuerat in aperto tunc expositum, quando *Fridericus* Anno Millesimo centesimo quinquagesimo quarto Regiam de more Coronam hic e manu Archiepiscopi suscepit. Quis enim de hoc dubitet in tantæ celebritatis apparatu? tametsi nusquam hoc expresse testatum inveniamus. Octavus quidem Testis, *Zan* (sive *Joannes*) *Chartabia*, per Monachos in Processu jam sæpius memorato productus, de Sancta *Ambrosiana Ænobarbi* Coronatione verbatim hæc solum testabatur: *Quod* TEMPORE, QUO IMPERATOR FREDERICUS FUIT CORONATUS, *erat servitor Magistri Petri, qui modo est Præpositus, & qui tunc erat Cimiliarcha: & tempore illo fuit revestita Ecclesia, & ipsemet adjuvit eam ad revestiendum Palliis & Cortinis.* De Altari autem aureo tunc item adaperto, & palam in conspectum exposito, tametsi expresse non meminit; meminerat ille tamen paulo ante, tunc temporis adapertum postea fuisse, cum Processio quædam (de qua nos item suo tempore agemus) hic fieret in honorem *Friderici*, ejusque filii *Henrici*. Sed tertius quoque ante ipsum Testis, Domnus *Petrus Sapa*, Monachus & Diaconus istius Monasterii, hoc idem die illa factum affirmabat, qua nuptiæ Regis ejusdem ac filii *Henrici* celebratæ hic fuerunt. Quocirca dubium certe nullum esse debet, quin eo similiter adapertum fuerit die, quo *Fridericus* Regiam hic Coronam susceperat. Quod si tunc *Raynaldus* forte non aderat; certe tamen *Italici* Regni Archicancellarius jam erat Anno supra Millesimum centesimum quinquagesimo quinto, sicut hoc ipso Numero videbamus; certe tamen ad minus in *Lombardiam* venerat Anno postea sexagesimo primo; & hoc jam constat Num. 427. Quidni ergo saltem potuerat hoc e tam multis aliis *Friderici* asseclis tunc præsentibus quamoptime intellexisse, priusquam veniretur ad Urbis hujus non modo excidium, sed etiam deditionem denique factam? Quod igitur saltem attinet ad Sanctorum *Protasii* ac *Gervasii* Corpora: sicuti *Raynaldus* eo Mulieris indicio nullatenus indigebat; sic etiam ne illo quidem inductus videri nobis ad hoc potest, ut illa suo e loco sibi arriperet, in *Germaniam* transferenda. Ex hac igitur saltem parte tam fictitium, quam superfluum, illud est; totaque proinde vacillat, immo vero ruina continenti corruit totius & indicii & Scripti ejusdem authoritas.

CCCCLXVII. Et hactenus quidem nostrum Scripti ejus, tam cæca præcipitique fide a *Corio* recepti, a nobis autem per tam multas sui partes tentati ac rejecti, examen & censura. Nunc obstructus ostendatur a nobis cuniculus ille, quem olim adstructum indicabamus, & ita pervium, ut illac introiri posset in tumulum Altari subjectum Maximo; ibidemque, sicut *Ambrosii*, sic etiam *Protasii* ac *Gervasii* sacra Corpora, residueque illarum cœlestium Animarum exuviæ conspici possent. Circiter Annum ergo *Christo* Millesimum centesimum trigesimum Sanctus ille Cardinalis *Bernardus* Episcopus *Parmensis*, cum bona *Mediolanensis* Archiepiscopi venia illuc ingressus, Sancti nominatim *Ambrosii* Corpus conspexit non sine insigni eo miraculo, quod nos Num 58. & 352. recensuimus. Lectorem obnixe nunc etiam rogamus, ut eisdem comprehensa Numeris dignetur in præsenti rursum recolere. Ibidem porro nos fidenter conjectabamus, cuniculum postea illum tanti occasione miraculi, tamquam e cœlesti denunciatione præceptoque, occlusum ita fuisse muro, ut nulli postea mortalium ingressus patere posset. Atque ita profecto, sicut ipsamet ejus miraculi qualitas portendere videbatur, sic etiam nostrorum *Mediolanensium* prudentia deposcebat. An enim quispiam deinceps illuc ingrederetur sine justo timore, ne, sicuti Sancto *Bernardo* lumen, quod intulerant, repente fuit divinitus extinctum, sic etiam simile aliquid sibi quoque portentosum accideret? Ille quidem id sibi ob sua delicta evenisse causatus lachrymatusque fuit. Quis vero deinceps ita se crederet a peccatis immunem, ut ab omni generis ejus eventu securus ingredi posse sibi videretur? Quod si divinitus ille mox, per alterum ex improviso miraculum immisso cœlitus lumine, liberatus ab eo animi angore tenebrisque illis, votum suum complevit; nemo tamen prudens tale quippiam sibi pariter postmodum promittere auderet. Arrogantis quippe hominis hoc esset, ac Deum temere ad miracula provocantis. Sicut ergo dubitandum non videtur, quin toto passim Urbe vulgatum fuerit illud omne, quod Sancto Cardinali mox contigerat; sic etiam creditu dignum nos censuimus, Archiepiscopum nostrum illico mandasse, ut cuniculus & ingressus ille posteris omnibus in perpetuum clauderetur. Ille profecto, qui tunc extabat, jam non extat; quippe cum nullus omnino jam extet. Necesse igitur est, ut ex eo tempore in præsens aliquando fuerit interea occlusus. Quis hoc neget? Atqui neque nostra neque Patrum nostrorum memoria fuit occlusus: immo vero ne superiorum quidem spatio temporum interjectorum alicubi legitur occlusus: ac si forte quispiam hoc alicubi unquam legerit; depromat. Quidni ergo credere nobis liceat, ea miraculi occasione occlusum fuisse? Novus utique hic effectus, juxta commune ac receptum in Scholis pronunciatum, ex nova pariter ac rationabili provenisse causa censendus est. Tale profecto miraculum suapte natura sibi eum deposcebat: ac, si noster Archiepiscopus ei obsecundarit, prudenter etiam se gessit. Quamdiu igitur de alia nobis causa non constat; reliquum est, ut ex eodem interim miraculo, tamquam e causa sufficienti æque ac congruenti, effectum istum, cuniculi scilicet illius occlusionem, nos quoque non imprudenter ac temere deduxerimus, atque jamdudum ita deduxisse ne nos quidem in præsenti pœniteat. Quid, quod in ejusmodi conjectura mirifice nos Processus ille confirmat, quem aliquoties jam produximus, Anno Millesimo ducentesimo ac ducentesimo primo confectum? Ille siquidem reflectitur in aliquantum etiam temporis, antequam *Ænobarbus* ad *Mediolani* excidionem veniret: neque tamen intra tantam temporis intercapedinem, in tanta Testium ac testimoniorum multitudine, aliquod unquam indicium apparet alicujus viæ, per quam in Sanctorum *Ambrosii* ac *Protasii* & *Gervasii* tumulum introiri posset. Plurima ibi frequentissimaque mentio cum Altaris aurei, tum etiam ejus Clavium, quæ Cimiliarchæ tradi solerent. Quod si qua forte via in subjectum ei sepulchrum introiri potuisset; quis dubitet, quin eam foribus item ac clavibus quam optime firmatam occlusamque tenuissent? Nonne vero congruum etiam fuisset, ut ex iisdem clavibus (quidni enim plures esse debuissent?) una saltem a Cimiliarcha, vel Præposito, vel Abbate, vel ab eorum singulis singulæ custodirentur? Sed eas etiam concedamus omnes ab Archiepiscopo solo custodiri solitas fuisse. Undenam, obsecro, tam altum de ipsis silentium, ut neque absente Archiepiscopo (& eo præsertim tempore, quo Civitas jacuit destructa, *Obertusque* Archiepiscopus exulabat) neque præsente, ne semel quidem

dem tantulam viderimus unquam mentionem? Pluries itidem adapertum interea fuisse Altare illic memoratur. Absit autem, ut quispiam unus interim sepulchrum ei subjectum ingressus, vel sacra ibi Corpora conspicatus dicatur. Ipsas etiam Sanctorum *Ambrosii Protasii* que ac *Gervasii* festivitates animadvertimus tam ante quam post *Mediolani* destructionem similiter memoratas, eodemque similiter apparatu celebratas fuisse. Quod si qua interim eorum Corpora hinc aliam in Urbem ac Provinciam, sive in *Germaniam*, translata fuissent; miraculi profecto instar nobis esset, quod ne obiter quidem unquam tot Testibus vel unicum exciderit verbum de tanta interim hujus Basilicæ jactura. Sic itaque hoc etiam ex Processu nos colligimus, nec ante proximam Civitatis hujus *Ænobarbicam* eversionem introire sub Altare Maximum ad Corpora Sanctorum Tutelarium potuisse per ullam viam, quæ tunc daretur: neque postea ullum eorum Corporum inde fuisse adsportatum. Cum vero satis nos adhuc ostendisse videamur, tanti occasione miraculi protinus occlusam pariete continuato fuisse viam illam, per quam ingressus ad Corpora Sanctorum sub Altari Maximo, sive sub ipsius etiam Basilicæ pavimento, condita dabatur; reliquum profecto jam est, ut in hoc peculiarem illam Divini Numinis erga *Mediolanenses* providentiam gratis semper animis agnoscamus, recolamus, ac veneremur, qualem quantamve Num. 58. ex hypothesi tandem observabamus, nunc securius ac liberius prædicamus. Quotidianis etiam experimentis notissimum est, atque communi tritum sermone abiit etiam in proverbium, quemadmodum prompta & obvia furandi facilitas furem sæpenumero efficiat. Excidium nostræ Urbi post duos circiter ac triginta annos ab *Ænobarbo* imminens Majores nostri prævidere non poterant. Prævidebat, optime, jamque ab æterno præviderat Omnisapiens Deus. Quocirca etiam præmature tot ante illud excidium annis per miraculum tam insigne præmonuit effecitque, ut ingressus ille ad sacra Corpora in perpetuum clauderetur, eoque securius illa suo in loco perenniter intra Basilicam istam conservarentur; sicut in hodiernum conservari diem hilares credimus.

CCCCLXVIII. Hoc ipso ingressu ita præcluso, antequam *Ænobarbus* Urbem nostram dirueret, vel aliqua tunc Sanctorum Corpora suis e latebris in longinquas Regiones transferenda per *Germanos* dimoverentur; vires jam sibi sumit argumentum illud, quo *Castillionæus* contendebat, nostrorum *Protasii* & *Gervasii* Tutelarium Corpora hoc *Ænobarbi* tempore neutiquam fuisse suo e tumulo ablata; quodque nos, ipsius præcise verbis Numero 58. recitatum, nullius ceteroqui roboris esse monstrabamus. Nos igitur, supposito item Altaris situ, qualem Num. 57. descripsimus, eodem prorsus contra *Brisacenses* jam utimur argumento. Nec enim extrahi Corpora inde potuissent; nisi prius dirutum & eversum, aut suo saltem amotum e loco fuisset Altare; nisi prius amota fuisset prægrandis ac prægravis illa Tabula porphiretica: quæ sicut instar pavimenti subest eidem Altari, sic etiam operimenti vicem subjecto præbet puteo, sive tumulo, quo sacra ejusmodi Corpora continebantur. Et tamen vetustissima istorum omnium structura & dispositio apertissime in hodiernam usque diem intacta discernitur, nec ullatenus innovata. Dicamus etiam, in prædicto Processu nullum penitus extare alicujus ejusmodi mutationis indicium. Quod tamen sine dubio non posset non extare; si forte illa tunc facta fuisset; tanta est ipsius colligatio cum aliis rebus multis, quæ ibidem vel etiam obiter commemoratæ conspiciuntur. Quod ad ipsam per se Basilicam pertinet: in eo quidem processu non aliter agitur, quam si conservator ipsius venisset *Ænobarbus*, qui Civitatis alioqui venerat eversor. Ac ne credibile quidem videtur, ipsum tam suo quam Successorum Imperio tam male ominari voluisse, ut Sanctis Tutelaribus eam privari sineret Basilicam, in qua Regiam ipse Coronam ritu institutoque Majorum suscepisset, nec non etiam suscepturi supponerentur Successores. Quidni enim supponebantur? tametsi eversa Civitas esset. Hanc ille nimirum everterat eo maxime prætextu, quod certum sibi numquam Imperium in *Longobardis* futurum esset (nec dispar erat Successorum condicio) donec potentissima Civitas staret. Itaque nihil interea causæ obtendebatur, quo minus Regium Diadema deinceps in hac item Basilica suscipiendum esset: nimisque propterea erat absonum, eam talium præsertim Sanctorum Corporibus spoliari.

CCCCLXIX. Sed illud etiam huc accedit, quod, si ejusmodi Corporum adsportatio vere facta fuisset; certe quidem a nostris *Mediolanensibus* ignorari non poterat; quomodocumque facta congruenter ad veritatem supponatur. Si enim vetustus ille cuniculus etiam tum extabat (demus enim hoc idem, quod paulo ante negavimus) quis dubitet, quin portis & clavibus quam optime occlusus teneretur? Vel ipsum Altare aureum asseribus erat circumseptum, ejusmodique sepimentum clavibus a Cimiliarcha custodiri solitis occlusum tenebatur; uti jam vidimus. Quanto magis ergo custoditus interea quoque censendus est pretiosissimus ille Sanctorum Corporum thesaurus, ad quem ingressus per eum cuniculum primariis Viris (& quidem nonnisi consulto Archiepiscopo) daretur? Sin vero novum aliquem tunc temporis effoderunt cuniculum: vel amotis omnibus iis rebus, quæ ingressum per os putei sive tumuli impediebant, illac introierunt; quanto minus ab ipsismet ignorari Æditiuis hoc potuit? Annon enim tam Canonici quam Monachi Basilicam istam obtinebant, priusquam *Fridericus*, Urbe diruta, *Papiam* reverteretur, secumque Corpora istorum quoque Martyrum (sicut ajebat *Corius*) adsportaret? Sed esto: non illa tunc temporis, sed posteaquam Canonici propter sacrilegium illud juramentum Pseudopontifici *Victori* justissime negatum abire coacti fuerunt, adsportarit. Nonne tamen Monachi continenter in Basilicæ custodia perseverarunt? Itane vero interim omnes dormitabant, ut non adverterent, quid in eo Basilicæ loco tam conspicuo ageretur? quid inde, ac quo tandem adsportaretur? An forte *Fridericianis*, an *Coloniensi* Archiepiscopo, an ipsimet etiam Imperatori *Friderico*, in tam soluto liberoque per omnia debacchante dominatu, in tanta *Mediolanensium* clade, curandum erat, ut latenter hæc fierent, nec ullo pacto ad eorum notitiam pervenirent? Nihil minus. Et tamen, ablata hinc fuisse Martyrum ejusmodi Corpora, neque tunc, neque tot postea per annos scivere *Mediolanenses*. Quod eo etiam magis mirum est; cum *Brisaci* dimissa propter insigne miraculum, illic ab ipsis in transitu perpetratum dicantur; cumque postea ibidem quotidianis claruisse miraculis prædicentur. Hæc utique Sancti etiam ipsi Martyres *Protasius* & *Gervasius*, ex hac Basilica illuc translati operabantur, perinde ac si talem sui translationem, ab Urbe *Mediolano* illuc factam, longe lateque per Orbem *Christianum*, nedum per *Germaniam*, innotescere, quinetiam cœlestibus comprobatam miraculis celebrari vellent; neque tamen *Mediolanenses* hoc audiebant; neque saltem credebant? Certe quidem si talia illi vel vidissent, vel ex ore famæ audissent, vel etiam credidissent; quis unquam credat futurum apud ipsos postea fuisse tantum ejusmodi translationis silentium, quin immo tantum etiam errorem, ut eadem nihilominus Corpora suo in tumulo sub Ara hujus Basilicæ Maxima conquiescere, pro certo haberent, publiceque tum Histo-

Historiis Urbis, tum etiam Ecclesiasticis Tabulis consignarent? Siccine vero illi se gesserunt erga sacra Magorum Corpora? Minime vero. Cur ita? Quia hæc *Coloniam* sciebant adsportata fuisse. Quidni pariter scituri erant & de Sanctorum ejusmodi Martyrum Corporibus (quorum celebre non minus erat nomen, ac veneratio) si ea *Brisachum* vere translata fuissent? Hinc ergo neque quispiam e nostratibus ante *Corium* Chronologis talem aliquam eorum translationem commemoravit; quin potius omnes eadem perenniter in hac Basilica conservari ad suam quisque ætatem censuerunt. Quid, quod etiam post *Corium* nemo tamen unus hac in re contra communem Civitatis & Ecclesiæ *Mediolanensis* sententiam consentire illi ausus est; nisi forte *Ripamontium* excipias. Qui tamen & ipse iis non adversatur, quibus ambiguam obscuramque habuisse fidem, ac mendosum esse visum est Scriptum illud a *Corio* recitatum. Qua de re nos quidem ipsius verba jam supra in medium Num. 459. protulimus. Sic etiam inde factum est, ut (quemadmodum argumentabatur etiam *Castillionæus* Fasciculo illo sexto pluries alibi jam citato) in Rubricis, Calendariis, Breviariis, & Missalibus *Ambrosianis*, undevigesima Junii die in ejusmodi Sanctorum Martyrum festivitate, PROCESSIO ET MISSA PONTIFICALIS AD SANCTUM AMBROSIUM CUM OBLATIONE CIVITATIS, hodieque præscripta legatur. *Quæ notæ* (sic enim *Castillionæus* ibidem observat) *tum in Rubricis Diariorum Mediolanensis Ecclesiæ collocantur, cum iisdem diebus recolitur eorum Sanctorum memoria, quorum Corpora in Sacris illis Aedibus re ipsa obdormiunt & quiescunt. Nec aliam ob causam solent Magistratus publici commodi, & Universitates, sive Collegia Opificum Mediolanensis Urbis, statas & anniversarias Oblationes quasdam peragere ad Sanctorum Aedes, nisi ob Urbis ipsius vota publica, vel peculiarem ejusdem cultum, Divorum illorum Corporibus impendendum, quæ illis in Templis esse pro comperto habent.*

CCCCLXX. Sed accipe præterea Lector, quemadmodum hac de re semet habeant publicæ Tabulæ pergamenæ, per Monachos in hanc usque diem asservatæ, quibus Reliquiæ recensebantur, & Corpora Sanctorum, quæ in hac Basilica extarent: tum etiam Indulgentiæ, huc adventantibus concessæ. Quæ ceterarum ejusmodi Tabularum vetustissima nobis est, sic incipit: *Reperitur in antiquis Romanorum Sanctorum Pontificum Registris, quod visitantes Ecclesiam Beatissimi Patris Ambrosii,* IN QUA EJUSDEM CORPUS, NECNON CORPORA SANCTORUM MARTYRUM PROTASII ET GERVASII, *Sanctæ Marcellinæ Virginis & sororis Sancti Ambrosii, & Sancti Satyri,* REQUIESCUNT, *& cum eis gloriosa Sanctorum Corpora Casti & Polimii, & multa alia Sanctorum Corpora, omnium peccatorum suorum bene confessi & contriti veniam consequantur.* Sed & verbatim eadem prorsus præleguntur in altera Tabula minus vetusta, & recenter conscripta quo ex tempore Monasterium istud Cisterciensi fuerat Ordini concessum. In ea igitur post enarratas Indulgentias istus Basilicæ proprias, sicut etiam in prædicta fuerant Tabula enarratæ, sic insuper legitur: *Alexander Sextus, Pontifex modernus, confirmavit supradictas has omnes Indulgentias, interventu Illustrissimi & Reverendissimi Cardinalis Ascanii* (a quo scilicet Monasterium istud nuper fuerat huic Ordini concessum) *quinto Idus Aprilis, Millesimo quadringentesimo nonagesimo septimo.* De hinc vero adjectæ sunt etiam Indulgentiæ generales, omnibus Ecclesiis & Cappellis Monasteriorum Ordinis Cisterciensis a Summis Pontificibus concessæ. Tertia denique Tabula, sacras omnes enumerans Reliquias in hac Basilica contentas, sic & ipsa exorditur: *Corpora quinque Sanctorum,* AMBROSII ARCHIEPISCOPI MEDIOLANI ATQUE DOCTORIS ECCLESIÆ, NECNON GERVASII ET PROTASII MARTYRUM FRATRUM, *& Chrysanti & Dariæ Martyrum:* ET SUNT SUB ALTARI MAGNO IPSIUSMET DIVI AMBROSII. Eadem vero tandem desinit in *Gregorii* Papæ Decimi tertii Diploma, datum *Romæ* die decima quinta Februarii, Anno *Christi* Millesimo quingentesimo octogesimo secundo, Pontificatus sui duodecimo: quo ille graviter cavebat, ne quis sacras in Provincia *Mediolanensi* Reliquas suis e locis ad alia transferret, vel earum particulam ulli traderet. Hæc igitur in propriis hujus Basilicæ Tabulis: quæ semper in publico expositæ Fidelibus huc advenientibus indicarent, quænam Sanctorum Corpora hic quiescentia venerari possent. Nonnunquam vero etiam supra meminimus Libelli cujusdam, quo recensebantur Indulgentiæ ac Sanctorum Corpora, quæ tunc in hujus Urbis Ecclesiis extarent: quive Millesimo quingentesimo decimo quinto *Christi* Anno, atque rursus etiam postea, *Mediolanensibus* typis impressus fuit. Certe autem Sanctorum ejusmodi Martyrum, sicut etiam Sancti Doctoris *Ambrosii*, Corpora hic jacere Libellus ille verbis affirmat disertissimis. Quin etiam de Indulgentiis illis, quas paulo ante memorabamus ab *Alexandro* Papa Sexto confirmatas, sic etiam ipse juxta popularem illius temporis sermonem habet: *Si trova in li antiqui Registri de li Sancti Papi, che in la Giesa de Sancto Ambrosio sono octo mille anni & altretante quarantene de Indulgentie ogni Lunedi per tutto l'anno. Ancora in li altri di ottocento anni & altretante quarantene de Indulgentie. Le quali novamente il Summo Pontifico Alexandro Sexto ha confirmato, & altretante ne ha adgiunto, a petitione del Reverendissimo Cardinali Monsignor' Ascanio: visitando la dicta Giesa, & tuti li nove Altari: ciò è, lo Altare de Sancta Marcellina, che e in lo Schurolo: SANCTO ANDREA, DA MANE SINISTRA DAL SCHUROLO: Sancto Clemente, d'onde è Sancta Maria dale sette lampade: Sancto Benedicto, cioè, Sancta Justina, da destra mane: SANCTO GIORGIO, ONDE E L'ARCA DE MARMORE* (qua scilicet Arca conditus jacebat Rex *Lotharius*, uti jam diximus Numero 171.) *Sancto Bartholomeo, apresso à lo Campanilo de li Monachi: Sancto Sathiro: Sancto Johanne Baptista, apresso à la porta de li Monachi: Sancto Pietro & Paulo IN INFIRMARIA:* de qua quidem Ecclesia nos egimus Numero 78. 115. 118. Ceterum *Alexander* ille Papa Sextus ex hac vita migravit Anno Domini Millesimo quingentesimo tertio. Ut autem ad Sanctos Martyres ac Tutelares nostros redeamus: illos itidem in hac Basilica extare, affirmarunt etiam *Paulus Morigia* in suo *Mediolani* Sanctuario, & *Joannes Baptista Villa*, pluries a nobis jam producti. Ergone *Mediolanensis* Ecclesia in hoc hactenus procul a vero aberravit, secumque ceteros item Fideles aberrare voluit? Quis ignorat, *Brisacensem* potius Ecclesiam in hoc falli potuisse?

CCCCLXXI. Forte autem traditis ei aliorum duorum Martyrum, & quidem similiter fratrum, vel aliqua saltem alia cognatione inter se junctorum, Corporibus indita fuerunt Sanctorum *Protasii* ac *Gervasii* nomina; sive quia Donator ipse ita finxerit, quo donum pluris æstimaretur; sive per errorem ipsimet etiam Donatori a nostratibus obtrusum; sive alia quapiam ex causa. Sane quidem *Philippus Ferrarius* in fine Indicis, quem Catalogo Sanctorum *Italiæ* adjecit, causas proferens, cur aliquando Corpora Sanctorum diversis in locis reperiri dicantur, hanc quoque connumerat; quod aliquando acciderit, ut alicujus Sancti Corpus potentiores petierint: pro quo inferiores, denegare non ausi, aliud suppo-

posuc-

posuerint. Quamquam etiam ne ista quidem causa nobis in re præsenti verisimilis videtur; nisi forte supponamus, duo aliqua Sanctorum ejusmodi Corpora tunc temporis jacuisse intra illum Aræ Maximæ sinum, intra quem binos etiamnum lapides illos contineri Numero 57. dicebamus; ea igitur *Raynaldum* inde vel sibi sustulisse, vel ab Æditius accepisse, opinantem, Sanctorum esse *Protasii* ac *Gervasii* Corpora; quæ proinde *Brisacênsibus* postmodum hac ipsa opinione tradiderit. Persuasissimum enim ceteroqui nobis est, nullum tunc temporis datum fuisse ingressum in puteum ac tumulum ejusdem Altaris pavimento subjectum, intra quem Corpora Sanctorum ejusmodi Tutelarium re quidem vera continebantur, atque nunc etiam (sicuti credimus) continentur, qualitercumque *Brisacenses* illa sibi vendicent. Sed ne simile quidem vero videri nobis potest, *Raynaldum* sibi voluisse aliquod Sanctorum Basilicæ istius Imperatoriæ Tutelarium Corpus; uti paulo ante differebamus. Aliquo igitur alio potius errore nos factum crederemus, ut istorum Martyrum nomina a *Brisacensibus* illis Corporibus indita fuerint. Ceterum, si non ad præsens institutum, certe tamen ad ejusdem generis alia facile pertinebit causas scire, quas paulo ante innuebamus a *Ferrario* collectas, propter quas eadem Sanctorum Corpora nonnunquam pluribus dicantur in locis reperiri. Verbatim ergo sic ille differebat: *Fieri nulla ratione potest* (sive non convenit) *ut idem Corpus, quantalibet sanctitate præditum, in pluribus reperiatur locis. Hoc enim, ut in pluribus ac innumeris (si darentur) & quantumvis distantibus locis sit eodem temporis momento, soli Corpori Dominico in Sacramento Altaris convenit. Quod vero aliquot Sanctorum Corpora in diversis locis quiescere passim affirmatur; vel aliquos ex iis, qui se illa habere gloriantur, decipi; vel totum pro parte, in loquendo figura usitatissima, usurpari oportet. USUS ENIM EX PIA QUADAM EXTENSIONE OBTINUIT, UT QUI SANCTI ALICUJUS CORPORIS RELIQUIAS, SIVE OSSA, SIVE CINERES HABENT, CORPUS IPSUM HABERE DICANTUR.* Et in hac quidem sententia fuerunt etiam duo illa Ecclesiæ *Catholicæ* lumina, *Bellarminus* & *Baronius*, Cardinales: & ambo testimoniis præterea Patrum eandem illustrarunt, comprobarunt: ille *De Reliquiis Sanctorum* Lib. 2. Cap. 4. in fine; hic ad Annos *Christi* Quinquagesimum quintum Art. 15. & Septingentesimum sexagesimum quartum. Illam secuti sunt etiam *Trissinus*, a nobis Num. 461. laudatus: & *Castillionæus*, Antiquitatum Basilicæ *Vincentianæ* Fasciculo 4. Eandemque doctrinam nos item Num. 444. sequebamur, quatenus Sancti *Mansueti* Corpus in *Stephaniana* Basilica conditum esse diceretur. Jam prosequitur *Ferrarius: Sæpe etiam Corpora Sanctorum ex uno loco in alium transferri contingit: & dum alius prioris, alius posterioris loci meminit scribendo; plura videntur loca eidem Corpori assignari. Illud quoque potissima deceptionis causa est* (quæ tamen in casu nostro nullum penitus habuisse locum videtur) QUOD CLAM FURTIMVE SUBLATIS SANCTORUM CORPORIBUS ET ALIO TRANSLATIS, MANENTIBUS TABULIS ET INSCRIPTIONIBUS IN PRIORI LOCO, IBI ESSE CREDUNTUR, QUO AD FURTUM NON DETEGITUR. *Accidit, & titulum inscriptionemque cassam alicujus Sancti juxta Corpus ignotum reperiri, quod idcirco Sancti illius esse putatur:* QUEMADMODUM ET CORPUS SANCTI ALICUJUS A POTENTIORIBUS PETI (quam utique causam nos innuebamus, neque tamen satis admittebamus; cum alioqui magis, quam ceteræ, ad præsens congruat institutum) PRO QUO II, QUI APERTE ILLUD TAMQUAM INFERIORIORES DENEGARE NON AUDENT, NEC TAMEN VOLUNT SUO PRIVARI THESAURO, ALIUD SUPPONUNT: *quo pacto idem Corpus duo obtinet loca, unum re ipsa, alterum opinione.* Quibus omnibus causis *Ferrarius* in medium allatis, ita denique concludit: *Hæc, quæ diximus, exemplis confirmare potuissemus. Sed ab iis abstinendum duximus; ne quis id gravate ferat. Cum itaque ejusdem Sancti Corpus in duobus, vel etiam pluribus, esse locis audieris, vel legeris; partem pro toto, vel e contra sumi; sive causam deceptionis aliquam ex dictis intercedere putabis.* Hæc ille.

CCCCLXXII. Quod autem ad sacra illa Corpora, quæ *Brisacenses* ipsi jam possident, quæve Sanctorum *Protasii* & *Gervasii* esse putant, miracula etiam dicebantur edita: hæc utique nos etiam concedamus. An vero proterea Deus illa edebat in hunc finem, ut eadem vere illorum esse Martyrum Corpora, & veracem *Brisacensium* & aliorum esse opinionem testaretur? Testimonium enim Domini fidele; quippe qui nec falli nec fallere potest. Quocirca tunc etiam ita nobis absque dubio credendum esset. Atqui necesse propterea non est, ut in hunc illa finem facta credamus: satisque propterea fuerit, si sacra tantum esse Corpora fateamur. Quoniam vero contra *Germanos* præsertim suscepta nobis hæc quæstio est; unicum illis opponemus argumentum, ab exemplo Sancti *Uldarici Augustanorum Vindelicorum* Episcopi deprómptum. Ecclesia *Mediolanensis* quarto Nonas Julii e perantiqua consuetudine anniversarium celebrat diem Sancti *Uldarici* Episcopi & Confessoris: & hunc quidem certissimum jam est non alium esse, quam prædictum *Augustæ Vindelicorum* Episcopum; tametsi creditus aliquando *Mediolanensis* Archiepiscopus fuerit. Testatur hoc prædictus ipsemet Julii dies; quippe quo die mentio ejusdem *Augustani* Episcopi, nec alterius cujuspiam *Ulderici* Episcopi, communiter in Martyrologiis habetur. Certius autem, atque ad omnem arcendam dubitationem aptius adtestatur *Ambrosianum* Breviarium in ejus Vita, quæ Matutinas inter Preces recitari consuevit. Codicem apud me habeo, a Clarissimo Viro, quem infra etiam nominabo, acceptum, & pergamena in charta manuscriptum, quo Matutinæ solummodo continentur Lectiones (tunc tres in uniuscujusque Sancti diem erant, sicut hodie unica ut plurimum ea est) propriæ Sanctorum, de quibus Officium in Ecclesia *Mediolanensi* celebraretur. Ibi ergo in tribus de Sancto *Olderico* (etenim sic ibidem nominatur) Lectionibus nihil extat, quod non item in Sancti *Udalrici* (quemadmodum *Germani* eum communiter appellant) Actis & Vita traditum sit. Sed illud etiam in secunda Lectione verbatim habetur: *Rex Henricus, comperiens illum* (Oldericum) *esse bonum; secundum prædestinationem Dei regio more in manus suas eum accepit,* ET SEDEM AUGUSTENSIS EPISCOPATUS SIBI DONAVIT. In Breviario autem, quod Sanctus Cardinalis & Archiepiscopus noster *Carolus Borromæus* reformatum edidit, tam luculenter unica Lectione describitur istius Sancti *Augustani* Episcopi Vita, ut ipsimet *Augustani* eandem inde totam verbatim exscriptam inseruerint ei Libro, quem Anno Millesimo sexcentesimo primo ediderunt, sic inscriptum: *Sancti Augustani*: sive, *Imagines Sanctorum Augustanorum Vindelicorum, æreis tabellis expressæ.* Legatur ibi pagina, quæ tabellæ respondet decimæ quartæ, *Udalrici* eorum Episcopi effigiem continenti. In eandem vero sententiam legantur etiam *Petri Galesinii* ad prædictam Julii quartam diem Martyrologium ac Notæ: quæ cum prædicta Breviarii *Ambrosiani* Lectione, in hanc usque diem nobis usitata, per omnia consentiunt. Cum igitur hoc jam certissimum sit, & citra contro-

versiam omnem in concessis supponendum; quæstio tantum agitatur, ubinam sepultus conquiescat tantus *Augustanorum* Episcopus. Populus utique *Mediolanensis* hunc sibi vendicat: & in Basilica hujus Urbis *Nazariana* (quæ prius dicebatur APOSTOLORUM) tumulatum credit. Certe quidem in Calendario illo *Ambrosiano*, quod aliquoties adhuc produximus, & quod Anno Millesimo trecentesimo octuagesimo primo conscriptum esse dicebamus, sub quarta similiter Julii die sic legitur: SANCTI OLDERICI, EPISCOPI ET CONFESSORIS. JACET AD SANCTUM NAZARIUM. Idipsum eadem die indicat etiam Missalis *Ambrosiani*, Anno Millesimo quingentesimo sexagesimo typis editi, Calendarium his verbis: SANCTI OLDERICI, EPISCOPI MEDIOLANI ET CONFESSORIS. AD SANCTUM NAZARIUM. Ubi tamen *Oldericus* perperam EPISCOPUS MEDIOLANI appellatur. Quo quidem errore (sicuti dicebamus, jam convicto) peccat etiam ipsiusmet Basilicæ *Nazarianæ* Tabula pergamena, qua ipsius Indulgentiæ sacræque Reliquiæ numerantur, quæve illic ad instructionem adventantium pensilis e pariete lectuque commoda conspicitur. *Uldarici* porro nominatim Episcopi *Augustani* Corpus jacere *Mediolani*, affirmat etiam *Philippus Ferrarius* in Indice sui Sanctorum *Italiæ* Catalogi; cum alioqui nullam in Catalogo ipso fecerit ejus mentionem. *Paulus* vero *Morigia* in Sanctuario illud insuper signate addit in prædicta Sancti *Nazarii* Basilica jacere. Quod pariter affirmavit etiam *Joannes Petrus Glussianus* in Sancti *Caroli* Vita, Libro 5. Cap. 9. cum solam describeret ejusdem Sancti *Uldarici* translationem, ab eodem Sancto *Carolo* peractam *Christi* Anno Millesimo quingentesimo septuagesimo nono: nec non etiam *Joannes Baptista Villa* in suo illo de *Mediolani* Ecclesiis Libro, pluries adhuc memorato. *Joannes* enimvero *Franciscus* (qui postea *Caroli* nomen una cum habitu religioso induit) *a Basilica Petri* hoc idem præcise affirmaverat in suo de aliquot *Mediolani* Ecclesiis Libello; usque adeo inter *Mediolanenses* vulgata erat hæc opinio. Atqui cum Sancti *Caroli* Vitam scriberet (scripsit autem ante *Glussionum*) Sanctique *Uldarici*, cujus Corpore Basilica *Nazariana* gloriatur, translationem Lib. 5. Cap. 6. recenseret; in hæc verba jam dubius (tametsi Corpus ipsum, quæve cum ipso erant, diligenter & accurate, sicut ipsemet narrat, conspexisset) erupit: *Quisnam Episcopus ille fuerit, Mediolanensis ne, AN AUGUSTANUS, UT QUIDAM PUTANT, an vero alius; adhuc equidem ignoro.* Denique vero, re maturius considerata, illum esse *Augustanum* Episcopum disertissime negavit in Fragmentis Historiæ *Mediolanensis*, Titulo *De Corpore Sancti Henrici Basilicæ Apostolorum.* De ipsomet igitur *Augustano* loquens Episcopo sic disserit hoc denique loco: *Hujus Corpus hic sepultum, hucce allatum fuisse, nullum extat (quod sciam) indicium. Contra autem Berno Abbas, ejus Vitæ scriptor, & alii graves Scriptores, Augustæ eum fuisse sepultum affirmant. Immo etiam a Viris fide admodum dignis accepimus, ejus Sancti Episcopi Corpus adhuc ibi cum veneratione asservari, & coli.* Et paulo post de Corpore illo in Basilica *Nazariana* condito hæc narrat: *Cum ad Arcam inspiciendam jussu Beati Caroli eo venissemus Anno Millesimo quingentesimo septuagesimo octavo; invenimus Corpus cum Episcopalibus indumentis, quæ tamen fere subito evanuerunt. Circulis æneis, quibus Baculus Pastoralis ligneus cingebatur, hæ litteræ insculptæ erant,* HENRICO HIGUDSTANNO DILECTO FILIO: *quas tunc in libellis nostris notavimus, quos ad Sancti Caroli Vitam conscribendam parabamus* &c. *Corpus deinde transtulit una cum aliis ejus Basilicæ idem Beatus Præsul Anno proximo cum Episcopis Provinciæ, qui ad Concilium convenerant: & in extremo brachio ipsius Ecclesiæ janua, quæ ibi erat, clausa, Altarique ibi constituto, recondidit. Quisnam hic Episcopus fuerit, neque scio, neque habeo conjecturas, quas proferam. Omnino Transalpinum fuisse,* ET SANCTUM VIRUM, IMMO MIRACULIS CLARUM, *affirmare possumus: cui & Statua & Altare erectum sit, & sanctitatis laus veneratioque non mediocris a Populo Mediolanensi tributa. Quæ veneratio pene extincta, proximis annis renovata est,* NONNULLIS PRÆDICANTIBUS, SE ÆGROTOS EJUS OPE INVOCATA SANATOS ESSE. Post hæc igitur hic Auctor eum potius *Anglicum* fuisse conjectat: quin etiam potius Abbatem quam Episcopum fuisse illis colligit ex verbis, DILECTO FILIO; quippe quæ Papæ verba fuisse videantur, cum Baculum ei Pastoralem traderet. Hæc utique in eo tandem libro *Carolus a Basilica Petri.* Eundem vero scripsit, cum Episcopus jam esset *Novariensis*; quemadmodum ex ipsius Præfatiuncula constat. Quam constanter autem in eadem sententia permanserit, vel ex hoc intelligi potest, quod mihi nuperrime narrarunt duo integerrimæ fidei Sacerdotes & *Ambrosiani* Collegii Doctores, *Antonius Olgiatus* & *Franciscus Bernardinus Ferrarius*: de quibus aliquantulum supra dictum est Num. 285. & 297. Millesimo nimirum sexcentesimo nono Anno *Mediolanum* venerat *Carolus*, ut Concilio interesset Provinciali, quod *Fredericus* Cardinalis & Archiepiscopus noster in quartam Maji diem indixerat. Sicut autem utriusque illorum ingenium & eruditionem plurimi æstimabat; sic eosdem interim semel una simul accersitos, tamquam de re gravissima, quæve maxime ad Ecclesiam *Mediolanensem* spectaret, de sacro tantum illo Corpore, quod *Mediolanenses Augustanorum* Episcopi esse *Uldarici* hactenus existimarent, allocutus fuit; & in eandem prorsus sententiam, quæ prædictis ejus Fragmentis continentur. Itaque præ ceteris argumentis illud maxime omnique contentione inculcabat HENRICI HIGUDSTANNI nomen: quod ita certissime se haberet; tametsi quidam illiteratus homo in ejusdem *Augustani* Episcopi Vita, temere olim a se compacta, litteras alias falso supposuerit; falsoque item affirmarit, ita prorsus in Actis quoque Archiepiscopalibus haberi. Ambos igitur hosce Viros denique rogavit, quin etiam obtestatus est, ut si quando ipsis hac de re scribendum esset, *Mediolanenses* pro parte virili tanto errore liberarent. Talia tunc ad ipsos *Carolus Novariensis* Episcopus. Ecquis autem curiose hoc loco non inquirat, quinam fuerit illiteratus ille Scriptor, quem tacito ipsius nomine modestissimus hic Episcopus talibus indiciis designabat? Præstat enim eum agnoscere, ne quis aliquando in re tam gravi decipiatur. *Joannes* absque dubio *Franciscus* est *Besutius*, hac in Urbe olim Bibliopola: qui per *Franciscum Paganellum* Anno Millesimo quingentesimo nonagesimo nono typis hac in Urbe Libellum hoc titulo edidit: *Vita del Confessore di Christo*, SANTO ARDERICO, *Vescovo di Augusta.* Ecce vero, quemadmodum eam quoque Baculi Pastoralis corruperit inscriptionem. *Nella summita di esso* (inquit ipse) *era una lammetta d'argento, che cingeva detto Bastone con queste lettere intagliate in esso:* DILECTO FILIO, ARDERICO, EPISCOPO AUGUSTENSI. Tanta fuit hominis ejus licentia. Ejusmodi Libellum nos quidem in *Ambrosiana* Bibliotheca legimus: & per omnia, qualem *Carolus* ipse describebat, invenimus. Ceterum his, quæ denique *Carolus* hic ipse disseruit, nunc ex adverso pro instituti nostri ratione lubet attexere quæ *Paulus Morigia* loco proxime indicato scribebat. Inter alia igitur de Sancti

cti *Nazarii* Basilica hæc item: *Ancora* VI GIACE IL CORPO DI SANTO ULDERICO, VESCOVO DI AGOSTA. E LA SUA IMAGINE, *pinta nel muro fuori della Chiesa* (juxta scilicet interius Altare, in quo Corpus ipsius conditum quiescit) COMINCIO A FAR' MIRACOLI *l'Anno Mille cinque cento novant' otto*, *il giorno de' Santi Gervasio e Protasio* (vel hinc faustum nobis omen, qui pro iisdem Martyribus exinde argumentaturi essemus) *alli diecinove di Giugno*, *con gran' concorso del Popolo*, *e con offerte de gran' voti: e tuttavia va perseverando*. Certe autem in multos deinceps annos perseveravit: ac nostra etiam memoria multitudo illuc hominum maxima confluebat: crebraque illic miracula ejus Sancti precibus & patrocinio adscribebantur, quorum pleraque illustriora intelligo publicis etiam tabulis rite consignata hodieque ibidem conservari; præterquam quod eorundem indices adhuc illic supersunt votivæ magno numero, nec ligneæ tantum, sed etiam argenteæ tabellæ. Quid, quod etiam in dies adhuc ejusdem Sancti Annullus, quem putant Episcopalem, ad febricitantes vel aliter ægrotos delatus, salutem sæpenumero divinitus contactu suo afferre creditur; totaque passim Urbe propterea exposcitur. Pro iis etiam profecto nominatim exposcitur, qui morbillis (communiter VARIOLAS nuncupamus) laborare incipiunt: scilicet, ut eo contingantur oculi; quos utique propterea sperant incolumes & immunes ab eo malo, & ab omni visus detrimento, quod inde frequenter alioqui contingit, evasuros. Et in hoc quidem mirifica simul & admirabilis eventu ipso prædicatur ejus Annuli virtus. Non igitur jam nobis quispiam negarit, Deum ad ejus Sancti Viri Corpus & Reliquias in Basilica *Nazariana* custoditas mirabilia fuisse operatum, quin etiam in dies operari. Sed ne illud quidem negabit, eundem Sanctum Virum a Populo interea *Mediolanensi* creditum communiter fuisse, credique quin etiam in præsens, *Uldaricum* sive *Uldericum Augustanum* Episcopum. Ergone vero propterea Deus ejusmodi miraculis confirmasse credendus erit talem illam nostrorum *Mediolanensium* credulitatem atque opinionem? Sic etiam contraria illa tandem *Caroli a Basilica Petri* opinio ergone miraculis eisdem confutata? Ergone similiter confutati *Augustani Vindelici*? Quis illos jam nescit ex adverso credere, Sancti hujus Episcopi sui Corpus non alibi quam sua in Urbe conditum asservari? Certe autem maximi ad hujus rei probationem momenti ea nobis videntur Veterum Monumenta, quæ doctissimus *Marcus Velserus*, tacito sui nomine, collegit, & *Augustæ Vindelicorum* Anno Millesimo quingentesimo nonagesimo quinto typis edidit hoc titulo: *De Vita Sancti Udalrici*, *Augustanorum Vindelicorum Episcopi*, *quæ extant. Pleraque antehac nunquam edita.* Nec vero quicquam dubitamus, quin eadem Monumenta unice a *Germanis* in universum, nedum ab *Augustanis*, in eandem sententiam comprobentur. Sed quid illi tandem nobis ad prædicta miracula, *Mediolani* peracta, & a nostris *Mediolanensibus* eidem Sancto *Uldarico* adscripta, respondebunt? Ad hæc igitur illi, ac nominatim *Brisacenses*, respondeant; tum vero nos etiam ipsis ad Sanctorum *Protasii* & *Gervasii* miracula, quæ obtendunt, respondebimus. Interim profecto non aliter utrinque respondendum arbitramur fore, quam quod Numeri hujus initio nos ipsi dicebamus. Et hactenus quidem satis a nobis probatum sit, sacrosancta Martyrum *Protasii* ac *Gervasii* Corpora etiamnum in *Ambrosiana* ista Basilica conquiescere. Quæ porro deinceps veritatis ejusdem indicia occurrerint, hæc suis in tempore locis inseremus.

CCCCLXXIII. Tertio denique loco nobis Num. 460. proponebamus inquirendum, an forte per hanc excidii *Mediolanensis* occasionem alia Sanctorum Corpora hinc in *Germaniam* vel alio fuerint adsportata. Multa sine dubio alia diceret *Fælix* ille *Faber*, cujus verba eodem Num. 460. recitabamus: qualibus profecto utitur etiam *Joannes Nauclerus* Volumine secundo Chronographiæ, Generatione 39. perinde ac si ab illo, vel uterque ab aliquo tertio Scriptore mutuatus esset. Nobis tamen longe aliter persuadet ingens sacrorum ejusmodi Corporum ac Reliquiarum numerus, quem nostris in Ecclesiis ex eo quin etiam e longe superiori tempore in præsentem usque diem tota passim Urbe superesse notissimum est, atque vel e *Pauli Morigiæ* Sanctuario satis superque colligitur. Quod si ne sacras quidem dirui *Ænobarbus* permisit Ædes, quemadmodum Num. 441. credibilius videbatur; eo minus profecto nos credimus, in Sanctorum tunc Reliquias debacchatam fuisse Barbarorum licentiam; ita ut, auro vel argento, quo tegebantur, abrepto, sternerentur humi, ruinis accumularentur Cœlitum ossa, & quantum ex divina illa mortalitate per tot sæcula servare potuerat Urbs avida talium & fœcunda. Sic enim descripsit *Ripamontius*; e moribus videlicet hodiernorum e *Germania* Hæreticorum; qui Sanctorum Reliquias & venerationem nimium quantum aversantur, & omnibus immoderate modis oppugnant, odioque implacabili persequuntur. A quibus tamen monstris *Germania* hoc *Ænobarbi* tempore libera erat & immunis; tametsi ceteroqui tum ipse, tum etiam ipsius exercitus, repudiato legitimo Pontifice *Romano*, *Alexandro* Tertio, Factionem Antipapæ sectantes, fædo interea schismate atque anathemate laborarent.

CCCCLXXIV. Verum enimvero tam liberali & effusæ illi sacrarum Reliquiarum donationi ac distributioni, suis Principibus & Prælatis ab *Ænobarbo* factæ, qualem *Faber* & *Nauclerus* narrabant, adversatur etiam *Cratepolius* in *Reynoldo Coloniensi* Archiepiscopo. De ipso enim sic tradit: *Imperator obsedit Mediolanum*, *cepit*, *& expugnavit. Hic*, CUM OMNES SUIS STUDERENT COMMODIS; REYNOLDUS SUMMIS APUD IMPERATOREM INSTITIT PRECIBUS, *ut pro sui labore trium Magorum posset pignora habere. Inductus igitur*, LICET ÆGERRIME, *concessit tandem pretiosissima Regum & Naboris & Fælicis Martyrum Corpora. Quæ Reynoldus cautissime Anno Domini Millesimo centesimo sexagesimo quarto transmisit Coloniam &c.* Ecce vero nunc, quænam insuper alia Corpora *Reynoldus Coloniam* ex hac Urbe transtulerit. Paulo post enim *Cratepolius* hæc subdit: IDEM QUOQUE SANCTORUM MACHABÆORUM CORPORA EX ITALIA COLONIAM TRANSTULIT: quorum nempe martyrium luculenter narratum extat Lib. 2. Machabæorum, Cap. 7. Hæc vero Corpora hactenus jacuerant in suburbana Sanctorum *Dionysii* & *Aurelii* Ecclesia: quam Numero 228. *Aribertus* Archiepiscopus Monasterio auxerat. Sed eademne vere quidem *Raynaldus* hinc transtulit; si tamen ei apud nos Calendario credimus, quod Nu. 461. conscriptum Anno *Christi* Millesimo trecentesimo octogesimo primo dicebamus. Etenim Kalendis Augusti sic in eo legitur: SANCTORUM MACHABÆORUM MARTYRUM. JACENT AD SANCTUM DIONYSIUM. *Paulus* autem *Morigia* in Sanctuario de hac ipsa Sancti *Dionysii* Ecclesia, ceteris intra Portæ Novæ ambitum Ecclesiis connumerata, loquens: in eadem olim jacuisse Sanctorum quoque septem istorum fratrum *Machabæorum* Corpora, confirmat e veteri quodam Chronico manuscripto, & ex altero quodam Libro typis impresso. Quem quidem Librum nos illum esse cen-

censemus, quem de Indulgentiis ac Sanctorum *Mediolani* Reliquiis Num. 470. proferebamus, typis *Mediolanensibus* impressum Anno Domini Millesimo quingentesimo decimo quinto: quo in Libro tunc etiam ista *Machabæorum* Corpora cum Sancta *Fælicitate* ipsorum matre ibidem jacuisse affirmantur. Ceterum ejusmodi Martyrum Reliquias olim *Antiochia Romam* translatas, ibidemque in Ecclesia Sancti *Petri* ad Vincula conditas fuisse affirmat *Romanum* Martyrologium Kalendis itidem Augusti: ubi multa collegit etiam *Baronius*, & illud etiam nominatim e *Josepho Judæo*, quod SALOMONA vocaretur eorumdem mater. Liber igitur ille perperam confudisse nobis videtur Matrem istorum septem Machabæorum cum Matre illorum septem Fratrum, quorum mentio die Julii decima in Martyrologio habetur.

CCCCLXXV. Negotium nobis nunc facessit Auctor Chronici *Flos florum* fol. 96. pag. 1. e quo tamen facile nos expediemus. *Beatus Arsatius* (verba sunt ejus Auctoris) *Mediolani Archiepiscopus Trigesimus, Anno Domini Quingentesimo sexagesimo sexto, videlicet sub dominio Narsetis Eunuchi, Vicarii Imperii super Italiam, ut dicit Chronica Leonis, fuit factus Archiepiscopus Mediolani, & sedit annis duobus: & fuit sepultus ad Sanctum Stephanum ad Rotam. De cujus ossibus oleum emanavit incessanter.* CUJUS CORPUS FREDERICUS BARBARUBEA UNA CUM TRIBUS MAGIS, ET CORPORA SANCTORUM NABORIS ET FÆLICIS EXPORTARI FECIT IN ALLAMANIAM. Hæc ibi ille: qui tamen postea suo tempore mentionem faciens translationis eorum Regum & Martyrum ab *Ænobarbo* factæ, hunc ipsum Archiepiscopum minime vero eis associat. *Gualuaneus* enimvero *Flamma* in Chronico Majori Cap. 144. illi per omnia de hoc Archiepiscopo consentit, præter ejusmodi translationem: quam ipse mox aliter narrat. Etenim Cap. 145. narratione prosecutus (sicut etiam nos Num. 101. memorabamus) quemadmodum Rex quidam *Lambertus Mediolanum* evertisset Anno *Christi* Quingentesimo septuagesimo; ita demum concludit: THEUTONICI TUNC, *ut dicit Chronica Leonis* (quo pariter teste utebatur Auctor Chronici *Flos florum*) CORPUS BEATI ARSATII ARCHIEPISCOPI MEDIOLANENSIS, *de quo oleum medicabile emanabat*, IN BAVARIAM EXPORTAVERUNT. Eademque repetit etiam in Manipulo florum Cap. 61. Nos tamen utrumque horum Scriptorum ea facile refellimus Inscriptione, quam e Sancti *Stephani* Basilica nos Num. 444. pollicebamur deprompturos. Illic igitur in Odæi pariete laterali, & ingredientibus sinistro, marmorea prostat Tabula, hisce notis insculpta:

Corpora Sanctorum
Martiniani, Auxani, & Mansueti,
Mediolani Archiepiscoporum:
Protasii Martyris, Martianique Eremitæ: sub veteri hujus Ecclesiæ Choro quondam sepulta: & propter novam Templi structuram inde amota, diligenterque ex antiquis Monumentis, picturis traditionibusque recognita Fredericus Cardinalis & Mediol. Archiepiscopus post eorumdem celeberrimam Translationem, in Septima Provinciali frequentissima Synodo a se celebratam,
una cum Corporibus Sanctorum,
Arsatii Mediol. Archiepiscopi,
Marini Martyris, ac Leonis Eremitæ,
qua in Arca jam olim a B. Carolo Card. & Mediol. Archiepiscopo condita fuerant, inclusis,
sub hoc Altari decentius collocavit pridie
Kal. Junii,
Millesimo sexcentesimo nono.

Quod ergo tumulatum in hac Basilica dicatur Sancti *Mansueti* Corpus: hac de re nos jam disseruimus Num. 444. & 471. ac si nostra non placent; eorum protinus, quorum interest, judicio acquiescemus. Quod item in hac inscriptione tamquam duo Archiepiscopi nominentur *Auxanus* & *Arsatius* (contra quam multi fecerunt Scriptores) in hoc quidem consentit etiam *Gualuaneus Flamma* Cap. 144. & 147. in Chronico Majori, Capite autem 60. & 61. in Manipulo florum: nec non etiam Auctor Chronici *Flos florum*, folio illo & pagina denique notatis. Quod tandem in *Bavariam* exportatum dicebatur Sancti *Arsatii* Corpus: de hoc (sicut etiam mox de Sancti *Ambrosii* Corpore dicemus) *Bavari* profecto ipsi ne somniasse quidem unquam videntur.

CCCCLXXVI. *Joannes Antonius Castellionæus* Fasciculo illo suo sexto rem auditu fœdam, nobisque pudendam relatu, in hæc verba pronunciat: *A plerisque ætatis nostræ hominibus dubitatur, num hæc præclarissima Divorum Patriæ nostræ Tutelarium pignora* (sive Sanctorum *Ambrosii Protasii* ac *Gervasii* Corpora) *in Basilica Ambrosiana nunc etiam reperiantur; contra sentientibus aliis, ea reperiri in Basilica Sancti Victoris Martii* &c. (de quorum vanitate nos tunc dicemus, cum ad Sancti Cardinalis & Archiepiscopi *Caroli* tempora ventum fuerit) *aliis Coloniæ Agrippinæ; aliis Bavariæ, unde & Cœnobitæ quidam sacras Divi Patroni nostri* (Ambrosii) *Reliquias se accepisse contendunt; a Frederico Barbarubro una cum tribus Sanctorum Magorum Corporibus, eo post acerbissimam illam Urbis nostræ eversionem, eodem imperante, delatis.* Vide vero, quid ille ad hæc (quod ad *Bavariam* nominatim spectat) postmodum responderit. *Bavariæ* (inquit) *Corpus esse Sancti Ambrosii, satis idonee non probatur ex eo, quod inde aliquot ejus Reliquiæ ad nos aliquando fuerint asportatæ. Tum quia nullas ea de re publicas assertiones habemus. Tum quia Relequiæ, quæ hoc nomine apud Divi Ambrosii Cænobitas* (ecce nunc singillatim, quos superius in commune indicabat) *extant, ac ob id dubiæ & suspectæ* (quis talia effutientem blaterantemque non miretur?) *egentesque potius rationum, quibus fulciantur, ponderibus & momentis, quam aptæ per se ad Divi Ambrosii Corpus alienis Provinciis vel Urbibus adstruendum.* Hactenus *Castellionæi* responsio. Sed ille profecto nobis hac in re plurimum hallucinatus videtur. Nec enim apud Sanct-*Ambrosianos* istos Cœnobitas extabant extantque ullæ Sancti *Ambrosii* Reliquiæ ad ipsos aliquando e *Bavaria* adsportatæ. Sed ne *Bavari* quidem, aut ipsi *Colonienses* nobis unquam visi sunt ea sibi Sanctorum Corpora vendicare. Nec enim ullum hactenus Scriptorem legimus, qui tale quiddam de ipsis tradiderit; mirumque profecto esset, quod *Matthæus* saltem *Raderus* in tribus *Bavariæ* suæ Sanctæ Voluminibus, quæ nuper edidit, tacere penitus illud voluisset. Nos ergo fideliter aperiemus, undenam sine dubio suum istum *Castellionæus* traxerit errorem. Audierat enim, sacras quasdam e *Bavaria* Reliquias huc allatas: quod utique verissimum est. Inter eas vero aliquas item Sancti *Ambrosii* esse, quod a vero longissime abest: hoc si forte ab aliis non audierat; ipse profecto somniavit. *Robertus Rusca*, Monasterii hujus *Ambrosiani* Monachus, inter alia multa ingenii sui Monimenta *Italice* conscripta, Opusculum etiam Millesimo sexcentesimo vigesimo sexto *Christi* Anno Pergamensibus typis hoc titulo edidit: *Breve Descrittione del Monastero di Sant' Ambrosio Maggiore di Milano, & sua Chiesa* &c. Cujus quidem Opusculi tunc impressi exemplar in eodem Monasterio conservatur etiamnum illud, quo Auctor utebatur, quodque plurimis postea marginalibus additamentis locupletavit. Inter aliquot igitur insigniores hujus Monasterii Monachos satis prolixam ille facit mentionem Ro-

Roberti Fugini, *Mediolanensis*: qui curandis Energumenis celeberrimus & admirabilis esset: de quo nos item suo postea tempore agemus. Illud tantum in præsenti exinde recitare lubet, quod ad præsens pertinet institutum; quamquam etiam hoc ipso plurimum illustrabitur illud etiam, quod Numero 297. narrabatur ab inclyto illo fidelique Bibliothecæ *Ambrosianæ* Præfecto *Antonio Olgiato*: re quidem vera dignissimo, quem Divinus ille *Carolus* Cardinalis & Archiepiscopus noster adolescentem adhuc peculiari delectu (quo quidem ipsum ego aliquoties audivi summa cum voluptate pie sanctеque gloriantem) cooptaret inter Seminarii sui charissimi & a se instituti Alumnos, quemve postea paterno singulariter amore prosequeretur. *Rusca* ergo de *Alberto* ipso sic inquit: *La sua fama volò sino in Baviera. Onde, dubitando quel Duca di esser' maleficiato; lo mandò à pregare da FROSPERO VISCONTE, PRINCIPAL' CAVALIERE DI MILANO, che si volesse tranferire colà; & fece pregare il Padre Abbate di Sant' Ambrosio, che le concedesse licenza; come fece. Et fù* (Millesimum vero quingentesimum nonagesimum secundum Auctor ad hæc Annum in ora marginali adnotavit) *dal sodetto Cavaliere condotto alla presenza di quell' Altezza: che subbito dal Padre Alberto veduto, dissegli, che dovesse star' di buen' animo; perche non era ammagliato, ne fatturato. Lo tratenne alcuni giorni presso di se quel Duca, per vedere, se il Padre il vero gli haveva detto. Et ritrovato & isperimentato, che nissun' male era nella sua persona; honoratamente lo rimandò à Milano; havendo ricusato un' Abbatia, che dell' Ordine Cistertiense le haveva offerto, & molti doni; HAVENDO PER DIVOTIONE ACCETTATO SOLAMENTE UN' RELIQUIARIO, CHE POI DONO ALLA SACRESTIA DI SANT' AMBROSIO.* Hæc ille. Reliquiaria vero ejusmodi Theca multis est referta Sanctorum Reliquiis: & affabre ad stuporem flosculis, aviculis, & ejusmodi aliis ornamentis, manu supra modum industria elaboratis variata. Superne vero solitum præfert Societatis *Jesu* Symbolum & Insigne, *Christi Jesu* nomen, duorum Anglorum manibus hinc inde tentum; ut proinde nobis ab aliquo ex eadem Societate videatur cum elaboratum, tum ipsi etiam *Bavariæ* Duci olim donatum. Sed quænam demum ibidem Reliquiæ continentur? Et hinc apertissime dignosces Lector, an Cœnobitæ isti *Ambrosiani* aliquando contenderint, se sacras Divi Patroni nostri *Ambrosii* Reliquias e *Bavaria* (sicut ajebat *Castillionæus*) accepisse. Suas ille quidem *Mediolanenses*, sive Basilicæ Parœciæque *Vincentianæ*, Antiquitates in lucem primum edidit Anno *Christi* Millesimo sexcentesimo vigesimo quinto. Atqui Frater *Thomas Pirola*, ejusdem *Ambrosiani* Monasterii Prosacellanus, superiore Anno vigesimo conscripserat justi Voluminis Librum, in præsens conservatum, & in quotidianos usus identidem ad manus, & lectitatum: cujus inscriptio hæc est: *Calendario volgare misto, Ambrosiano, Romano, e Cistercianse: nelli quali si contengono tutti li avuisamenti, che appartengono alli Reverendi Padri Sacristani delli Monaci di Sant' Ambrosio Maggiore di Milano* &c. Huic autem Calendario sacras item accensuit Basilicæ ac Monasterii hujus Reliquias. Ac Numero quidem XIX. prædictam quoque Thecam hisce verbis describebat: *Un' Reliquiario: nel quale vi é una parte della testa di Santo Christofforo Martire: & altre Reliquie di Santo Giovanni Battista, di Santa Orsola, & di altri Santi. ET FU DONATO DAL DUCA DI BAVIERA AL PADRE DON ALBERTO, ESSOR CISTA ET MONACO NOSTRO; havendolo liberato da maligni Spiriti. Et di nuovo lo tengono li Monaci.* Quod si Sancti quoque *Ambrosii* Reliquiæ in eadem Theca extitissent, easque Monachi esse ipsius contendissent; quis unquam futurum fuisse credat, ut expressam earumdem in hoc etiam Libro mentionem non facerent? Sed ne fecerunt in ea quidem Tabula pergamena, quam nos Num. 470. postremam numerabamus. Etenim per prædicta Fratris *Thomæ* verba nobis etiam illic Theca pariter ista innotescit, cum Numero illic XVII. sic legitur: *Reliquiarium unum: in quo reposita est pars capitis Sancti Christophori Martyris, necnon aliquæ Reliquiæ Sancti Joannis Baptistæ, & Sanctæ Ursulæ Virginis, & etiam aliorum plurimorum Sanctorum: quod Monachi possident.* Ex his autem nobis obiter corrigatur *Paulus Morigia* in suo Sanctuario. Ibi enim meminit ille quidem hujusce Reliquiarii sacrarumque ipsius Reliquiarum, neque quicquam in his recensendis dissentit; atqui postea non hoc, sed alterum comminiscitur esse Reliquiarium a Duce *Bavariæ* donatum. Sed profecto nonnullos etiam interrogavimus Monachos adhuc superstites, qui cum eodem Patre *Alberto* familiariter aliquandiu vixerunt ex eo tempore, quo reversus e *Bavaria* sacras illas Reliquias huc attulit: præciseque unanimes respondent, non modo *Morigiam* in eo sine dubio errasse, verum etiam novum penitus & inauditum sibi esse, aliquas Sancti Patroni nostri Reliquias vel a Domno *Alberto* tunc temporis, vel ab alio unquam homine, sive inde, sive aliunde, ad Cœnobium istud adsportatas fuisse. Itaque pro mero vanoque figmento illud item habent, quod hac de re *Castillionæus* affirmabat. Ceterum *Ambrosii* suo adhuc in tumulo apud nos cubantis indicium & argumentum esse debet certissimum vel ipsummet aureum Altare, in ejus honorem (sicuti Num. 57. jam vidimus) olim constructum, ejusdemque tumulo impositum: quod utique pariter apud nos immotum ibidem in hodiernum usque diem perseverat. An enim suo ejusmodi honore sanctum Corpus fraudassent unquam *Germani*, relictoque *Mediolanensibus* hoc ipso Altari, nudum ac velut inglorium Corpus in *Germaniam* secum transtulissent? Immo vero cultus etiam & honoris tanto Sancto debiti prætextu secum etiam illud comportassent; cum præsertim nemo interea ipsis obsistere ullo modo posset. Principale (sic etiam facile ratiocinati fuissent) trahit secum accessorium. Quidni ergo Sancti *Ambrosii* Corpus hanc ipsam secum per nos trahat Aram, suimet unius gratia elaboratam, & hoc ipso in loco collocatam? Jam Corpus ad alterum transfertur locum; illuc igitur Ara simul transferatur. Talia forte illi. Nos vero constanter ex adverso ita concludamus: Cum igitur alio Aram nullus transtulerit; ne alio quidem transtulisse quisquam censendus est Corpus ipsum. Argumenta porro illa, quæ pro Corporibus Sanctorum *Protasii* ac *Gervasii* proferebamus, quis non videt, quantopere præsentem quoque juvent causam? Cujus quidem causæ potior inde præterea & melior existimari debet condicio; quod neminem adhuc nec nostratem nec exterum Scriptorem unquam legerimus, qui tanti hujus *Mediolanensium* Patroni Corpus e sua Basilica in *Bavariam*, vel *Brisacum*, vel *Coloniam*, vel alio, translatum esse tradiderit. Calendarium quidem illud in pergamena charta manuscriptum sic habet septima die Decembris: *ORDINATIO SANCTI AMBROSII, EPISCOPI MEDIOLANI. JACET IN SUA ECCLESIA.* Ibidemque pariter jacere affirmabatur in iis Libris, quibus charissimum etiam illud *Protasii* ac *Gervasii* sub Ara Maxima contubernium tutabamur. Nec vero dubium esse potest, quin propter eandem ipsorum illic, ac præsertim Sancti *Ambrosii*, præsentiam *Mediolanensis* Archiepiscopus ducentas quotannis daret illas olei libras, quibus accensæ jugiter in *Ambrosianæ* Basilicæ Choro ad Altare Majus nutrirentur lampades illæ, de quibus Num. 449. dicebamus. Etenim eo Processu,

sæpius adhuc nominato, testatissimum est, & oleum illud datum, & lampades illas eo nutritas fuisse ad illud usque tempus, quo primum ille conscriptus fuit, sive ad Annum usque Millesimum ducentesimum, ac ducentesimum primum. Nimirum, sicut hodie, sic etiam olim, hoc erat in Ecclesiæ Catholicæ more positum, ut non tantum die sed etiam nocte in honorem sacrarum Reliquiarum cerei & lampades coram ipsis accenderentur. Qua de re inter alios multos legi potest *Bellarminus De Reliquiis Sanctorum* Libro 2. Cap. 3. Argumento nono. Quam optime vero causa isthæc nostra sese insuper habet; quod, velut ejusmodi probationum coronidem, pluries annorum succedentium decursu varia proferemus Documenta publica, quibus hæc ipsa Sancti *Ambrosii* Basilica de more jam dudum recepto ea nihilominus affirmanter enunciatur esse, UBI EJUS SANCTUM REQUIESCIT CORPUS: quali testificatione quænam luculentior & expressior expectari potest? An enim expectamus, ut articulatis hoc ipsum vocibus bestiæ per Urbes & compita loquantur?

CCCCLXXVII. Neque tamen quispiam propterea hæsitet, quod in publicis hujusmodi Documentis sacrosancto *Ambrosii* Corpori connumerata deinceps non item cernentur *Protasii* & *Gervasii* Corpora, tamquam una simul cum ipso ibidem sepulta. Non enim tacere aliquid negare est. Ac si forte semel in re præsenti hoc admittatur; fateri profecto similiter oportebit, eadem ipsorum Corpora nunc suo e loco in alium translata, nunc ex alio in suum restituta; prout illa nimirum in ejusmodi Documentis vel silentio transacta, vel expresse nominata videbimus. Sed illud etiam, hoc dato, sequeretur, ut multos ante annos, quam *Ænobarbus* nostram Urbem dirueret, Corpora nominatim Sanctorum *Protasii* & *Gervasii* fatenda forent alio translata. Nos profecto ea ipsa cum Sancti *Ambrosii* Corpore numerata denique vidimus Num. 311. Annoque *Christi* Millesimo centesimo decimo: multoties vero postea solum Sancti *Ambrosii* Corpus nominatum conspeximus. Quippe non unica quoad hoc, sed multiplex servata est formula loquendi; quemadmodum vel e præsentibus Monimentis certissime colligi potest. Lectorem nosmetipsi nostrum hac perquirendi cura liberabimus: eaque tantum recognoscat ipse loca, quæ nos velut in tres classes distributa mox colligimus. Cum enim *Ambrosiana* ista Basilica, vel etiam Monasterium, in publicis, quæ nos hucusque recitavimus, Scriptis nominaretur; nonnunquam hoc præcise indicium adjecerunt: quod ibidem Corpora Sanctorum *Ambrosii* Confessoris & Martyrum *Protasii* ac *Gervasii* venerabiliter humata requiescerent. Atque hoc idem servatum Lector videbit Anno *Christi* 790. Num. 17. Anno 791. Num. 24. Anno 806. Num. 29. Anno 893. Num. 147. Anno 942. Num. 164. Anno 997. Num. 192. Anno 998. Num. 195. Anno 1005. Num. 206. Anno 1053. Num. 252. Anno 1103. Num. 299. Anno denique 1110. Num. 311. Et tamen interim aliquando memorata non fuerunt Sanctorum *Protasii* ac *Gervasii* Corpora, sed Sancti solummodo Corpus *Ambrosii*: videlicet Anno 781. Num. 11. Anno 784. Num. 14. Anno 832. Num. 44. Anno 841. Num. 104. & 106. Anno 866. Num. 115. Anno 869. Num. 120. Anno 873. Num. 123. Anno 880. Num. 130. & 131. Anno 887. Num. 145. Anno 894. Num. 149. 150. Anno 998. Num. 227. Anno 1016. Num. 211. Anno 1028. Num. 221. Anno 1034. Num. 224. Anno 1143. Num. 390. Anno 1144. Num. 397. Anno 1149. Num. 405. Anno 1155. Num. 411. Anno 1162. Num. 435. & 437. Atqui multoties etiam interim solam Sancti *Ambrosii* Ecclesiam, vel Monasterium, sine ulla sacri ejus-

A dem Corporis ibidem sepulti mentione nominari contigit. En hoc ipsum Anno 835. Num. 60. Anno 880. Num. 133. Anno 951. Num. 172. Anno 998. Num. 193. & 194. Anno 1032. Num. 222. Anno 1123. Num. 336. Anno 1144. Num. 398. Anno 1148. Num. 403. Anno 1149. Num. 404. ac tandem Anno 1154. Num. 409. Quocirca e tam multis retro temporibus ac Documentis regulam pariter in subsequentia constitui a nobis hanc oportet: ut Sanctorum *Ambrosii Protasii* ac *Gervasii* Corpora perenniter in hac Basilica conquiescere non ideo negentur; quia talis eorum mentio in publicis deinceps Documentis non fiat; cu-
B jusmodi profecto pleraque nobis in posterum occurrent. Per hæc autem similiter a nobis responsum intelligatur; si quis aliquando cavillari fortasse vellet in eo, quod Num. 58. & 352. Annoque circiter trigesimo supra centesimum Millesimum nobis narrabatur de Sancti *Ambrosii* Corpore, quod Sanctus ille Cardinalis & Episcopus *Parmensis* conspexisset, neque tamen in eodem tumulo Corpora pariter Sanctorum *Protasii* ac *Gervasii* conspexisse memoraretur. Ibi profecto illa pariter tunc extabant, vel etiam dato, quod inde post eversum *Mediolanum* adsportata *Brisacum* vel alio fuissent: eademque profecto visu non minus quam veneratu di-
C gnissima erant. Quid ergo vetat, quo minus illa pariter Sanctus ille *Bernardus* videre optaverit, ac proinde re ipsa etiam viderit? In ejus tamen Vita prætermissum id fuit ob eam fortasse causam; quia Sanctus ille Præsul Præsulem præsertim & *Ambrosianæ* Parentem Ecclesiæ *Ambrosium* illic videre peroptasset. Sic etiam ne Basilicæ quidem, in qua sacrum illud Corpus jaceret, ulla mentio facta fuit, hanc opinamur ob causam; quia in sua ipsum Basilica tumulatum conquiescere notissimum esset, satisque foret Urbem *Mediolani* nominasse. Sed satis hactenus pro sacris Tutelarium nostrorum *Ambrosii Protasii* ac *Gervasii* Corporibus pugnatum. Et hic
D item Millesimi centesimi sexagesimi quarti Anni concludamus acta.

CCCCLXXVIII. Ceterum inter subsequentis Anni Millesimi centesimi sexagesimi quinti acta hoc in primis computemus, quod in eundem Annum a *Sigonio* traditur his verbis: *Et hoc Anno Lombardia absente in Germania Cæsare, ab armis vacua, immodicis Germanorum Præfectorum imperiis tetrisque rapinis fœde est lacerata.* De quibus legi potest *Morenarum* Historia *Laudensis* in fine. De *Mediolanensibus* autem hoc præsertim circa Julium istius Anni mensem *Chalcus* narrat: *tunc Marchoaldus duodenos ex singulis Mediolani Suburbiis viros Moguntiam* (sive *Mo-*
E *doetiam evocat: & coactos in Concionem docet, oportero intra viginti dies quadringentas nummorum libras expediant. A quibus etsi difficultates allegarentur; mox tamen traditæ sunt. Reliquorum tributorum viriles portiones qui in tempore non pendebant; in duplum damnati: alii totis prædiolis mulctati sunt.* Propter has igitur *Lombardiæ* oppressiones cœptum est inter ejusdem Civitates agitari de fœdere contra Imperatorem ineundo: quod & paulo post initum fuit. *Alexander* interim legitimus Pontifex a *Romanis* obnixe rogitatur, ut ad Urbem pergat: quinetiam rogitantes minabantur, excepturos se fore *Guidonem Cremensem* (sive *Paschalem* Tertium Antipapam, de
F cujus intrusione nos jam diximus Num. 455.) nisi hoc ipso Anno *Romam* rediret ante festum Sancti *Michaëlis* Archangeli diem. Hinc ergo, sicut eodem hoc Anno apud *Baronium* Art. 10. habetur, *Ottho* Cardinalis ad Sanctum *Thomam Cantuariensem* Archiepiscopum hæc inter alia scribebat: *Dominus Papa mandaverat Januæ pro galeis* (quibus utique vectus *Romam* tenderet) *Et quidem Januenses ipsi fideles & devoti sunt Domino Papæ & Curiæ. Sed quia* pa-

A.C. 1165

putant & timent, Imperatorem cum Piſanis pro receptione Guidonis Cremenſis magnas conventiones & promiſſiones feciſſe; dubitant adhuc. Unde (quod vobis ſolis confitemur) hoc ex litteris (Janua miſſis) perpendimus: quod, SI CIVITATES LOMBARDIÆ CONFOEDERATÆ FUERINT CONTRA IMPERATOREM, *& galeas & alia obſequia exhibebant. Sin autem; ſubſiſtere videntur.* CONFOEDERATIONEM AUTEM, SI FUTURA EST, IN PROXIMO AUDIEMUS. Aliis ergo navibus utendum ratus *Alexander*, e *Senonenſi Galliarum* Urbe poſt celebratum Dominicæ Reſurrectionis Paſcha diſceſſit, atque poſt Apoſtolorum *Petri* & *Pauli* feſtum ad *Montem Peſſulanum* pervenit: cumque moratus ibi fuiſſet uſque ad Beatiſſimæ Virginis Aſſumptionem; infra ejus Octavam conſcenſis navibus una cum ſuis ſociis ad Civitatem *Meſſanam* proſperis ventis applicuit. November jam erat menſis, cum inde profectus eſt. Navigavit autem *Salernum*: dimiſſiſque ibi nonnullis e ſuo comitatu, ipſe *Cajetam* tandemque *Oſtiam* navigio pervenit. Inde porro a *Romanis* ſumma cum gloria & exultatione receptus in Urbem fuit undecimo Kalendas Decembris. Et hæc quidem omnia luculenter ejuſdem *Alexandri* Papæ Actis narrata videri poſſunt apud *Baronium* Art. 11. & 12. Quod ſi paululum inde, ſcilicet ad Articulum 15. progrediamur; initum itidem inveniemus interea fœdus illud, quod paulo ante dicebamus agitari jam cœptum. Etenim e *Romualdo Salernitano* Archiepiſcopo idem *Baronius* geſta proſequens poſt *Alexandri* reditum in Urbem, inter alia ſic narrat: *Catholici vero, licet a Friderico Imperatore multas tribulationes toleraverint pro juſtitia; lætabantur tamen de proſperis Eccleſiæ ſucceſſibus ex nimia confuſione Schiſmaticorum.* LOMBARDORUM QUOQUE SOCIETAS CONTRA ECCLESIÆ ADVERSARIOS ET LIBERTATIS SUÆ IMPUGNATORES INTREPIDA PERSISTEBAT. *diſponens univerſa, quæ ad retentionem ſui utiliora eſſe proſpiciebat: &, ut Imperatoris calliditates & machinamenta, quæ in Lombardorum confuſionem juraverat, deſtruere poſſent, operam & ſtudium pro viribus impendebant.* Ceterum inter eos, qui Pontificem *Alexandrum Salerno Romam* verſus navigantem proſecuti tum fuerant, unus fuit *Obertus* noſter Archiepiſcopus cum ſuis exilii conſortibus, ac nominatim cum Sancto *Galdino* Archidiacono. Quocirca *Triſtanus Chalcus*, de *Alexandri* ad Urbem *Romam* profectione locutus, ſic inquit: *Interim magna pars peregrinorum, & in primis Mediolanenſes Sacerdotes, maritimum iter pertæſi, ab Salerno Beneventum tranſiverant. Hic Ubertus Archiepiſcopus, ſenio morboque ſolutus, naturæ conceſſit: ibidemque in Sophiæ Templo tumulatus. Ei Alexander decimo tertio Kalendas Majas rogatu omnium, qui aderant, ſucceſſorem dedit Caldinum Salam Archidiaconum, multis virtutibus & doctrina præditum, & quem paulo ante Ordine Cardinalium ſub Titulo Sanctæ Sabinæ donaverat. Ita exiguo intervallo duos ampliſſimos honores, calamitatis & exilii ſolatia, Caldinus accepit.* Hactenus *Chalcus* in Annum Milleſimum centeſimum ſexageſimum ſextum; cum alioqui non hæc omnia in eum Annum inciderint; ut mox patebit. Sed Lectori noſtro in præſenti placeat ea recolere, quæ nos de *Galdini* promotione ad Cardinalatum, deque *Oberti* ad Dominum tranſitu recitavimus Num. 431. e *Mombritio* & *Hilarione* Monacho.

CCCCLXXIX. *Obertus* videlicet Novembri menſe jam inchoato (ſicut jam diximus) *Beneventum* profectus. ibidem ſubſtiterat. *Alexander* vero Pontifex vigeſima prima menſis ejuſdem die receptus in Urbe *Roma*, non multo poſt ad ſe illuc evocavit *Galdinum*, ac proximo Decembri menſe Cardinalem creavit. Hinc *Sigonius* hoc ipſo Anno ſexageſi-

A mo quinto ſic habet: *Alexander, Laterano recepto*, DECEMBRI MENSE *ipſum, cum Cardinalem Sanctæ Sabinæ creavit.* Quocirca placere nobis nullo pacto poteſt, quod in Vitis Pontificum & Cardinalium *Alphonſus Ciaconus* ſcribebat: *Galdinum Senonis* in *Gallia* creatum ab eodem *Alexandro* fuiſſe Cardinalem Anno Domini Milleſimo centeſimo ſexageſimo quarto.

CCCCLXXX. Cum ergo *Galdinus* jam Cardinalis aliquantulum *Romæ* moraretur; contigit, ut *Beneventi Obertus* Archiepiſcopus ad Dominum in pace migraret; OMNIBUS RELINQUENS EXEMPLUM (nam contra tanti
B Archiepiſcopi calumniatores hoc in præſenti repetendum eſt ex ejuſdem Sancti *Galdini* Vita, per *Mombritium* & per *Hilarionem* Monachum narrata) *PRO FIDE ET UNITATE ECCLESIÆ SE MORTI AC PERICULIS DARE, AC PRO DOMINO CADUCAM HANC ET MORTALEM VITAM PONERE.* Sicut autem in Archipresbyteri Metropolani Catalogo aſſeritur, obiit *Obertus* quinto Kalendas Aprilis. Quocirca vere obiit Anno *Chriſti* ſupra Milleſimum centeſimum ſexageſimo ſexto. Sed mortis ejus nuncio *Romam* allato, quid tandem *Galdinus*? *BEATUS ITAQUE GALDINUS, TANTO PATRE*
C *ORBATUS, TANTOQUE DESTITUTUS SOLATIO, MULTAS PRO CHARISSIMO PATRE ET DOMINO LACHRYMAS FUDIT, compluribus pietatis ſuæ præbens exemplum: metuens nimirum, ut Mediolanenſis periclitaretur Eccleſia: præſertim cum eo tempore Civitas dirupta jaceret, & Populus ſub jugo captivitatis duræque ſervitututis detineretur &c.* prout jam Num. 449. recitavimus. Per hæc autem refellendus ex inſtituto nobis eſt *Gualvaneus Flamma*, cum in Chronico Majori, Cap. 258. & 280. *Obertum* ipſum proditionis inſimulat, Ac ipſius quidem verba priori Capite contenta nos jam Num. 410. recitavi-
D mus. Quæ autem poſteriori continentur, ecce quam contumelioſa & tanto Archiepiſcopo indigna. Inquit enim: *Imperator Archiepiſcopi proditoris Palatium expoliari juſſit, & uſque Beneventum* (vide, quam temere hoc item loquatur: quaſi vero illuc *Obertus* non perrexerit ex itinere cum *Alexandro* Pontifice) *in exilium miſit. Et juſto Dei factum fuit judicio, ut, qui proditor ſemper fuerat, proditoris ultionem reciperet. Qui ex hoc deſperatus adjudicavit ſeipſum, quod in hora mortis ſuæ præcideretur ei lingua, manus, & pedes: recognoſcens ſe fuiſſe proditorem. Quod & factum eſt, cum in Benevento diſceſſit.* Talia *Gualvaneus*. Quæ tamen
E ipſe non aliunde ſe mutuatum ſignificat, quam e Chronica (ſicut ipſemet loquitur) *Danielis*. Forte autem fortuna nuper nobis hæc inventa fuit; cum flagrantiſſimis illam votis expeteremus. Nobiliſſimæ Gentis ſuæ digna ſoboles hodie *Mediolani* apprime floret (atque utinam diutiſſime floreat) *Carolus Andreas Septalius*, celeberrimi Juriſperitorum hac in Urbe Collegii decus, ac politioris etiam Litteraturæ ornamentum: erga omnes autem, ſed præſertim erga bonarum Artium Studioſos humaniſſimus, & ad favendum pariter ac fovendum per omnes occaſiones promptiſſimus. Bibliotheca illi eſt plurimis referta libris, & impreſſis & manu-
F ſcriptis: quam utique a ſuis demum Patre ac Patruo, *Ludovico* ac *Hieronymo*, accepit, acceptamque ſtudioſe rurſum & ipſe amplificavit. *Ludovicus* enimvero Medicorum facile Princeps & Coriphœus ætate noſtra fuit: qualem ſcilicet multa etiam Philoſophica, nedum Medica, ejus ingenii Monumenta, typis evulgata, facile teſtantur. *Hieronymum* autem, Juris utriuſque ac divinæ humanæque Philoſophiæ nec-non etiam ſacrorum Rituum & Hiſto-

Historiæ præsertim Ecclesiasticæ peritia præcellentem, ac demum ex Archipresbytero *Modoëtiensi* Pœnitentiarium in Basilica Metropolitana (ut nimirum Civitas ipsa magis ex propinquo tot ac tantis ejus dotibus frui posset optatissimis) supremum, Ecclesia *Mediolanensis* inter præcipua sui decora hodieque prædicabunda commemorat. Idem igitur *Carolus Andreas* sicuti nos quoque plurimum amat; ita etiam nos manuscriptis aliquot e sua Bibliotheca Codicibus ultro dignatus est. Ex his autem unus erat ille, quo Matutinas de Sanctis ab Ecclesia *Mediolanensi* olim celebratis Lectiones contineri, Num. 472. dicebamus. Alterum ei nunc adnominamus, quo prædictum *Danielis* Chronicon inter alia continetur. Hic namque Codex ab Historia incipit inscripta: *Chronica de Antiquitatibus & factis Civitatis Mediolani, & totius sui Comitatus, & quamplurium Civitatum.* Sequitur inde Catalogus unus aliquot Sanctorum *Mediolani* Archiepiscoporum, mox & alter omnium Prætorum: de hinc aliquot alia diversorum annorum accidentia. His illud succedit Chronicon, quod nos *Danielis* esse deprehendimus ex iis, quæ *Gualuaneus Flamma* tamquam e *Danielis* Chronico allegat, quæve hoc ipso in Chronico verbatim leguntur. Incipit autem ab Anno Dominicæ Incarnationis Sexcentesimo sexto, & ad Millesimum ducentesimum octogesimum pertingit: prolixumque præsertim est in rebus *Angleriæ* Regum & Comitum recensendis: nec aliunde profecto *Gualuaneus* ipse *Flamma* illas in suum Chronicum congessit. Ceterum Exscriptor hæc illi verba præmisit: *Exemplum hoc vetustissimi cujusdam Annalis, in antiqua quadam Bibliotheca reperti, ne nimia vetustate corrosum in nihilum abiret, Gabriel Cusanus fidissime transcripsit Idibus Aprilis, a Partu Virginis Millesimo quingentesimo decimo tertio.* Quod igitur attinet ad proditionis notam *Oberto* Archiepiscopo impactam, & ad infælicem ipsius mortem, qualem *Gualuaneus* item *Flamma*, hinc absque dubio mutuatus, describebat: ecce tibi, Lector, quid hic itidem habeatur: quove proprius ad erroris ac figmenti fontem accesseris, eo certius & facilius errorem unum ex alterius adjectione confutabis. Descripta enim *Mediolani* eversione ab *Ænobarbo* imperata, sic habetur: *Illi vero, qui debeant esse boni & fideles, videntes destructionem, quam faciebat Imperator, fuerunt mœsti & dolentes, & Imperatori non poterant vetare. Et tunc Dominus Ubertus de Pirovano, qui erat Archiepiscopus, fuit derobatus, sicut fuerunt alii, & Ecclesiæ, & Hospitalia. Et dictus Imperator fecit accipere* CORPORA SANCTORUM MAGORUM, QUI ERANT AD SANCTUM EUSTORGIUM. *Prædictus vero Archiepiscopus quando ipse hoc vidit: & vidit etiam ducere trecentos viros de melioribus Populi Mediolani, & viginti duos de Comitibus de Inglesio, qui erant Vasalli & obedientes dictæ Ecclesiæ Romanæ & Sancti Petri Apostoli: qui postmodum incœperunt clamare,* MORIATUR TRADITOR, QUI NOS DUXIT AD TALEM PORTUM; *tunc dictus Archiepiscopus fuit mœstus, & se desperavit, & dixit, Ego non valeo amplius, quia feci destruere Terram meam;* ET JUDICAVIT SE AD FACIENDUM SIBI INCIDERE MANUS ET PEDES ET LINGUAM; ET POSTEA VIXIT PER MENSES DUOS, ET DIES SEX; ET POSTEA MORITUR. Quam procul a vero? Vel e tanto isto errore quidni alterum quoque illum dignoscimus, & ablegandum putamus? Sicut autem nullum fere mendacium est, quod alicui non innitatur veritati; sic etiam mendacem hujusmodi contumeliam nos quidem suspicamur *Oberto* fuisse Archiepiscopo propterea affictam; quia, cum postremam *Ænobarbo* deditionem *Mediolanenses* inter se decrevissent, atque etiam for-

A tasse jam cum ipso agitarent, ille fugerit ad *Alexandrum* Papam; proindeque (sicut Num. 417. Annoque octavo supra Millesimum centesimum quinquagesimum jam fecerat) nec ille nec Clerus ad Imperatorem supplex processerit. Quod si processisset: atque, quod erat consequens, si una cum Clero suo *Victorem* Antipapam, ejurato *Alexandro*, tamquam Pontificem legitimum admisisset; sperari poterat futurum, ne, pulsis ab Urbe Civibus, Urbem ipsam Imperator excidioni permitteret. Fortasse etiam ipsimet Imperatoris asseclæ, ad majus odium Archiepiscopo conflandum, Populumque magis ab eo
B & a Pontifice *Alexandro* alienandum, eam fuisse unicam Civitatis evertendæ causam, schismatico illo spiritu suo postea venditarunt. Certe quidem *Joannes Nauclerus* Chronographiæ suæ Volumine Secundo, Generatione 39. *Raphaëlem Volaterranum* secutus hæc scripsit: *Obsidendæ Urbis Mediolanensis* loquitur autem de postrema illa obsidione) *hæc fuerat causa; quoniam, ut refert Volaterranus, Alexander ad Gualfagum Angleriæ Comitem* (aliis Gualuagnum, vel Gualuaneum) *ac Mediolanensium Principem sese receperat. Quam ob rem ira percitus Imperator, in Italiam veniens, post factam & latam in se execrationis sententiam Mediolanum obsedit: ac Terras, quæ cum eo conspiraverant, desolavit.*
C Quod si hæc ita se habuerint; nos quidem *Obertum* ipsum in eo jam prædicabimus beatiorem, quod non exilium modo voluntarium ceterasque ipsius ærumnas, sed eam quoque calumniam passus idcirco fuerit, quia justitiam sectari, quia vero legitimoque Catholicæ Ecclesiæ Capiti adhærere, quia pro fide atque unitate Ecclesiæ sese morti ac periculis dare, quia caducam & mortalem hanc vitam pro Domino exponere maluerit, quam Schismaticis, Ecclesiasticæ unitatis hostibus, & inconsutilem Domini tunicam scindentibus, consentire, obedire; sicuti nos de ipsomet *Oberto* pariter ac de Sancto *Galdino* disseruimus Num. 431.

CCCCLXXXI. Eundem porro Archiepiscopum
D nos inde præterea commendandum arbitramur, quod pro Concivibus suis in Patriam restituendis, tantaque Urbe reparanda, viribus suis omnibus saltem curasset, ut Colloquium illud haberetur *Pontidense*, de quo infra dicemus. Sane quidem in Catalogo Actis Ecclesiæ *Mediolanensis* conserto sic legitur: *Is summa prudentia Vir Conventum habuit de Urbe instauranda; sed rem non perfecit, morte ereptus.* Sed expressius in Catalogo, *Successores Sancti Barnabæ* inscripto: *Hic Archiepiscopus summa prudentia Conventu habito in Ecclesia Sancti Jacobi* DE PUNTIDA, *Agri Bergomensis, de instauranda iterum Urbe Mediolani cum finitimis Civitatibus, votum sui desiderii fæliciter implevit; sed morte præventus non potuit per-*
E *frui desideriis optatis.* Nec minus luculenter eadem *Petrus Franciscus Besutius* in sua *Mediolanensium* Pontificum Historia, patrio sermone conscripta, affirmavit; sed non sine alterius erroris admistione; cum scriberet, *Obertum* habito ejusmodi Colloquio, spe ceteroqui sua fraudatum, abiisse *Beneventum*, quo relegatus ab Imperatore jam fuisset. Nos igitur non hoc tantum negamus, sed etiam Colloquium illud ab *Oberto* habitum fuisse, sicut infra constabit; cum alioqui ejus habendi voluntatem curamque ac solicitudinem ipsi non defuisse libenter admittamus.

CCCCLXXXII. *Obertus*, ut dictum est, ex hac vita migraverat quinto Kalendas Aprilis. Testibus autem *Tristano Chalco* (cujus jam verba recitavimus) &
F *Carolo Sigonio*, *Alexander* Pontifex decimo tertio Kalendas Majas ei successorem dedit *Galdinum*, ex Archidiacono *Mediolanensis* Ecclesiæ paulo ante creatum Ecclesiæ *Romanæ* Presbyterum Cardinalem. Quemadmodum vero illis adtestetur ejusdem *Galdini* Vita, talibus ex ipsius verbis intelligi da-

datur: *Deus autem omnipotens, qui quos diligit castigat, tam sanctam & nobilem perire Ecclesiam nolens* (nimirum Mediolanensem) *dignum illi Pastorem providit; & Civitatem in virtute brachii sui post aliquantum tempus restauravit. Nam memoratus Summus Pontifex* (Alexander) *Ecclesiæ desolatæ providere volens; Beatum Galdinum, multis præditum virtutibus, ipsi in Episcopum consecravit. Qui, licet propter exilium laboresque perpessos corporis debilitate laboraret, nec tantum onus voluntarie susceperat; animo tamen constans, & charitate fervens, assiduis precibus & crebris Dominum exorabat suspiriis, ut Civitas lapsa aliquando surgeret, Ecclesia restauraretur, & tam Clerus quam Populus secum pariter proprias remearet ad sedes.* Hactenus e Sancti *Galdini* Vita, multoties adhuc in testimonium adducta.

CCCCLXXXIII. Pacifice interim *Romæ* sedebat *Alexander* Pontifex: totaque jam *Italia*, in spem fortunæ melioris excitata, sese illi adjungebat. Quo *Fridericus* audito; veritus, ne brevi tempore totius *Italici* Regni possessionem amitteret; novam expeditionem in *Italiam* decrevit; statimque *Raynaldum Coloniensem* ac *Christianum Moguntinum* Archiepiscopos cum ingentibus copiis huc maturare jussit; quemadmodum *Sigonius* hoc ipso Anno sexagesimo sexto recenset. Dum vero novum sibi quoque contraheret exercitum, in *Italiam* pariter postea deducendum; Concilii etiam præsidio sibi opus esse ratus est, quo res Antipapæ sui *Paschalis* adversus *Alexandrum* confirmaret. Illud igitur *Herbipoli* (aliter *Vuirtzburgi*) proximam in Pentecosten indicit, cui scilicet ipse cum suis Episcopis & Principibus intersit: statoque sic etiam tempore illuc convenerunt. De nefandis ac sacrilegis Conciliabuli hujus Decretis in promptu est ad eundem hunc Annum *Baronius*. Idem ipse consulatur. Sed & Novembri denique mense *Fridericus* ipse cum suo exercitu in *Italiam* transgressus, *primum in Roncalias venit* (sicuti narrat Sigonius) *ut jus Populis diceret: deinde, bello anteverso, Laudem, ut sedatius de illo inferendo consilium caperet, adiit: atque ibi Conventum habere instituit.* Cum vero Civitates *Italiæ* Legatos illuc suos singulæ misissent conquestum indigna servitute, qua per *Germanos* ipsius Administros ac Præfectos opprimerentur; eos ipse auditos superbe repudiavit; & uni præsertim *Alexandro* Papæ infensus, e communi suorum sententia bellum adversus eum decrevit. *Eo enim (ut ajunt) proposito in Italiam profecti sunt, ut Cremensem Hæresiarcham* (Pseudopontificem Paschalem) *intrudant in Sedem Petri, & Vicarium Christi* (Alexandrum) *aut comprehendant, aut ejiciant, aut occidant*: veraciter scribebat Epistola 169. *Joannes Saresberiensis*; quemadmodum *Baronius* item Art. 13. sapienter observavit. De prædicto autem *Laudensi* Colloquio legi potest etiam *Acerbus Morena*.

A.C. 1167. CCCCLXXXIV. *Finito itaque Colloquio* (verba sunt ejusdem Morenæ) *& transacta sanctissimæ Dominicæ Nativitatis festivitate, Imperator cum Conjuge sua & cum toto Exercitu suo, die Mercurii, decimo sexto mensis Januarii, in Anno Millesimo centesimo sexagesimo septimo, Indictione quinta decima, Romam versus profectus est. Qui cum Bononiam pervenisset, a Bononiensibus obsides petiit* &c. *A Bononia vero discedens, cum apud Imolam pervenisset; ab Imolensibus (quia eos destruere minabatur) & a Faventibus, & ab illis de Forlini, & a Forli Populo multas pecunias exegit; & ibi circumquaque usque ad Quadragesimam & usque ad festum Sancti Petri permansit. Deinde ad Civitatem Anconæ perrexit: & eam capere volens, fortiter expugnavit. Sed quia ipsa Civitas fortis erat valde, & etiam bene murata; Cives ipsius eam viriliter defenderunt. Sed tamen quampluribus ex eis vulneratis, multisque mortuis, & etiam captis, cum Imperatore fœdus inierunt, magnam sibi pecuniam promittentes: pro qua sibi solvenda ei quindecim obsides tradiderunt. Hoc vero fædere inito Imperator inde recedens, versus Romam cœpit iter.* Hactenus *Acerbus Morena*. Cui pariter adstipulantur etiam *Tristanus Chalcus* & *Carolus Sigonius* in hunc ipsum Annum.

CCCCLXXXV. Ceterum ex adverso item *Alexander Lateranense* interim Concilium illud congregavit, cujus mentionem *Baronius* facit Anno postea Sexagesimo octavo, Art. 53. & 54. e *Joannis Saresberiensis* Libro 2. Epistola 84. ad *Cantiæ* Subpriorem: quam scilicet Epistolam eo ipso scriptam Anno idemmet *Baronius* affirmat. De Concilio igitur illo *Lateranensi Saresberiensis* inter alia sic scribit: *Cum Romanus Pontifex* (Alexander) *per patientiam Theutonicum Tyrannum* (Fridericum) *diutius expectasset, ut vel sic provocaretur ad pœnitentiam: & Schismaticus, abutens patientia ejus, peccata peccatis adderet jugiter, ut error in amentiam verteretur; Vicarius Petri, a Domino constitutus super Gentes & super Regna, Italos & omnes, qui ei ex causa Imperii religione jurisjurandi tenebantur astricti, a fidelitate ejus absolvit, & Italiam fere totam a facie furentis & præsentis tanta fælicitate & celeritate excussit, ut in ea nihil habere videatur, nisi tortores, quos evitat, interdum & angustiarum, quas evitare non potest, juge supplicium. Abstulit ei etiam Regiam Dignitatem, ipsumque anathemate condemnavit: & inhibuit auctoritate Dei, ne vires ullas a modo in bellicis congressionibus habeat, aut de Christiano aliquo victoriam consequatur, aut alicubi quiete & pace gaudeat, donec fructus pœnitentiæ condignos operetur. In quo secutus est exemplum Gregorii Septimi, decessoris sui: qui nostra ætate Henricum Imperatorem, Ecclesiæ Privilegia convellentem, deponens, in Concilio Romano simili Sententia condemnavit. Et quidem illa Sententia effectum sortita est: & hanc, de Privilegio Petri latam, videtur ipse Dominus confirmasse.* HOC ENIM ITALI AUDITO, AB EO DISCEDENTES, REÆDIFICAVERUNT MEDIOLANUM, SCHISMATICOS REPULERUNT, CATHOLICOS REDUXERUNT EPISCOPOS, ET APOSTOLICÆ SEDI UNANIMITER ADHÆSERUNT. *Sed quid nota recenseo? Hoc ubique locorum fama, quasi præconis voce, concelebrat: nec aliquibus dubium puto, ne forte lateat illos, qui soli tempestate hac exulant domo sua.* Hactenus *Saresberiensis* de hujusmodi Concilio *Lateranensi*. E quo quidem *Baronius* ibidem non immerito existimat, creditam *Galdino Mediolanensi* Archiepiscopo fuisse Legationem: qua Catholicos Episcopos, ab Ecclesiis suis pulsos, restitueret; Schismaticos vero, Sedibus intrusos, expelleret: quemadmodum de *Laudensi* nominatim Episcopo ille fecit; sicuti & nos tempore suo memorabimus. Nunc ad *Acerbum* revertamur *Morenam*.

CCCCLXXXVI. Ille igitur post superiora, quæ nos ex ipso recitabamus, verba sic illico prosequitur: *Dum hæc autem Thusciæ & Romaniæ ab Imperatore agerentur, Procuratores ipsius, quos in Lombardia reliquerat, super ipsos Lombardos iniquius solito sævientes, ipsos tantis & tam gravibus contumeliis & injuriis affligebant, quod nullo modo sic gravatos se posse vivere existimabant. Quare Mediolanenses qui durius aliis opprimebantur, cum Cremonensibus, Pergamensibus, Brixiensibus, Mantuanis & Ferrariensibus Colloquium statuerunt. In quo cum omnes insimul congregati mala a Nunciis Imperatoris illata adinvicem retulissent; magis mori cum honore, quam miserabiliter vivere, eligentes, hoc pactum ibidem cum juramento inter se firmaverunt; videlicet, Unaquæque Civitas alteram adjuvaret, si Imperator, aut Procuratores ejus, de cætero eis, vel alicui earum, aliquam malitiam inferrent, vel eos contra rationem in aliquo molestarent; salva tamen Imperatoris omni fidelitate, quam per hoc pactum infringere nullatenus intendebant. In ipso etiam Colloquio certum*

terminum statuerunt: in quo omnes Mediolanum pergerent, & ipsos Mediolanenses in sua Civitate ponerent: & cum eis in ipsa tamdiu manerent, & eos ad Fossata eorum relevanda adjuvarent, quamdiu ipsi Mediolanenses, se solos ibi manere securiter posse, minime dubitarent. Quibus sic peractis, omnes ab ipso Colloquio recedentes, ad suas Civitates cum ingenti gaudio redierunt. Hæc *Acerbus Morena*, Curiæ tunc Imperialis Dux, atque *Friderici Romam* tendentis assectator. *Alexandri* porro Papæ Acta sic apud *Baronium* Anno superiori, Art. 15. tradunt: *In illis diebus, cum adhuc Fridericus Imperator obsideret Anconam; Societas Lombardorum, in libertatis suæ soliditate fortius roborata, dignum duxit, ut Mediolanum Civitatem suam, Domino auxiliante, & diruta mœnia,* SUFFRAGANTIBUS BEATI AMBROSII MERITIS, *studiosius repararet. Ad majorem quoque operationis stabilitatem Laudem, quam ipse Imperator in oppressionem aliarum Civitatum noviter transtulerat in loco munitissimo, eisdem Mediolanensibus amicabiliter fœdere sociavit, & arctioris vinculi amore astrinxit.* De quo tamen fœdere cum *Laudensibus* inito nos infra suo tempore agemus. Interea Lectorem insuper hortamur, ut ad uberiorem intelligentiam eorum, quæ ad ejusmodi Colloquium atque *Mediolanensium* restitutionem in Urbem spectant, Historias consulat *Bernardini Corii*, *Tristani Chalci*, & *Caroli Sigonii*, ad hunc ipsum Annum. *Corius* profecto & *Chalcus* Colloquium istud disertissime affirmant habitum in *Pontidensi* fuisse Monasterio inter *Mediolanum* ac *Bergomum*: cujus utique Monasterii mentionem nos jam fecimus Num. 316. & 331. Ac sine dubio Colloquium illud est, quod paulo ante *Oberto* Archiepiscopo adscriptum a quibusdam videbamus; cum alioqui jam ille obiisset. Sicut autem illum præcise nos dicebamus obiisse vigesima octava Martii die; ita *Corius* vicissim & *Sigonius* expresse nobis affirmant, ejusmodi Colloquium fuisse habitum die septima proximi Aprilis.

CCCCLXXXVII. Jam vero pauculis etiam hisce *Sigonii* verbis in præsens utamur: *Ibi* (hoc est, in eo *Pontidensi* Colloquio) *constituta die singulæ Civitates Præfectos Friderici per tumultum Urbibus exegerunt: Remque publicam creatis Consulibus veterem retulerunt. Inde, ubi constituta inter eos dies venit (ea vero ante quintum Kalendas Majas fuit) omnes armati præsto Mediolanensibus affuerunt: eosque veterem in Patriam, quamquam desertam atque deletam, restituerunt*: ipsomet nimirum die quinto Kalendas Majas; non autem quarto, sicut *Corius* erravit.

CCCCLXXXVIII. Silicea etiamnum Tabula visitur in fronte Portæ illius *Romanæ*, quam postea quarto tantum deinde anno videbimus extructam: quæve Tabula clavis tantum illic est ipsimet parieti, & in latere quidem ingredientibus sinistro, affixa. His igitur ea primum est notis insculpta:

✠ *Anno Dominicæ Incarnationis Millesimo centesimo sexagesimo septimo, die Jovis, quinto Kalendas Magii, Mediolanenses intraverunt Civitatem.* Et ad hanc profecto tam solemnis testimonii vocem subita nosmetipsos insilit lætitia, perinde ferme ac si nos quoque in charissimam istam Urbem ac Patriam cum Civibus illis nostris jam tandem reverteremur. *Igitur, quod faustum utileque fuit* (ut cum *Tristano* loquamur) *quinto Kalendas Majas, diutino magis quam longo postliminio, iis adjuti copiis Cives nostri in Urbem revertuntur. Notos quisque lares repetunt: quamvis informes squalidos muscosos subeunt: rudera moliuntur: tecta obducunt. Dumque privata reficiunt, minime negligentes in publicis se præbent. Siquidem Fossas repurgant, Vallum erigunt: ac cetera gnaviter peragunt, quæ præsenti necessitati conducere videntur.* Sed proferamus insuper, quomodo reditum istum describat *Acerbus Merena* post illa protinus verba, quæ demum ex ipso recitavimus. *Appropinquante vero* (inquit) *ipso termino, prædictæ Civitates, Mediolanum venientes cum vexillis & armis, ipsos Mediolanenses in Civitatem Mediolani cum magna lætitia mense Aprilis introduxerunt: & eis omnia, quæ promiserant, impleverunt. Quando vero Mediolanenses putaverunt, se ibi posse manere secure; prædictas Civitates, maximas gratias referentes, omnes redire domos suas concesserunt.* Quidnam vero ad ejusmodi nuncium *Ænobarbus? Hæc autem omnia* (subdit idem Morena) *cum ad Imperatorem pervenissent; palam, se habere pro nihilo, & quasi de hoc non curare, monstravit. Tamen, hæc clam graviter accipiens, doluit vehementer.* Sed plusculum adhuc aliquid e Sancti *Galdini* apud *Mombritium* & *Hilarionem* Vitæ lætanter in præsens addiscamus. Siquidem illa pariter ex ordine hunc in modum se habet. *Modico igitur tempore* (posteaquam *Galdinus* ad Archiepiscopalem hanc Sedem promotus fuisset) *elapso, Lombardi similem ob casum sibi providentes: memores roboris & fortitudinis memoratæ Civitatis* (Mediolani) *clam iniere Consilium, eam in munimentum ac aliarum Civitatum defensionem instaurare statuentes Ad ipsam autem armata manu accesserunt; ut Cives, qui in quatuor partes dispersi fuerant, ad Civitatis introitum hortarentur, & confirmarent. Primitusque Pergamenses milites decem, cum vexillis decem* (sub quibus nimirum totidem turmæ militabant) *venerunt. Brixiensesque & Cremonenses Mantuani quoque cum Veronensibus, cum his qui Marchiam Tarvisinam incolunt, Mediolanenses introduxerunt in Civitatem Anno Domini Millesimo centesimo sexagesimo septimo, quinto Kalendas Maji. Tunc fuit videre Populum de Babylonica captivitate redeuntem, viros præ gaudio flentes, parvulos & mulieres præ lætitia clamantes. Ferebantur voces in cœlum: festinabat quisque ad propria.* Hæc ibi verbatim usque ad itineris descriptionem, quo *Galdinus* etiam ipse non multo post ad Patriam revertit: ut paulo post dicemus.

CCCCLXXXIX. Restitutis in Urbem *Mediolanensibus*, *Cremonenses* illico per suos Legatos curarunt, ut *Laudenses* eodem sibi contra *Fridericum* fœdere sociarent. Cum vero pluries id frustra tentassent; quam poterant maximum exercitum collegerunt una cum *Mediolanensibus*, *Pergamensibus*, *Brixiensibus* ac *Mantuanis*: eoque *Laudam* duodecima Maji die hostiliter adorti, obsidendo pugnandoque cives illos tandem adegerunt, ut vigesima secunda mensis ejusdem die consentirent. Et hæc quidem prolixe narrat *Acerbus Morena*. Quo pariter teste *Mediolanenses* ac *Pergamenses* die subsequenti alacres inde perrexerunt ab obsidendum *Trecii* Castrum: in quo, quamoptime muris altissimaque Turri munito, multas Imperator opes ac *Ruinum* collocaverat Præfectum. Die igitur Sancto *Laurentio* sacra, & mensis Augusti decima, Castrum in deditionem acceperunt: illudque ingressi spoliaverunt, combusserunt, murosque ac Turrim funditus everterunt. *Hæc autem omnia* (concludit Morena) *cum Imperatori fuissent relata; quamvis inde se multum dolere non monstrasset, tamen graviter nimis suscepit.*

CCCCXC. Quæ interea *Fridericus* ejusque Proceres, *Romam* versus profecti, variisque impliciti bellis, egerint: hæc intelligi maxime possunt ex *Acerbo Morena*, quem *Chalcus* quoque ac *Sigonius* secuti fuerunt. Nos illud singillatim exscribemus, quod idem *Morena* his enarrat verbis: *Interea Dominus Guido Cremensis, qui Viterbii morans, ab Imperatore & a multis Archiepiscopis, Abbatibus, Prioribus aliisque quampluribus Mundi hominibus tunc pro Papa habebatur, Imperatoris adventum diu expectans & affectu nimio desiderans: ad eum, quamvis sæpe alias memisisset, novissime Legatos suos quamplures destinavit: mandans,*

dans, ut, quam citius posset, absque dilatione Romam veniret, hostes debellaret, & Raynaldum Cancellarium, qui tunc pro Papa in Roma & in quibusdam aliis partibus multis tenebatur, qui tunc Romæ morabatur, de Roma expelleret; & ipsum Romæ in possessione Papatus poneret, & manuteneret. Imperator vero, voluntati & consilio dicti Domini Guidonis (qui dicebatur Papa Paschalis) annuens, Romamque cum magno gaudio veniens, in Anno Millesimo centesimo sexagesimo septimo, die Lunæ, nono Kalendas Augusti, Indictione decima quinta, in Monte (adde *Malo*) *prope Romam cum suo Exercitu castrametatus est.* De hinc ergo *Fridericus* cum contra *Romanos* pugnasset, atque ipsimet etiam Sancti *Petri* Basilicæ ignem injecisset; ea quidem potitus est; atqui de Pontifice *Alexandro* facere non valuit, quod volebat. Ille siquidem protinus e *Laterano* se recepit in ædes *Frangipanum*, acerrimorum pariter ac fidelissimorum sui defensorum: deinde autem nocte intempesta cum sua familia excessit Urbe: atque *Circejos* primum, deinde *Tarracinam*, tum *Cajetam* delatus, postremo *Beneventum* accessit.

CCCCXCI. *Sequenti igitur proximo die Dominico* (prosequitur Morena) *prædictus Papa Paschalis cum suis Cardinalibus in ipsa Ecclesia Sancti Petri Missam honorifice & cum magno gaudio celebravit. Ipsoque die in capite Imperatoris circulum aureum tantummodo imposuit. Sequenti vero die Martis, in quo fuit festum Sancti Petri ad Vincula, prædictus Dominus Papa Paschalis Dominum Fredericum Imperatorem & Serenissimam Augustam Beatricem conjugem suam Coronis, ex auro purissimo & multis pretiosissimis gemmis decoratis, coronavit in ipsa Ecclesia Sancti Petri.* Quod videntes *Romani*, fœdus plerique cum Imperatore inierunt, atque *Paschalem* se pro Pontifice legitimo habituros juraverunt; sicut idem narrare pergens *Morena*, suam Historiam concludit. Morte siquidem correptus ultra progredi scribendo non potuit. Quocirca nescio quis alius illam prosequitur.

CCCCXCII. Novus hic ergo *Laudensis* hujus Historiæ Continuator suis etiam ipse verbis jam nobis edisserat, quam cito ultor insteterit a tergo Deus. *Interea* (incipit ille) *dum hæc Romæ agerentur, quædam maxima ac miserabilis & mortalis pestilentia super Imperatorem ejusque totum Exercitum divinitus accidit. Sequenti namque die Mercurii proxima, cum maxima cœli serenitas esset, statim quasi in ictu oculi mirabiliter pluere cæpit. Deinde post aquam serenitas magna & clara nimis facta est: statimque infirmitas super Imperatoris Exercitum talis excrevit, quod equites & pedites atque scutiferi corruebant & moriebantur. Ob quam rem Episcopi, Archiepiscopi, Comites, Marchiones & Duces aliique multi nobiles & ignobiles, qui in ipso Exercitu erant, corruebant.* Inter alios autem Proceres ea tunc tabe mortuos enumerat etiam *Raynaldum Coloniæ* Archiepiscopum electum (nec enim consecrationem ille unquam acceperat: qua de re legatur etiam *Baronius* Anno Millesimo centesimo sexagesimo sexto, Art. 9. & 10.) & Episcopum de *Lexe*, sive *Leodiensem*. Hunc *Tristanus Chalcus Henricum* nominat, sicut & alterum illum ipsius decessorem, quem tertio ante anno *Papiæ* mortuum asseverat, ac de quo nos item plura in superioribus diximus. Sed hic re vera, non *Henricus*, sed *Alexander*, inter eos hujus nominis Episcopos Secundus, appellatus fuit. Quamobrem de ipso *Ægidius* Aureæ Vallis Religiosus Cap. 46. sic scribebat: *Secundo anno Episcopatus sui in tertia expeditione, qua ipse Fredericus Imperator Romam Leonianam obsedit & incendit, cum multis Primoribus & Magnatibus Imperii gravi aëris pestilentia morte repentina ibidem occubuit quinto Idus Augusti, Anno Domini Millesimo centesimo sexagesimo septimo. Corpus ejus Leodium relatum, & in Majori Ecclesia sepultum est.* Legatur ibidem quoque in Annotatio-

A nibus *Chapeavillus*. Qui tamen pestilentiam istam prædictæ *Laudensis* Historiæ verbis enarrans, uni tribuit *Otthoni Morenæ* totum illud, quod partim *Acerbo* ejus filio, partim autem ipsius Continuatori re quidem vera debetur. Ceterum idem Continuator *Acerbum* quoque *Morenam* tunc temporis in Urbe *Roma* febricitare cœpisse narrat: & ab Imperatore accepta redeundi domum suam facultate vectum *Senas*, ibi decimo quarto Kalendas proximi Novembris obiisse, posteaquam ibidem per duodecim & amplius hebdomadas æger jacuisset.

CCCCXCIII. Jam vero nos ad Urbem nostram
B revertamur: eodemque Sanctum *Galdinum*, Archiepiscopum nostrum, Cardinalem ac Legatum in *Lombardia* Apostolicum, intrantem, ac solemni pompa ingredientem comitemur. Statim ac vero *Mediolanenses* huc rediisse nunciatum *Romæ* fuit; tum profecto *Galdinus*, tanta fruendum ratus opportunitate, nobis (e consilio scilicet *Alexandri* etiam Papæ) deliberasse videtur de capessendo, quantocyus posset, ejusmodi itinere; sicut etiam mox ex ipsius Vita constabit. *Mombritius* enim, descripto *Mediolanensium* reditu, quemadmodum ipsius verbis nos item illum Num. 488. describebamus, ita protinus sequitur: *His ita peractis, Galdinus,* CIVITATIS SUÆ
C RESTITUTIONEM AUDIENS, *proinde suscepta Apostolicæ Sedis Legatione, iter ad Patriam arripuit: & præcavens inimicorum insidias, quæ in plerisque locis sibi tendebantur, mare navigans, in peregrini habitu Venetias ingentibus periculis tamen incolumis pervenit. Ac deinde Lombardiam attingens, suscepto Episcopali habitu Insignibusque Pontificalibus, Mediolano factus est propinquior. Occurrerunt summa exultatione universi cum toto Clero Cives: eumque digna veneratione, ut par erat, suscipientes,* USQUE AD BEATI AMBROSII BASILICAM CUM HYMNIS DEDUXERUNT *Anno Natalis Dominici Millesimo centesimo sexagesimo septimo, quinto die Se-*
D *ptembris. Facta est igitur in Civitate de tanti Pastoris adventu ingens lætitia: & exultaverunt omnes, videntes, omnia sibi cooperari in bonum. Cessaverunt autem universi Ecclesiæ* (sive *Alexandri* Papæ) *impugnatores: & alii quidem veniam postulantes, alii vero post abeuntes, omnes a persecutione destiterunt. Suscepit itaque Vir ille piissimus Ecclesiam* &c. Hæc *Mombritius*. Quod si præterea noscere cupimus locum, in quo *Mediolanenses* illi occurrerint, & quemadmodum inde ipsum ad Basilicam non modo *Ambrosianam* verum etiam Metropolitanam deduxerint; hæc utique nobis in Catalogo cum Archipresbyteri Metropolitani tum etiam *Urbani* Secretarii talibus ver-
E bis indicantur: *Mediolanum venit:* ET IN MONASTERIO CHARÆVALLIS MORAM TRAXIT (quidni ergo illud a Schismate jam ante resipuisse fateamur? *Ubi a Mediolanensibus paratum equum sandalio coopertum ascendit.* ET INDE AD ECCLESIAM BEATI AMBROSII, POSTEA AD ECCLESIAM MAJOREM (qualis qualis illa post prædictam Campanilis ruinam tunc erat) *pallium super caput habens auratum, quod cum quatuor hastis a Confanoneriis portabatur, pervenit.* Hactenus in commune ambo illi Archiepiscorum nostrorum Catalogi. Sed insuper in eo, quem urbanissimus ille Secretarius nobis commodavit, tempus additur, quo præcise *Galdinus* fuit in Urbem ingres-
F sus: ac *Mombritio* concors asserit, non modo *Christi* Annum fuisse Millesimum centesimum sexagesimum septimum, sed etiam diem Septembris fuisse quintam: quod ipsum etiam in Catalogo Actis Ecclesiæ *Mediolanensis* conserto affirmatur. Quocirca nos quidem in hoc *Tristano Chalco* dissentimus, cum *Galdinum* Nonis huc venisse Decembribus in hæc verba scribit: *Interea ad confirmandos amicorum animos, & novos conciliandos, erigendumque statum Religio-*

ligionis, *ab Alexandro Pontifice Galdinus Mediolanensium Archiepiscopus dimittitur. Is navigio Venetias delatus, inde mutato habitu ab Urbem venit. Cujus in ingressu sumptis Insignibus amplissimi Sacerdotii, summa omnium lætitia & gratulatione accipitur. Nonis Decembribus* IN ÆDES AMBROSIANAS DEDUCTUS EST. *Ubi admissis Reipublicæ Præsidibus, & quo in statu res forent, & quæ agenda superessent, dixit*: immo vero *discit*, quemadmodum in ejusdem *Tristani* legitur autographo Codice. Ceterum in hoc Sancti *Galdini* ad capessendam Sedis Archiepiscopalis possessionem ingressu in Urbem mos ille retentus observetur ut a nobilissima hodieque Confanoneriorum familia comitatus ingrederetur, utque ad Basilicam recta veniret *Ambrosianam* prius, quam Sedem in Metropolitana capesseret.

CCCCXCIV. Ut autem *Galdinum* pariter ac *Obertum* ipsius decessorem intelligamus vel e longinquo terrarum tractu adlaborasse, ut prædicta *Lombardorum* Societas, utque Colloquium etiam illud *Pontidense* coalesceret; hoc proferre loco præstat etiam elogium illud, quod eidem *Galdino* Catalogus *Successores Sancti Barnabæ* inscriptus adscribit in hæc verba: *Hic primus post dirutum Mediolanum*, INHÆRENDO VESTIGIIS SUI PRÆDECESSORIS, *Mediolanum felicissimis auspiciis instauravit*, UNDIQUE COLLECTIS CIVIBUS DISPERSIS, ET IN PATRIAM REDUCTIS.

CCCCXCV. Jam vero, quæ ad primum Sancti *Galdini* Archiepiscopi pertinent ingressum in Urbem nos eo tandem concludamus, quod in Processu jam sæpius memorato recensetur. Etenim decimus sextus Testis pro Monachis examinatus, *Petrus de Garlate*, Majoris Ecclesiæ Lector, sic inter alia verbatim testabatur: *Quando Dominus Galdinus, Archiepiscopus & Cardinalis, primo Roma venerat, vidi* DOMNUM SATRAPUM, TUNC PRÆPOSITUM CANONICÆ SANCTI AMBROSII, *sedentem in Choro Ecclesiæ Sancti Ambrosii, in loco & sede Abbatis. Unde* DOMNUS AMIZO DE CRUCE, TUNC ABBAS IPSIUS MONASTERII, *intravit Chorum revestitus cum Aqua sancta: &, me vidente, fecit de sede sua ipsum Præpositum removere: & ibi sedit coram multitudine Clericorum ibi collecta ad receptionem Archiepiscopi*. Et hinc quidem Sanct-*Ambrosianos* etiam illos Monachos una cum suo Abbate, priusquam *Galdinus* ad Urbem veniret, rediisse dignoscamus ad legitimi Pontificis *Alexandri* partes, & ad catholicam unionem: a qua sine dubio nonnisi per vim ac metum antea desciverant; quemadmodum Num. 449. & 450. dicebamus.

CCCCXCVI. *Galdinus* Archiepiscopus, ut jam supra dictum est; *Mediolanum* venerat die quinta Septembris: mox & Imperator ab Urbe *Roma Papiam* die undecima pervenit. Qua de re Continuator Acerbi *Morenæ* sic tradit: *Imperator vero videns, gentem suam strage corruere; relictis multis infirmis Romam deseruit, & versus Thusciam ire cœpit. Deinde, jamdicto Papa Paschali relicto* (Viterbii) *quam citius potuit, Lombardiam intravit. Sed tamen, antequam Lombardiam attingeret, plures duobus millibus ex his, qui secum fuerant, id ipso itinere gladio solummodo Dei perierunt. Hi autem, qui tunc mortem vincere potuerunt, omnes infirmati usque ad necem, tandem tonso capite vix evadere potuerunt; tamen qui evaserunt, per totam hyemem, omni colore perdito, passi sunt. Pontremolo Ænobarbus* transiere meditabatur. Sed a *Pontremolensibus* non permissus, cum ad oram maritimam tetendisset, per *Obizonis Malaspinæ* Marchionis Ditionem (sicut idem Continuator subdit) *ipso Marchione eum ducente, iter arripuit; & in die Martis, undecima Septembris, eadem Indictione* (nimirum prima, hoc ipso mense inchoata) *Papiam intravit*.

CCCCXCVII. Sequitur idem Continuator: *Postea vero eodem mense Septembris, eadem Indictione, quadam die Jovis, quæ fuit decimo die ante Kalendas Octobris, in festo Sancti Matthæi Apostoli, in Anno Millesimo centesimo sexagesimo octavo* (sed manifestus absque dubio est error, in quem alioqui *Bernardinus* etiam *Corius* impegit: ac legendum est *sexagesimo septimo*) *posuit dictus Imperator palam in Concione omnes Civitates Lombardiæ, quæ sibi erant contrariæ & adversus eum juraverant, in banno, projecto ibi coram omnibus guanto; exceptis Laude & Cremona*: scilicet ut illas sibi demulceret. Ex eadem igitur *Papia* Urbe deinceps Imperator cum suo Exercitu prædabundus excurrit in Agrum primo *Mediolanensem*, mox *Placentinum*; sed accursu *Lombardorum* fœdere contra junctorum sese illico recipere ad eandem Urbem coactus est. Sic etiam hostilia tentavit alia; sed irrito conatu. Nominatim vero etiam undecima Novembris ac Sancto *Martino* sacra die fugatus a *Mediolanensibus*, quinetiam postea *Papiæ* obsessus fuit. Sic enim *Saresberiensis* Lib. 2. Epist. 26. testatum reliquit, ac *Baronius* recenset Anno sequenti, Art. 57. his verbis: *Eadem die* (Sancti Martini) *congressus Fridericus Ex angustiis cum Mediolanensibus, amissis viginti quinque millibus* (nos *militibus* legendum potius arbitramur; nec enim tanta illi militum copia in præsenti suppetebat) *in fugam conversus est*. Et paulo post: *Fridericum intra Papiam clausum tenemus & obsessum* &c.

CCCCXCVIII. Quomodo autem *Papia* tandem fugiens, se contulerit in *Germaniam Ænobarbus* (semet autem illuc contulit Anni Millesimi centesimi sexagesimi octavi mense Martio) ex ejusdem *Saresberiensis* Epist. 62. similiter ibidem hoc ipso Anno apud *Baronium* dignoscere licet. Pauca isthæc nos inde damus. *Cum enim Theutonicus Tyrannus* (verba sunt Saresberiensis) *sentiret se militum præsidio destitutum, & Italiæ Civitates in ipsum irruere properarent: & ipse temeritate suorum, qui nobilem quendam Papiensem excæcaverant, Papiæ minime tutus esset: neque Mauricenses, sed nec Lombardorum manus ulla ratione posse evadere videretur; ipse, Comitis Blandracensis & Marchionis Montisferrati fretus auxilio, divertit in Terram Marchionis, relictis triginta obsidibus Lombardorum apud Blandratum; alios autem obsides, quos acceperat, per castra Marchionis divisit custodiendos. Et ipse cum præfato Comite & Marchione* (*quia cum Lombardi congregato Exercitu viginti millium militum persequebantur, & obsidere decreverant*) *per Castella, quasi in umbra mortis latitans, fugitabat; ut vix* (*sicut ajunt probi viri, pleni fide & auctoritate, qui interfuerunt*) *duobus diebus aut tribus auderet in eodem hospitio pernoctare*. Et paulo post: *Dum itaque in tantis versaretur Imperator angustiis, & omnino desperaret de exitu; tractatum habuit cum Viris Religiosis, quos constabat esse fideles Domini Papæ* (Alexandri) *simulans, se cum Ecclesia Dei pacem esse facturum*. Nec multo post: *Omnes, qui hæc verba audierunt, exhilarati sunt: & Lombardi jam cœperunt mitius agere, sperantes, hominem esse conversum. Interea sæpe dictus Marchio egit cum cognato suo Comite Mauriensi, ut Imperatorem permitteret egredi: promittens ei non modo restitutionem ablatorum, sed montes aureos, & cum honore & gloria Imperii gratiam sempiternam*. Imperator ergo frustratis ea conversionis suæ spe omnibus, quid tandem? *Collectis obsidibus, quos disperserat* (subdit idem Saresberiensis) *ad reditum properans*, VENIT AD SANCTUM AMBROSIUM (cum descriptione hujus Loci conferas, obsecro, Lector, quam nos Num. 332. Annoque *Christi* Millesimo centesimo vigesimo recitabamus) *habens circiter triginta milites in comitatu suo: & inde mane festinanter egrediens, prope* SECUTIAM *in eminentia cujusdam montis suspendit obsidem quendam nobilem Brixiensem: imponens ei, quod conjurationis Italorum conscius fuerat,* &

A.C. 1168.

& (*quod plus est*) *artifex congregati Exercitus*, *qui eum ab Italia expellebat*. *Alios vero obsides secum duxit* IN SECUTIAM. Quos tamen Incolæ Loci hujus inde abduci neutiquam permiserunt; sicut idem narrat *Saresberiensis*. Sed & insuper sic addit: *Imperator autem*, *assumpto habitu servientis*, *quasi ut alicujus magni viri procuraret hospitium*, *cum aliis quinque servientibus noctu egressus est*: *lœtus*, *quod ei concessefant Italiam perdere*, *quam demeruerat diutius retinere*. *Inde transiens Chrysopolim*, *suam turbavit Burgundiam*, *Proceribus intentans minas*: & *progrediens*, *Alemanniam* & *Saxoniam supra modum turbatas reperit*, & *fratrem suum præ cæteris inimicum*; *cum tamen ei plurimi adversarentur*. Hactenus *Saresberiensis* de *Friderici* fuga in *Germaniam*. Prædictum porro SECUTIÆ Locum nos quidem arbitramur eum esse, quem *Philippus Ferrarius* in Lexico Geographico appellat SEGUSIUM, & aliter SEGUSIONEM, aut SUSAM: Urbem scilicet *Galliæ Subalpinæ*, in *Pedemontana* Regione, ad *Alpium Cottiarum* radices, quibus in *Allobroges* transitus est. Inde igitur non valde distat Locus ille, SANCTUS AMBROSIUS appellatus.

CCCCXCIX. Ecce vero, quemadmodum eandem *Friderici* fugam describat *Acerbi Morenæ* Continuator. Inquit enim: *Imperator itaque in Lombardia quandoque in partibus Papiæ*, *quandoque Novariæ* & *Vercellarum*, *aut Montisferrati*, *vel Astensibus*, *fere per totam hyemen stetit*. SEQUENTI VERO MENSE MARTII *privatim* (*ita quod nec ipsi Lombardi*, *qui cum eo fuerant*, *nisi forte paucissimi*, *sciverunt*) *per Terram Comitis Uberti de Saxonia*, *filii quondam Comitis Amodei*, *qui dicitur* COMES DE MORIENA (eum *Sarisberiensis* COMITEM MAURIENSEM appellabat, *Chalcus* autem SABAUDIÆ COMITEM appellavit) *iter arripiens*, *in Alemaniam est profectus*.

D. Sed quid item *Alexandri* Papæ Acta? In his quidem apud *Baronium* Anno Millesimo centesimo sexagesimo septimo, Art. 7. post descriptum *Friderici* ad Urbem *Papiam* reditum ab Urbe *Roma*, sic habetur: *Sed*, *quod valde erat mirabile in oculis omnium*, *neque recordatio tantorum malorum*, *quæ ab infantia sua crudeliter exercuerat*, *neque recentia flagella sibi a Deo* & *Beato Petro illata*, *duritiam* & *feritatem cordis illius emolliverant*, *nec ad bonum faciendum converterant*; *quippe quod ipsius natura*, *ad malum ab adolescentia sua prona*, *semper in id ipsum proclivior est inventa*. *Unde* TRES CIVITATES LOMBARDIÆ, QUÆ JAMDUDUM IPSIUS ATROCITATEM ET SÆVITIAM EXPERTÆ FUERANT (quibus quidem verbis hic Auctor indicasse nobis videtur *Derthonam*, *Cremam*, & *Mediolanum*, excisas olim & dirutas ab *Ænobarbo* Civitates) *videntes propositum* & *voluntatem ejus ferventius excrescere contra se*; *communi deliberatione firmarunt*, *ut de tota Lombardia eum deberent expellere*, *qui totam Italiam in probrosam servitutem nitebatur inducere*. *Ideo*, *congregata fortium virorum militia*, *eundem Fridericum de Papia exeuntem agressi sunt*: & *tamquam violatorem* & *destructorem legum* & *constitutionum orthodoxorum imperatorum*, *necnon a Romana Ecclesia excommunicatum*, *persequi non destiterunt*, *donec de cunctis Lombardiæ finibus violenter ejicerent*, & *transalpinare compellerent*. Hæc in prædictis *Alexandri* Papæ Actis. O quantum vero nos etiam ipsos recreat tam certis e Testibus audisse, tantam *Italiæ* ac nostræ nominatim Urbis Pestem in *Germanicas* jam tandem Oras exturbatam!

DI. Nunc aliqua prosequimur, quæ post *Ænobarbi* profectionem hoc ipso facta sunt Anno. Quorum primum sit illud, quod *Acerbi Morenæ* Continuator ita protinus subdit: *Post cujus recessum supradictæ Civitates* (Cremona, Brixia, Pergamum, Parma, Placentia, Mediolanum, Laus Pompeja, sive Lauda) *quæ insimul juraverant*, *in primis cum Novariensibus* & *Vercellensibus*, *postea cum Cremonensibus* (legatur *Comensibus*: & ita sine dubio legendum est, ne pugnantia dicantur: præterquam quod ita etiam legerunt *Corius*, *Chalcus*, & *Sigonius*: quinetiam nos ita legimus in duobus *Ambrosianæ* Bibliothecæ manuscriptis ejusdem Historiæ *Laudensis* Codicibus) & *illis de Belforte*, & *cum Seprienfibus convenerunt*: & *pacem omnes inter se facientes*, *unum corpus sunt effecti*.

DII. Sic etiam non multo post Sanctus *Galdinus Laudensibus* denunciavit, ut ad *Alexandrum* verum Pontificem se conferrent, ac novum, qui Catholicus esset, Episcopum designarent; nisi a Sacris arceri & Beneficiis exui vellent. Scilicet obstinatissimum etiam in præsens *Ænobarbi* Schisma contra Pontificem *Alexandrum*, sicuti nos Num. 424. indicavimus, Millesimo centesimo quinquagesimo nono, ac Septembri mense, jam incœperat a Pseudopontifice *Victore* Tertio. Idem igitur *Ænobarbus* in locum Episcopi *Laudensis* defuncti *Albericum* (aliter *Albertum*) cognomento *Merlinum*, interea sublectum instituerat: qui quidem, cum Anno superiore sexagesimo murus Urbis *Laudæ* Novæ die tertia mensis Augusti inciperetur, primum lapidem in fossatum ipsius muri sua manu projecit; sicut in eundem Annum affirmat *Ottho Morena*. Quidnam igitur jam tandem Sancti *Galdini* jussu, nec non *Ambrosiani* quoque Abbatis ministerio, factum fuerit de schismatico illo Episcopo, ipsemet *Acerbi Morenæ* Continuator suis verbis recenseat. Sic autem ille statim post eadem illa, quæ nos proxime recitabamus, inquit: *Interea Dominus Galdinus de la Sala*, *Mediolanensis Civis* & *Clericus*, & *qui quondam Cancellarius Domini Ribaldi* & *Domini Uberti de Pirovano* (nobis *Robaldi* & *Oberti*) *Mediolanensium Archiepiscoporum per annos multos fuerat*, & *in locum jam dicti Uberti ad Archiepiscopatum Mediolani fuerat sublimatus a Domino Alexandro Papa*, *in Lombardia ipsius Papæ tunc Legatus constitutus*, SUOS NUNCIOS, *scilicet* ABBATEM SANCTI AMBROSII ET ABBATEM SANCTI VINCENTII DE MEDIOLANO, *misit Domino Alberto de Cazano*, *Majoris Ecclesiæ Laudensis tunc Præposito*, *cæterisque Præpositis*, *Abbatibus*, *Presbyteris*, & *Clericis*, & *etiam Consulibus de Laude*: *dicendo atque monendo*, *quod ipsi Partem Papæ Paschalis* & *Domini Friderici Imperatoris omnino relinquerent*, & *Parti Papæ Alexandri faverent*, & *ipsi Papæ de injuria sibi facta satisfacerent*, *atque Episcopum Catholicum eligerent*; &, *nisi hoc facerent*, *ab Officio* & *Beneficio Ecclesiastico abstinerent*. Sicut autem idem Continuator narrando prosequitur, cum ad hæc *Galdini* mandata *Laudenses* aliquantum inter obediendi repugnandique consilium hæsitassent; per omnia tandem obedire decreverunt. Itaque sic etiam Feria Sanctioris Hebdomadæ quinta, quæ hoc Anno fuit quarto Kalendas Aprilis, ejurato *Alberico* substituerunt *Albertum* Ripaltæ Siccæ Præpositum, tunc *Bergomi* agentem. Proximo autem die Mercurii post Pascha multi eorum illuc profecti sunt. *Et ipsum in sequenti die Jovis proximo Laudem cum ineffabili gaudio conduxerunt*. *Qui ibi honorifice nimis ab omnibus tam Clericis quam Laicis est susceptus*. Sic enim Continuator hic loquitur, & Historiam *Laudensem* in Exemplari typis impresso concludit. Sed in utroque tamen *Ambrosianæ* Bibliothecæ Manuscripto pauca quædam superadduntur alia, ex quibus ipsummet quoque Continuatorem hoc tempore vixisse dignoscamus. Ita enim se habent: *Atque in sequenti proximo die Jovis Episcopum electum conduxere*. *Qui cum tanto gaudio* & *alacritate a Clericis* & *Laicis*, *tam majoribus quam minoribus*, *honorifice susceptus est*, *quod* NUNQUAM VIDI NEC ETIAM AUDIVI A-

LIQUEM ELECTUM IN SUA CIVITATE MAJORI GAUDIO UNQUAM SUSCEPTUM FUISSE.

DIII. Sed præterea *Joannes Saresberiensis* Epistola proxime nominata hoc ipso Anno apud *Baronium* Art. 61. sic prosequitur post illa, quæ demum inde recitavimus: *Porro Lombardi post egressum ejus* (Friderici ex Italia) *Blandratum diruerunt, extractis inde Obsidibus, qui ibi relicti erant, & interfectis Theutonicis fere omnibus, quos ad custodiam Castri deseruerat Imperator. Decem autem nobilissimos & ditissimos Alemanos dederunt in solatium Uxori Mariti illius Brixiensis, quem supra prope Secutiam suspensum retuli; ut illa, prout libuerit, eos aut suspendat, aut perpetuæ subjiciat servituti, vel redemptionem accipiat. Exinde damna multa Marchioni* (Montisferrati) *dicuntur intulisse: & nunc rumor est, eos obsidere Papiam. Et certum est, quod Papienses jam in Alemanniam Nuncios miserunt Imperatori: denunciantes, quod, nisi redierit & opem tulerit, nulla ratione poterunt diutius resistere Civitatibus.* Qua de re nos aliquid postea dicemus. Interim profecto monendum illud est: quod, tametsi *Lombardi Blandratum* diruerint post *Ænobarbi* ex *Italia* egressum; illud tamen jam ante obsidere incœperant. Quocirca eundem *Chalcus* & *Sigonius* vere tradunt excessisse post incœptam *Blandrati* obsidionem: ac pudibundum propterea excessisse; quia se nullam ei opem ferre posse videret; nolletque diutius sua dedecora spectare, ac ludibrio *Longobardis* esse. Eodemque sic etiam pertinent, præterquam quod in aliis etiam lucem nobis optatissimam illa afferunt, quæ in prædicto *Danielis* Chronico (si tamen totum ipsius est, quantum nos Num. 480. describebamus) recitantur his verbis: *Anno Domini Millesimo centesimo sexagesimo octavo, de mense Martii, Imperator Fredericus fecit suspendi* ZILIUM DE PRANDO, *obsidem Brissiæ, apud* SAUSIAM (quam nos SUSAM vocabamus, sicut hodieque populari sermone vocitatur) *dolore, quia Mediolanenses, Brissienses, Laudenses, Novarienses & Vercellenses* OBSIDEBANT BLANDRATE: *& inde abiit in Alamaniam.* Ejusmodi obsidionem *Gualuaneus Flamma* in Chronico Majori, Cap. 293. asserit incœptam octava mensis Martii die.

DIV. Sed ne tacendum quidem hoc loco est, quod apud eundem *Baronium* Art. 65. ex *Alexandri* Papæ Gestis narratur in hæc verba: *Anno Dominicæ Incarnationis Millesimo centesimo sexagesimo octavo, ipsis Kalendis Maji, Pontificatus Domini Alexandri anno nono, Cremonenses cum Mediolanensibus & Placentinis in manu valida pariter convenerunt contra rebellionem Papiensium & Marchionis Montisferrati, ad Villam, quæ dicitur Rovereta: ubi ad honorem Dei & Beati Petri & totius Lombardiæ construendæ Civitatis ambitum designarunt, & locum ipsum spacioso fossato clauserunt.* Et paulo post: *Ut autem gloriosior ubique haberetur atque famosior; placuit omnibus, ut ipsa Civitas pro reverentia Beati Petri & Papæ Alexandri in perpetuum nominaretur* ALEXANDRIA. Legantur vero *Chalcus* etiam & *Sigonius*.

DV. *Henricus* Secundus, *Angliæ* Rex, per hæc tempora graviter insectabatur Sanctum *Thomam Cantuariensem* Archiepiscopum: illudque præsertim jam contendebat, ut ipse vel e Sede sua dejiceretur, vel ad alteram saltem transferretur. In hunc ergo finem quid Rex *Mediolanensibus* nominatim promiserit, ex ea nobis liquet ad ipsummet Sanctum Archiepiscopum Epistola, quam *Baronius* Anno supra Millesimum centesimum sexagesimo nono, Artic. 1. recitat in hæc etiam verba: *Transmissa Legatione* (Rex) *confugit ad Italiæ Civitates,* PROMITTENS MEDIOLANENSIBUS TRIA MILLIA MARCHARUM AD MURORUM SUORUM VALIDISSIMAM REPARATIONEM (cui scilicet dabant operam) *ut cum aliis Civitatibus, quas corrumpere moliebatur, impetrarent a Papa & Ecclesia Romana dejectionem vel translationem Cantuariensis Archiepiscopi. Nam ob eandem causam* CREMONENSIBUS *duo millia marcharum promiserat,* PARMENSIBUS *mille, & totidem* BONONIENSIBUS. Hinc etiam Sanctus ipse *Thomas* in Epistola ad *Humbaldum* Cardinalem Episcopum *Ostiensem*, ab eodem mox *Baronio* Art. 2. recitata, hæc item de Rege *Angliæ* scribebat: *Quia vero vocantem ad iniquitatis consortium sequi nolumus; petit nos vocari a vobis; ut in transitu possit nostri sanguinis cum iniquitatis suæ consortibus qualecumque exercere commercium. Quid enim aliud sibi vult,* QUOD MEDIOLANENSES CREMONENSES ET PARMENSES IN EXTERMINIUM NOSTRUM MERCEDE CORRUPTOS SOLLICITAT? *Quid* PAPIENSIBUS, *aut* ALIIS ITALIÆ CIVITATIBUS, *nocuimus unquam, ut nostrum exilium procurarent? In quo læsimus* SAPIENTES BONONIÆ, *qui, sollicitati precibus & promissis, perniciei causæ nostræ, quam audierant, voluerunt dare consensum?* Certe tamen Rex votum suum non impetravit; sicut ex eodem *Baronio* deinceps liquidissime constat.

DVI. Ceterum reparandis itidem muris Urbi circumjectis, vel aliis etiam denuo construendis, quibus novus & amplior ejusdem Urbis ambitus contineretur, pecunias suppeditasse traditur *Manuel* etiam *Comnenus*, Imperator *Constantinopolitanus*, *Friderico* admodum infensus. Quamobrem *Nicetas Choniata* non procul ab initio Septimi suorum Annalium Libri sic scribit: *Quodam tempore* MEDIOLANI MOENIA *sunt ab Alemannis diruta. Sed Cives, jurejurando adacti se nunquam ea instauraturos, ita victores eluserunt, ut Urbem principio profunda fossa munirent; se pacta & conventa violare negantes. Deinde,* IMPERATORIS (*Manuelis Comneni*) AUXILIO FRETI, IPSA MOENIA REPOSUERUNT. Cujus quidem *Græcorum* Annalium Scriptoris sententiam hisce *Sigonius* verbis recensuit sexagesimo septimo hujus item Sæculi Anno: *Quoniam* (*ut inquit Choniata*) *muris eam nunquam se munituros jurarant; fossis aggeribusque ingentibus confirmarunt; ita ut egregie defendi adversus quemcumque impetum hostium posset. Addit idem Choniata, hæc omnia pecunia a Manuele Imperatore suppeditata esse confecta: qui Friderici potentiæ invidebat, atque Italicorum adversus eum animos irritare non desinebat.* Hæc *Sigonius.* Qui tamen nullam mœnium, sive murorum *Manuelis* sumptu repositorum, facit mentionem, quam ceteroqui fecerat *Choniata.* Quod autem jurejurando illo adacti *Mediolanenses* dicebantur: id nobis quidem non ita verum videtur. Ut enim Num. 434. *Morena* teste, quin etiam juramenti tunc a *Mediolanensibus* editi exceptore (cui *Sigonius* etiam ipse adhæsit, ut Num. 433. dictum fuit) narrabamus, non aliud ab ipsis *Ænobarbus* exegit juramentum, quam, QUOD PARERENT OMNIBUS PRÆCEPTIS EJUS. Ut autem cursim ad *Choniatam* revertamur, sic item ille subdit: *Nec ulla fuit Urbs Italiæ, aut etiam ab Italia remotior, in qua Imperator* (Comnenus) *non unum conjuratum & hominem sibi fidelem haberet.* Quam humaniter vero & effuse se gesserit etiam cum *Alexandro* Papa ejusque Legatis contra *Ænobarbum*, pluribus hæc locis *Baronius* in hæc tempora prosequitur. Quæ porro *Gualuaneus Flamma* scribit de pecunia *Mediolanensibus* ab Imperatore *Constantinopolitano* partim data, partim promissa, nos infra proferemus.

DVII. Quemadmodum præsenti etiam Anno, vel certe subsequenti, Matronæ *Mediolanenses* Metropolitanam Sanctæ *Mariæ* Basilicam suismet monilibus & aliis ejusmodi ornamentis restaurarint: hoc jam diximus Num. 441.

DVIII.

DVIII. Ut vero aliquid de Basilica quoque *Ambrosiana* commemoremus, circiter hoc etiam tempus in eam, quæ nunc conspicitur, formam redactum nobis videtur marmoreum illud pulpitum ac Suggestum, de quo jam egimus Num. 444. & cujus in latere ad maximam Basilicæ portam obverso (qua Pulpitum ipsum superne cingitur) marmorea stat tabula hisce litteris insculpta, sine aliqua temporis mentione:

✠ GULIELMUS DE POMO, SUPERSTES HUJUS ECCLESIÆ, HOC OPUS MULTAQUE ALIA FIERI FECIT.

Qui vero tunc SUPERSTES, & aliter SUPERSTANTIARIUS, dicebatur: hic neque Monachus tunc, neque Canonicus, sed homo laycus & sæcularis erat. Qualisnam vero tunc ad ipsum Ecclesiæ cura pertineret: hoc infra commodius intelligetur. Nunc illud solum indicemus: quam ob causam hoc circiter tempore Pulpitum illud restauratum arbitremur. In eo utique *Danielis* Chronico, cujus mentionem Num. 480. faciebamus, ceteris *Mediolanensibus*, Patriæ suæ proditoribus cum *Ænobarbo* conjuratis, connumeratum legimus eum quoque Superstitem his præcise verbis: GULIELMUS DE POMO, SUPERSTES HUJUS ECCLESIÆ, HOC OPUS ET MULTA ALIA FIERI FECIT: *hoc est scriptum super Lavello, sive Monumento, ubi legitur & cantatur Evangelium & Epistola in Ecclesia Sancti Ambrosii.* Et rursus aliquanto post, locutus de Comite illo *Alico*, *Ænobarbi* Vicario (cujus mentio nobis incidit Num. 443.) deque ipsius obitu, hæc adjicit: *SEPULTUS EST IN ECCLESIA SANCTI AMBROSII, in uno Lavello, quod erat dictorum Comitum de Inglexio: & illa Corpora dictorum Comitum, seu Regum, extra dictum Lavellum fuerunt posita: & nescitur, quid sit factum de eis. Et quidam Guilielminus de Pomo transmutavit dictum Lavellum, & multa alia removit: & etiam sculpsit dictum Comitem Alicum in eodem Lavello: & super dictum Lavellum cantabatur Euangelium & Epistola.*

A.C. 1170. DIX. Septuagesimum nunc Annum supra centesimum Millesimum aggredimur: & hoc quidem Anno sese nobis ante alia offert Antipapæ *Paschalis* obitus. De quo *Alexandri* Papæ Acta sic apud *Baronium* Art, 56. habent: *Cum apud Beati Petri Ecclesiam incubaret, & in cœpta sui erroris pertinacia moraretur; ab eodem Apostolo immissus cancri morbus in renibus ejus apparuit; cum pulmonis anhelitu tamdiu emisit saniem fœtidam, donec infælicem spiritum impœnitens exhalavit, & pessima morte occubuit.* Nec multo post, sicut ibidem adjicitur, Schismatici quendam substituerunt *Joannem*, Abbatem *Strumensem*, virum apostatam, lubricum, voracem, atque gyrovagum: quem ipse quoque *Fridericus* cum ipsis approbavit; tametsi post aliquantum temporis bonam voluntatem ac pium desiderium de formanda Ecclesiæ atque Imperii pace habere se simulans, ad *Alexandrum* Papam miserit Legatos, ac nominatim Episcopum *Bambergensem*. Sed revera *Fridericus* id fraudulenter unum moliebatur, ut *Alexandrum* Papam & *Longobardos* ab invicem distraheret. Quod præsentiens *Alexander*, litteras & nuncios ad ipsos direxit, ut ex unaquaque ipsorum Civitate mitterent ad se unam discretam & idoneam personam, quæ vicem generalitatis haberet: cum quibus verbum pacis & concordiæ, quod Episcopus ille deferebat, tractaret, quidve factu opus esset, decerneret. Quibus quidem Legatis ad ipsum missis, & ab ipso in consilium adhibitis, Episcopus ille dimissus fuit non sine fraudum ac versutiarum exprobratione, quas *Fridericus* per suam ejusmodi Legationem obtrudere tentasset. Talia, sicuti dicebamus, in *Alexandri* Actis ac pene verbatim narrata legi possunt. Hanc ipsam porro Legationem *Sigonius* affirmat a *Friderico* decretam fuisse in Conventu, quem *Norimbergæ* hoc Anno habuit quo die Purificatio Virginis Immaculatæ celebrabatur, hoc est, quarto Nonas Februarii.

DX. Jam vero post longum velut exilium nos item ad Archivum domesticum redeuntes, certe quidem pleni lætitia, & ad Sanctum Tutelarem nostrum *Ambrosium* conversi, exclamare possumus: Ecce nos quidem Corpus tuum etiamnum habemus apud nos custoditum, nec alias in Regiones ab hostibus nostris adsportatum. Scilicet hoc ipso Anno publicum & archetypum (congruenter ad illud, quod Num. 476. in fine pollicebamur) in hæc ab initio verba sese nobis offert Documentum: *Anno Dominicæ Incarnationis Millesimo centesimo septuagesimo, undecimo die mensis Novembris, Indictione quarta. Præsentia bonorum hominum, quorum nomina subtus leguntur, ligno & charta, quæ sua tenebat manu, investivit per massaritium* DOMNUS AMIZO, DEI GRATIA ABBAS ECCLESIÆ ET MONASTERII BEATII CONFESSORIS CHRISTI AMBROSII, UBI EJUS SANCTUM REQUIESCIT CORPUS, *constructi foris non multum longe ab hac Civitate Mediolani, ad partem & utilitatem ipsius Monasterii* ....
Consules Loci de Campilliono, & Albertum de Pino, omnes de Loco Campilliono......................... *de vineis, quas prædictum Monasterium habet & possidet in supradicto loco Campilliono & in ejus territorio* &c. Sic autem illud concluditur: *Actum prædicto Monasterio.*
Manu Pedri Zochi Camarlengo, & Guifredi de Bixono, & Joannis Mali-ingabati, Testium.
Ego Carlevarius, Notarius Sacri Palatii, qui dicor Piteto, hanc Chartam scripsi & tradidi. Et hic quidem notatu insuper dignum est, prædictum *Amizonem* huic *Ambrosiano* Abbatem præfuisse Monasterio jam inde ab Anno saltem Millesimo centesimo quinquagesimo sexto, sicuti nos Num. 414. observavimus. Quocirca vel ex hoc etiam capite certius multo nobis videtur Documenti hujus testimonium, cum Sancti *Ambrosii* Corpus requiescere hic nihilominus adhuc asseveranter & præcise, quam olim, affirmatur.

DXI. Eodem hoc Anno Sanctus *Thomas Cantuariensis* Archiepiscopus, pace tandem cum Rege inita, e diuturno exilio suam reversus ad Ecclesiam: cum ibi per mensem fuisset, a regiis satellitibus quarto Kalendas Januarii confossus Martyr occubuit. Præ ceteris hac de re legatur *Baronius* Art. 46. ac deinceps. Nos quidem hanc tanti Martyris mentionem facere debuimus vel eam ob causam; quod per id tempus, quo ab Ecclesia sua exulabat, cum *Roma Pontigniacum* profectus esset, habitum ibi *Cisterciensem* assumpsit, & piissime inter eos Monachos aliquandiu vixit. Quocirca etiam *Chrysostomus Henriquez* meritissime illum Menologio *Cisterciensi* conseruit quarto pariter Kalendas Januarii.

DXII. Circiter hunc ipsum septuagesimum Annum sequentes Sanctus *Galdinus* dedisse Litteras nobis videtur: quibus antiquos Capituli Metropolitani honores confirmabat. Eas vero ad *Milonem* præsertim Archipresbyterum & ad *Ubertum* Archidiaconum direxit: priusquam videlicet *Milo* fieret Episcopus *Taurinensis*: qualis, quidem factus traditur Anno proximo septuagesimo primo. Sic enim habetur in ejusmodi Episcoporum ac deinde Archiepiscoporum Catalogo, quem *Claudius Robertus Galliæ* suæ *Christianæ*, in secunda Appendicis Parte, adjecit. Easdem vero Litteras e Bibliothecæ *Ambrosianæ* Codiculo nos accepimus: quo nonnulla generis hujusmodi Scripta continentur, a *Francisco Castello*, Metropolitanæ Basilicæ jam ante Annum *Christi* Millesimum quingentesimum quinquagesimum

mum Canonico Ordinario, collecta. Multa porro scitu digna dignoscemus inde: atque illud in primis, quemadmodum *Mediolani* per hæc tempora solis Basilicæ Metropolitanæ Ordinariis & Monachorum Congregationibus liceret Missam cum Diacono & Subdiacono celebrare. Sed ipsasmet *Galdini* Litteras videamus. Eæ siquidem sese verbatim sic habent:

GALDINUS, DEI GRATIA MEDIOLANENSIS ECCLESIÆ ARCHIEPISCOPUS, APOSTOLICÆ SEDIS LEGATUS, *Dilectissimis Fratribus, M Archipresbytero, V Archidiacono, & universis Mediolanensis Ecclesiæ Presbyteris, Diaconibus, & Subdiaconibus, atque Notariis, tam præsentibus quam futuris, in perpetuum. Suscepti cura regiminis, quam divina favente gratia, licet indigni, gerimus, nos admonet & compellit justis honestis petitionibus vestris gratum præstare assensum: &, cum aliquid a nobis postulatis, quod rationi & æquitati concordare videtur, ita nostram impendere auctoritatem, ut desiderium vestrum effectu prosequente compleatur. Ea propter, Dilectissimi Fratres, jura & honores vestros in omnibus servare cupientes: præcaventes etiam, ne quorumlibet æmulorum temeritate vel importunitate juri & dignitati vestræ in posterum possit in aliquo derogari, aut aliquid ab aliquo in injuriam & contemptum vestrum ullo unquam in tempore præsumi; antiquas consuetudines, seu Patrum traditiones, quas Mediolanensis Ecclesia ab antiquis retro temporibus servavit, secundum quod nostris vidimus diebus in eadem servari Ecclesia, nostra comprobamus auctoritate; & præsentis Scripti Pagina confirmamus. Statuentes videlicet*, UT VOBIS SOLIS, EXCEPTIS MONACHORUM CONGREGATIONIBUS, IN CIVITATE CUM DIACONO ET SUBDIACONO MISSAM CELEBRARE LICEAT. *Primam vero, Tertiam, Sextam, vel Horam Nonam, & Completorium nullis, nisi Vobis, in Hyemali Ecclesia ullo unquam in tempore liceat publice cantare. A Dedicatione quoque usque ad Parasceven Matutinas Vivorum in eadem Ecclesia Vos soli cum Lectoribus & cæteris Clericis cantetis. Matutinas vero Mortuorum soli Lectores eodem tempore cantent; nisi forte in Anniversariis, Vobis illisque communibus. Ecclesiam per Vos solos, vel per Nuncios & Custodes vestros, aperire & firmare, Cruces portare, Campanas & Campanile Vobis tantum habere licet. Sedes autem & stadia Sacerdotum, vel Diaconorum, ad Vos solos spectare decernimus: adeo ut in ipsis sedibus, Vobis præsentibus, nulli Decumanorum sine vestra jussione sedere liceat. Nec ad stadia, cum Missam cantant, iidem Decumani ascendere præsumant: nec similiter, cum Missam cantant, per medium Chorum ante facies vestras transeant; sed more solito post sedes vestras ad Altare ascendant. Cantata vero Missa, Officia Mortuorum in Majori Choro nec celebrent, nec cum Psallenda ad aliquod Altare*, NISI SANCTI AMBROSII, *eis unquam processionaliter ire liceat. Hæc igitur firma & illibata in perpetuum servari præcepimus: & ad majoris robur firmitatis & omnium in posterum memoriam Scripti præsentis patrocinio communimus. Decernentes, ut nulli nostræ jurisdictionis clerico vel laico contra hujus nostræ Sanctionis & Confirmationis Paginam temere liceat venire. Si qua igitur Ecclesiastica Sæcularisve persona, in nostro manens Archiepiscopatu, contra ea, quæ diximus, venire, aut hujusmodi nostri Decreti Paginam infringere, conata fuerit, & commonita non resipuerit; iram & indignationem Omnipotentis Dei & Beati Ambrosii Patroni nostri sentiat; ac totius sui honoris incurrat periculum; &, nisi a suo destiterit proposito, in laqueum cadat Anathematis, & cum Juda proditore pœnam sentiat æterni Judicii. Omnibus vero hæc eadem servantibus sit pax & gratia Domini nostri Jesu Christi, Amen. Ego Adobaldus, Domini Galdini Mediolanesis Archiepiscopi Apostolicæ Sedis Legati Scriba, ex mandato & vice ipsius subscripsi.*

Dat. per manum Domni Algisii Cimiliarchæ & Cancellarii.

Ego Adobadus, Lector, ex mandato ejus scripsi.

Et hactenus quidem prædictum *Galdini* Privilegium.

DXIII. *Septuagesimo autem primo supra mille & centum a Christi dinumeratione Anno* (ita *Chalcus* scribebat) *idem Urbi Mediolano, quod olim Athenis, Græciæ Urbi clarissimæ, accidit: quæ, a Persarum Rege Xerse diruta & incensa, cum mox reficeretur, longe pulchrior & prolatis mœnibus amplior facta est. Nam publicis Tabulis constat, eas Ædes, quæ nunc intramuranæ sunt, ante tempora Friderici extra Urbem fuisse:* QUÆ CELEBRANTUR TITULIS AMBROSII, LAURENTII, NAZARII, EUSEBII. *Tantum enim animi viriumque accessisse sibi hoc spatio Cives existimavere, ut, antiquo termino neglecto, novam Fossam novaque mœnia, quibus suburbana ædificia includerentur, condiderint. Extat novi operis memoria, prægrandibus litteris saxo in limine Portæ Romanæ incisa, cum versiculo, ut illa ferebant tempora, neque inepto, neque inauspicati hominis:* A.C. 1171.

Fata vetant ultra procedere. Stabimus ergo. Habentur & nomina decem Consulum, qui tunc Reipublicæ præerant, & opus fieri fecerunt. Quibus Consulibus ibidem mox *Chalcus* enumeratis, ita subdit: *Qui propria impensa Emissarium ejusdem Fossæ cum Turri protegente* (CLUSIAM *vulgus vocat*) *extruxere.*

DXIV. Eadem, sed paulo brevius, describit etiam *Sigonius* his verbis: *Mediolanenses, optato pacis bono fruentes, muros Urbis latius protulerunt*, TEMPLA SANCTORUM AMBROSII LAURENTII NAZARII ET EUSEBII COMPREHENDENTES, *quæ ante Urbis excidium vetere murorum ambitu excludebantur. Consules propriis impensis Fossæ Emissarium cum Turri, Archiepiscopus* (nam isthæc quoque ibidem a *Sigonio* superadduntur) *Episcopium magnificentiore, quam antea fuerat, opere* (sicut etiam nos argumentabundi nobis assumebamus Num. 441.) *ædificavit. Quibus rebus elata Civitas, pœna linguæ proposita sanxit, ne quis Friderici nomen in sermonibus usurparet: & Comites sustulit, quos ille in Castris proximis constituerat.* Hactenus *Sigonius*. Nec vero *Corius* discrepat.

DXV. Nos ipsammet proferemus ante alia Inscriptionem, quam *Chalcus* ei saxo in limine Portæ *Romanæ* collocato incisam innuebat. Est autem silicea illa Tabula, cujus mentionem nos Num. 488. faciebamus. Post illa igitur verba illic exinde a nobis recitata, hæc protinus succedunt:

✠ *Anno Dominicæ Incarnationis Millesimo centesimo septuagesimo primo, mense Martii, hoc opus Turrium & Portarum habuit initium. Consules Reipublicæ, qui tunc erant, & hoc opus fieri fecerunt, fuerunt, Passagnadus Setara, Ardericus de la Turre, Pinamonte de Vimercato, Obertus de Orto, Malconventus Cotta, Arnaldus de Mariola, Adosadus Butraffus, Malagallia de Alliate, Malfilliocius de Ermenulfis, Rogerius Marcellinus: & ipsimet opus de la Clusa fieri fecerunt.* Cujus quidem Inscriptionis, ut Lector intelligas, quanta sit fides, quamve securus hinc ea Consulum nomina emendare possis, quandocumque apud alios Scriptores, ac nominatim apud *Chalcum* & *Corium*, aliter recitata inveneris; hoc scito, quod verissime tibi profitemur. Non contenti Tabulam illam e via perlegisse, inscensa etiam scala propinqui conspeximus accuratissime, parique fidelitate Inscriptionem ipsam nostra illico manu exscripsimus, exscriptamque rursum recognovimus. Sic etiam non minore cura inscenso scabello, repurgataque litterarum scalptura, quam pulvis adhærens obfuscabat, sequentia verba exploravimus, ipsismet ejusdem Portæ silicibus procul ab humo quatuor circiter cu-

cubitos insculpta. Itaque præter eum versiculum, quem *Chalcus* proferebat, quatuor item alios, itemque alia illic a nobis accurate observata scitoque digna hic habebis.

DXVI. *Romanæ* hujus Portæ ingressum binæ dabant portæ, sibi cohærentes, ac vivis e lapidibus compactæ; sed earum tamen illa, quæ Urbem ingredientibus læva erat, muro postmodum clausa fuit, additisque pariter antrorsum ædibus occultata, Itaque per dextram tantum transitus illac nunc patet: illaque ipsa est, quam conspicari nos potuimus, si quid haberet memoratu nostrisque Monimentis dignum. Binis ejusmodi portis laterales adjectæ fuerunt binæ Turres; quarum tamen structura tunc parum alte crevit. Eam enim, quæ nunc in sinistro latere admodum prominet, *Azzo* postea *Vicecomes* prosequendam sustollendamque curavit; quemadmodum diserte *Corius* hoc ipso Anno affirmat. Ex his ergo satis jam intelligi datur, quodnam esset illud OPUS TURRIUM ET PORTARUM, quod hoc Anno initium habuisse dicebatur. Moles utique ipsa fuit, hoc Anno illic construi cœpta, quam retento Portæ *Romanæ* vocabulo nuncuparunt. Quamquam etiam nihil vetat, quo minus indicatas intelligamus etiam reliquas Urbis Portas, quarum singulæ deinceps conditæ, binisque sic etiam Turribus ad minus inchoatis communitæ fuerunt; sicut idem *Corius* testatur; & ad Portam profecto *Ticinensem* hodieque conspicitur.

DXVII. Ceterum in ejusdem Portæ *Romanæ* sinistro latere insculpta parieti cernitur hominis effigies: de qua nos infra dissèremus, *Ænobarbine* sit, an alterius cujusdam, quem *Constantinopolitanus* Imperator gravissime detestatus fuisset; nec enim unica & concors est Scriptorum sententia. Sub ejusmodi effigie Inscriptio illa extat, quam paulo ante protulimus: sub Inscriptione autem versus ille a *Chalco* recitatus,

Fata vetant ultra procedere. Stabimus ergo.

Sequuntur deinde recta linea, in angulum sub portæ fornicem mox flexa, quatuor itidem alii versus. In quibus tamen duo desunt verba: quorum primum e lapide penitus evanuit; alterum vero extat quidem adhuc, sed a nobis intelligi nullatenus potuit. Ii ergo sunt hujusmodi:

Hii Mediolano lapso, dum forte resurgit,
Supposuere............ Factum declarat amicos.
Dans Deus, aut viduens (legendum potius *viduans* videtur) *reddens esto benedictus.*
Psallimus ecce tibi........ Deus Urbe recepta.

Sub quorum quidem quinque versuum primo scalpti substant equites armati: sub secundo pedites cum his præterea litterarum notis; CREMONA, itemque BRIXIA; quibus utique notis indicatum nobis videtur, earum Civitatum Cives præcipuo saltem præsidio *Mediolanensibus* nostris fuisse, ut in Patriam redirent. Sequuntur alii porro pedites usque ad quarti carminis extremum: ac tum quarto quintoque carmini dictio MEDIOLANENSES cum duobus inferne militibus interjecta cernitur. Sub quinto denique carmine signifer extat expansum gestans vexillum, ac binæ denique portæ sibi conterminæ, cum hac quidem dictione MEDIOLANO, perinde ac si *Mediolanenses* designati essent per Portam *Romanam* ingredientes. Sed ne Opifex quidem hujus Portæ suum in hoc latere nomen prætermisit. Quippe supra tertii ac quarti carminis partem legitur hoc item:

Hoc opus Anselmus formavit Dedalus Ale.

Talia igitur visuntur in ejus Portæ latere ingredientibus sinistro. Quænam porro sint etiam in dextro, nunc accipe. Ibi longum velut ex Urbe procedit agmen hominum, varia onera capite vel humeris vel etiam crumenas manibus gestantium. Subsequitur illud vero Sacerdos, Crucem dextra manu gestans: ac denique Vir capite Coronam, dextraque Sceptrum. Supra binos autem ipsos legitur ✠ SANCTUS AMBROSIUS; supra ceteros vero A R R I A N I. Ac rursum paulo superius hic itidem versus ruditer exaratus habetur:

✠ *Ambrosius celebs Judeis abstulit Edes.*

Sic enim *Ambrosius* indicabatur Imperatoris auxilio fultus expulisse ab Urbe nostra non *Arrianos* modo, sed etiam *Judæos*, usurariis quæstibus fœde addictos.

DXVIII. Quod vero sacras illas Ædes *Chalcus* & *Sigonius* asserebant extra muros Urbis antehac fuisse; istud quidem verissimum est. Ac de *Ambrosiana* quidem pluries hactenus hoc vidimus inter hæc nostra Monumenta publicis testatum Documentis. De *Laurentiana* sic etiam Num. 53. *Morena* teste congruenter ad ea, quæ proxime narrata fuerant, ostendimus. De *Nazariana Gualuaneus Flamma* in Chronico Majori, Cap. 291. locutus de nova ista murorum constructione sic addit: *Fit imago Civitatis novæ, introclusa imagine Civitatis veteris; ita quod murus sit obductus versus Ecclesiam Sancti Nazarii, quæ cadebat directe in Fossato, Unde illi Canonici solverunt murum ab Ecclesia sua usque ad Sanctum Celsum. Alium murum Clerus fecit.* Ea vero Sancti *Eusebii* Ecclesia nobis quidem non alibi sita fuisse videtur, quam ubi etiam in præsens sub eodem titulo conspicitur juxta Braydense Societatis *Jesu* Collegium.

DXIX. Fossæ porro Emissarium illud (vulgo CLUSIA, cujus etiam mentio fit in ea Inscriptione) cum Turri protegente illic erat intra Portæ *Ticinensis* fines, ubi nunc ad Molendinum Armorum (sic enim communiter appellamus) firmissima durat adhuc ea moles ac domicilium, quod veteri vocabulo etiam in præsens TURRIS IMPERATORIS nuncupatur. Indeque duabus proximis in eo tractu Ecclesiis, una Sancto *Michaeli* Archangelo altera Sanctæ *Catherinæ* Virgini ac Martyri dicatis, vetus adhuc nomenclatura illæ hæret, ut omnium ore AD CLUSIAM vocitentur.

DXX. Quoniam vero nobilissimæ Gentis *Septaliæ* (aliter de SETARA) gratam non ita pridem (hoc est, Num. 480.) fecimus mentionem; non immerito illa quidem inter veteres sui Heroas *Passaguadum* commemorat, quem paulo ante cum aliis hoc Anno *Mediolani* Consulibus primo nominatum loco videbamus. Egregius hic etiam bello Vir Anno superiori quinquagesimo nono, mense Junio, postquam una cum suis *Mediolanensibus* egregie contra *Papienses* dimicasset: cumque mox fessis prædaque onustis ex improviso cum suis supervenisset *Ænobarbus*; ab eo tam ipse quam trecenti circiter alii *Mediolanenses* capti fuerant, & *Laudam* primo deinde *Papiam* in carcerem abducti; quemadmodum *Ottho Morena*, & ab ipso mutuati *Corius* & *Chalcus* in eum Annum enarrant.

DXXI. Recentium ejusmodi murorum ambitum peraccurate describit in Annum præsentem *Corius*: cujus profecto ætate superstites illi stabant adhuc; cum nostra non stent, quo nimirum ex tempore vastior Urbis situs aliis rursum muris circumdatus denique fuit. Idem sic etiam diligenter prosequitur, quot numero publicæ cum Portæ tum Pusterlæ Urbis essent, quidve inter Portas & Pusterlas (illæ majores, hæ minores erant) interesset. Portis Turres asserit adstructas fuisse binas: unamquamque vero Pusterlam sub una tantum Turri constructam fuisse, præter eam tantum, quæ SANCT-AMBROSIANA vocabatur; hæc enim sub nulla. Huic etiam Pusterlæ Sanct-*Ambrosianæ* versus Australem plagam, nec non etiam Pusterlæ JOVIS versus Aquilonarem (ubi nunc Castrum situm est, ARX JOVIS appellatum) interjectam fuisse scribit Portam VERCELLINAM: & ab hac quidem Porta Sanct-*Ambrosia*-

nam Pusterlam trecentos cubitos distantem fuisse. Sanct-*Ambrosiana* itaque Pusterla citra dubium illa erat, qua nunc etiam ultro citroque inter *Ambrosianam* & *Portianam* (sive Sancti *Victoris* AD CORPUS) Basilicam recta commeatur: & inter quam ceteroqui & Portam *Ticinensem* Pusterla etiamnum FABRICA intercedit. Quod si Portis (quæ numero sex fuere) primæva tunc etiam nomina hæserunt, quemadmodum etiam nos una cum eodem *Corio* indubitatum esse debere arbitramur; certe quidem placere nobis non potest, quod *Ripamontius* Historiarum Ecclesiæ *Mediolanensis* Libro Primo asserit, *Ticinensem* Portam, cum veteribus dirutis, novi muri (per hæc utique tempora) reficerentur, AMBROSIANAM fuisse appellatam. Ea siquidem in posterum etiam retinuit Portæ *Ticinensis* appellationem: solique illi, quam dicebamus, Australi Pusterlæ inditum invenimus SANCT-AMBROSIANÆ cognomentum.

DXXII. Post *Ænobarbicam* diramque illam *Mediolani* excidionem, cujus occasione tamquam de re postmodum controversa quærendum fuit, an Tutelarium nostrorum *Ambrosii Protasii* ac *Gervasii* Corpora suo fuerint e tumulo in *Germaniam* vel alio translata, hoc fatemur: nihil jam nobis accidere jucundius posse, quam si mentio forte incidat, aliquod ejusmodi Corporum perrenniter apud nos nihilominus deinceps custoditum esse. Publicum generis hujus Documentum superiore Anno ex Archivo nostro protulimus unum: cujus auctoritatem quoque pensitabamus propterea majorem; quia Domnus *Amizo*, per tot retro annos Abbas, in illud consensisset. Sed ecce nunc alterum, in quod non ipse modo sed etiam Sanctus *Galdinus* Archiepiscopus consensit. Sic autem illud se habet:

Anno Dominicæ Incarnationis Millesimo centesimo septuagesimo primo, duodecimo Kalendas Octubris, Indictione quinta. Placuit atque convenit inter Gilbertum, filium quondam Ugonis, qui dicebatur de Melegnano, de Civitate Mediolani, IBI PRÆSENTE ET CONSENTIENTE DOMINO GALDINO, DEI GRATIA SANCTÆ MEDIOLANENSIS ECCLESIÆ ARCHIEPISCOPO, ATQUE APOSTOLICÆ ROMANÆ SEDIS LEGATO: NECNON ET INTER DOMNUM AMIZONEM, ABBATEM ECCLESIÆ ET MONASTERII BEATISSIMI AMBROSII, UBI EJUS SANCTUM REQUIESCIT CORPUS, *siti prope hanc Civitatem Mediolani: ut in Dei nomine debeat dare, sicut a præsenti dedit, ipse Gilbertus eidem Domno Amizoni Abbati, in vice & ad partem ipsius Ecclesiæ & Monasterii Beatissimi Ambrosii, ad habendum & tenendum libellario nomine usque imperpetuum: id est, omnes illas conditiones & destrictum, quod eidem Gilberto pertinebat beneficiario nomine ex parte prædicti Domini Archiepiscopi super mansos duos terræ istius Monasterii, rejacentes in loco & fundo* CLAVESE, *vel in ejus territorio & pertinentia in integrum: & quæ Conditiones sunt acttracta sex, medietas facta ad Mediolanum, & alia medietas ad Melegnanum: & pullos sex, & fugatia quatuor, & de fœnocentenaria quatuor: data omnia omni anno. Omnes illæ res, quantæ sunt, & inveniri potuerint pertinere aliquo modo vel jure eidem Gilberto supra prædictos duos mansos, per destrictum sive per conditionem, in præsenti maneant libello in integrum: eo tenore; ita quod a modo in antea omni tempore habere & tenere debeat ipse prænominatus Domnus Amizo Abbas, & ejus Successores, ad partem & utilitatem istius Monasterii, & cui ipsi dederint, prænominatas res, quas superius legimus, in integrum; & facere exinde de omnibus in integrum secundum morem libellarem quicquid eis fuerit utile. Et promisit ipse Gilbertus una cum suis hæredibus prædictas res omnes, quas superius legimus, in integrum ab omni contradicente persona defensare jure & ratione secundum modum libellarum eidem Domno Abbati, & suis Successoribus; & cui ipsi dederint, in pœnam dupli infrascripti pretii; quia sic inter se convenit. Et pro isto libello accepit ipse Gilbertus ab isto Domno Abbate argenti denarii boni tertiolorum Mediolanensium libras decem. Actum ista Civitate. Et de isto pretio fuerunt libræ novem acceptæ ab Episcopo Pergamensi pro Feudo de Suardis.*

Signum manus istius Gilberti, qui hanc libelli chartam, ut supra, fieri rogavit.

Ego Vuifredus EX MANDATO DOMINI MEI GALDINI, MEDIOLANENSIS ARCHIEPISCOPI *pro eo subscripsi.*

Signum manuum Gaspari & Churadi, qui dicuntur Menclocii: Bariani de Pusterla, Guidrici de Ugiono, Arderici Spatæ: Testium.

Ibique statim præsentibus ipsis Testibus dedit guadiam ipse Gilbertus eidem Domno Abbati ad partem prædicti Monasterii, quod a modo in antea omni tempore stare debet ei in defensione de istis omnibus rebus, quas superius legimus, in integrum ab omni contradicente persona, jure & ratione, ut venditor emptori. Et de hoc adimplendo posuit ei exinde fidejussorem Guidonem, filium quondam item Guidonis de Melegnano, de ista Civitate: qui exinde fidejussit de omnibus illis discordiis, quæ infra annos quinque apparuerint omni tempore, in pœnam dupli,

Ego Ambrosius, qui dicor de Capite muri, Notarius Sacri Palatii, tradidi & scripsi.

Hactenus publicum ejusmodi Documentum.

DXXIII. Favente autem Deo Superisque, tam fæliciter & ad voluntatem nobis hoc fluit, quod de Sancti nominatim *Ambrosii* Corpore apud nos adhuc tumulato confirmare intendimus, ut Anno item juxta nostram e Dominica Nativitate supputationem septuagesimo tertio, sed ab Incarnatione septuagesimo secundo, tale nobis ex Archivo suppetat publicum & archetypum Testimonium, a Consulibus *Mediolani* pronunciatum: in quo etiam diversam computandæ Indictionis rationem ab ipsis servatam dignoscere nobis licebit. Illud enim sic se habet:

Die Martis, nono Kalendas Martii. IN CONSULATU MEDIOLANENSI SENTENTIAM PROTULIT GUERTIUS JUDEX, CONSUL MEDIOLANI, ET CUM EO PETRUS VICECOMES, ET JOHANNES DE BUSINATE, ET ALBERTUS, QUI DICITUR DE CARATE, SOCII EJUS, *de discordia, quæ erat inter* DOMNUM AMIZONEM, ABBATEM MONASTERII SANCTI AMBROSII, UBI EJUS SANCTUM REQUIESCIT CORPUS, *nomine ipsius Monasterii per suum Missum, Domnum Guifredum, Monachum & Diaconum ipsius Monasterii: & ex altera parte Mancafaxam & Asclerium fratres, qui dicuntur de Concorezo, de Civitate Mediolani. Lis talis erat. Postulabat Abbas, quatenus isti germani, vel eorum massarii, præstarent sibi singulis annis trigesimam sextam partem illius albergariæ, quam ipse Abbas annuatim habere debet, decem & octo hominibus, & decem & octo equis, & coco, & gastaldio suo, super novem mansis rejacentibus in territorio de Loco* COLOGNIA, *ex quibus novem mansis isti fratres quartam partem unius mansi possidere videntur: asserens, præfatos novem mansos a suis Antecessoribus per feudum* VASSALLIS IPSIUS MONASTERII *fuisse eo tenore datos, ut eorum possessores ipsam albergariam ut supra legitur, singulis annis Abbati ejusdem Monasterii præberent: ipsosque Abbates, qui pro tempore in ipso Monasterio fuerunt, prædictam albergariam, tam super quartam partem prædicti mansi, quam super alios mansos sæpenumero habuisse. E contra prædicti germani se aliquam partem istæ albergariæ pro quarta parte prædicti mansi præstare*

stare recusabant: allegantes, licet forte eorum massarii aliquam partem præfatæ albergariæ præstitissent; non pro sua terra eos præstitisse dicebant. Et super his Abbate postulante, ipsi germani publicum Instrumentum ostenderunt: in quo continebatur, auctorem suum, ut dicebant, a quodam Gunzone, filio Pagani, prædictam quartam partem mansi emisse, & juris Sancti Ambrosii esse. Quare Abbas dicebat, fore verisimile, se partem albergariæ in ea quarta mansi habere; cum pro aliis mansis, qui fuerunt DE IPSIUS MONASTERII VASSALLIS, *ipsa albergaria procul dubio præstatur. Et insuper Abbas Testes super præstatione albergariæ ex ipsa quarta mansi datæ produxit: qui una cum isto Instrumento* CONSULIBUS *fidem fecerunt. His & aliis auditis, prædictus Guertius ipsos fratres, vel eorum massarios, ipsam quartam partem mansi colentes, ad præstationem trigesimæ sextæ partis sæpe dictæ albergariæ pro ista quarta parte mansi Abbati condempnavit, connumerato coco in istis decem & octo hominibus .... si præfatus Abbas per suum Advocatum juraverit, quod trigesimam sextam partem in ista quarta parte mansi nomine isti Monasterii habet. Altera die sacramentum Abbati ipsi fratres remiserunt; & sic finita est Causa. Anno Dominicæ Incarnationis Millesimo centesimo septuagesimo secundo, isto die, Indictione secunda. Interfuerunt Guifredus Corbus, Oltachinus de Cruce, Petrus de Marliano, Heriprandus Judex de Servitoribus, Buffalardus Guarnerius de Carate, & Cigniamaccus.*

Ego Guertius Judex prædictam sententiam dedi, & subscripsi.

Ego Girardus Causidicus, qui dicor Pistus, subscripsi.

Ego Croto, subscripsi.

Ego Ugo, qui dicor de Castegnianega, Sacri Palatii Notarius, subscripsi.

Ego Rogerius Bonafides, Judex, ac Missus Domni Secundi Chunradi Regis, scripsi.

DXXIV. Pro construendis *Mediolani* muris pecuniam per Imperatorem quoque *Constantinopolitanum* suppeditatam fuisse, partim etiam promissam, nos jam diximus Nu. 506. ibique nos in eandem sententiam nonnihil postmodum *Gualuaneo Flamma* producturos pollicebamur. Sic etiam Nu. 516. in Portæ *Romanæ* fronte peculiarem quandam hominis effigiem saxo exsculptam conspici præmonebamus, de qua nobis item postea differendum esset. Nunc igitur isthæc tandem ambo exequimur. Effigies vero illa, quamoptime pariter a nobis e proximo conspecta, hunc prorsus in modum se habet. Nudo capite illa est, at satis capillato; sicut etiam genis ac mento prolixa circum barba convestitis. Palliolum ex humeris, antrorsum hinc inde sine flexu aliquo pendulum, gestat. Sedet autem, sed cruribus ad genua in modum crucis complicatis. Medium ipsis etiam cruribus subest monstrum, faciem referens aliquatenus humanæ similem, sed torvi re vera horrendique serpentis, os habentis minaciter adapertum, truncas aures, squamosum pectus, alatum tergum, caudam *Sirenis* instar in duas hinc inde fissam partes, in altum ita inflexas, ut earum summitati pedes hominis ejus innitantur. Hic idem homo sceptrum ex ipso similiter lapide efformatum dextra gestabat manu: sed hoc illi e parte superiori excussum est (certaque durant excussionis indicia in eodem ipso lapide, ubi pars illa fuit effracta) cum alioqui pars inferior, manu comprehensa, in hodiernum usque diem quamoptime discernatur. Talis est igitur lapidea ejus hominis imago. Cujusnam vero sit hominis: hoc opus, hic labor: atque duas hac de re opiniones nos adhuc invenimus.

DXXV. *Paulus Jovius* in Elogiis Virorum bellica virtute illustrium, sub effigie *Friderici* Primi Imperatoris, effigiem hanc nostram non alterius, quam ejusdem *Friderici* esse censuit his verbis: *Effigiem Ænobarbi Cæsaris Mediolanenses, in eversam Patriam remigrantes, marmoreo in arcu supra Romanam Portam sculpserunt, dracone stantis cruribus involuto; ut virosi dirique hominis simulachrum perpetuo spectaretur. Ad eundem quoque oris & barbæ habitum altera ipsius effigies plurimum arridet, quæ in aurea bulla scite expressa, appensaque membranis Privilegiorum Pisanæ Civitatis conspicitur: ea fide collata, ut tertiam quoque ejus statuam ad Volturni pontem proximo Lotrechii bello base dejectam viderimus; cum sumptuosissimi operis turritus pons a Friderico Juniore, hujus Aenobarbi nepote, Suevæ Gentis Regum imaginibus ornaretur.* Talia *Jovius*, & satis probabiliter.

DXXVI. Vide autem, quam longe aliter *Gualuaneus Flamma* senserit. Siquidem in Chronico Majori Cap. 291. descripto *Mediolanensium* reditu ad Urbem, sic inquit: *Mittentes Legatos in Constantinopolim, ad Emmanuelem Imperatorem direxerunt, qui eos adjuvaret. Qui dedit eis magnos thesauros, & promisit etiam dare majores. Imperatrix, dicta Leobissa, tristis de thesauris datis, & tristior de promissis, malitiose volens hoc impedire; vocavit Ambasciatores de Mediolano, & ait illis: Ego scio cor Imperatoris. Ipse enim desiderat, quod super Portam Civitatis fiat imago lapidea, tenens crura in modum crucis. Hoc audito, Ambasciatores domum redeuntes ita fecerunt in Porta Romana: & cum crederent se benefacere, pessime fecerunt; quia Imperator illius imagines effigiem, quæ fuerat in quadam Ecclesia, dirui in Constantinopoli fecerat. Hæc Chronica Pauli de la Sala.* Tali siquidem in hoc utebatur *Gualuaneus* Auctore. Rursus autem Cap. 293. sic addit: *Isto Anno, videlicet Millesimo centesimo septuagesimo tertio, Cives de Mediolano iterum in Constantinopolim miserunt ad Emmanuelem Imperatorem, narrantes, quomodo Portas Civitatis & Turres construxerant: addentes, quod, ad ejus memoriam perpetuam, imaginem lapideam, tenentem crura in modum Crucis, fabricaverant. Quo audito, credens, quod despective factum fuit; turpiter eos expulit. Intelligentes Ambasciatores Imperatricis Leobissæ insidias; in ejus vituperium imaginem lapideam fabricari jusserunt; quæ tenens manu monaclam* (hoc est, forficem) *tonderet sibi membra generationi deservientia. Quæ a tali tonsione* PORTA TONSA *dicta est.* Talia *Gualuaneus*. Quibus quidem similia item narrat in *Ambrosianæ* Bibliothecæ Codice, Cap. 892. & 893. nec non etiam innuit in Manipulo florum Cap. 203. sicut & Auctor Chronici *Flos florum* fol. 149. pag. 2.

DXXVII. *Gaspar Bugatus* in Tertio suæ Historiæ Universalis Libro muliebrem hanc imaginem affirmat suo etiam tempore supra Portam Tonsam constitisse: atqui non in *Leobissæ* Imperatricis contemptum eam ibi fuisse collacatam, sed in honorem cujusdam Meretricis, quæ actionem illam nuda palam ex alta domus suæ specula eo de industria consilio exercuerit, ut *Theutonicos*, eam Urbis partem, tunc forte defensoribus destitutam, impetu validissimo aggressuros, paululum remoraretur, quoadusque defensores accurrerent. *Al quale spettaculo rimirando inimici* (verba sunt ejusdem Bugati) *con grande spasso & riso; tanto in ciò si trattennero, che giunse soccorso alla Porta, e furon forzati li Alemani à ritirarsi. Dall' hora in poi quella Pusterla i é chiamata, & anchor' si chiama* PORTA TOSA: *sopra la quale hoggi ancora vi si vede quella statua.* Suam vero hanc Historiam *Bugatus* ipse vivens typis primum edidit Anno supra Millesimum quingentesimum septuagesimum primo. Illud autem Meretricis facinus in Annum conjicit sexagesimum supra Millesimum centesimum: quo videlicet Anno *Ænobarbus Mediolanum* prima vice obsideret: quod alioqui re vera non eo Anno, sed biennio ante (sicut etiam nos abunde jam supra meminimus) obsedit prima vice, obsessumque sibi subegit.

DXXVIII. Quod quidem attinet ad TONSÆ cognomentum ei Pusterlæ inditum: nos istud eo arbitramur vetustius fuisse tempore, quo muliebris ea effigies ibi collocata dicebatur non a *Gualuaneo* tantum, sed a *Bugato* etiam; tametsi *Gualuaneum* certius erroris convictum teneamus hoc argumento, quod ex *Otthonis Morenæ* Historia depromimus. Hic siquidem *Ottho* jam obierat circiter initium Anni supra centesimum Millesimum sexagesimi secundi; sicut ex eo colligi potest, quod nos Num. 434. una cum *Acerbo* ejus filio meminimus. Et tamen in Annum superiorem quinquagesimum octavum, quo primitus *Mediolanum Ænobarbus* a sexta mensis Augusti die obsidebat, sic etiam inter ea, quæ post paucos inde dies gesta fuerunt, jam scripserat: *Post ea alio die quodam Mediolanenses* PER PUSTERLAM, QUÆ DICITUR PORTA TONSA (ecce, quamadmodum jam tum communiter ita dicebatur, neque tunc cognomen istud recenter introductum videtur) *ad præliandum exierunt. Quibus Theutonici una cum Cremonensibus & Laudensibus obviam iverunt. Maximo igitur prælio incæpto, multisque ab utraque parte interfectis, pluribusque etiam captis, tandem Mediolanenses, resistere non valentes, terga verterunt. Super quos Theutonici & Cremonenses atque Laudenses acriter irruentes, magnamque multitudinem ipsorum capientes, magno robore* USQUE INTRA DICTAM PUSTERLAM DE PORTA TONSA *omnes reliquos fugaverunt. Plerique etiam ex ipsis etiam ultra Fossatum intus per ipsam Portam pugnando maxima vi intravere; sed ibi stare non valentes, foras redierunt. Mediolanenses itaque tunc fugientes, cum præ multitudine fugientium per ipsam Portam redire non possent; ipsorum plurimi in Fossatum ab utraque parte pontis, uno super alium cadente, præcipitaverunt; quorum plures, in aquam ipsius Fossati usque ad còlla repentes, ab his, qui supra ipsum Fossatum erant, adjuvabantur, & intro trahebantur.* Talis utique fuit pugna inter *Theutonicos* & *Mediolanenses* ad Portam Tonsam tempore illius obsidionis commissa. Quam exscribendo fusius narrare placuit hanc quoque ob causam: ut apertius intelligeretur, quemadmodum etiam extra illam Portam Fossatum esset Urbi circumfossum; sicut & Num. 53. de Porta *Ticinensi* ex eodem *Morena* tradebamus.

DXXIX. Certe tamen veraciter *Bugatus* asserebat, lapideam illam Mulieris effigiem suo quoque tempore supra Portam Tonsam, Portæ *Romanæ* Pusterlam, extitisse. Quid si vero nos insuper jam ostendamus, ubinam hoc tempore illa extet, quin etiam quomodo & quando inde fuerit illuc translata? Celeberrima *Mediolani* hodieque claret *Archintorum* familia. Mentionem ipsius nos etiam fecimus Num. 374. recitato illic *Manfredi Archinti* Epitaphio, quo suburbanum *Charævallis* Monasterium gloriatur. Qui vero plura voluerit, *Philippi* legat *Archinti Mediolanensis* Archiepiscopi Vitam primo Libri primi Capite: quam, duobus distinctam Libris, Italice recensuit *Joannes Petrus Glussianus*, *Mediolanensis* Patritius, typisque *Comensibus* Anno Millesimo sexcentesimo undecimo edidit. Ex eadem familia notissimus est hodieque totaque passim Urbe commendatus *Comes Octavius*, prudentia humanitate morumque integritate perinsignis, sed colligendorum etiam venerandæ Vetustatis Monumentorum studiosissimus, nec irrito sane studio. Tam multa siquidem adhuc collegit, & in amplissima sua intra Portæ Novæ fines domo circumquaque ita disposuit, ut antiquæ simul Eruditionis ea domicilium ac Musæum videatur. Illic ergo talem nosmetipsi effigiem hoc ipso mane conspeximus. Marmorea est Tabula, parieti sic insita, ut ab utroque latere spectabilis sit. Latus illud ad curiam obversum, & omnibus portam ingredientibus palam expositum, *Romanam* pariter ac vetustissimam exhibet hanc Inscriptionem, ab una parte mancam:

P. TUTILIUS P.F. C............
VETERANUS SIG...............
AQUILIFER LEG................
CURATOR VET.................
ACCEPIT AB IMPE............
PRÆMIA DUP....................
NATUS EST A HIRTIO
VIBIO. PANSA. COS. DI....
C.FUFIO GEMINO. L. RU.
GEMINO. COS. SI....
P. ATECINGI. F.
DEMINCÆ.
ANDOBLATONI P. F.
GNATÆ P. F.
T . F

Alterum vero latus a publico sepositum est conspectu, & interioribus cellæ penariæ post culinæ tergum sitæ respondet, solisque conspicuum est illuc ingressis. Hic ergo effigies illa visitur nuda; sed situ præpostero, sive capite ad terram verso, pedibus autem in altum sublatis. Etenim situs Inscriptioni directus, ei est imagini inversus: quive imagini directus esset, vicissim etiam Inscriptioni esset inversus. Credibile profecto nonnullis visum est, eam Tabulam Inscriptioni primum illi deservisse, deinde autem imaginem inde illam in altero latere fuisse scalptam. Certe quidem directo situ in fronte illius Portæ collocata mansit. Sed quoniam obscænum aspectu hoc Sancto Cardinali & Archiepiscopo nostro *Carolo Borromæo* videbatur; propterea etiam Proceres Urbis, ad quos ea cura spectabat, rogavit, ut eam inde figuram detrahi juberent. Vix autem illi annuerant; cum Regius Extraordinarii Magistratus Quæstor *Horatius Archintus*, *Comitis Octavii* genitor (quem singularis pariter morum sanctitas, teste *Glussiano*, commendabat non absimili colligendorum Vetustatis Monumentorum studio eam sibi obtinuit, suasque transtulit in ædes. Sic enim *Comes* ipse *Octavius* quæsitissima illa sua & admirabili comitate nobis semel ac iterum e Patris sui ore asseveranter & quam optime memor narravit. Hæc autem cum ita se habuerint; nos quidem non ita difficulter concedemus, TONSÆ cognomentum ei Portæ inditum fuisse ab ea Mulieris imagine, sive ab aliqua ejusmodi Muliere, quam illa vel ad ludibrium vel ad decus insignite repræsentaret. Hoc interim negamus, quod *Gualuaneus* & *Bugatus* affirmabant: scilicet ex eo tantum fuisse inditum tempore, quod illi eorumque affectatores assignarunt.

DXXX. Eodem sæculi hujus Anno septuagesimo tertio *Cantuariensem* Archiepiscopum *Thomam*, *Cisterciensibus* connumeratum, superiore Anno septuagesimo a regiis necatum satellitibus, jamque miraculis clarissimum, *Alexander* Pontifex Sanctorum Martyrum Catalogo adscripsit. *In die namque Purificationis Beatæ Mariæ* (sive secunda Februarii die: verbaque sunt ex ejusdem *Alexandri* Papæ Actis apud *Baronium* Art. 5. deprompta) *convocatis Episcopis & Abbatibus Campaniæ* APUD SIGNIAM, *ad honorem ipsius specialiter Missarum Solemnia celebravit, & Passionis ejusdem quarto Kalendas Januarii memoriam perpetuo agi debere constituit.* Deinde vero ab Urbe *Signia* sese contulit *Anagniam*; sicut etiam *Sigonius* in hunc ipsum Annum bene observavit.

DXXXI. Variæ inter hujus Basilicæ Monachos & Canonicos controversiæ, antehac diu agitatæ, *Milonis*, e Metropolitanæ *Modiolani* Basilicæ Archipresbytero Episcopo *Taurinensis*, judicio nobis discussæ videntur eodem hoc Anno, aut saltem non multo ante; cum *Amizoni* Abbati necdum Abbas successit *Joannes de Arzago*; cumque *Satrapus* (ali-

(aliter *Satropus*) esset hujus Canonicæ Præpositus. Et hæc quidem satis aperte dignoscentur e publicis duabus Tabulis, quas Anno sequenti proferemus, ac præsertim e secunda.

A.C. 1174. DXXXII. Sanctum *Bernardum*, primum Abbatem *Clarævallensem*, nostrisque *Mediolanensibus* addictissimum, ab *Alexandro* Papa Tertio Sanctis adscriptum fuisse, communis est Scriptorum sententia. Sed quoto fuerit adscriptus Anno, anceps nobis opinio videtur. *Baronius* in Martyrologii *Romani* Annotationibus ad vigesimam mensis Augusti diem sic de ipso docet: *Migravit ex hac vita Anno a Christo Domino Millesimo centesimo quinquagesimo tertio. Quem Alexander Papa Tertius inter Sanctos censuit adnumerandum. Extant de ea re Litteræ Apostolicæ, datæ Agnaniæ decimo quinto Kalendas Februarii, anno sexto Pontificatus ejus, Christi autem Millesimo centesimo sexagesimo quinto.* Et hac quidem in re *Baronio* consentit etiam in Chronico *Cisterciensi Aubertus Miræus*. Ex adverso tamen *Alexander* Pontifex prædicto Anno ac die decimo quinto Kalendas Februarii certe quidem *Anagniæ* non fuit. Hæc utique *Latii* est Civitas, ab Urbe *Roma* distans septem ac triginta mille passus, ut in Lexico Geographico bene tradit *Philippus Ferrarius*. Ex ipsomet autem *Baronio* in Annalibus, ad eum ipsum Annum Art. XI. manifeste constat, *Alexandrum* eo Anno non ante Dominicæ Resurrectionis Pascha *Senonis* in *Gallia* (in quam triennio ante profugus & exul sese receperat) celebratum discessisse inde *Romam* versus, quemadmodum etiam nos Num. 478. cursim narrabamus. Non igitur eo illius Anni mense Litteras illas *Anagniæ* dare potuit *Alexander*: quas tamen ibi dare potuit Anno, quem nos recenter attigimus, septuagesimo quarto. Sic enim mox ex altero ipsius Diplomate, post paucos inde dies ibi dato, & a nobis recitando, constabit. Præterea vero etiam *Sigonius* Anno superiore *Alexandrum* ab Urbe *Signia* illuc venisse circiter initium mensis Octobris vere tradiderat. Merito itaque, sibique saltem bene constans idem *Sigonius* Anno postero, sive Millesimo isto centesimo septuagesimo quarto, subtexuit: *Alexander Bernardum Abbatem Claravallensem, Monachorum Claravallensium precibus fatigatus, ac Bernardi sanctitatis pia recordatione compulsus, in numerum Sanctorum ascripsit. Atque hac de re Litteras Anagnia decimo quinto Kalendas Februarias dedit ad Proceres Gallicanæ Ecclesiæ, Regem Franciæ, Abbates Cisterciensis Ordinis & Claravallensis: quæ extant.* Quidni vero pariter istas credamus ab ipso conspectas nec in iis deprehensum fuisse non modo sextum illum Pontificatus annum, quem *Baronius* nominabat, sed ne alterum quidem ullum? Sic enim nos etiam mox videbimus in altero Pontificis ejusdem Diplomate illic dato decima sequentis Februarii die. Teste itaque *Sigonio Alexander* in hunc usque distulit Annum Sancti hujus Abbatis Canonizationem, de qua sexagesimo tertio superiore Anno rogatus jam fuerat; sicut idemmet *Sigonius* eodem illo Anno affirmaverat his verbis: *Alexander, Parisios profectus, Concilium Turonum in Pentecosten indixit. Rogatusque a multis, ut Bernardum Claravallensem in proximo Concilio in numerum Sanctorum referret; eorum se voluntati obsecuturum ostendit. Verum litteris aliorum, eandem rem in aliis Provinciis celebrari postulantium, obrutus: cum videret, omnium, se studiis servire non posse; rem in aliud tempus distulit*; videlicet in hunc, quem diximus, Annum septuagesimum quartum. Tam vero hæc, quam superiora, *Sigonius* deprompsit ex *Alexandri* Litteris hac de re ad Prælatos Ecclesiæ Gallicanæ datis. Hæ siquidem, sicut & aliæ hujus argumenti Litteræ ad alios datæ (quæ numero sunt quatuor) habentur in extremo Vitæ Sancti *Bernardi*, quam *Gulielmus* Abbas incœpit, quamve deinde *Bernardus* alter Abbas absolvit, quæve Sancti ejusdem *Bernardi* Libris adjecta circumfertur. ad eos vero prælatos *Alexander* inter cetera sic scribebat: *Contigit olim, dum essemus Parisiis constituti, ut magni quidam ac Venerabiles Viri de canonizando sanctæ recordationis Bernardo, quondam ClaræVallensi Abbato, facerent mentionem: optantes utique, & piis nobis precibus suggerentes, ut in Concilio, quod de proximo erat Turonis celebrandum, digno huic & laudabili voto celerem daremus effectum. Cumque nos eidem negotio favorabili satis intenderemus affectu; supervenit multitudo & frequentia petitorum, qui in diversis Provinciis rem similem postulabant. Unde, cum videremus, non posse congruenter omnibus satisfieri; statutum fuit, pro scandalo devitando, etiam in hoc differri, quod oportebat pro tempore cæteris denegari. Nuper autem ex instantia & devotione ClaræVallis Fratrum & aliarum sublimium Personarum eisdem apud nos precibus innovatis, reduximus ad memoriam nostram ejusdem Beati Viri sanctam ac venerabilem vitam* &c. Ceterum iisdem quatuor ibidem Litteris præmissa cernitur hæc inscriptio: *Canonizatio Sancti Bernardi Abbatis per Alexandrum Papam Tertium, Anno Christi Millesimo centesimo sexagesimo quarto:* cujus quidem Anni supputatio si forte ab Incarnatione Domini ducta est; in prædictam *Baronii* sententiam sine dubio recidit. Et eæ tamen omnes ac singulæ Litteræ simpliciter ac sine alio addito datæ dicuntur *Anagniæ decimo quinto Kalendas Februarii*. Itaque cum sextus ille Pontificatus *Alexandri* annus, tum etiam quartus hic aut quintus & sexagesimus *Christi* supra Millesimum centesimum Annus, merum sunt aliorum Scriptorum additamentum: quod argumento superiore satis ex æquo superque confutatur. Non enim tunc temporis *Alexander Anagniæ* fuit; uti jam diximus. Sed ecce nunc alterum item argumentum, ex ea desumptum Epistola, quam super ejusmodi Canonizatione *Alexander* ad *ClaræVallenses* similiter *Anagniæ decimo quinto Kalendas Februarii* tunc dedit. Ea quippe sic incipit: ALEXANDER EPISCOPUS, *Servus Servorum Dei, Dilectis Filiis* GERARDO ABBATI, ET UNIVERSO CONVENTUI CLARÆVALLIS, *Salutem & Apostolicam Benedictionem*. Tunc itaque *ClaræVallensis* jam erat Abbas nomine GERARDUS: id quod *Claudius* etiam *Robertus* in Abbatiarum *Galliæ* Nomenclatura erudite observavit, cum *ClaræVallenses* Abbates recenseret. Sicut autem Sanctus *Bernardus* fuerat primus Abbas; sic etiam sextus absque dubio fuit hic GERARDUS, & quidem *Pontio* suffectus. *Pontium* vero idem *Claudius Robertus* ibidem tradit ad hanc promotum fuisse Abbatiam Millesimo centesimo sexagesimo octavo *Christi* Anno. Quocirca quarto illo aut quinto *Christi* Anno supra Millesimum centesimum sexagesimum ne *ClaræVallensis* quidem Abbas adhuc erat GERARDUS, cui *Alexander* de peracta ejusmodi Canonizatione Litteras illas dare protinus potuerit. Idem porro *Claudius Robertus Pontium* illum Abbatem numero Quintum affirmat creatum postea fuisse *Claromontensem* Episcopum: atque illum in eorum Episcoporum Catalogo Quinquagesimum nonum enumerans, Millesimo centesimo septuagesimo *Christi* Anno creatum asserit, atque *Baronii* etiam testimonio confirmat: quin etiam ejus Urbis Episcopum tertio quarto & quinto inde Anno in aliquot publicis Documentis nominatum addit. Quocirca sic etiam nihil vetat, quo minus eo septuagesimo quarto Anno GERARDUS item *ClaræVallensis* re vera esset Abbas. Attende vero insuper, quemadmodum hoc idem nobis ex altero confirmetur *ClaræVallensium* Abbatum Catalogo, quem *Chrysostomus Henriquez* in Fasciculo Sanctorum Ordinis *Cisterciensis*, Libro I. Distinctione 4. Capite 50. produxit e Codice *Dunensis* Cœ-

Cœnobii manuſcripto. In hoc enim Catalogo poſt Sanctum *Bernardum*, primum Abbatem, atque quinquageſimo tertio Sæculi hujus Anno defunctum, ſecundo mox Abbati Beato *Roberto*, in eo regimine tres cum dimidio adſcribuntur anni: tum tertio, Beato *Faſtredo* (aliter *Faſtrado*, vel *Vaſtrado*) ſex anni: de hinc quarto, *Gaufrido*, anni quatuor: quinto autem, Beato *Pontio*, anni quinque: ſexto vero, Beato *Gerardo*, anni ſex. Quocirca, deducta hinc itidem calculatione, Beatum *Gerardum* invenimus ad *Claraevallenſis* Abbatiæ regimen fuiſſe promotum Anno circiter ſeptuageſimo primo, non autem ante non modo ſexageſimum quartum, aut ſexageſimum quintum Annum, ſed ne ante ſeptuageſimum quidem. Talibus ergo nos argumentis adacti, *Sigonianam* potius ſupputationem de Sancti *Bernardi* Canonizatione conſectati ſumus. Quod autem obiter dictum ſit: ejuſdem Beati *Gerardi* Vitam *Henriquez* idem prolixe deſcripſit in prædicti Sanctorum Faſciculi Lib. 2. Diſtinctione 35. ſummatim vero in Menologio *Ciſtercienſi* ſub die ſeptima Decembris. Jam vero Pontificium illud alterum *Alexandri* Diploma inſpiciamus, quod ſequenti menſe ſimiliter *Anagniæ* datum, & a nobis hoc loco recitandum innuebamus.

DXXXIII. Authenticum Diploma nos habemus, quo Pontifex ipſe *Alexander* prædictum *Milonis* Epiſcopi *Taurinenſis* judicium ac Sententiam comprobavit. Illud vero menſem ſolummodo ac diem locumque continet adnotatos, quibus datum fuit. Sed nihilominus partim ex ipſo, partim etiam aliunde nobis videmur certum præterea ejus Annum inveſtigaſſe, videlicet hujus item Sæculi ſeptuageſimum quartum. Sicut enim ex hoc Diplomate conſtat, *Joannes* ipſe Monaſterii hujus *Ambroſiani* novus jam erat Abbas, poſt *Amizonem* abſque dubio creatus; & tamen *Amizonem* ſuperiori etiam Anno vigeſima prima Februarii die Abbatem adhuc videbamus. Præterea vero etiam Pontifex ipſe Diploma iſtud dedit, cum *Anagniæ* jam eſſet; & tamen quarto Idus Martias ejuſdem Anni ſeptuageſimi tertii morabatur adhuc *Signiæ*; ac *Baronius* proinde Art. 6. & 7. binas ipſius recitat Epiſtolas eo die ibi datas. Quocirca nonniſi poſt ejuſmodi tempus *Alexander* hoc Diploma dedit. Cum autem iſtud quarto Idus Februarii dederit; certe, non ſuperioris Anni, ſed præſentis ſeptuageſimi quarti Februario menſe iſtud dedit. Ex altera ſiquidem parte Documentum alterum poſtea proferemus, eodem hoc Anno ac decimo Aprilis die confectum, poſteaquam Diploma iſtud jam datum fuiſſet. His igitur ita præmunitis, ad ipſummet Diploma veniamus: indeque ſimul etiam intelligamus, qualem Sententiam *Milo* jam ante protuliſſet. Illud enim ſic ſe habet:

ALEXANDER EPISCOPUS, *Servus Servorum Dei*, DILECTIS FILIIS, JOHANNI ABBATI, ET MONACHIS SANCTI AMBROSII MEDIOLANENSIS, *Salutem*, *& Apoſtolicam Benedictionem. Significante nobis Venerabili Fratre noſtro M.* (*Milone*) TAURINENSI EPISCOPO, *manifeſtius intelleximus, quod, cum inter vos &* DILECTOS FILIOS NOSTROS, *S.* (Satrapum) PRÆPOSITUM ET CANONICOS ECCLESIÆ VESTRÆ *ſuper diverſis & variis capitulis diutina quæſtio agitata fuiſſet, tandem utraque pars ſuper eadem quæſtione ipſius Epiſcopi ſe commiſit arbitrio, hinc inde præſtito juramento, quod Pactionem illam tam vos quam prædicti Canonici inviolabiliter ſervaretis, quam idem Epiſcopus de Sapientum conſilio traderet vobis, in ſcriptis redactam. Unde prædictus Epiſcopus, prudentium Virorum tam Clericorum quam Laycorum communicato conſilio*, DE MANDATO VENERABILIS FRATRIS NOSTRI *G.* (*Galdini*) MEDIOLANENSIS ARCHIEPISCOPI, APOSTOLICÆ SEDIS LEGATI, *inter vos & jamdictos Canonicos Tranſactionem ſuper ipſis capitulis fecit: quam de verbo ad verbum ad memoriam futurorum duximus exprimendam:* IN NOMINE DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI AMEN. *Præcipimus, ut Concordia, ſive Pactum, quod* DOMINUS ROBALDUS, BONÆ MEMORIÆ ARCHIEPISCOPUS, *compoſuit* INTER ABBATEM GUIFREDUM ET MONACHOS COENOBII SANCTI AMBROSII, *& ex altera parte* MARTINUM PRÆPOSITUM ET CANONICOS EJUSDEM BEATISSIMI CONFESSORIS AMBROSII, *per omnia, ſicut ſcriptum eſt, firmum & illibatum perpetuo inter eos permaneat, nulla quæſtione de cætero movenda; quod poſt rem judicatam factum fuiſſet. Et amplius præcipimus ut Cimiteria, quæ ſunt eidem Eccleſiæ verſus Aquilonem* USQUE AD SANCTUM VITALEM, *vel in Clauſtro Canonicorum, aut* ANTE SANCTAM MARIAM, QUÆ DICITUR GRÆCA, *omnifariam ſint Canonicorum abſque impedimento ſeu contradictione Abbatis vel Monachorum: ea vero, quæ ſunt ejuſdem Eccleſiæ verſus Meridiem, ſint Abbatis & Monachorum in ſolidum, ſive ſint in Clauſtro ſive extra Clauſtrum, ſine contradictione vel impedimento Præpoſiti & Canonicorum. Illud vero Cimiterium, quod eſt ante jam dictam Eccleſiam verſus Occidentem inter utramque portam circumſceptum muris, ubi dicitur* IN CORTINA, *ita diſtinguimus, ut Monachi habeant in omne magiſterium & amminiſtrationem & omne Officium divinum in exequiis unius mortui, undecumque fuerit; alterius vero funeris omne magiſterium & amminiſtrationem & omne divinum Officium in exequiis mortuorum Canonici habeant; eo tamen ſalvo, ut, ſi Abbas præſens fuerit, ad eum pertineat Orationem, ſcilicet* OBSECRAMUS *dicere, & Euangelium cui vult legendum committere. Præpoſitus vero, ſi præſens eſt & Sacerdos eſt, debet Aquam benedictam dare, & hanc Orationem* TIBI DOMINE COMMENDAMUS *dicere. Quod ſi Sacerdos non eſt, aut præſens non eſt; Abbas etiam illam Orationem dicat, & Aquam benedictam faciat. Hæc autem locum habeant, cum nec Dominus Archiepiſcopus, nec Ordinarii, ſeu Presbyterium affuerint; eo tamen ſalvo, ut ad Canonicos dumtaxat pertineat jus & poteſtas in ante dicto toto Cimiterio, quod dicitur* CORTINA, *& dandi & aſſignandi ſepulturas, undecumque ſit funerandus. Et in obſequio illius funeris, cujus magiſterium debet ad Canonicos pertinere, cum Abbas præſens fuerit, in electione Canonicorum ſit, utrum velint Abbati ſuum Librum offerre; an velint, Abbatem proprium Librum habere. Hoſpitale vero, quod ad jus omne Parochiæ & funeris Abbati & Monachis attribuimus; ita ut liceat Monachis ſepelire eos tam in Cortina quam extra, libere; in ſepulturis tamen jam olim Hoſpitali conſignatis.* DOMUM AUTEM LABORIS *quoad jura Parochiæ Canonicis in integrum aſſignamus (ita tamen, ut jus funerandi ad Abbatem & Monachos tantum pertineat; eo excepto, ut Reſponſoria & Paſſio a Canonicis dicantur. In Cimiterio vero, quod eſt extra Cortinam verſus Occidentem, idem jus ſervetur, quod dictum eſt de Cimiterio Cortinæ. Item dicimus, ut Præpoſitus, ſeu Canonici, vel eorum Succeſſores, de fructibus, ſeu oblationibus, de aliis rebus, quas dicebant ex parte Monachorum ſibi oblatas eſſe, nullam de cætero moveant quæſtionem. Præterea dicimus, ut Abbas & Monachi eligant unum ex Canonicis, quem voluerint, qui bona fide oblationes communes per dimidium annum colligat, & eas inter Monachos & Canonicos bona fide & æqualiter dividat. Deinde Præpoſitus & Canonici eligant unum ex Monachis, quem voluerint, qui per alium dimidium anni ſimiliter faciat. Et ita deinceps obſervetur per ſingulos annos. Item dicimus, ut ſi quis Canonicorum, ſive Converſus, vel Converſa, vel aliquis de familia eorum, ſepeliendus ſit; omne*

omne magisterium pertineat ad Canonicos. Idem e converso dicimus de Monachis. Et ut hæc omnia supra dicta perpetuo observentur & firma teneantur, dicimus, ut omnia Instrumenta, & Sententiæ, & Privilegia, seu Conventiones, quæ antecedunt hanc Transactionem, quatinus contra hanc Conventionem faciunt, irrita sint, & viribus careant. Præterea præcepimus præfato Abbati, ut pro.......... pacis centum quinquaginta libras de denariis novæ monetæ jam dicto Præposito & ejus Fratribus infra triginta dies post hujus Transactionis Confirmationem daret. Nihilominus etiam Pactum, sive Concordiam, quam piæ memoriæ Robaldus Mediolanensis Archiepiscopus inter vos & jam dictos Canonicos super præfatis capitulis fecisse dinoscitur, præsenti pagina annotamus. IN NOMINE SANCTÆ ET INDIVIDUÆ TRINITATIS. *Omnium, maxime autem spiritualium est Potestatum, vi Filiis suis paterno providentes affectu:* & reliqua verbatim, prout a nobis jam recitata fuerunt Num. 398. ad ea scilicet usque verba: *Data est hæc Sententia Pactionis Anno Dominicæ Incarnationis Millesimo centesimo quadragesimo quarto, in Palatio Mediolanensi, mense Novembris, Indictione octava.* Post ista siquidem verba protinus *Alexander* Pontifex sic e suo prosequitur: *Ne igitur præscripta Transactio per supra dictum Episcopum, aut Concordia per eundem Robaldum Archiepiscopum facta, temeritate qualibet rescindi valeat, vel turbari; præscriptam Transactionem & Concordiam, sicut superius annotata est, & in Scripto authentico continetur, ratam habemus & firmam; eamque auctoritate Apostolica confirmantes, præsentis Scripti patrocinio communivimus; statuentes, ut nulli omni hominum liceat hanc Paginam nostræ Confirmationis infringere, vel ei aliquatenus contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit; indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursum. Datum Anagniæ quarto Idus Februarii.*

Ceterum in præsenti Pontificis Diplomate, qua parte continet *Milonis* tunc Episcopi *Taurinensis* Sententiam, duo nobis ad observandum sese primum nunc offerunt: Ecclesia videlicet illa Sanctæ *Mariæ*, quæ dicebatur GRÆCA: nec non etiam illa DOMUS LABORIS.

DXXXIV. Ac de illa quidem Ecclesia recitare verbatim ea nobis lubet, quæ *Carolus a Basilica Petri*, cum Canonicus adhuc Metropolitanæ Ordinarius esset ac *Joannis Francisci* nomen adhuc gereret, posteritati tradita reliquit in Libello, de aliquot *Mediolani* Ecclesiis conscripto. Inquit enim: *Nella Canonica* (nimirum Ambrosiana) *e una Chiesetta, che volgarmente si dice* DI SANTA MARIA FAVAGRECA. *Alcune scritture antiche la chiamano* DI SANTA MARIA GRECA. *Mà pare, che si sia trovato, che il diritto nome è* SANCTÆ MARIÆ FAVENTIS ÆGRIS; *si come è scolpito in un' marmo nel muro di fuori di essa Chiesa. E di molta & antica divotione: & si trova, che hà Indulgenza specialemente alle Calende di Maggio. Quivi sono due Corpi Santi: l'uno del Re Sigismundo, l'altro di Desiderio Vescovo e Martire.* De his tamen Sanctorum Corporibus nihil nos in præsenti: fidesque interea sit penes ejusmodi Scriptorem. Marmorea profecto Tabula illa, quinimmo Tabella, in hodiernum usque diem ita cernitur insculpta:

ECCLESIA SANCTÆ MARIÆ
FAVENTIS ÆGRIS
SANCTIQUE MARTYRIS SIGISMUNDI
ET DESIDERII EPISCOPI.

Subtus vero majuscula legitur altera hunc in modum Tabella: qua simul etiam videtur indicatum, quando superior illa, continens antiquum istius Ecclesiæ nomen, fuerit inventa, ibidemque collocata:

DEO OPT. MAX.
ET MARIÆ MATRI INCOMPARABILI
CASU REPERTUM
ANTIQUI NOMINIS ELOGIUM
DELUBRI HUJUS CURATORES
PIENTISS. RESTITUERUNT
MILLESIMO QUINGENTESIMO
VIGESIMO NONO.

Eadem nunc Ecclesiola communiter SANCTI SIGISMONDI nuncupatur.

DXXXV. Nunc de illa DOMO LABORIS. Eadem vero nobis videtur fuisse Domus, in qua Monachi olim sese nonnunquam labore manuum exercerent juxta Regulæ sibi a Sancto *Benedicto* traditæ præscriptum Cap. 48. De quibus quidem manuum laboribus, laborumque Domibus legi potest Sanctus *Bernardus* eo in Opusculo, quo situm Clarævallensis in *Gallia* Monasterii descripsit: cui profecto persimile illud est, quod apud Urbem nostram situm CHARÆVALLIS appellatur. In ea igitur LABORIS DOMO, non Monachi nunc, sed alii ac sæculares habitabant: in quos proinde Canonici Parochiale jus ita exercerent, quemadmodum jam vidimus expressum. Sic etiam illa nobis videtur in latere, non Monasterii, sed Canonicalium Aedium constitisse.

DXXXVI. Quod autem idem *Milo* Episcopus Abbati præcipiebat, ut post Pontificiam ejusmodi Transactionis a se sancitæ Confirmationem centum quinquaginta libras propterea persolveret infra triginta dies; ecce nunc publicum pariter & archetypum Documentum, super ejusmodi pecuniarum solutione per Abbatem facta confectum; & hinc tempus item illud expresse indicatum recognoscatur, quo nos superius *Alexandri* Papæ Diploma fuisse datum præmonebamus. Documentum siquidem illud ita prorsus se habet:

ANNO Dominicæ Incarnationis Millesimo centesimo septuagesimo quarto, decimo die mensis Aprilis, Indictione septima. Præsentia bonorum hominum, quorum nomina infra leguntur. CORAM DOMINO GALDINO DEI GRATIA SANCTÆ MEDIOLANENSIS ECCLESIÆ ARCHIEPISCOPO ET APOSTOLICÆ SEDIS LEGATO, *& præsentibus Fratribus suis* ORDINARIIS SANCTÆ PRÆFATÆ MEDIOLANENSIS ECCLESIÆ, *scilicet Ugone de Ozano, Presbytero de Curiis Gualterio de Uglono, Magistro Rolando: manifestavit, & confessus fuit* DOMNUS SATROPUS PRÆPOSITUS ECCLESIÆ ET CANONICÆ SANCTI AMBROSII, UBI EJUS SANCTUM REQUIESCIT CORPUS, *recepisse ad partem istæ Canonicæ, ibi præsentibus Burro Presbytero ipsius Ecclesiæ Sancti Ambrosii, Arialdo de Corbeta, Guilielmo Colderario, ipsius Ecclesiæ Sancti Ambrosii Canonicis, & renunciante exceptioni non numeratæ pecuniæ,* A DOMNO JOHANNE, IPSIUS MONASTERII SANCTI AMBROSII ABBATE, *solvente ex parte ipsius Monasterii, Argenti denarios bonos Mediolanensis novæ monetæ, libras centum quinquaginta, proptor Transactionem, quam Dominus Milo Taurinensis Episcopus fecit,* INTER DOMNUM AMIZONEM, QUONDAM ABBATEM PRÆNOMINATI MONASTERII, ET PRÆFATUM PRÆPOSITUM: *& quæ confirmata est a Domino Alexandro Sanctissimo Apostolico, sicut legitur in Instrumento publico, ab eo bullato; quia sic inter eos convenit. Actum in Civitate Mediolani, in Palatio isti Domini Galdini, Archiepiscopi.*

Interfuerunt Ardericus Cassina, Johannes Prendebonus, Lanfrancus Camius, Vincemonte Cuminus, Otto Plattus, & Lantelmus ejus filius, Testes.

Ego Rogerius Salarius, Sacri Palatii Notarius, hanc Chartam tradidi, & scripsi.

DXXXVII. Vidistine vero, Lector, quemadmodum

dum ex hoc item Documento luculentissime constet, Sancti *Ambrosii* sacrum Corpus in hac etiamnum sui Basilica tumulatum perseverare? Accipe vero nunc duo pariter alia Documenta, hoc ipso Anno condita, quibus idipsum similiter affirmatur. Condita vero fuerunt uno eodemque die, ab uno eodemque Notario: quin etiam in una nobis eademque membrana continentur. Nos initium utriusque proferemus. Ac primum quidem sic incipit: *ANNO Dominicæ Incarnationis Millesimo centesimo septuagesimo quarto, sexto Kalendas Magii, Indictione septima. Finem fecit Florinus, qui dicitur Armanigra, de Loco* VILLA-ALBA, IN DOMNO JOANNE, QUI DICITUR DE ARZAGO, ABBATE MONASTERII SANCTI AMBROSII, UBI EJUS SANCTUM REQUIESCIT CORPUS, *siti infra Fossata* (nec enim muri adhuc in eo tractu conditi fuerant) *Mediolani, ad partem utilitatem ipsius Monasterii: nominatim de medietate pro indiviso camporum trium, & sediminis unius, & busci unius, jacentium in Loco & Territorio de* VILLA-ALBA &c. Mox vero sic item incipit alterum: *ANNO Dominicæ Incarnationis Millesimocentesimo septuagesimo quarto, sexto Kalendas Magii, Indictione septima. Investivit nomine massaricii, ad benefaciendum,* DOMNUS JOANNES, QUI DICITUR DE ARZAGO, ABBAS MONASTERII SANCTI AMBROSII, UBI EJUS SANCTUM REQUIESCIT CORPUS, *siti infra* FOSSATA *Mediolani, ex parte ipsius Monasterii, Florinum, qui dicitur de Armanigra, de Loco* VILLA-ALBA, *nominatim de medietate pro indiviso sediminis unius, & camporum trium, & busci unius præfati Monasterii. Quarum rerum altera medietas est ejusdem Florini, & jacet in Loco & Territorio* VILLA-ALBA. *Quæ vero medietas præfato Monasterio evenit ex parte quondam Arderici, soceri ipsius Florini, &* CONVERSI *jam dicti Monasterii* &c. Quinam vero confecerit utrumque hujusmodi Documentum, ex hac demum utriusque subscriptione patet: *Ego Petrus, sacri Palatii Notarius, qui dicor Abbas, tradidi & scripsi.*

DXXXVIII. Septembri deinde mense, vel (ut alii tradunt) Octobri, *Ænobarbus* in *Italiam* cum ingenti Exercitu revertitur. De quo quidem reditu sic habent *Alexandri* Papæ Acta apud *Baronium* hoc Anno, Art. 1. *Eodem tempore, Anno quintodecimo Pontificatus Alexandri Papæ, Fridericus, Imperator dictus,* AD SUGGESTIONEM PAPIENSIUM ET MARCHIONIS DE MONTEFERRATO, *quinta vice in Lombardiam hostiliter remeavit. Transivit per* MONTEM SINISIUM (*Sigonio* CINISIUM) *& in multitudine grandi descendens in planitiem, castrametatus est juxta* SICUSAM (SUSAM, vel SEGUSIUM, aut SEGUSIONEM jam vidimus ceteroqui nominatam) *altera autem die, conceptum furorem occultare non valens, in primo detestabilium operum suorum Civitatem ipsam combussit: & exinde acies suas versus Astensem Civitatem, ad exercenda reliqua mala, direxit.* Et paulo post: *Qua in suam potestatem redacta Fridericus sese extollens, ad destructionem Alexandriæ, quam noviter Lombardi construxerant ad honorem Beati Petri, cum Marchione Montisferrati & Papiensibus conatus est festinare.* Chalcus autem sic inquit: *Octobri deinde mense Ænobarbus quinto in Italiam venit. Per Taurinos saltus iter fuit: subitaneoque adventu Segusionem & Astam oppressit, & octavo die ad officium redegit. Inde ad nuper conditam Urbem* (Alexandriam) *ducit: cujus Coloni, cum sponte libertatis cupidi, tum crebris Sociorum litteris nunciisque admoniti, portas claudunt: & sine intermissione auxilia expediebantur.* Addamus vero etiam ista, quæ *Sigonius* commemorat. *Segusio* (inquit) *primam impressionem excepit. Ea, cum imperium Ecclesiæ studio detrectaret, eversa est. Hasta inde, metu expugnationis exterrita, haud ægre concessit in ditionem. Cremonenses Derthonenses & Comenses conspectum inimici ferre Imperatoris non potuerunt: ac, fœderatis Civitatibus relictis, ad eum extemplo se retulerunt.*

DXXXIX. *Ænobarbus Alexandriam* oppugnare mox incœpit, deinde vero etiam obsidere circumfuso Exercitu: cui proinde in proximam hyemem tabernacula locavit. *Neque vero fœderati* (subdit Sigonius) *durissimis Alexandrinorum temporibus defuere. Quippe Mediolanenses, copiis Sociorum assumptis, Carrocium Alexandrinorum auxilio eduxere, ac castra adversus Fridericum inter Clastidium & Vocheriam posuere. Hoc Fridericus ferre non potuit. Itaque iracundia elatus adversus eos processit, ac prælio extemplo conflixit. Verum acie pulsus, vix incolumis Clastidium se recepit. Ei prælio Mediolanenses, Placentini, Brixiani, & Veronenses, cum suis quisque Carrociis affuere. Interim res necessariæ Alexandriam ad sustinendam hyemem supportatæ.*

DXL. Sequitur idem *Sigonius*, Annumque ingreditur Millesimum centesimum septuagesimum quintum: *Fœderatis inde domos suas quoque profectis, Fridericus per hyemem in Alexandriæ obsidione prope obstinate perseveravit, Alexandrinis omnia incommoda non minore constantia perferentibus. Incunte inde vere Mediolanenses & Fridericus occulta consilia, illi liberandæ, hic occupandæ Alexandriæ, inierunt. Mediolanenses,* ut *Fridericum* ab obsidione *Alexandriæ* dimoverent, advocatis Fœderatorum auxiliis *Papiam* sunt aggressi, eamque acriter oppugnare cœperunt. Ex altera vero parte *Fridericus* per cuniculum, summo silentio pariter ac labore *Alexandrinis* nihil tale advertentibus actum, armatos in Urbem introducere conatus est, sed irrito conatu. Quippe milites introductos, cum e cuniculo in Urbem noctu evasissent, Oppidani fœde protinus contrucidarunt: obstructoque cuniculo e Portis sub lucem effusi, castra *Friderici* repente, ipso nec opinante, invaserunt: ipsumque fuga sibi consulere coëgerunt. Et hæc quidem fusius narrata legi possunt apud eundem *Sigonium*, tum etiam *Chalcum*, ac præterea *Baronium* in hunc ipsum *Christi* Annum septuagesimum quintum. A.C. 1175.

DXLI. Soluta *Alexandriæ* obsidione, *Fridericus Papiam* se recepit: atque fraudulenter de pace cum *Alexandro* Pontifice ac *Lombardis* agitare cœpit, quoadusque nimirum sibi novas e *Germania* copias compararet. Iidem consulantur Auctores, quos nuperrime nominavimus.

DXLII. Apud eundem *Baronium* eodem hoc Anno, Art. 12. ex *Alexandri* Papæ Actis hæc nobis scitu digna recitantur: *Eodem tempore Alexander Papa in Ecclesia Alexandriæ* AD POSTULATIONEM MEDIOLANENSIS ARCHIEPISCOPI, ET COMPROVINCIALIUM EPISCOPORUM, ATQUE RECTORUM CIVITATUM LOMBARDIÆ, *Episcopatum constituit. In qua fecit in Episcopum eligi Arduinum, Romanæ Ecclesiæ Subdiaconum,* A MEDIOLANENSI METROPOLITANO TAMQUAM SUUM SUFFRAGANEUM CONSECRANDUM. *Præterea* PAPIENSEM EPISCOPUM CRUCIS ET PALLII DIGNITATE PRIVAVIT; *eo quod Civitas diu Octaviano Hæresiarchæ* (sive *Victori* Antipapæ; de cujus intrusione nos jam diximus Num. 424. de obitu autem Num. 455.) *& Friderico Imperatore excommunicato adhæserit;* ET POST PRÆSTITAM SATISFACTIONEM *eundem Fridericum in gravem jacturam Ecclesiæ & Lombardorum præsumpserit in Italiam revocare. Papienses* igitur jam ante ab Antipapæ ac *Ænobarbi* Factione ad *Alexandrum* ceterosque *Lombardos*, ei tum etiam inter se fœdere junctos, transierant:

fierant: ac tunc quidem nos facile credimus ab ipsis, ut *Mediolanensibus* etiam satisfacerent, persolutas fuisse illas decem & octo mille grossæ monetæ libras, quarum mentionem Num. 441. faciebamus. Sed tamen postea, sicut etiam vidimus Anno superiore, ad eundem *Fridericum* defecerunt. Exinde vero illud etiam fortasse invaluit, quod in Catalogo *Aloysii ab Ecclesia*, in Sancto *Galdino* Archiepiscopo, superadditum legitur:

In Lombardia Meretrix est dicta Papia,
Theutonica subjecta jugo............

A.C. 1176. DXLIII. Jam subierat Millesimus centesimus septuagesimus sextus *Christi* Annus, cum Sanctus *Galdinus* decennium Archiepiscopalis sui regiminis decimo quarto Kalendas Majas moriens absolvit: quo videlicet olim die consecratus Archiepiscopus illud incœperat. Non itaque superiore Anno *Galdinus* obiit, quemadmodum *Sigonio* visum est: ac ne posteriori quidem, quemadmodum *Baronio* ad eum ipsum Annum, Art. 94. Ceterum ipsius mortem mortique adnexa non alius in præsenti nobis enarret, quam qui Vitam ejusdem a *Mombritio* recitatam contexuit, quive tempore satis conjunctum eidem Sancto semet ostendit. Sic autem ille narrabat: *Igitur cum omnes fere Suffraganeos suos suis consecrasset temporibus: jamque Civitas & Ecclesia sua, Domino faciente, ad pristinum statum esset restituta; COEPIT HÆRESIS CATHARORUM IN CIVITATE PULLULARE, DISTRACTIONIS ET SCHISMATIS PRÆCEDENTIS CAUSA, quæ usque adeo, peccatis exigentibus, creverat, ut multi ipsam hæresim aliosque errores ausu temerario publice prædicarent, & multæ simplicium animæ laqueis diabolicæ fraudis caperentur. Huic igitur sævissimæ pesti Vir Sanctus se opponens, multis Sermonibus Prædicationibusque Populum suum ab ipso stulto errore & væsania retrahebat: atque erudimentis Catholicæ Fidei, quantum poterat, instruens, verbo proficiebat & exemplo. CUM AUTEM DECENNIUM IN SUO EXPLESSET PONTIFICATU; EODEM DIE, QUO CONSECRATIONEM ACCEPIT, celebrata Dominicæ Resurrectionis solemnitate, SECUNDA POST PASCHA DIE DOMINICA, in Hæreticos zelo Dei accensus, Sanctæ Theclæ Ecclesiam petit, de more Divina in ea Officia peracturus. At quia corporis multa debilitate laborabat; Missarum Solemnia a supra memorato Cimiliarcha* (Algisio Pirovano) *qui postea successit, Missam celebrari præcepit. Ipse vero Confessione cum Fratribus facta,* PRIUSQUAM EVANGELII LECTIO POPULO RECITARETUR, *Pulpitum ascendens, contra prænominatos* CATHAROS *eorumque Complices præclarissimam habuit Orationem: eorum errorem multis argumentis & rationibus apertissime, & quantum oportebat, confutans, Fidemque Catholicam multis Sanctorum Patrum exemplis & Evangelicis comprobans Scripturis. Posteaquam vero finem dicendi fecit, consummato sui certaminis cursu, eam corporis cœpit sentire molestiam, qua anima separatur a corpore. Mutationem itaque vultus ipsius Fratres tenebant, considerantes, eum paulatim deficere. Eum itaque ibidem levi motu deposuerunt. Perlecto autem Euangelio, & peractis Missarum Solemniis, cum ipse, in eodem Pulpito jacens, nutibus, quibus poterat, Fratribus, qui astabant, animam suam commendasset; multo astante Clero & Populo, spiritum Deo reddidit. Quo factum est, ut & Fratribus & Ecclesiæ non modicam relinqueret tristitiam. Ipse vero assumptus in Cœlum pro Populo suo, ut pie credendum est, non cessat ad Dominum interpellare. Quod multis ac manifestis signis & indiciis declaratur. Nam ejus ad tumbam veniunt ægroti vota promittunt, referunt salutem: curvus erectus redit, & retorti membra sanatis membris mirantur: Dæmon expulsus fugit, & corpus obsessum meritis Beati Viri derelinquit, atque tormentum sibi monstrat esse defuncti Præsulis honorem. Tanta Galdini meritis clarescunt miracula, ut* NUNC (attende Lector, quemadmodum Scriptor hujus Vitæ per ea tempora floreret) *sæculum Petri Apostoli redisse videatur ac Sociorum. Ergo nos Sanctum veneremur Pastorem: quem nobis Dominus Patronum dedit, ne Fidem lædant* CATHARI, *serentes dogma nequam, & a Catholica Ecclesia explosum: sequentes Curaverunt autem sepulturam ejus Fratres ipsius Ecclesiæ: & corpus ejus sub eodem Pulpito in lapideo mausolæo, multo & cultu, sepelierunt. Porro divina providentia factum est, ut post aliquantum temporis consilio Fratrum ad altiorem locum ex alia Pulpiti parte transferretur: ibique sanctissimum corpus ejus, in pretioso conditum sarcophago, usque in præsentem celebretur diem. Obiit autem Beatus Galdinus Anno Natalis Dominici Millesimo centesimo septuagesimo sexto* (quod enim *vigesimo sexto* legitur in Codice impresso Mombritii, manifestus est Typographi error) *Aprilis decimo nono.*

DXLIV. Et hic quidem alter est error, sed non ita evidens ut superior; quo circa par est ut magis a nobis indicetur. Non enim decimo nono, sed decimo octavo Aprilis die Sanctus hic Archiepiscopus obiit; sicut etiam olim fuerat eodem die consecratus. Ut enim jam vidimus, ille obiit Dominica secunda post Dominicæ Resurrectionis Pascha. Quocirca etiam deinceps in Ecclesia *Mediolanensi* usque ad Sancti Cardinalis & Archiepiscopi *Caroli* tempora inviolabiliter hoc servatum fuit, ut anniversaria Sancti *Galdini* celebritas non alio die, quam ea ipsa Dominica secunda (in quemcumque illa diem incidisset) ageretur. Cumque nos in omnibus tam manuscriptis quam impressis Missalibus, quæ nobis ad manus acciderunt, hoc viderimus adnotatum; certe quidem in eo, quod Anno Domini Millesimo quingentegmo sexagesimo ediderunt, sub decima nona die Aprilis, quæ dies est decima tertia ante Kalendas Majas (juxta scilicet errorem, quem in præsenti commonstramus) hæc præcise legimus: *Sancti Galdini, Episcopi Mediolani & Confessoris, semper celebratur secunda Dominica post Pascha:* quod idem postea etiam suo in loco repetitur. Cujus quidem consuetudini vestigium etiam in præsens cernitur, quod primis ejusdem Dominicæ Vesperis Clerus Urbanus quotannis a Metropolitana Basilica Plenariam in sequentem usque diem Indulgentiam etiamnum defert ad Carceratorum Ædes, in Aurificum Vico sitas, quas communiter idiomate populari MALA STALLA nuncupamus, ejusdem Sancti *Galdini* patrocinio devotas. Jam vero consulantur etiam Tabulæ Paschales. Protinus profecto inveniemus, Anno Millesimo centesimo septuagesimo sexto Pascha incidisse in diem Aprilis quartam, proindeque secundam inde Dominicam incidisse in octodecimam ejusdem Aprilis diem, sive in quartam decimam diem ante Kalendas Majas. Cum vero *Galdinus* eodem obierit die, quo decem ante annos jam fuerat *Romæ* ab *Alexandro* Papa in Archiepiscopum consecratus; non igitur consecratus ille fuit decimo tertio Kalendas Majas, quemadmodum Num. 482. *Tristanus Chalcus* & *Carolus Sigonius* nobis testabantur; sed certe quidem decimo quarto. Idemmet postea *Chalcus* in præsentem profecto Annum sic tradidit: *Decessit autem Galdinus sui Archiepiscopatus Anno decimo, die anniversaria, quarto decimo Kalendas Majas.* Sic etiam Sanctus *Carolus* cum Breviarium *Ambrosianum* octuagesimo secundo supra Millesimum quingentesimum Anno ederet in lucem, a se reformatum: cumque anniversariam Sancti *Galdini* celebritatem a secunda illa Dominica traduceret ad certum illum diem, quo ex hac ipse vita ad Superos evolaverat; non alteri eam diei Aprilis, quam decimæ octavæ, adstrinxit. Consentit vero etiam *Romanum* Martyrologium, itemque alterum *Galesinii*, pa-

pariterque *Philippus Ferrarius* in Catalogo Sanctorum *Italiæ*: neque quicquam opus est, ut aliorum Scriptorum testimonia in ejusdem rei confirmationem congeramus.

DXLV. Quanam ex causa & quando Hæresis & Secta CATHARORUM pullulare nostra cœperit in Urbe, satis jam liquet e Sancti *Galdini* Vita, verbisque proxime per nos ex ea recitatis. Consequens jam est, ut aliquid de ipsis, eorumque nomine, ac hæresibus dicamus. *Josephus Ripamontius*, Historiarum Ecclesiæ *Mediolanensis* Parte Secunda, Libro Secundo, inter aliquot alia minutiora, in quibus a superioribus e Sancti *Galdini* Vita verbis discrepat (quæ Lector ipse per otium expendat) ejusmodi Hæreticos, tacito CATHARORUM nomine, sic describit, ut non alios fuisse indicet, quam *Tolosates*, sive *Albienses* (communiter *Albigenses*) illos, de quibus agit *Baronius* hoc ipso Anno septuagesimo sexto, Art. 3. ac deinceps, e *Rogerianis Angliæ* Annalibus. In quibus *Rogerius* sic incipit: *Eodem Anno damnata est Ariana* (aliter *Manichæa*) *Hæresis, quæ fere totam Provinciam Tolosanam fœdaverat, coram Archiepiscopis, & Episcopis, & aliis religiosis Viris & honestis, subscriptis. Erant itaque in Provincia Tolosana quidam Hæretici: qui se appellari faciebant* BONOS HOMINES, &c. Quorum quidem subinde protinus errores connumerat. Hi ergo tunc in eo Concilio damnati fuerunt; sicut etiam postea in *Lateranensi*, quod *Alexander* Pontifex Anno septuagesimo nono celebravit. Etenim Can. 27. (sicut etiam *Baronius* eodem Anno, Art. 3. recitat) sic legitur in eo decretum: *Quia in Guasconia, Allegatio* (sive *Albigesio*) *& Partibus Tolosanis, Hæreticorum, quos alii CATHAROS alii PATRINOS* (aliter *PATARINOS*, aut *PATARENOS*) *alii PUBLICANOS, alii aliis nominibus vocant, invaluit damnata perversitas, ut jam, non in occulto, sicut aliqui, nequitiam suam exerceant, sed suum errorem publice manifestent, & ad suum consensum simplices attrahant & infirmes; eos, & defensores eorum, & receptatores anathemati decernimus subjacere* &c. Tales igitur nomine BONOS HOMINES, at re vera pessimos, nos quidem fatemur CATHAROS etiam fuisse ab aliquibus appellatos. Atqui non contra eorum, sed aliorum, qui communiter CATHARI vocarentur, Sectam invectum fuisse Sanctum *Galdinum* existimamus. CATHAROS ergo nobis in Veteres ac Novos distinguere lubet. Ac de primis quidem *Gabriel Prateolus* in Elencho Hæresum Lib. 3. Num. 11. sic tradit: CATHARI *Novatiani sunt, a Novato Romanæ Ecclesiæ Presbytero ortum ducentes: & qui Gallieni Imperatoris & Stephani Primi Papæ temporibus circa Annum Domini Ducentesimum quinquagesimum sextum emerserunt.* CATHARI *autem appellari voluerunt, id est,* SANCTULI *&* PURI (tantumdem enim sonat Græca dictio ΚΑΘΑΡΟΣ) *propter munditiam, quam superbissime & arrogantissime jactabant: utpote qui sese dicerent sine peccato esse, contra illud Joannis, Si dixerimus, quod peccatum non habemus; nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est. Ideoque, teste Lindano & Bullingero, omittebant illud Orationis Dominicæ, Dimitte nobis debita nostra; eo quod nulla peccatorum venia opus haberent.* Prosequitur inde *Prateolus* reliquos eorum errores: quos utique nos omittimus; quia de Novis potius CATHARIS sermo ad nos spectat. Certe autem de istis *Dominicus Gravina*, Catholicarum Præscriptionum adversus Hæreticos Libro Quarto, enumerans duodecimi Sæculi veteres Hæreticos, hæc prope finem scribit: NOVI CATHARI *circa Annum Domini Millesimum centesimum sexagesimum sub Frederico Imperatore orti sunt, Apostolorum vitam agere simulantes. Nuptias reprobabant: ad suam Sectam transeuntes rebaptizabant: Pædobaptismum negabant, item*

A *Purgatorium, & Suffragia: in igne baptizabant: Sacerdotium apud Catholicos defecisse asserebant: Christum non habuisse veram carnem, nec vere substantialiter in Eucharistia esse, dogmatizabant.* Hæc *Gravina* de his CATHARIS: quos quidem ab *Albigiensibus* illis BONISQUE HOMINIBUS diversos fuisse arbitratur: de quibus etiam separatim proxime subdit. Scite autem in exteriori margine addit, Novorum ejusmodi CATHARORUM errores egregiis fuisse confutatos *Erberti* (sic enim cum ipse nominat) Sermonibus, qui Auctario Bibliothecæ Patrum continentur. Nos quidem in ejusmodi Bibliotheca, demum & uberius *Coloniæ* Anno Millesimo

B sexcentesimo decimo octavo recusa, Tomo Duodecimo, Duodecimi Sæculi Scriptores complectente, legimus eos Sermones, ac numero tredecim. Eorum Auctor ibi nominatur *Eckbertus, Schonaugiensis* Cœnobii Monachus, ac deinde Abbas: qui juxta *Trithemium* in Libro De Scriptoribus Ecclesiasticis, ibidem præmissum, claruit sub *Friderico* pariter Primo Imperatore Anno Millesimo centesimo sexagesimo. Bene autem se res habet, quod tales ille Sermones adversus CATHAROS dicabat Archiepiscopo *Coloniensi Reginoldo* (nobis *Raynaldo*, de quo toties in superioribus locuti sumus) & in

C Epistola ipsa Nuncupatoria sic exorsus fuit: *In vestra Diœcesi frequenter contingit deprehendi quosdam Hæreticos, qui diebus istis plurimum notabiles sunt in erroribus suis. Hi sunt, quos vulgo* CATHAROS *vocant: gens perniciosa nimis Catholicæ Fidei, quam velut tineæ demoliuntur & corrumpunt, ambulantes in astutia sua.* De hinc autem Sermone Primo, de hujusmodi CATHARORUM agens origine, sic habet: *Sciendum vero est, & non celandum ab auribus vulgi, quoniam indubitanter Secta eorum, de quibus agimus, originem accepit a Manichæo Hæresiarcha: cujus doctrina maledicta erat & tota venenosa, & radicata est in Populo isto perverso. Multa tamen permixta habent*

D *doctrinæ Magistri sui, quæ inter hæreses illius non inveninntur. Divisi sunt etiam contra semetipsos; quia nonnulla, quæ ab aliquibus eorum dicuntur, ab aliis negantur.* Talia *Eckbertus*: dignus profecto, qui doctis ab hominibus accurate perlegatur. Præterea vero etiam in ejusdem Bibliothecæ Tomo Decimo tertio multa extant *Lucæ Tudensis* Episcopi adversus *Albigensium* errores: ac deinde Scriptores aliquot succedanei contra Sectam *Vualdensium*, ab eo collecti. His porro Scriptoribus eruditissima, more suo, Prolegomena præmisit *Jacobus Gretserus*: quorum Capite secundo sic denique concludit: *DE CATHARIS refert Godefridus in Annalibus hujusmodi histo-*

E *riam: Hoc etiam Anno Millesimo centesimo sexagesimo tertio quidam Hæretici de Secta eorum, qui CATHARI nuncupantur, de Flandriæ Partibus Coloniam advenientes, prope Civitatem in quodam horreo occulte mansitare cœperunt. Sed, dum neque Dominico die Ecclesiam intrarent; a circum manentibus comprehensi & detecti sunt, &c.* CATHAROS igitur, qui nostram Urbem infecerunt, e *Germania* potius, & nominatim e Diœcesi *Coloniensi* huc venisse, nos quidem credibilius arbitramur: & occasione Schismatis, cui *Reynaldus* ipse Archiepiscopus acerrime favebat, tametsi talibus ceteroqui hæresibus (uti constat ex eodem *Eckberto*) non faveret, invaluisse tandem ita, quemadmodum e Sancti *Galdini* Vita per-

F speximus. Quocirca sic etiam declamasse Sanctum *Galdinum* arbitramur, non adversus eas *BONORUM HOMINUM* hæreses, quas *Ripamontius* recensebat; sed potius adversus istas, quas *Gravina* commemorat, immo potius *Ecbertus*, qui easdem a se profitetur & diligenter investigatas, & fideliter enarratas.

DXLVI. Verum enimvero neque Sancti *Galdini* Concionibus, ac deinde frequentibus etiam evidentissi-

tissimisque miraculis, nec alia ope potuit in multos deinde annos Patria hæc nostra prorsus ab ejusmodi CATHARORUM hæresibus (qualescumque illæ fuerint) liberari. Quamobrem Anno etiam postea trigesimo tertio supra Millesimum ducentesimum Majores nostri *Oldrado Trissino* vetere nobilique *Laudensium* familia orto, nostræque Urbis Prætori, elogium quoque istud publice adscripserunt, quod *CATHAROS, UT DEBUIT, USSIT.* Sic enim videre licet apud *Corium* & *Chalcum* in eum Annum, quinetiam in marmorea Tabula, quæ, sicut ab ipsis olim, sic a nobis etiam in præsentem usque diem sub equestri ejus Statua conspicitur in ea Urbis parte, quam nunc communiter MERCATORUM PLATEAM vocitamus. Quid, quod etiam deinde Anno quinquagesimo secundo Sanctus *Petrus*, Patria *Veronensis*, Religione *Dominicanus*, nostra in Urbe contra hæreticam pravitatem Inquisitor, ab ejusmodi Hæreticis crudeliter vulneratus, martyrii palmam reportavit? Quocirca (ut aliorum testimonia omittamus) Doctor ille Angelicus, ac Theologorum Coriphœus, Sanctus *Thomas Aquinas*, cum in *Galliam* proficiscens Anno postea sexagesimo quinto in *Eustorgiana* hujus Urbis Basilica sepulchrum tanti Martyris reverenter invisisset; admiratus, Epigramma concinit illud, quod eadem in Æde juxta sepulchrum ipsum in hanc usque diem cernitur marmoreæ Tabulæ incisum: in quo quartus hic etiam versiculus inest:

Et verbi gladius gladio cecidit Catharorum.

Sed jam satis superque de hac nostræ Urbis peste, per *Fridericianos* Schismaticos illata.

DXLVII. Defuncto Sancto *Galdino* Archiepiscopo substituitur *Algisius Pirovanus*, Basilicæ Metropolitanæ Cimiliarcha, & *Oberti* pariter Archiepiscopi, qui *Galdinum* antecesserat, consanguineus. Inde *Chalcus* non immerito sic monet: *Ita Galdinus inter duos Piroveneos summa in dignitate cum intercesserit: & interim alterius eorum alumnus, alterius in omni fortuna æqualis, & negotiorum particeps, peregrinationumque socius fuerit; ex eo natum errorem apud posteros arbitror, qui Galdinum, non* SALA *familia, ut etiam Murena locuples testis est* (tale ipsius testmonium nos jam supra recitavimus Num. 502.) *sed* PIROVENEA *ortum perhibent.* Vere igitur, judicio etiam nostro, e SALA ille familia fuit.

DXLVIII. Eundem *Algisium Galdino* intra mensem *Chalcus* ibidem affirmat suffectum fuisse. Catalogus tamen Archiepiscoporum ille, quem post *Beroldi* Adnotamenta in eodem Codice manuscriptum nos habemus, præcise asserit, ab ejus obitu ad hujus electionem intercessisse denas hebdomadas, ac dies quatuor. Magis indefinite *Gualvaneus* loquitur *Flamma* in Chronico Majori, Cap. 294. his verbis: *Tunc Clerus divisus fuit in duas partes. Una pars elegit Archipresbyterum* (hic erat *Milo*, jam Episcopus *Taurinensis*, sed interea nihilominus Basilicæ hujus Metropolitanæ Archipresbyter Commendatarius) *alia pars Archidiaconem* (hoc est, *Ubertum Cribellum*, qui postea non modo *Mediolanensis* Archiepiscopus, sed etiam *Romanus* Pontifex fuit) *ac duravit istud schisma multis diebus. Finaliter Electores & Episcopi communiter elegerunt Algisium de Pirovano, Cimiliarcham: QUO FERE NULLUS ECCLESIÆ MEDIOLANENSI FUIT UTILIOR.* Vide autem, quemadmodum istud quoque dissidium in Catalogo *Successores Sancti Barnabæ* describatur. *Algisius* (hæc ibi verbatim leguntur) *Pirovanus, Civis, Ecclesiæ Majoris Mediolanensis Cimiliarcha. Orto schismate inter Clerum Mediolanensem de eligendo Archiepiscopo, una pars Archipresbyterum, altera Archidiaconum Ecclesiæ Majoris Mediolani in Archiepiscopum elegerat. Quibus discordiis commotus Alexander Tertius Pontifex, motu proprio Algisium Archiepiscopum creavit. Qui tanta animi fortitudine rexit Ecclesiam & Populum sibi commissum, ut armata manu ausus fuerit concurrere & dimicare contra Fredericum Barbarussam, iterum vastantem Agrum Mediolanensem: quem cum suis copiis fudit & fugavit.* Et hoc ipsum fortitudinis elogium iisdem prorsus verbis eidem *Algisio* adscribitur itidem in Catalogo Actis Ecclesiæ *Mediolanensis* inserto. De tanta profecto victoria proxime nobis jam incumbit ut agamus.

DXLIX. Dum *Fridericus* sub fallaci pacis obtentu novas sibi copias e *Germania* comparare satagit, ne Fœderati quidem *Lombardi* bellum segniter apparabant, ac præcipue *Mediolanenses*. Hi enim (quippe quibus ab Hoste prima ipsius belli tempestas imminere videbatur) inusitatos etiam sibi adhibendos putarunt apparatus. De quibus legi possunt, *Georgius Merula*, *Bernardinus Corius*, *Tristanus Chalcus*, & *Carolus Sigonius*.

DL. *Exercitus inde Friderici* (mox prosequitur Sigonius) *omnibus rebus instructissimus, mense Majo in Italiam transiit. Atque ei Fridericus ex Papiensi Agro, solis Papiensibus & Comensibus septus, occurrit: eoque recepto, ad Vicum Agri Seprienşis, nomine* LIGNANUM *processit eo animo, ut, si posset, Mediolanum iterum expugnaret. Quod ubi Mediolanenses cognoverunt; occurrendum ante, quam castra propius admoveret, rati; nono Kalendas Junias cum Carrocio, eo quo dixi ordine, Sociis adjuvantibus, exierunt: atque inde ad Fridericum progressi, tertio Kalendas prœlium fortissime commiserunt. Is erat dies, quo Sanctorum Martyrum Sisinii Martyrii & Alexandri Natalitia colebantur. Cæterum ante congressum Exercitum* TRES COLUMBÆ AB IPSORUM MARTYRUM ALTARI AVOLAVERE: AC MIRIFICO VISU IN MALO IPSIUS CARROCII CONSEDERE. *Quo augurio accepto Mediolanenses victoriam in certis animis ominati, majore studio atque alacritate prœlium inierunt.* Repulsa igitur *Germanorum* acie, ac Signifero Imperatoris occiso, Vexillum Aquilæ suam in potestatem adduxerunt: mox ipsum etiam Imperatorem, & Ducis & militis officio strenue fungentem, suffosso equo dejecerunt. Quocirca *Germani* protinus in fugam præcipites, non solum campum, in quo pugnabatur, sed etiam castra, quibus se tueri magna ex parte poterant, opulentissima reliquerunt: cumque ignoratione locorum ad Oppida inimicorum deferrentur; partim capti, partim occisi sunt. Multi etiam *Ticinum* tranare amnem volentes, cæcis ejus gurgitibus hausti. Et hocquidem prælio desiderati ex *Germanis* & capti multi, sed ex *Papiensibus* & *Comensibus* plurimi. Consulantur, quos proxime dicebam, Historici. E quibus mox idem *Sigonius*: *Mediolanenses castris captis prædam ingentem repererunt: ac clarissimo cum triumpho in Urbem se retulerunt. Victoria omnibus rebus, quibus effusa significari lætitia solet, celebrata: & cum se præsenti trium Martyrum auxilio ex propitio trium Columbarum augurio vicisse opinarentur; is dies in perpetuum Civitati festus decretus.* Quod porro de tribus illis Columbis affirmavit *Sigonius*, idipsum jam ante legimus affirmatum, tamquam e Chronico *Leonis*, a *Gualvaneo Flamma* in Chronico Majori Cap. 295. & in Manipulo florum Cap. 207. ac similiter ab Auctore Chronici *Flos florum* fol. 151. pag. 2. Sic etiam *Donatus Bossius* in Chronico, & *Georgius Merula* Libro 3. Antiquitatis *Vicecomitum* asseveranter hoc idem tradiderunt. Quod si victoriæ hujus die Archiepiscopus jam erat *Algisius*: cui proinde tanta ejus pars, quantam paulo ante videbamus, non ex vano fuerit adscripta; certe sequitur, ut a Sancti *Galdini* obitu ad ipsius electionem denæ illæ non effluxerint hebdomadæ. *Galdinus* siquidem jam obierat decima octava die Aprilis; die autem Maji proxime subsecuti vigesima nona *Mediolanenses* hanc ipsam de *Fri-*

derico victoriam reportarunt. Ceterum ejusmodi trium Martyrum Altare in hodiernum usque diem Majus perseverat in San-*Simpliciana* hujus Urbis Basilica: in qua Sanctus ipse *Simplicianus* Archiepiscopus ea olim collocavit, ad se *Tridento* allata. Eorundem annua celebritas ab Ecclesia *Mediolanensi* colitur eo ipso die Maji vigesimo nono. Veruntamen e publico Politici Magistratus decreto, & in ejus itidem victoriæ memoriam, postrema semper ejusdem mensis Dominica die colitur: ejusdemque diei matutino tempore Decuriones Urbis, subsequentibus de more in ejusmodi celebritatibus usitato Artificibus, ad eam Basilicam solemni pompa longoque ordine procedunt, Missæque solemniis intersunt, quæ de Sanctis iisdem Martyribus decantatur.

DLI. Cum vero tam *Romualdus* Archiepiscopus *Salernitanus*, ejus temporis Chronologus integerrimus, quam ipsius *Alexandri* Papæ Tertii Acta victoriam istam concelebrent; ex his profecto Actis eandem nobis describere lubet. Hinc utique insuper apparebit, quantam inter præliorum suorum discrimina fiduciam *Mediolanenses* in Sancti *Ambrosii* patrocinio collocarent: cujus etiam effigiem Carrocii vexillo insistentem, ac sibi circumquaque benedicentem contuebantur; uti Num. 434. jam diximus. Paucis ergo de hoc prælio præmissis, eadem Acta sic habent: *Nec mora: hostes vehementer in hostes insiliunt, & se se adinvicem strictis mucronibus conterunt. Sed ubi gravioris multitudo Principis* (Friderici) *supervenit, Lombardorum milites inviti terga dederunt, & ad CARROCIUM Mediolanensem facere confugium exoptantes, non potuerunt a facie persequentis ibidem remanere; sed cum reliqua fugientium multitudine ultra CARROCIUM Mediolanensem facere confugium exoptantes, non potuerunt a facie persequentis ibidem remanere; sed cum reliqua fugientium multitudine ultra CARROCIUM per dimidium milliare coacti sunt fugere. Tunc electa Mediolanensium bellatorum militia, quæ in posteriori acie tamquam murus impenetrabilis firmiter consistebat, PRÆMISSA ORATIONE AD DEUM, ET AD APOSTOLUM EJUS PETRUM, ATQUE BEATUM AMBROSIUM, erectis vexillis confidenter obviavit Friderico in virtute magna. Et in primo quidem congressu Vexillifer ipsius Friderici transfossus lancea corruit in terra, & sub equorum pedibus trucidatus remansit. Ipse quoque Imperator inter cæteros loricatus, ubi coruscantibus armis propriis insignitus apparuit, ab eisdem Lombardis fortiter percussus, de sella cecidit, & ab omnium oculis statim evanuit. Urgentibus ergo ipsis Lombardis, tota Theutonicorum expeditio in fugam conversa, per octo milliaria fugit in timore mortis. De quorum multitudine paucis evadentibus, alii gladio interfecti, alii fuerunt in Ticino submersi, & residua turba in diversas Civitates in captivitatem fuit divisa. Sed Cumanorum perfidus Populus, qui ab Ecclesiæ unitate, & a Lombardorum confœderatione* (quemadmodum & quando hanc inierit, atque etiam postea deseruerit, nos Num. 501. & 538. narravimus) *animo irreverenti & infrunito discesserat, totus fere prostratus in campo remansit, aut gladio interemptus, aut in captivam captivitatem contumeliose deductus. Spolia universa post optatæ victoriæ famosum triumphum victrix Lombardorum Societas libenter collegit: & in pace singuli habuerunt, quod fortuna unicuique donavit. In quibus, præter armorum & equorum multitudinem copiosam, inæstimabiles divitiæ & quæque optima terræ præter spem fuerunt inventa. De Imperatoris vero persona, utrum evaserit, an cum cæteris interfectis in campo remanserit, diu apud omnes dubitatio maxima fuit, in tantum, quod ejus Uxor* (hæc interim *Comi* morabatur) *in luctu & mæstitia posita, etiam lugubrem vestem induerit. Cum autem super hoc tota Italia plurimum vacillaret; ecce subito* PAPIÆ (non autem COMI, quemadmodum *Chalcus* aberrabat) *apparuit, atque immenso apparatu & strenua militia desolatus. In hoc autem manifeste ostendit Dominus, quod per Isaiam locutus fuerat, dicens:* OCULI SUBLIMIS HOMINIS HUMILIATI SUNT, ET INCURVATA EST ALTITUDO VIRORUM FORTIUM. Hactenus ex *Alexandri* Papæ Actis.

DLII. Ad *Gualuanei* Flammæ Chronicum Majus, ejusque Cap. 295. nunc revertimur, in quo post memoratam ejusmodi victoriam sic prosequitur: *Alexander Papa, audita Imperatoris confusione, gavisus est valde, & multas exhortatorias litteras Mediolanum scripsit: quod potius erat paratus mori, quam Civitatem Mediolanensem derelinquere.* Hoc idem *Bernardinus* etiam *Corius* affirmat. Auctor autem Chronici *Flos florum* fol. 151. pag. 2. idipsum repetens sic præterea inquit: *Papa Alexander, audito, quod Mediolanenses bis in campo postraverunt Imperatorem* (sic enim hoc tempore factum hic Auctor proxime narraverat) *exultavit gaudio magno, & promisit dare Civitati Mediolani magnum auxilium. Et audito, quod Beatus Galdinus Legatus Italiæ obierat; statim instituit alium Legatum Cardinalem; quem misit in Lombardiam, & pervenit Venetias.*

DLIII. Ceterum in *Alexandri* Papæ Actis, post verba illa per nos proxime recitata, continuato tenore ista protinus succedunt: *Quamvis autem causa ejus* (Friderici) *ab eo tempore, quo cœpit Dei Ecclesiam persequi, semper, ultore Domino, in deterius laberetur: & nulla eum adversitas, seu difficultas laboris, a suo incœpto retraheret; modo tamen ita vehementer a Superno Judice percussus atque contritus est, quod ad pacem Ecclesiæ, quam hactenus in duplicitate quæsierat, inclinari humiliter videretur, & eam per majores personas Imperii a Domino Alexandro Papa & ejus Fratribus* (Cardinalibus) *suppliciter postularet. Quippe omnes Ecclesiastici & Sæculares Principes Regni, qui prædictum Fridericum in errore suo hucusque sequuti fuerant, dixerunt ei, quod, nisi cum Ecclesia pacem faceret, eum ulterius non sequerentur, nec sibi auxilium ferrent. Præterea Societatem Lombardorum contra Theutonicos ita Dominus fortem & audacem reddiderat, ut, quoties cum illa barbarie in prælio decertaret, in primo congressu victrix existeret, & ante faciem suam tamquam volatiles paleas dispergeret, atque fugaret. Misit ergo Imperator Fridericus ad præsentiam Domini Alexandri Papæ V. Magdeburgensem Episcopum, Christianum Moguntinum Archiepiscopum, P. Vuormatiensem Electum, & R. Protonotarium Regni, majores Imperii Principes, cum potestate plenaria complendæ pacis inter Ecclesiam & Imperium. Qui venientes usque Tybur, nunciaverunt ipsi Pontifici* RESIDENTI APUD ANAGNIAM, *sui adventus causam: &, impetrato securo ducatu, recepti sunt a duobus Cardinalibus & Capitaneis Campaniæ, atque honorifice deducti* IN CIVITATEM ANAGNIAM. Sed hac de re audiamus etiam *Romualdum* Archiepiscopum *Salernitanum* in Chronico. *Imperator autem* (inquit ille) *cum in prænominata pugna viriliter dimicasset, & fugientium pene ultimus extitisset; superveniente nocte delituit: & cum aliquantis diebus fuisset absconditus: &, quo divertisset, esset incognitum; nocte cum paucis* PAPIAM *intravit. Tunc vere manifeste noscens, Dei repugnare potentiam, cujus Ecclesiam & Ministros persequi non cessabat; ad cor rediens, habito saniori consilio Magdeburgensem Archiepiscopum, Electum Vuormatiensem, & Protonotarium suum, cum Christiano Cancellario,* QUI IN PARTIBUS ILLIS ERAT (videlicet in Agro Bononiensi) *ad Alexandrum Papam & ejus Curiam pro consequenda pace* ANAGNIAM *direxit.*

DLIV. Quæ quidem cum nos a tantis Auctoribus & adeo luculenter testata videamus; plane profecto consequenter assentimur etiam *Chalco* & *Sigonio*, dum

dum pacem *Italiæ* ac quietem, quæ postmodum sequuta fuit, huic præsertim *Mediolanensium* & *Lombardorum* victoriæ adscribunt. *Chalcus* hunc in modum locutus: *Hæc illius* (Ænobarbi) *clades finem tandem malis attulit. Nam & magnitudine detrimenti accepti deterritus, & inopia rei pecuniariæ affectus, quæ nunc ex Germania suppeditabatur, & Papiensem prægravabat: & Hostium desperatione (qui extrema omnia prius pati, quam pristinam servitutem amplius subire decreverant) perspecta: & accedentibus dissuasoribus magnis Viris, quibus jamdiu nec bellum ipsum nec belli causa probabatur, quod non jam adversus homines sed Deum ipsum geri videbatur; animum composuit, cogitationesque omnes ad pacis consilia contulit.* Nec minus diserte graviterque *Sigonius* iisdem ferme verbis.

DLV. Legati porro illi ad *Alexandrum* missi, atque ab eo peramanter ac per honorifice suscepti, hoc ad Imperatorem responsum in primis reportarunt: *Si vult integram pacem suam nobis tribuere, & Ecclesiæ Romanæ; oportet ut eam universis Auxiliatoribus nostris, maxime Regi Siciliæ & Lombardis & Imperatori Constantinopolitano, qui nobis contra eum in Ecclesiæ necessitatibus firmiter astiterunt, pariter tribuat.* Sic enim habetur in *Alexandri* Papæ Actis. In quibus etiam subinde traditur concordibus animis constitutum, ut, *Lombardorum* causa usque ad commune Colloquium remanente in eo statu, in quo erat, quantocyus Pontifex cum suis Cardinalibus in *Lombardiam* veniret; quoniam sine Imperatoris & *Lombardorum* corporali præsentia pax ipsa fieri non debebat. *Interim autem data est firma securitas* (hoc item verbatim sequitur in Actis) *ex parte Imperatoris omnibus Ecclesiæ Romanæ personis & rebus eorum, & Terris Beati Petri, & Siciliæ Regis, cunctisque Viatoribus, usque ad consummationem ipsius pacis.*

DLVI. Priusquam tamen *Alexander* ab Urbe *Anagnia* discederet, ante proximam Domini Nativitatem duos ad *Fridericum* præmisit Cardinales, *ut securitatem, quam Magdeburgensis Episcopus cum sociis suis compromiserat, ab eodem Imperatore per exhibitionem juramenti manifeste reciperent.* Quod perabunde præstitum a *Friderico*, circa *Mutinam* reperto. Legantur eadem Acta, nec non etiam Chronicon *Romualdi Salernitani* Archiepiscopi: e quo præterea constat, ibi tunc utriusque partis assensu ordinatum ac dispositum esse, UT COLLOQUIUM TRACTANDÆ PACIS APUD BONONIAM FIERET.

DLVII. Sequuntur inde Acta his verbis: *In illis diebus CREMONA, respiciens retro, absque gravamine turpiter dejerandi a confœderatione aliarum Civitatum impudenter recessit, & ad Imperatorem non sine magna infamia se convertit. Unde indignationem Ecclesiæ, & aliorum Lombardorum odium & inimicitiam juste incurrit. TERDONA quoque non post multum temporis id ipsum reprehensibiliter fecit, & eadem infamia contumeliose se involvit. Audiens autem hæc apud Vestam Summus Pontifex, valde miratus est; sed de aliarum Civitatum* (quidni vero *Mediolani* præsertim?) *stabilitate dubitare non potuit.* Accipe vero simul etiam ex Archiepiscopo *Salernitano*, quamnam ob illecebram Civitates illæ tam turpiter & indecore se gesserint. *CREMONENSES autem* (inquit) *ET TERDONENSES. audito, quod Papa venturus esset in Lombardiam, ut inter Imperatorem & Lombardos pacem componeret; credentes anticipare alios, ET OB HOC MAJOREM IMPERATORIS GRATIAM IMPETRARE, obliti promissionis & juramenti, quod aliis Civitatibus fecerant, eis nolentibus & contradicentibus, cum Imperatore sunt concordati Unde postmodum a Papa & ab omnibus, qui hoc audierunt, viles & proditores sunt habiti.* *Cremonenses* porro Num. 538. narrabamus sese rursum Imperatori adjunxisse, postquam ille quintum in *Lombardiam* venisset. Consequens igitur est, ut ex hoc novo ipsorum ab *Alexandro* Papa & reliquis Civitatibus cum eo fœderatis dejeramento dignoscamus, ipsos postea rursus in illud ipsum fœdus, *Frederico* rursum deserto, convenisse: a quo quidem fœdere tunc tandem rursus alternante inconstantia tam turpiter desciverint.

DLVIII. *Papa vero, antequam iter arriperet* (verba sunt ejusdem *Salernitani* Archiepiscopi) *Nuncios suos ad Regem Vuillelmum in Siciliam misit, ut aliquot de Magnatibus suis a latere suo ad eum transmitteret, qui cum illo & pro parte ejus tractandæ pacis colloquio interessent. Papa enim firmiter in suo habebat proposito, nequaquam cum Imperatore sine Rege Vuillelmo pacem facere; ut, qui adjutor Ecclesiæ & defensor in tribulatione fuerat, in compositione pacis Ecclesiasticæ socius & particeps fieret. Rex vero Vuillelmus Romualdo Secundo Salernitano Archiepiscopo* (quo videlicet nos Chronologo etiam utimur in præsenti) *& Rogerio Comiti Hadriæ & Magistro Connestabili & Magno Justitiario totius Apuliæ & Terræ Laboris, per litteras suas dedit in mandatis, & honorifice præparati simul cum Papa in Lombardiam pergerent, & pro parte regia componendæ pacis cum Imperatore tractatui interessent.* Id quod etiam fecerunt.

DLIX. Septimus supra Millesimum centesimum septuagesimum subierat a *Christi* Nativitate Annus; A.C. 1177
cum *Alexander* Papa, perhonorifice a multis Cardinalibus & a *Siculi* Regis Legatis plurimisque aliis comitatus (undecim galeis omnes vehebantur) mense Martio ad Portum *Venetiæ*, aura flante secunda, pervenit; *& ibidem* (sicuti verbatim narrat Archiepiscopus idem *Salernitanus*, ac testis oculatus) *cum omnibus suis de galea descendens, in Monasterio Sancti Nicolai, quod dicitur AD LITUS, ipso die quievit. Altera autem die Dux Venetiæ cum magna navium & Populi multitudine, & Patriarcha Venetiæ, simul cum Patriarcha Aquileiæ, & omnibus suis Suffraganeis, ad pedes Alexandri Papæ humiliter accedentes, ipsum processionaliter cum summo honore & gloria usque ad Sancti Marci Ecclesiam deduxerunt. In qua, facta oratione, Populum benedixit. De hinc navem Ducis cum ipso simul ingressus, usque ad Palatium Patriarchæ veniens, in ipso hospitio se recepit. Episcopi autem & Abbates vicinarum Partium, adventu Papæ cognito, omnes cum suis Clericis ad ejus vestigia devote & humiliter accesserunt.*

DLX. Non multo post *Salernitanus* Archiepiscopus (nec ab ipso diffident *Alexandri* Acta) hunc in modum prosequitur: *Fridericus autem Imperator, qui apud CÆSENAS morabatur, cum adventum Papæ in Venetiis cognovisset; Magdeburgensem Archiepiscopum, & Electum Vuormatiensem, & Protonotarium suum ad eum transmisit: affectuose postulans, ut, si ei placeret, locum futuri Colloquii a Bononia transmutaret. Non enim sibi tutum fore arbitratur, Christianum Cancellarium suum cum aliis Nunciis illuc dirigere; eo quod ejusdem Loci Civibus odiosus esset pariter & offensus; quia eos in bello devicerat, & injurias plurimas & damna intulerat. Quibus Papa respondit: Imperator, Legatorum nostrorum & Lombardorum consilio communi pariter & assensu, tractatum pacis apud Bononiam habere disposuit. Quod ergo de communi voluntate est dispositum, non debet sine communi consilio immutari. Qua de causa Alexander Papa Cardinalibus, qui erant Ravennæ, Archiepiscopis, Episcopis, & Abbatibus, Potestatibus Consulibus & Rectoribus Lombardiæ mandavit, ut ei Ferrariam occurrerent, quatenus communicato eorum consilio Imperatori de loco, in quo habendum esset pacis Colloquium, & de aliis suis petitionibus responderet. Ipse vero, cum Venetiis diebus esset quindecim demoratus, per mare Lauretum venit. Dehinc per Padum Ferrariam cum galeis undecim in Dominica Passionis ascendit: ubi ab Episcopis multis,*

tis, & ejusdem Urbis Civibus, & magna Populi multitudine, quæ illuc propter feriam, quæ illic celebrabatur, convenerat, satis est magnifice & honeste susceptus. Proxima vero Septimana Ravennas Archiepiscopus cum suis Suffraganeis, MEDIOLANENSIS ARCHIEPISCOPUS (*Algisius* nempe *Pirovanus*) *CUM EPISCOPIS ET ABBATIBUS LOMBARDIÆ, Potestates, Rectores, Consules & multi Prudentes DE CIVITATIBUS LOMBARDIÆ, Ferrariam ad Alexandrum Papam festino gressu lætabundi venerunt: quos Papa paterno affectu, prout decuit, benigne satis & jucunde suscepit.*

DLXI. Sed rursus adhuc cum eodem Chronologo progrediamur. *Altera vero* (subdit) *die cum eis in Majori Ecclesia Sancti Georgii, congregata Populi multitudine magna convenit. Quos, facto silentio, tamquam filios taliter est alloquutus.* Cum igitur apud eos multa disseruisset de malis Ecclesiæ a *Friderico* per Schisma illatis, ac de mutata demum ipsius voluntate, qua nunc pacem atque concordiam Ecclesiæ deposcebat; in hæc denique flexit: *Et licet Imperator nos de pace Ecclesiæ & Dilecti in Christo Filii & Illustris Regis Siciliæ apud Anagniam per suos Nuncios requisierit, & eam, vobis absentibus* (*Lombardos* singillatim alloquitur) *perpetrare voluerit; Nos tamen, ARDOREM VESTRÆ FIDEI ET DEVOTIONIS firmiter recolentes; considerantes etiam, QUALITER VOS MURUM PRO DOMO JERUSALEM OPPONERE STUDUISTIS, ET QUALITER PRO STATU ECCLESIÆ ET LIBERTATE ITALIÆ VIRILITER DECERTASTIS, oblatam nobis Imperatoris pacem recipere sine vobis nolumus; ut, sicut fuistis socii tribulationis, participes sitis gaudii. Inde est, quod, non attendentes honoris proprii dignitatem, nec causati corporis fatiscentis ætatem, nec Maris veriti tempestatem, Nos & Fratres nostros labori & periculo exponere non timuimus; sed ad vos per ignem & aquam indubitanter accessimus; ut, vestro communicato consilio, oblatam Imperatoris pacem* (*si Ecclesiæ & illustri Regi Siciliæ & vobis conveniens fuerit & idonea*) *suscipere debeamus.* Hæc *Alexander* ad *Lombardos* nominatim. Quæ nos quidem, sicut & sequentem responsionem, nec procul a vero, neque cum alicujus injuria, de nostris *Mediolanensibus* in primis & ante alios intelligi posse ac debere, fidenter arbitramur.

DLXII. Audi vero, quid *Lombardi* protinus ad hæc ipsa responderint. *Postquam Alexander Papa* (prosequitur illico Romualdus) *suo sermoni finem imposuit, Lombardi, in utraque Militia diligenter instructi* (*SUNT ENIM IN BELLO STRENUI, ET AD CONCIONANDUM POPULO MIRABILITER ERUDITI*) *per Sapientes suos taliter Apostolico responderunt: Venerande Pater & Domine, universa Italia pedibus se Vestræ Dominationis inclinat, & suæ devotionis obsequia cum gratiarum actione multiplici Vestræ Beatitudi repræsentat. Lætatur autem plurimum & exultat, quod Pater ad filios, Prælatus ad subditos, Dominus ad subjectos est dignatus accedere; ut errantes oves a luporum morsibus potenter eripere, & ad caulas Ecclesiæ prudenter valeat revocare. Persecutionem, quam Vobis & Ecclesiæ Imperator intulit, magis opere quam sermone cognoscimus: & persecutionis ejus molestias, quas Mundus auditu didicit, nos in nostris tribulationibus experimento sentimus. Primo enim nos ejus impetum sustinuimus: primo nos illius furori objecimus: &, ne ad destruendam Italiam, & libertatem Ecclesiæ opprimendam propius posset accedere, nostrorum corporum & armorum obice prohibuimus.* NOS PRO HONORE ET LIBERTATE ITALIÆ, ET ROMANÆ ECCLESIÆ DIGNITATE SERVANDA IMPERATOREM CUM SUIS SCHISMATICIS NEC RECIPERE NEC AUDIRE VOLUIMUS: *& ob hoc expensas non modicas, labores plurimos & angustias, damna rerum, pericula mortis & corporum subire non refutavimus. Et inde* (*Reverende Pater*) *satis est conveniens, & rationi plurimum consentaneum, ut oblatam Vobis Imperatoris pacem non solum sine nobis non recipere, sed nec etiam audire debeatis. Ipse namque sæpe nobis pacem sine Ecclesia obtulit, nec recepimus: concordiam nobiscum sine Vobis facere voluit, nec admisimus.* MAGIS ENIM VOLUMUS GUERRAM ILLIUS CUM ECCLESIÆ UNITATE INCURRERE, QUAM PACEM EJUS CUM ECCLESIÆ DIVISIONE SERVARE. *Quod autem Personam Vestram & statum vestrorum exposuistis periculo & labori; Paternitati Vestræ super hoc de abundanti respondemus.* NAM PRO PAUCIS LABORIBUS MULTOS REPENDIMUS, PRO PAUCIS PERICULIS MAJORA RECEPIMUS, DUM PRO HONORIS VESTRI ET ECCLESIÆ GLORIA INDIFFERENTER EXPENDIMUS, ET PRO LIBERANDA ECCLESIA NOS ET NOSTROS FILIOS MORTI EXPONERE NON RENUIMUS. *Sciat autem Vestra Sanctitas, & Imperialis Potentia evidenter agnoscat, quod nos gratanter Imperatoris pacem salvo Italiæ honore recipimus, & ejus gratiam libertate nostra remanente præoptamus. Quod ei de antiquo debet Italia, libenter exsolvimus, & veteres illi justitias non negamus. Libertatem autem nostram, quam a patribus nostris, avis & proavis hæreditario jure contraximus, nequaquam relinquimus: quam amittere nisi cum vita timemus.* MAGIS ENIM VOLUMUS GLORIOSAM MORTEM CUM LIBERTATE INCURRERE, QUAM VITAM MISERAM CUM SERVITUTE SERVARE. *Quod autem Illustrem Regem Siciliæ ad consortium nostræ pacis adsciscitis; gratum nobis resider plurimum & acceptum; quia eum amatorem pacis & cultorem justitiæ recognoscimus.* &c. Talia *Lombardorum* Sapientes ad *Alexandrum* Papam. E cujus & quorum sermone satis quidem jam liquet, minime postea perseveratum in ea fuisse pacis conditione, quam Num. 555. Pontifex initio exegerat: videlicet, ut *Ænobarbus* pacem cum Imperatore itidem *Constantinopolitano* iniret. Quod ideo fortasse factum fuit, quia non modo pax sed etiam induciæ inter eos, longe minus essent possibiles, multoque plures paterentur difficultates: atque componi nullatenus possent, nisi cum longinqua temporis diuturnitate, quæ nimium esset obfutura unitati Ecclesiasticæ, quam summopere intererat ejurato Schismate quantocyus redintegrari. Sic ego jam conjectaram; cum *Blondum Flavium*, Decadis Secundæ Libro 6. non procul ab initio, hac de re ita scribentem animadverti: *Satis memores sumus, supra a nobis scriptum esse, Alexandrum Pontificem pro Hemanuele Constantinopolitano Imperatore pacem æque ac pro Rege Siculo semper antea postulasse; ut mirari cogamur, Imperatorem ipsum in conclusione Venetiis facta* (de qua nos suo loco) *fuisse præteritum. Sed quod Scriptores non tradunt, e quibus hæc sumimus; nostra fert opinio, ipsum Imperatorem, tunc a Turcorum Soldano, sicut ostendimus, interceptum, a Pontifice pro mortuo fuisse omissum.* Talia *Blondus*. Inter hæc profecto pacis molimina contigit ea *Manuëlis* clades; sicut etiam e *Romualdi* Chronico & *Alexandri* Papæ Actis constat. Quod si propterea *Manuelem Alexander* pro mortuo non habuit; distentum certe illum talibus credidit curis; quæ, locorum longinquitati superadditæ, plurimum Ecclesiæ cum *Ænobarbo* pacem retardare, interimque Schisma prorogare perniciosissimum possent.

DLXIII. Inter illa, quæ ad pacem ineundam spectarent, primum omnium constitui rursus jam oportebat, quem in locum ambæ Partes conventuræ essent; quippe cum *Fridericus*, mutato consilio, *Bo-*

Bononiam coire detrectaret; sicuti Num. 560. videbamus. Nunc autem per suos Legatos *Ferrariam* missos sibi potius ille deposcebat *Papiam*, vel *Ravennam*, vel *Venetias*: *Lombardi* vero *Bononiam*, vel *Placentiam*, vel *Ferrariam*, vel *Paduam* præoptabant; sicut in *Alexandri* Actis continetur. Cumque ceteris etiam iis Urbibus Imperator anteponeret *Venetias*, *ubi utræque Partes* (sic enim apud Archiepiscopum legitur *Romualdum*) *possent sine timore pergere, & cum securitate manere*; *Venetos* ex adverso *Lombardi* suspectos habebant; præciseque illos asserebant *pacis cum eis initæ fœdera violasse*, *& sæpe Imperatoris Nuncios contra hoc, quod statutum inter eos fuerat, recepisse*. Dies aliquot hæc ibi altercatio eodem teste Archiepiscopo duraverat; cum iidem *Lombardi*, suadentibus Regis *Siciliæ* Nunciis, voluntati Pontificis obsecuti, se *Venetias* ituros promiserunt; si tamen *Dux cum Populo Veneto juratoriam cautionem præstaret* (hæc utique sunt ex *Alexandri* Actis) *quod, antequam pax confirmata firmiter esset, sine consensu Papæ Imperatorem Venetias nullatenus intrare permitterent*, *& venientes illuc*, *seu redeuntes*, *nullo modo impedirent*. Quod quidem *Veneti* postea cum juramento promiserunt. Quocirca *Venetias* subinde ventum fuit.

DLXIV. Septem Cardinales *Alexander* pro parte sua pacis arbitros ac mediatores delegerat. Sic etiam *Lombardi* pro parte sua totidem hosce Viros primarios delegerunt: *Taurinensem videlicet*, *Bergomensem*, *& Comanum Episcopos*; *& Astensem Electum:* GERARDUM DE PESTA MEDIOLANENSEM, *& Godo Veronensem*, *Judices: & Albertum de Gambara Brixiensem Civem.* Hæc autem in Chronico *Romualdi* verbatim leguntur. Ceterum *Taurinensis* ille Episcopus erat *Milo*, *Mediolanensis* antehac Ecclesiæ Archipresbyter, de quo alibi jam diximus. *Comanus* vero sive *Comensis* Episcopus & *Astensis* Electus, absque dubio contra suos quisque Cives, *Friderici* nunc & Antipapæ asseclas, Fœderatis adhærebant *Lombardis*: a quibus alioqui pro parte sua non fuissent in Arbitros & Conciliatores pacis electi. GERARDUS quoque PESTA (aliter DE PISTIS, vel PISCIS, vel DE PISCIS) officio Judex erat *Mediolanensis*; sicut etiam ipsum infra videbimus appellatum. Hunc utique *Mediolanenses* ad pacis Colloquium pro parte sua direxerunt una cum *Rogerio Marcellino*, e Consulibus uno: quem nos Num. etiam 515. connumeratum videbamus ejus Anni Consulibus. Et hinc quidem corrigenda est Actorum *Alexandri* Papæ lectio apud *Baronium* hoc Anno septuagesimo septimo, Art. 27. ubi inter eos, qui condictæ paci cum juramento Kalendis Augusti subscripserunt, hi quoque ante alios *Lombardos* leguntur: *Ex parte vero Lombardorum jurarunt*, *qui præsentes erant*, *scilicet DE MEDIOLANO GERARDUS PISCIS*, *ROGERIUS ET MARCELLINUS CONSULES*. Melius in *Parisiensi* eorundem Actorum editione, per *Felicem Cantelorum*, Bibliothecæ Vaticanæ Custodem, curata. In qua sic habetur: *DE MEDIOLANO GERARDUS PISTIS, ET ROGERIUS MARCELLINUS CONSUL.*

DLXV. *Cumque a Cardinalibus* (ita quippe cum eodem *Romualdo* nos item progredimur) *quos Venetias miserat* (Alexander) *de securitate a Duce & Populo præstita responsum idoneum accepisset*; *nono die mensis Maji cum Regis Nunciis galeas ingressus*, *sequentibus eum Cardinalibus & Lombardis*, *eo die per Padum Lauretum descendit. Altera vero die per mare Sanctum Nicolaum, qui dicitur AD LITUS, applicuit. Tertia autem die a Duce & Populo Venetiæ*, *Patriarcha & universo Clero*, *primo ad Sanctum Marcum*, *de hinc ad Patriarchæ Palatium cum magna gloria est & honore deductus. Postquam autem Cardina-*

A *les & Lombardi*, *qui Papam fuerunt subsecuti*, *Venetias applicuerunt*; *Papa Mediatoribus pacis injunxit*, *ut in Cappella*, *quæ erat in Palatio Patriarchæ*, *convenientes*, *primo de pace Lombardorum*, *quæ prolixiori indigebat tractatu*, *haberent colloquium: de pace Regis & Ecclesiæ*, *quæ quasi una est*, *postmodum tractaturi.*

DLXVI. Sequitur *Romualdus*: *Cum hoc autem factum esset*, *& rationes multiplices fuissent hinc inde prolatæ*; *tandem Christianus Cancellarius pro parte Imperatoris distincte rem triplicem proposuit*, *dicens: Petit a vobis Imperator & postulat*, *ut aut de Regalibus & his quæ ad eum pertinent*, *quæ vos detinetis*, *illi justitiam faciatis: aut Sententiam*, *a Judicibus Bononiæ*
B *apud Roncaliam contra vos pronunciatam*, *executioni mandetis: vel ea*, *quæ antecessores vestri Seniori Henrico reddere consueverunt*, *illi faciatis.* Talis utique pro Imperatore fuit Archiepiscopi *Moguntini* a *Lombardis* postulatio.

DLXVII. Audi nunc, quemadmodum ei protinus responderit *Mediolanensis* ille noster unus e septem pacis Moderatoribus, quos *Lombardi* delegerant, ut suo nomine tractatui pacis interessent. Ita quippe *Romualdus* illico subdit: *Quo audito*, GERARDUS PESTA, MEDIOLANENSIS JUDEX, *pro parte Lombardorum respondit: Nos quidem Imperatori*, *undecumque nos appellaverit*, *parati*
C *sumus sicut Domino justitiam facere. Sed quia hæc instantia non est unius hominis sed multorum*, *non unius Civitatis sed plurium*; *secundum causarum merita inducias postulamus*; *ut deliberantes plenius super his*, *quæ nobis objecta fuerunt*, *competenti loco & termino apud communem Judicem responsuri veniamus. Quod autem dixisti*, *apud Roncaliam a Bononiensibus Judicibus contra nos Sententiam fuisse prolatam*; *plane inficiamur*; *eam non fuisse Sententiam*, *sed Imperatoriam jussionem.* CUM ENIM PLURES EX NOBIS, NEC PER CONTUMACIAM, FUISSEMUS ABSENTES; *quicquid tunc contra nos dictum fuit*, *nobis nocere non debet*, *nec pro Sententia reputari. Secundum*
D *Leges enim in absentes prolata Sententia nullius est roboris vel valoris. Quod vero postulasti*, *ut ea Imperatori reddere deberemus*, *quæ Seniori Henrico a nostris antecessoribus sunt soluta*; *respondemus*, *quod prænominati Imperatoris Dispositiones pariter & Statuta propter antiquitatem temporis jam pene perdidere memoriam: nec vivit aliquis nostrum vel vestrum*, *qui bene possit illius temporis dicta vel facta recolere. Item Imperator Henricus* (*salva auctoritate Imperii*) *non debet Dominus sed Tyrannus vocari. Cum enim misisset manum in Sanctum Domini*, *& Paschalem Papam super Altare cepisset: & cum multas Ecclesias destruxisset*, *& Episcopos excæcasset*; *ejus facta*, *velut crudelia & tyrannica*,
E *non sunt trahenda ad consequentiam*, *vel ad memoriam revocanda. Sed si Imperatori placuerit ea*, *quæ antecessores nostri Juniori Henrico*, *Conrado*, *& Lothario*, *& ei usque ad hæc tempora reddiderunt*, *recipere*; *parati sumus in pace persolvere. Quod si hoc Imperatori grave residet & videtur*; *pacem*, *quæ inter nos & eum per Cremonenses tractata fuit*, *& in scriptis redacta*, *volumus firmiter observare: QUÆ EO TEMPORE COMPLETA FUISSET*, *NISI QUIA IMPERATOR VOLEBAT*, *NOS AB ECCLESIÆ UNITATE RECEDERE*, *ET ALEXANDRI PAPÆ PONTIFICIUM DENEGARE. Provideat ergo super hoc vestra discretio*, *si*, *QUIA SCHIS-*
F *MATI CONSENTIRE NOLUIMUS*, *debeamus nostræ pacis conditionem deteriorem efficere.* Hactenus *Gerardus* ille *Pesta*. Cui quidem Responsioni dum nemo unus, nisi quoad tertium tantummodo caput, contradixit; vel ex hoc intelligi posse videtur, duo priora capita sese ita prorsus pro rei veritate habuisse, quemadmodum *Mediolanensis* hic noster in Adversariorum conspectu tanta fiducia dicendique libertate peroraverat. Vel

hinc ergo nobis jam liceat etiam tanto minus admirari, quod Majores nostri, priusquam septem inde menses elaberentur, ab iis desciverint, quæ tunc apud *Roncaliam* promiserant. De quibus in promptu est *Otthonis Morenæ* Historia *Laudensis* in Annum Millesimum centesimum quinquagesimum octavum, Novembri mense, postquam prima obsidione *Fridericus Mediolanum* sibi subegisset, ac plures ducentis obsidibus accepisset. *Hoc autem sic peracto* (ajebat *Ottho Morena*, deque judicio illo apud *Roncaliam* tunc peracto loquebatur) *Dominus Ubertus Mediolanensis Archiepiscopus una cum Consulibus Mediolani, omnesque alii præsentes Lombardiæ Episcopi, Comites, Marchiones, Duces, cæterique Italiæ Principes, ac omnium Lombardiæ Civitatum Consules, ibi astantes, publice in Colloquio ipso surgentes, in manu ipsius Imperatoris omnia, quæ prædicti Judices JURA REGALIA, esse dixerant, refutaverunt, & ei fidem de ipsis omnibus fecerunt: statimque Imperatore eis omnibus sub nomine fidelitatis firmiter præcipiente, ne ipsi amplius se de ipsis rebus intromitterent; omnes, unusquisque tamen per se, amplius se de ipsis rebus non intromissuros, unanimiter spoponderunt. Insuper etiam veram & perpetuam pacem ibi omnes inter se & cum omnibus aliis personis deinceps se firmiter tenere juraverunt: & promiserunt PONERE SIGNUM AQUILÆ SUPER CAMPANILE ECCLESIÆ MAJORIS, in signum fidelitatis: ac etiam, quod Mediolanenses liberarent centum nonaginta Papienses, quos habebant carceratos. Ultra hoc Mediolanenses privavere se de multis rationibus & dignitatibus, obtentis a diversis Pontificibus & Imperatoribus: ac etiam præcepit eis Imperator, ut servarent pacem perpetuam suis vicinis.* Hæc igitur ibi tunc *Mediolanensibus* non jure, sed per vim extorta, nec ullius vere roboris ac valoris; uti *Pesta* differebat. Ceterum *Henricus* ille Senior, cujus mentio proxime fiebat, *Henricus* Tertius Imperator fuit, ac verius Tyrannus: cui, quia nimium fuisset adversus Pontificem contumax, nos quoque Num. 306. Annoque *Christi* Millesimo centesimo sexto dicebamus) detracta fuisse Insignia Regni, ejusque Filio, pariter *Henrico* (hic autem Patris sui comparatione Junior fuit appellatus) confestim tradita.

DLXVIII. Quidnam vero Sectatores *Friderici* responderunt iis, quæ *Pesta* noster super tertio illo capite differuerat? *Cum autem Scriptura* (pergimus enim adhuc una cum *Salernitano* ejusmodi Chronologo, his tunc omnibus præsente) *de tractatu pacis habita, & per Cremonenses Lombardis aliis delegata, producta fuisset in medium; cœperunt Theutonici quibusdam scripturæ capitulis diligenter opponere, & eorum sensum ad suæ partis commodum retorquere, quædam vero capitula denegare. Econtra Lombardi cœperunt illorum responsiones suis responsionibus confutare: & his, quæ objecta fuerant, satis studiose resistere. Ad comprobanda vero capitula, quæ ipsi negaverant, cœperunt Cremonensium, licet essent inimici, testimonium invocare. Cumque super his capitulis diebus esset plurimis disputatum, & nihil penitus definitum; ex utriusque partis convenientia, quæcumque hinc & inde dicta fuerant, ad Papæ audientiam sunt relata. Alexander autem Papa, utpote vir eruditus & sapiens, considerans Imperatoris & Lombardorum pacem multis esse controversiis & quæstionibus involutam, nec eam posse brevi spatio temporis consummari; tractatu pacis postposito, cœpit cum eis de treguis sex annorum* (alicubi legitur *septem*) *agere; sperans, per treguas ad consummationem pacis facilius posse perveniri. Tunc etiam Theutonicis de pace Regis Siciliæ verbum proposuit: affectuose postulans, ut Imperator cum eo aut pacem perpetuam, aut temporalem usque ad annos quindecim faceret: in veritate sciturus, quod nullatenus pacem ejus & Ecclesiæ posset habere, Rege Siciliæ in discordia remanente.* Hoc quidem temperamento *Alexander* optatæ pacis & unionis Ecclesiasticæ moras abrumpi posse omnes, ac simul etiam *Siculi* Regis ac *Lombardorum* sibi fœdere junctorum curam & rationem haberi existimavit. Cumque consilium ipsius Imperatori nunciatum esset; ipse quoque ad extremum eidem acquievit; sicuti late *Romualdus* in suo Chronico prosequitur.

DLXIX. *Clozam* interea progressus fuerat Imperator. Inde igitur a *Venetis* per honorifice cum sex galeis ad Sanctum *Nicolaum* AD LITUS deductus, ibidem postera die per Nuncios Pontificios ab excommunicatione rite absolutus fuit. *Dux autem Venetiæ* (verba sunt ejusdem *Romualdi*) *cognito, quod Imperator ab excommunicationis esset nexibus absolutus; cum Patriarcha & magna Cleri ac Populi & navium multitudine usque ad Ecclesiam Sancti Nicolai illi obviam venit: quem in navi sua recipiens, usque ad litus Sancti Marci satis honorifice & pompose deduxit. Imperator autem de navi descendens, simul cum Duce, Patriarcha, & Episcopis suis, & Clero & Populo Venetiæ, ipsum cum Vexillis & Crucibus processionaliter præcedente, usque ad Ecclesiam Sancti Marci, ante cujus atrium Alexander Papa cum Episcopis suis & Cardinalibus, cum Patriarcha Aquilejæ, Archiepiscopis & Episcopis Lombardiæ* (ac proinde cum nostro etiam *Mediolani* Archiepiscopo, *Algisio*) *ecclesiastico more ornatis, honorifice residebat, pedes accessit. Cumque ad Papam appropinquasset; tactus divino spiritu, Deum in Alexandro venerans, Imperiali dignitate postposita, rejecto pallio, ad pedes Papæ totum se extenso corpore inclinavit.* QUEM ALEXANDER PAPA CUM LACHRYMIS BENIGNE ELEVANS, RECEPIT IN OSCULO, ET BENEDIXIT: *moxque a Theutonicis* TE DEUM LAUDAMUS *est excelsa voce cantatum. Imperator autem, apprehensa Papæ dextera, ipsum in Ecclesiam introduxit: &, accepta ab illo benedictione, ad Palatium Ducis cum suis rediit. Papa vero, cum Cardinalibus & Nunciis Regis iterum galeas ingressus, ad suum hospitium rediit.* Quæ vero deinceps *Venetiis* gesta fuerint per id tempus, quo Pontifex & Imperator ibidem manserunt: super his tam *Romualdi* Chronicon, quam ejusdem Pontificis Acta consulantur. Quibus quidem Actis hæc similiter descripta insunt, quæ demum recitavimus.

DLXX. Imperator inde discessit tertio decimo Septembris die: ac *Ravennam* perrexit, per *Spoletinam* Vallem in *Thusciam* descensurus. Pontifex autem in mense mox Octobri cum quibusdam Cardinalibus abiit, quatuor *Venetorum* galeis vectus, ac *Sipontum* applicuit: tum exinde per *Trojam* & *Beneventum* festinus *Anagniam* revertit. Sic etiam de nostro Archiepiscopo ceterisque *Mediolanensibus*, qui *Venetias* pro pace componenda concesserant, dubium nobis non videtur, quin circiter hoc idem tempus ad Patriam redierint.

DLXXI. Octavum & septuagesimum Sæculi hujus Annum narrando ingressus *Romualdus* Archiepis- A.C. 1178.
copus *Salernitanus*, ita prosequitur: *Papa Alexander*, ALIQUANTIS DIEBUS APUD ANAGNIAM DEMORATUS, *invitantibus eum Romanis, cum summo honore & gloria in festo Beati Gregorii* (mensis est Martii duodecima dies) *Urbem fæliciter est ingressus. In qua, juxta morem Romanorum Pontificum, in diversis Ecclesiis secundum studia ab antiquo dispositis, processionaliter & pompose procedens, Missarum Officia solemniter celebravit. Imperator vero, a Ravenna usque in Vallem Spoletinam descendens, per Thusciam & Januam, usque in Lombardiam rediit, Moguntino Archiepiscopo circa partes Urbis ad Papæ Alexandri obsequium derelicto. Cum autem prænominatus Imperator in partibus Taurini in æstate aliquanto fuisset tempore demoratus:* ET CUM LOMBARDIS PACEM PRO VELLE SUO COMPONERE NON PO-

POTUISSET; *cum suis in Alemaniam rediit.* Hæc *Romualdus.* Quibus a nobis superaddi par est, quæ *Sigonius* hoc ipso Anno sic scribit: *Fridericus Parma Genuam cum Beatrice uxore & Henrico filio se contulit: ac per aliquot ibi dies moratus, & pro eximia Civitatis liberalitate donis amplissime cultus,* MEDIOLANUM PERREXIT. *Adventus ejus a Mediolanensibus, omnibus in speciem obliteratis injuriis, incredibili honore concelebratus est. Inde Comensi itinere in Germaniam transiit, Christiano Archiepiscopo ad res Italiæ moderandas & Populos in fide continendos relicto.* Atqui *Gualuaneus* sic etiam *Flamma* in Chronico Majori Cap. 296. hac de re ita scriptum reliquerat: *Qui* (Fridericus) *vadens in Alamaniam, per quinque annos ibi moram contraxit:* ET TRANSIVIT PER CIVITATEM MEDIOLANENSEM, HONORIFICE SUSCEPTUS: Auctor vero Chronici *Flos florum*, fol. 152. pag. 1. insuper addidit, ET TREGUAM REFORMAVIT: illam utique sexennem, quæ *Venetiis* Anno superiore sancita jam fuerat, ex Augusti tunc Kalendis inchoanda. Quod si *Friderici* hoc tempore ad Urbem *Mediolanum* adventus tanto fuit cum honore ac pompa concelebratus; quidni etiam nobis in præsenti videatur ad Basilicam & Monasterium istud hospitatus? Hic quidem postea nobis memorabitur tunc temporis hospitatus, quando post pacem demum *Constantiæ* decretam & juratam *Mediolanum* revertit.

DLXXII. Satis profecto testatum jam videri debet, quam clementer ac benigne Pontifex *Alexander* se gesserit erga *Fridericum* Imperatorem, ad saniora consilia reversum, pedibusque jam suis reverenter advolutum. Absit a nobis, ut credamus, illum talibus huic insultasse modis, quales a nonnullis Scriptoribus, etiam nostratibus, venditantur: adeo ut Imperialem quoque ipsius capiti Coronam pede restituerit, manu scilicet restituere dedignatus. Sic enim scribere ausi sunt *Gualuaneus* noster in Chronico Majori Cap. 296. & Auctor Chronici *Flos florum* fol. 152. pag. 1. Quibus quidem in præsenti satis sit ea opponere, quæ Cardinalis *Baronius* in Annum superiorem Art. 86. sapienter observavit. Ceterum si quis adhuc fortasse aliquid ambigit; attendat ille obsecro, quanta cum humanitate idem Pontifex Pseudopontificem illum, de cujus electione nos Num. 509. dicebamus, exceperit pœnitentem, jamque ab Imperatore ceterisque fautoribus destitutum, detestatum, nec habentem, ubi tutus consisteret. Sic enim de ipso *Romualdus* inquit: neque nos pigeat in hoc enarrando paululum immorari: *Anno Dominicæ Incarnationis Millesimo centesimo septuagesimo octavo, mense Augusti, undecima Indictione, quarta die stante ejusdem mensis, videlicet in festo Decollationis Beati Joannis Baptistæ, Joannes de Struma, qui & a suis Callixtus appellatus est, reatum suum cognoscens, Montem Albanum deseruit, & apud Tusculanum ad pedes Papæ Alexandri cum quibusdam de suis Clericis humilis & devotus accessit. In conspectu Cardinalium & multorum, se peccasse, publice confessus est, dicens: Domine Venerande Pater, peccatum meum manifeste confiteor: & auctoritate Imperiali contra Deum & sanctam Ecclesiam & Vos egisse cognosco. Sed nunc, reversus ad cor, delictum meum recolo & veniam a vestra pietate deposco. Omnem hæresim & schisma abjuro, & Vos in Dominum & Universalem Patrem totius Ecclesiæ devote recipio. Quem Alexander Papa,* UT ERAT PIUS ET HUMILIS, *non objurgavit & reprehendit,* SED SECUNDUM SIBI INNATAM MANSUETUDINEM BENIGNE RECEPIT, DICENS: *Frater, gaudium est Angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente, Quod suggestione diabolica unitatem Ecclesiæ scindere voluisti, multum doluimus: &, quod inspirante Domino ad ejus unitatem redire voluisti, plurimum congaudemus. Romana Ecclesia, quæ juxta Jesu Christi magisterium inimicos diligere consuevit, te hodie pœnitentem in filium recipit, & pro malis bona tibi retribuere procurabit.* DIE CRASTINA ALEXANDER PAPA EUM ET IN CURIA ET MENSA SUA HONORIFICE HABUIT. Quanto igitur & benignius & honorificentius erga Imperatorem ille sese gessisse credendus est?

DLXXIII. In hunc ipsum Annum bina nobis ex Archivo domestico suppetunt Documenta, quibus multa scitu digna continentur; sed eorum primo illud in primis, quod super omnia nobis jam fatebamur ac rursus fatemur optatissimum pariter ac charissimum esse; clausulam nempe illam de hoc Sancti *Ambrosii* Monasterio perenniter adhuc pronunciatam UBI EJUS SANCTUM REQUIESCIT CORPUS. Primum igitur ejusmodi Documentum verbatim sic se habet:

IN Domine Domini. Veniens ad Nos Rectores Lombardiæ, Marchiæ, Romagnolæ, qui convenimus ad Colloquium parmæ (scilicet Guillielmum de Ossa de Mediolano, Ardizonem Confanonerium Brixiæ, Amabeum Veronæ, Obertum de Bonifacio Placentinum, Guillielmum de Mapello Pergamensem, Eleazarum Laudensem, Guidotum Reginum, Malvetium de Mantua, Pium Mainfredi Mutinæ, Albericum de Padua, Astulfum de Tarvisio, Rodulfum Bononiensem, Mainfredum Parmæ) Ardericus de Bonate, vir industrius de Civitate Mediolani: significavit Nobis, quod ABBAS MONASTERII SANCTI AMBROSII, UBI EJUS SANCTUM CORPUS REQUIESCIT, *cum in judicio Consulum Cumanorum cum Communi de Bellasio per Millionem Monachum suum & Procuratorem diutius contendisset, petens a prædicto Communi restitutionem viarum, per quas* HOMINES DE CIVENA ET LEMONTE *soliti sunt ire ad prata & ad buschum & ad montes ipsius Monasterii: & ut restituerent ipsas possessiones sibi: scilicet prata* DE POLLADRO, *&* VARIOLO, *&* VOLERMNO, *&* BUNANTO, *&* DE MOLIA, *&* DE INGINA, *& de pratis* DE GEASCA: *& ne impediant* HOMINES IPSIUS ECCLESIÆ DE LEMONTE ET CIVENA *pasculare, buscare, fœnare, & quod utile est facere in* MONTE BELLASINO, *sicuti cernitur per cohærentias, scilicet Grosegalla, & Lucinum, & de Nesti, & de Pernascho; Consules de Bellasio a petitione ejus Sententia Cumanorum Consulum fuerunt absoluti; a qua Sententia Abbas Beati Ambrosii per suum Procuratorem legiptime appellavit. Cumque Nos Rectores idem Abbas sæpius super causa appellationis interpellasset; Litteras nostras ad Consules de Bellasio, terminum tam Mantuæ quam Parmæ pro eadem causa statuendo, transmisimus; in quibus etiam, Nos cognituros & pronunciaturos, si apud Nos sui copiam non facerent, continebatur. Cum itaque ad Nos venire, seu aliquam excusationem prætendere despexissent; Nos, licet amplius in causa ipsa procedere possemus, & penitus eam definire; consilio multorum Sapientium, qui Nobiscum erant; IPSUM ABBATEM, SCILICET JOHANNEM REVERENDUM, QUI MODO ILLI MONASTERIO PRÆEST, in possessionem omnium prædictarum rerum de quibus contentio erat, mittimus, & possessorem constituimus; ita videlicet, ut a modo in antea Monasterium Beatissimi Confessoris Ambrosii commodo possessionis fruatur, & Commune de Bellasio onere petitionis gravetur. Si vera sunt quæ in Precibus continerentur; item quod legiptime appellatum fuit; & Consules de Bellasio ex parte nostra & semel convincti fuerunt; sicut in Litteris nostris, quas recognovimus, continetur. Et hoc dicimus, salvo jure principalis causæ: & ipsi Abbati in possessionem prædictarum rerum ingrediendi per se & suos Procuratores potestatem concedimus: & etiam Ongarum, ad inducendum*

eum in possessionem, nostrum Procuratorem facimus. Actum in Palatio Episcopi Parmæ fæliciter Anno Dominicæ Incarnationis Millesimo centesimo septuagesimo octavo, quinto decimo die mensis Septembris, Indictione undecima. Interfuerunt Albertus de Regio, Ardericus Misso, Gerardus Pistus, Rossonatus de Lampuniano, Oldenrandinus Notarius, & plures alii. Ego Mainfredus, qui vocor Benbonus; Judex ac Notarius, ex præcepto prædictorum Rectorum hanc Chartam Possessionis scripsi, & interfui.

DLXXIV. Alterum nunc sequitur hujus Anni Documentum, cui sua ipse manu *Algisius* Archiepiscopus subscripsit: quodque ad pleniorem sui notitiam requirit, ut hoc item loco ea recolantur, quæ nos Num. 223. præmisimus. Authenticum vero istud est, atque hujusmodi:

ANNO Dominicæ Incarnationis Millesimo centesimo septuagesimo octavo, primo die Novembris, Indictione duodecima. Cum CORAM VENERABILI ALGISIO, SANCTÆ MEDIOLANENSIS ECCLESIÆ DEI GRATIA ARCHIEPISCOPO, *ventilaretur quæstio inter Marchisium Sighifredi, Consulem loci* TRINATE, *& Miranum de Sabloneto, ejusdem Loci vicinum, ex parte Communis ipsius Loci: & ex altera parte Johannem de Busuzo, MONACHUM MONASTERII SANCTI AMBROSII, QUI MODO CONCESSIONE SUI ABBATIS PRÆEST ECCLESIÆ SANCTI SEPULCHRI DE IPSO LOCO, ex parte ipsius Ecclesiæ: quæ talis erat. Dicebant namque prædicti Consul & Miranus, quatenus præfatus Johannes reddat eis, quod de pasculo seu vigano istius Loci accepit: & de cætero de ipso vigano seu Communi nullo modo utatur: affirmantes, hoc nonnisi rusticos ipsius Loci habitatores, & onera vicinorum sustinentes, facere licere. Ipsum vero Johannem, prædicti Loci habitatorem, & sedimen, in quo inhabitat, esse territorii ipsius Loci, prædicti Consul & vicinus penitus inficiabantur. E contra ipse Johannes respondebat, dicens; sedimen, in quo inhabitat, & in quo ista Ecclesia fundata est, territorii istius Loci esse, & ad suam manum in eodem territorio terram colere, & magnam partem territorii istius Loci ad prædictam Ecclesiam pertinere: & insuper per Sententiam super simili quæstione obtinuisse proponebat. Cumque ipse Domnus Archiepiscopus per Sententiam hanc causam finire foret paratus; ibi ipsi Marchisius & Miranus dederunt guadiam in manu istius Johannis: Quod stabunt, & stare facient omnes vicinos suos Mandato, quod ipse Domnus Archiepiscopus, vel ejus Nuncius, fecerit per Transactionem de hac causa, in pœna librarum quinquaginta. Et insuper omnia eorum bona pignori obligaverunt. Versa vice ipse Domnus Johannes dedit guadiam prædictis hominibus: Quod adtendere faciet* ABBATEM BEATI AMBROSII EJUSQUE FRATRES *prædictum Mandatum. Et sic posuit ejus fidejussorem Semorinum. Ibi Johannes Causidicus, Assessor suprascripti Domni Archiepiscopi, præcepit per ejus parabolam, ut de cetæro ipse Johannes, ejusque successores, utatur de vigano seu Communi prænominati Loci, sive sit tensatum, sive non; sicut alius vicinus de ipso loco utitur ipso Communi & vigano sine fraude: & in hoc sit contentus. Actum in Civitate Mediolani, in Camera ipsius Domni Archiepiscopi.*

✠ EGO ALGISIUS, MEDIOLANI ARCHIEPISCOPUS, SUBSCRIPSI.

Ego Johannes, Causidicus, præceti, ut supra, & subscripsi.

Interfuerunt Domnus Algisius Cimiliarcha, Magister Rolandus, Girardus Marcellinus, Guillielmus Cainara, Arnaldus de la Porta, Ardericus Spata, Nuxante & Prevedus Cisxendili, & Anselmus.

Ego Laurentius de Concorezo, Judex, interfui, & prædictas Cautiones scribere rogavi, & scripsi.

A.C. 1179. DLXXV. Quales ad sexennium inducias *Ænobarbus* in Urbe *Veneta* cum *Lombardis*, ac nominatim *Mediolanensibus*, Anno superiore pepigisset, aliquatenus etiam constare poterit e proximo Privilegio, quod Anno jam insequente septuagesimo nono concessit huic *Ambrosiano* Monasterio ANTIZAGUM vero (sicut hic appellatur) *Mediolanensis* Agri est Oppidum: cujus mentio nobis pluries jam supra incidit: quodque populari nunc Lingua communiter INZAGO vocitari dicebamus. Nec ab ipso valde distat BIRIZIACUM, quod a nobis in præsenti BELINZAGO nuncupatur. Inspice vero nunc, quale sit ejusmodi Privilegium. Hinc etiam metire, qualemnam interea nihilominus in *Mediolanenses* jurisdictionem *Fridericus* exerceret, nec ita invisum ac detestabile *Mediolani* tunc foret hoc modo ad ipsius patrocinium ac præsidium confugisse.

FRIDERICUS, DEI GRATIA ROMANORUM IMPERATOR, AC SEMPER AUGUSTUS, ABBATI SANCTI AMBROSII MEDIOLANENSIS *gratiam suam, & bonam voluntatem. Quoniam Imperialis Mansuetudo justis ac rationabilibus Subjectorum, & præcipue Ecclesiasticorum Prælatorum, petitionibus placidam exauditionem, & dignam effectuum adimpletionem præstare tenetur; Nos, attendentes injuriam, quam homines de* ANTIZAGO, CURIA TUA, *recedentes, & in* BIRIZIACUM *se contrahentes, Ecclesiæ tuæ intulerunt, dum occasionem libertatis de loci commutatione sibi usurpantes, tuo subesse districto recusaverunt; Imperiali nostra auctoritate concedimus & damus tibi, ac tuis Successoribus hanc potestatem, ut eos, qui de prænominata Curia tua transmigrarunt, & in* BIRIZIACUM *seu alias fugientes, debitum tibi & Ecclesiæ tuæ servitium subtraxerunt, vel si qui in posterum simile facere præsumpserint, ubicumque locorum, tam in* BIRIZIACO *quam alibi, inventi fuerint, liceat tibi distringere, ac tuis Successoribus, & omne jus, quod in personis eorum aut rebus, si in Curia tua* ANTIZAGO *manerent, haberes, omni prorsus plenitudine, quocumque devenerint, habere, nullo Consule aut Loci cujusquam consuetudine huic nostræ Concessioni, ac tuo juri, ullo unquam tempore obstante. In cujus justitiæ tuæ & nostri instituti argumentum præsentem Paginam, Majestatis nostræ Sigillo roboratam TUÆ DILECTIONI ET ECCLESIÆ SANCTI AMBROSII donamus. Dat. Constantiæ Anno Domini Millesimo centesimo septuagesimo nono, Indictione duodecima, sexto Kalendas Junii mensis.*

DLXXVI. *Gualuaneus Flamma*, & Auctor Chronici *Flos florum*, iis in locis, quæ paulo ante produximus, nec non etiam *Bernardinus Corius*, hoc item affirmabant in septimum ac septuagesimum hujus Sæculi Annum: *Inceptum fuit Navigium DE CAZANO. Tristanus* vero *Chalcus* & *Carolus Sigonius* hoc idem opus in præsentem conjiciunt Annum septuagesimum nonum. An fortasse, quia tunc inchoatum, nunc absolutum? Mirum profecto; quod per hæc tempora *Mediolanenses* nostri tot ac tanta moliri opera potuerint. *Sigonium* audiamus. *In Italia Mediolanenses, Urbi per otium excolendæ intenti,* EMISSARIUM *ex Ticino amne jam multo ante derivatum, ac* TICINELLI *nomine Papiensium agros irrigans, novo alveo juxta* ALBIATUM (lege ABBIATUM, sicut & mox GAZANUM) *effosso,* GOZANUM & CORSICUM (notissima nobis hæc sunt Oppidorum in eo tractu nomina) *deduxere: ac mox ad Urbem usque navigabile reddidere. Quo facto, duo maxima commoda consecuti sunt: unum, quod agros suos uberiores fecerunt: alterum, quod rationem opum ex Verbano Alpibusque devehendarum inierunt.* Hæc *Sigonius*, citra dubium e *Chalco* (sicut & alia multa) pene verbatim mutuatus. Cujus quidem Historiam, tunc solummodo manuscriptam, ipse a se lectam fatetur in Indice Scriptorum, e quibus suam

suam *De Regno Italiæ* Historiam excerpsit.

A.C. 1181. DLXXVII. Octuagesimus supra Millesimum centesimum Annus nobis avolat, nulla re memorabilis. Proximo autem Anno archetypa lectuque digna se offert *Algisii* Archiepiscopi Sententia, quam ecce hic sine mora proferimus:

IN Nomine Domini nostri. CORAM DOMINO ALGISIO, DEI GRATIA SANCTÆ MEDIOLANENSIS ECCLESIÆ ARCHIEPISCOPO. *Conquerebatur Johannes de Bosotio*, MONACHUS MONASTERII SANCTI AMBROXII, *nomine ipsius Monasterii*, *de Petro*, CLERICO DE LIXIA, *quatenus dimitteret ei campum unum, rejacentem* IN TERRITORIO DE LIXIA, *ad locum, ubi dicitur* AD VOVELLUM: *cui cohæret a Mane Manfredus de Silva, a Meridie Sadini, a Sero Ambroxius Gualperti & nepotum, a Monte via: dicens, prædictum campum esse de jure & proprietate Beati Ambroxii: quem Guilicionus Biniti, massarius ipsius Monasterii, fraudolenter & illicite cum ipso Petro commutaverat; præsertim quia hoc sine consensu Abbatis, vel sui Missi, prædictam fecerat commutationem. Unde, prædictum campum jure ad ipsum Monasterium debere devenire, dicebat. Contra prædictus Petrus, prædictum campum de jure & proprietate ipsius Monasterii esse, & ex commutatione prædicta ad se venisse, non diffitebatur; sed dicebat, id esse de longissima consuetudine Terræ; videlicet, quod licebat massariis commutare absque consensu vel licentia Dominorum, dum tamen Domini fictum non amittant. Quod fictum vice massarii se paratum præstare, cum cambium datum rustico exemptione possideat, agebat. His & aliis visis & auditis, Johannes Judex, Assessor ipsius Domini Archiepiscopi de mandato ejus per Sententiam ipsum Petrum condempnavit, ut campum prædictum Monasterio absolute dimitteret. Ibique statim ipse Petrus Clericus refutavit ipsum campum in manum dicti Johannis Monachi ad partem prædicti Monasterii. Et sic finita est Causa.* ACTUM IN PALATIO STATIONÆ.

✠ EGO ALGISIUS, MEDIOLANI ARCHIEPISCOPUS, SUBSCRIPSI.

✠ *Ego Otto, Diaconus & Vicedominus, subscripsi.*

Anno Domini Millesimo centesimo octuagesimo primo, duodecimo die Magii, Indictione decima quarta. Interfuerunt Frassus de Caronno, Boto de Massenago, Domnus Albertus de Osa, & Guido ejus filius, Gulielmus de Ispira, ABBAS DE LIXIA, *Johannes Durantus, & Arditionus ejus filius, Ubertus Caxarius: de familia Domini* (videlicet Archiepiscopi) *Ardericus Spata, Laurentius Prealonus, & Guitacus, & plures alii.*

Ego Johannes, Judex, hanc Sententiam dedi, ut supra, & subscripsi.

DLXXVIII. Nunc de LIXIA, tum etiam STATIONA, nuper in superiori Documento nominatis. Ambo sunt Oppida, quæ in *Verbani* lacus ripa & intra Ditionem *Mediolanensem* consistunt. Primum illud LESIAM, hoc vero secundum ANGLERIAM nunc vocamus. Hæc Archiepiscopo *Mediolanensi*, quoad regimen spirituale, nunc etiam subest; illa vero *Novariensi* Episcopo. Quamobrem de ipsa quoque, tamquam sua, *Carolus* agit *a Basilica Petri*, Episcopus, Libro Primo suæ *Novariæ*, sub Titulo, *Terminatio Vergantis, seu Baveni.* Sed e præsenti tamen Archiepiscopi nostri Sententia (quam in subditum solummodo citra controversiam poterat pronunciare) satis, ut opinamur, constat, eam tunc similiter ipsius potestati ac regimini spirituali simul ac temporali, vel alterutri, vel temporali saltem subjectam fuisse. Ibidem vero tunc, sicut e subscriptione Testium dignoscitur, extabat Abbas, ac proinde Monachorum Monasterium. Certe vero nos etiam Num. 131. in uno e *Caroli* Regis Crassi Privilegiis, huic *Ambrosiano* Monasterio concessis, hæc item verba legebamus: ET *dono*

A *similiter tres mansos* A LEXA *cum omnibus suis adjacentiis & pertinentiis.* Quocirca super iis etiam fortasse prœdiis pronunciata fuit hujusmodi Sententia. Ceterum STATIONA, (sicut etiam ARONA, de qua jam diximus Num. 308. quæve in altero ejusdem Lacus litore juxta ipsam posita est) temporali quoque dominio Archiepiscopi subdita tunc fuisse videtur: indicioque nobis Palatium etiam est illud, nimirum Archiepiscopale, in quo lata dicebatur ejusmodi Sententia. Ejusdem Oppidi sub STATIONÆ itidem nomine mentio habetur in ea Sancti *Arialdi* Vita, quam nos Num. 259. dicebamus a Beato *Andrea* Monacho *Vallumbrosano* conscriptam: hoc est, Cap. 29. Quæ quidem ab ipso conscripta

B fuit Anno circiter Septuagesimo septimo supra Millesimum; sicut e Cap. 33. manifeste apparet. Sic etiam ita nominatur in Sancti *Julii Hortensis* Vita apud *Mombritium*: ibique CIVITAS etiam his verbis nuncupatur: *Postea venerunt* (Sanctus *Julius* & *Julianus*) *ad Insulam modicam, quæ sita est in Lacu,* QUI SUBJACET CIVITATI, QUÆ DICITUR STATIONA. Ejusmodi vero Vitam *Carolus a Basilica Petri* sub ea conscriptam fuisse tempora, quibus necatus fuerat idem Sanctus *Arialdus*, non inscite conjectat in ea Terminatione, quam nos paulo ante produximus. Idemque jam ante sub Titulo *Terminatio Invorii* multa disseruerat de hoc Oppido

C ANGLERIA, sive potius, ut ipse loquendum putat, ANGERA. De qua item sic scripserat: *Quod autem plures scribunt,* STATIONAM, *seu* STAZONAM, *quandoque nominatam esse: verisimile est, a Statione Militari Romanorum evenisse (nam & Alciatus multa collegit ex Loco Romana Monimenta) seu etiam a Statione & Conventu juridico, qui hoc Loco pro Verbani Accolis haberetur. Nam etiam Ducum Mediolani tempore Magistratus hic erat, appellatus CAPITANEUS ANGLERIÆ, qui omnibus Verbani Populis præerat. Fortasse etiam a Statione navium, quibus huc variæ merces potissimum adveherentur. Nam & Regionis Lingua STAZONÆ dictæ sunt officinæ quædam.* Hæc ille. Sed profecto pla-

D cuerit etiam huc contraxisse, quæ in Chronico *Flos florum*, fol. 43. pag. 2. hunc in modum leguntur: *Quidam Princeps, dictus STATIONUS, qui cum Belloveso Italiam intraverat, Angleriam destructam reædificavit, & ex suo nomine STATIONAM appellavit. Ubi & Rex Bellovesus Sedem Regni primo posuit.* Certe autem *Gualuaneus etiam Flamma* in Chronico Majori, Cap. 230. sic & ipse tradit: *Chronica Leonis dicit, quod Obizo erat Comes CIVITATIS STATIONÆ, id est, ENGLERIÆ: & fuit Dux exercitus Constantini Sexti: & combussit Porticum Beati Pauli in Roma, & Princeps exercitus Imperatoris. Et quia in congressu Porticum Sancti Pauli combusserat in Roma; conscientia ductus, volens satisfacere,*

E *Monasterium de Arona ædificavit Anno Domini Nongentesimo sexagesimo tertio, & per maximis possessionibus dotavit. Et quia erat per maximus in Curia Imperatoris, & fecerat quandam pacem inter Imperatorem & Episcopum Perusinum; ipse Episcopus donavit Monasterio de Arona Corpora Sanctorum Martyrum Sinini (sive Felini) & Gratiani.* Ceterum de *Angleriæ* Oppido legantur insuper *Gaudentius Merula De Gallorum Cisalpinorum Antiquitate ac Origine*, Lib. 2. Cap. 15. & *Bonaventura Castillioneus* in Libro, *Gallorum Insubrum Antiquæ Sedes*: & alii.

DLXXIX. Ejusdem hujus Anni supra Millesi-

F mum centesimum octogesimi primi mense sive Augusto sive Septembre (siquidem Historici variant) moritur *Alexander* Papa Tertius: *Vir acer in primis* (sic enim eum par est *Sigonii* verbis commendemus) *& in suscepta Ecclesiæ defensione constans: inimicitiis Friderici, quas non tam moderate exercuit quam fortiter superavit, virtutis memoriæque insignis.* Eidemque

que mox a Cardinalibus substituitur *Lucius* Tertius, cui nomen antehac fuerat *Hubaldus*, Episcopus *Ostiensis*.

A.C. 1183. DLXXX. In Annum secundum supra octogesimum nihil nos memorabile habemus. Subsequens tertius tria nobis hæc dabit: *Friderici* pacem cum *Lombardis*, testimonium adhuc repetitum pro Sancti *Ambrosii* Corpore in hac sua Basilica etiamnum quiescente, primamque *Morimundensis Cistercensium* apud nos Monasterii originem. *Henricus* utique, *Friderici* filius, Coronam *Italici* Regni summopere appetebat: eamque consequi se posse diffidebat, nisi pax cum *Lombardis*, atque adeo *Mediolanensibus*, inita fuisset. Cum igitur *Fridericus* Martio mense Conventum ageret in Urbe *Constantiæ*, ipsum exoravit, ut Legatos in *Italiam* cum liberis de pace mandatis transmitteret. Hos *Placentiam* eo nomine *Fridericus* transmisit. Quod postquam Fœderatæ Civitates cognoverunt; illuc protinus & ipsæ Legatos Prætoresque suos direxerunt. Cumque *Fridericiani* Legati exposuissent, qualia de pace mandata secum attulissent, *Lombardi* vero qualibus eam conditionibus postularent; unanimes protinus omnes *Constantiam* perrexere; remque ibi cum *Friderico* atque *Henrico* præsentibus hoc ipso Anno tertio & octuagesimo supra Millesimum centesimum, septimo Kalendas Julias, Indictione prima confecerunt. Hæc inter alios abunde narrat *Sigonius*: ipsasque Pacis etiam Tabulas exscribit: quæ præterea Jurisconsultissimi *Baldi* Commentariis illustratæ legi possunt in Appendice ad Authenticorum Collationes, sub hoc præcise titulo, *Liber de Pace Constantiæ* &c. Nobis in præsenti satis erit eos nominatim recensere *Mediolanensium* Legatos, qui *Constantiam* profecti Tabulis ejusdem Pacis cum juramento subscripserunt. Erant autem, sicut ibidem nominantur, *Guido de Landriano*, *Pinamonte de Vicomercato*, *Adobatus Bultraffus*, *Gulielmus Burrus*, *Guercius de Saxolla* (Tristano Chalco *Guercius Bussola*) *Aldericus de Bonate*, *Rogerius Marcellinus*, *Loterius* (Chalco *Lanterius*) *Medicus*: quorum aliquot nobis itidem jam nominati Num. 515. videntur. Præ ceteris tamen *Adobatus* postea *Mediolani* nomine Investituram Consulatus a *Friderico* accepit; quemadmodum in eodem Pacis Libro recensetur. Hæc igitur hoc Anno acta fuerunt *Constantiæ* septimo Kalendas Julii.

DLXXXI. Sequitur nunc testimonium illud, quod secundo loco pollicebamur, archetypo hujusmodi Documento consignatum: *IN Nomine Domini. Anno Dominicæ Incarnationis Millesimo centesimo octuagesimo tertio, quinto Kalendas Julii, Indictione prima. Venditionem ad proprium de proprietate, & finem & datum de Feudo fecerunt Guido filius quondam Petri Canis*, QUI PROFESSUS EST LEGE VIVERE LONGOBARDORUM, *& Guilielmus & Petrus filii ejus emancipati, Civitatis Mediolanensis*, DOMNO JOHANNI, SACERDOTI ET MONACHO MONASTERII BEATI AMBROSII, UBI EJUS SANCTUM REQUIESCIT CORPUS, *ad partem & permissum* DOMNI BELTRAMI, GRATIA DEI IPSIUS MONASTERII VENERABILIS ABBABATIS (atque hic ecce nobis etiam novum Abbatem, Joanni antehac demum Abbati substitutum) *ad partem jam dicti Monasterii: nominatius de omnibus*.......... *ædificiis, & sediminibus, & rebus territoriis, quas prædictus Pater & Filii habere visi sunt in Loco* COLOGNIA, *& in ejus territorio & pertinentia; sicut in concordia utriusque partis sunt mensuratæ. De quibus rebus sunt positæ in Feudo tantæ, quæ valeant libras centum tertiolorum, secundum compu*....... .... *solidorum duodecim. Et quæ libræ centum debent consultari & dari in alia terra ipsi Monasterio, cujus fundum erat. Prima petia est sedimen* &c. Sigillatum ergo subinde omnes cum suis cohærentiis enumerantur, tum ceteræ item clausulæ juxta præsentis Contractus opportunitatem adtexuntur. Ac denique: *Et pro pretio prædictarum rerum ipso Guido Canis & Filii ejus confessi sunt accepisse ab eodem Domno Abbate, ex parte ipsius Monasterii, libras trecentas denariorum tertiolorum, minus libras novem, & solidos tredecim; quia sic inter eos convenit. Actum in prædicto Loco*, COLOGNIA. Subsequuntur subscriptiones Venditorum, & aliorum quorundam, qui Venditionem istam confirmarunt de hinc etiam Testium nomina: ac tandem horum subscriptiones Notariorum cum propriis cujusque Signis tabellionaticis: *Ego Ambrosius de Valnexio, Sacri Palatii Notarius, hanc Chartam tradidi, interfui, & subscripsi:* & *Ego Ambrosinus de Valnexio, Notarius Sacri Palatii, parabola Ambrosii patris mei hanc Chartam scripsi.*

DLXXXII. Jam vero tertium illud ac postremum non aliis, quam *Tristani Chalci* hunc in Annum, verbis eloquamur. *Eodem tempore* (inquit ille) *Cistercienses Religiosi, jam quinquaginta annos ante* (atque hoc ille verius, quam *Sigonius*, qui *quadraginta* solummodo dixit) *ad Insubres traducti, sortitique agros, in Ticini ripa Templum formatum, adjuncto Cœnobio: cui de Vici appellatione* MORIMUNDI *nomen est. Id à posteris subinde locupletatum, omnium opulentissimum Sacerdotium est.* Nos tamen ex adverso Vicum potius ipsum credimus appellationem istam e Monasterio accepisse: quod sub ejusmodi nomine conditum fuerit ad imitationem MORIMUNDI *Cistersiensium* pariter Monasterii, *Lingonensem* intra Diœcesim jam antea constructi, celeberrimique. De hoc legi potest *Chrysostomus Henriquez* in Fasciculo Sanctorum Ordinis *Cisterciensis*, Lib. 1. Dist. 3. Cap. 6. & in Menologio die septima Septembris: præterea vero etiam *Claudius Robertus* in Abbatiarum *Galliæ* Nomenclatura. Credibile vero nobis itidem videtur, talem utrique hujus nominis Monasterio appellationem fuisse propterea inditam; quia per vitam religiosam homines Mundo moriantur. Præclare *Hieronymus Platus De Bono Status religiosi* Lib. 1. Cap. 13. *Morimur* (inquit) *Mundo, ejusque operibus, & nobis insuper ipsis, ac voluntati nostræ: & ita morimur, ut non magis liceat nobis Mundo ejusque præmiis vel voluntate nostra uti, quam si plane sepulti essemus.* Quod idem alibi multoties in hoc suo Volumine certe quidem aureo repetit, religiosissimus hic e Societate *Jesu* Theologus.

DLXXXIII. Cardinalis ille ac Legatus Apostolicus, cujus Sententiam nos proxime recitabimus, sua se illi manu subscripsit UBERTUM, atque TITULI SANCTI LAURENTII IN DAMASO PRESBYTERUM CARDINALEM. Hic autem sine dubio est ille, qui postea *Romanum* ad Pontificatum evectus, *Urbani* Tertii nomen assumpsit: atque adeo ille est, qui ante Pontificatum fuerat *Mediolanensis* Archiepiscopus (de quo nos item paulo post agemus) quive jam ante fuerat Archidiaconus. Idem vero Archiepiscopum etiam *Cantuariensem* Sanctum *Thomam* per illud temporis spatium affectatus fuerat, quo ille Patria extorris exilium in *Galliis* tolerabat. Quamobrem *Baronius* in Annum Millesimum centesimum septuagesimum secundum, Art. 13. e quibusdam elogiis, post Historiam Quadripartitam in Codice *Vaticano* collocatis, *Ubertum* quoque istum connumerat inter celebres & insignes plane Viros, gloriosa confessione decoros, qui Sanctum illum Archiepiscopum interea sunt secuti. Nos igitur hoc loco primum addiscemus, quodnam præcise huic Cardinali nomen proprium, quive Titulus etiam Cardinalitius fuerit: quæ quidem *Alphonsus Ciaconius* in Vitis Pontificum *Romanorum* & Sanctæ *Romanæ* Ecclesiæ Cardinalium ignoravit. Simul etiam eundem Cardinalem intelligemus necdum A.C. 1184.

dum fuisse *Mediolanensem* Archiepiscopum ad eam usque diem, qua hoc Anno quarto & octuagesimo talem ille Sententiam pronunciavit: & hinc quidem *Corium Sigonium* & alios nonnullos refellemus, qui eum superiore Anno primo & octuagesimo creatum Archiepiscopum crediderunt, & *Algisio* vita functo subrogatum. *Ciaconius*, de tertia loquens Cardinalium creatione per *Alexandrum* Papam Tertium superiore Anno septuagesimo tertio *Anagniæ* facta in Quatuor Temporibus mensis Septembris, hunc quoque tunc creatum connumerabat his verbis: LAMBERTUS *Cribellus* nobis jam verius nominabitur UBERTUS) *Mediolanensis, ex Archidiacono Ecclesiæ Mediolanensis, Presbyter Cardinalis Tituli S.. .... postea Archiepiscopus Mediolanensis, in locum Algisii vita functi creatus, demum Urbanus Tertius Papa.* His porro mox addit in postrema *Ciaconiani* ejus Operis editione *Andreas Victorellus: Antequam Mediolanensi Ecclesiæ præficeretur, Vercellarum Episcopus fuerat, ex Libello Successorum Sancti Barnabæ.* Quo quidem in Libello re vera sic traditur. Sed *Joannes* quoque *Stephanus Ferrerius*, de suis Episcopis *Vercellensibus* eorumque Septuagesimo scribens, sic inquit: LAMBERTUS, *sive* UBERTUS, *Cribellius, Mediolanensis, ex Archidiacono Ecclesiæ Metropolitanæ Episcopus Vercellensis factus, Anno Millesimo centesimo septuagesimo tertio ab Alexadro Tertio mense Septembris Cardinalis creatur, Anno vero Millesimo centesimo octuagesimo primo Archiepiscopus Mediolanensis. Demum Millesimo centesimo octuagesimo quinto, cum Veronam ad Concilium, quod Lucius Tertius indixerat, accessisset; Lucio mortuo, Pontifex eligitur die Sanctæ Catherinæ; & Urbanus Tertius dictus est.* Talia *Ciaconius*, *Victorellus*, Auctor Catalogi *Successores Sancti Barnabæ*, & *Ferrerius.* Atqui nobis ne illo quidem Anno septuagesimo tertio *Ubertus* hic videtur creatus Cardinalis, neque jam ante *Vercellensis* Episcopus fuisse. Movetque nos publicum istud & authenticum Documentum, quod e Monasterio Monialium Sanctæ *Mariæ* IN VALLIS (aliter IN VALLE) intra Portæ *Ticinensis* fines sitæ, ubi solus olim Sacerdos Titularis habitabat, nuper accepimus ANNO *Dominicæ Incarnationis* (sic enim legitur) *Millesimo centesimo septuagesimo octavo, decimo Kalendas Madii, Indictione undecima. Placuit atque convenit inter Ottonem & Petrum Presbyteros Ecclesiæ Beati Apollinaris, sitæ foris Civitate Mediolani* (Moniales hic pariter nunc degunt, sed *Franciscanæ*; illic vero *Benedictinæ*) *ex parte ipsius Ecclesiæ*, PRÆSENTE ET CONFIRMANTE DOMNO ALGISIO, DEI GRATIA MEDIOLANENSIS ECCLESIÆ ARCHIEPISCOPO, *nec non & inter Johannem, qui dicitur de Limidi, Sacerdotem Ecclesiæ Virginis Mariæ, quæ dicitur* IN VALLIS, *sitæ in ista Civitate, ad partem & utilitatem ipsius suæ Ecclesiæ Sanctæ Mariæ: ut in Dei nomine debeant dare, sicut ad præsens dederunt, prædicti Presbyteri Otto & Petrus, ex parte eorum Ecclesiæ Sancti Apollinaris, præfato Johanni Presbytero, ad partem ejusdem Ecclesiæ Sanctæ Mariæ, ad habendum & tenendum absque ullo ficto præstando libellario nomine, usque in perpetuum: hoc est, vineam unam cum area ejus, quam ipsa Ecclesia Sancti Apollinaris habere videbatur in Territorio de Loco Limidi, ubi dicitur Post casam &c.* Proxime sequuntur multæ clausulæ ad ejusmodi Contractum attinentes. Post quas etiam sic denique concluditur: *Actum in ista Civitate*, IN PALATIO EJUSDEM DOMNI ARCHIEPISCOPI. Tum vero sic etiam est subscriptum: *Signum subscriptionis manuum: Panis de Millio Stampa; Boso de Abiate, Bonabellus de Domo, Testium, & ipsius Prevedi fidejussoris Testium. Interfuerunt Domni*, UBERTUS CRIVELLUS, IPSIUS ECCLESIÆ ARCHIDIACONUS (hic igitur ne hoc quidem Anno septuagesimo octavo jam erat *Vercellensis* Episcopus, vel etiam Ecclesiæ *Romanæ* Cardinalis) *Magister Philippus, Guiscardus Vesconte, ipsius Ecclesiæ Sacerdotes: item* ALGIXIUS, CIMILIARCHA, ET PRÆFATI DOMNI ARCHIEPISCOPI NEPOS (nam istud quoque notatu dignum) *& alii quam plures. Ego Laurentius de Concorezo, Judex, tradidi, & scripsi.* Hæc ibi. Quod si quis fortasse *Ubertum* istum *Crivellum* & Archidiaconum dicat ab eo diversum esse, qui *Vercellensis* postea Episcopus, tum etiam Sanctæ *Romanæ* Cardinalis Ecclesiæ, de hinc Archiepiscopus *Mediolanensis*, ac denique *Romanus* Pontifex fuit; dummodo gratis hoc & sine fundamento non dicatur, nos quidem lubenter admittemus.

DLXXXIV. Sed, his utcumque hunc in modum præjactis, Sententiam nunc ipsam illius *Uberti*, hoc tempore citra dubium Cardinalis, adjiciamus. Talibus concepta verbis archetypo ea exemplari pergameno continetur:

IN NOMINE DOMINI. *Die Mercurii, octavo mensis Februarii, in Civitate Mediolani, in Palatio Domni Cardinalis.* EX MANDATO DOMNI UBERTI CARDINALIS, PRESBYTERI TITULI SANCTI LAURENTII IN DAMASO, ET APOSTOLICÆ SEDIS LEGATI, *Sententiam protulit Rogerius Judex, qui dicitur de Landriano, conscilio Domnorum Ottonis de Sexto, & Oldonis Crivelli, & Jacobi de la Turre, & aliorum, qui omnes erant Assessores prædicti Domni Cardinalis, super controversia, quæ vertebatur inter* DOMNUM BELTRAMUM, GRATIA DEI ABBATEM MONASTERII SANCTI AMBROSII CIVITATIS MEDIOLANI chem, amice Lector, hic item nobiscum gratulare) UBI EJUS SANCTUM REQUIESCIT CORPUS, *per suum Missum, Arnoldum, Monachum ipsius Monasterii, & ex altera parte Sacerdotes & Clericos Ecclesiæ Sancti Joannis de Bellaxio, quæ Ecclesia est in Episcopatu Cumano, per suum Procuratorem & Missum, Anselmum, Sacerdotem jam dictæ Ecclesiæ. Lis enim talis erat. Petebat siquidem ipse Abbas, quatenus præfati Sacerdotes & Clerici de Bellaxio redderent & restituerent sextaria decem & septem baccarum olivæ Rusticis suis* DE LEMONTE & CIVENNA, *quibus ipse Abbas vendiderat illas baccas: & quas baccas præfati Sacerdotes & Clerici abstulerant, vel auferre fecerant, manu armata prædictis Rusticis de quodam* OLIVETO SANCTI AMBROSII, *quod est* IN LOCO LEMONTE JUXTA ECCLESIAM SANCTI GENESII, *quæ Curtis est, quam Ecclesiam & Curtem cum mansis sex terræ, & triginta quatuor inter servos & ancillas* DOMNUS IMPERATOR LOTHARIUS *ex vetustissimo tempore* ECCLESIÆ SANCTI AMBROSII DONAVIT *cum omnibus pertinentiis ejusdem Curtis, casis videlicet, & vineis, olivetis, campis, silvis, pascuis, aquis, aquarumve decursibus, vel omnibus adjacentiis, seu pertinentiis suis; sicut in pluribus Instrumentis Donationum ipsius Domni Lotharii* (vide supra Num. 60. 61. 104. & 106.) *continetur. Et quam Donationem* DOMNUS KARULUS REX PIISSIMUS *postea confirmavit; sicut in quodam alio Instrumento* (*Carolus* hic est *Crassus*: cujus hac etiam de re duo extant Privilegia Num. 130. & 131.) *continetur: necnon* DOMNUS OTTO REX (tam Primus Num. 172. quam Tertius Num. 193. & 194.) *in quodam Instrumento postea confirmavit. E contra prædictus Presbyter Anselmus ex parte jam dictæ Ecclesiæ de Bellaxio se ad restitutionem præfatarum baccarum non teneri dicebat: & hoc tribus rationibus. Immo vice mutua conquerebatur apud jam dictum Cardinalem, ut super principali quæstione, scilicet super jure decimationis ipsius Oliveti, quod in solidum ad præfatam Ecclesiam Sancti Joannis de Bellaxio pertinere proponebat, pronunciaret: & ut ipsum Abbatem,* Cle-

Clericos ipsius Ecclesiæ Sancti Joannis colligere decimam prædicti Oliveti, deinceps inquietare non permitteret; tum quia Domnus Anselmus Cumanus Episcopus, apud quem quondam Joannes Abbas præfati Monasterii Sancti Ambrosii prædictos Sacerdotes & Clericos de aliis baccis, alio tempore sibi ablatis, conveniebat, statuerat, ut ipse Johannes Abbas de jure decimationis ipsius Oliveti, quod ipsi Clerici Ecclesiæ suæ fore dicebant, apud se responderet, & Sententiam ejus definitivam audiret. Allegabant enim prædicti Clerici, quendam Monachum ipsius Monasterii jurisdictioni ipsius Episcopi se sponte subposuisse, & cum Nunciis & Vasallis ipsius Monasterii sæpius apud ipsum Episcopum causam egisse. Tandem cum ipse Abbas apud jam dictum Episcopum neque iret, neque nuntium mitteret; ille Episcopus tanquam per contumaciam, præfato Abbate absente, prædictos Clericos in possessionem ipsius Oliveti misisse adfirmabat. Ad quæ omnia præfatus Arnaldus Monachus ita respondebat: In primis Ecclesiam Sancti Johannis esse Plebem, & eam habere universitatem decimationis ipsius Territorii de Lemonte: & ipsum Domnum Abbatem Johannem, vel ejus Monachum, se subposuisse jurisdictioni ipsius Monasterii (legendum est *Episcopi*) *inficiabatur. Quæ omnia si constarent; prædicta Ecclesia Sancti Ambrosii nihilominus deberet optinere; & hoc pluribus rationibus. Primo, propter prædictas Donationes Imperatoris, cujus erant omnia jura ipsius Loci;* QUIA OMNIA, QUÆ IBI HABEBAT, PRÆFATÆ BASILICÆ SANCTI AMBROSII DONAVIT. *Secundo, quia Curtis est ipsa Ecclesia Sancti Genesii. Tertio, quia nunquam habuerunt decimam ex ipso Oliveto, nisi ab annis septem infra: & hoc per vim, sicut ipse Anselmus sæpius confessus est. Quarto, quia domicultile est illud Olivetum, & semper ad suum donicatum ipse Abbas & sui Antecessores detinuerunt. Quinta ratio est, quod Monachi non debent decimas dare de laboribus & nutrimentis suis. Ultima, quia* LOCUS DE LEMONTE EST IN EPISCOPATU MEDIOLANI. *Et quia ipse Anselmus decimam grani, quod seminabatur in ipso Oliveto, semper habuisse dicebat, licet non baccarum; propterea decimam baccarum se habere asseverarat: quod adversa pars prorsus diffitebatur. Super longissima possessione ipsius Oliveti, & baccis Rusticis suis ablatis, prædictus Abbas sufficientes Testes produxit. Prædictus vero Anselmus ex parte jam dictæ Ecclesiæ Testes produxit, minus tamen sufficientes. Et tunc ibi ipse Arnaldus Monachus, Procurator ipsius Abbatis, cavit jamdicto Anselmo Presbytero, Procuratori Ecclesiæ de Bellaxio, ipsum Abbatem, qui aberat, & prædictos Rusticos rem ratam habituros, sub pœna librarum centum. Et ipse Anselmus Presbyter similiter cavit eidem Arnaldo, prædictos Sacerdotes & Clericos de Bellaxio rem ratam habituros, sub eadem pœna. His ita auditis, & diligenter inquisitis, & ex parte prædicti Abbatis multis visis Instrumentis Donationum & Confirmationum, quæ in hac Notitia non continentur; prædictus Rogerius Judex præfatum Anselmum ex parte Sacerdotum & Clericorum de Bellaxio, ut ad triginta dies supradictos decem & septem sextarios baccarum præfato Abbati Sancti Ambrosii ad partem ipsorum Rusticorum restituat, condempnavit; deinde super principali quæstione, id est, super jure decimationis, detulit jusjurandum prædicto Abbati; ut juraret per suum Advocatum, jus decimationis prædicti Oliveti neque in toto neque in parte ad præfatam Ecclesiam Sancti Johannis de Bellaxio pertinere; aut referret ipsi Anselmo Sacerdoti; & ipse Anselmus juraret, jus decimationis præfati Oliveti ad Ecclesiam Sancti Joannis de Bellaxio in solidum pertinere. Postea vero alia die proximo sequenti, coram Domino Ottone de Sexto, Assessore prædicti Domni Cardinalis, ipse Abbas Beltramus ipsius Monasterii, ut supra, juravit. Et tunc ipse Domnus Otto super principali quæstione, de jure decimationis, a petitione facta ex parte jam dictæ Ecclesiæ Sancti Johannis de Bellaxio memoratum Domnum Beltramum Abbatem ipsius Monasterii Sancti Ambrosii, absolvit. Et sic finita est Causa. Anno Dominicæ Incarnationis Millesimo Centesimo octuagesimo quarto, prædicto die, Indictione secunda. Interfuerunt Domnus Obertus Modoetiensis Archipresbyter, Domnus Girardus Canonicus Ecclesiæ de Modoëtia, Montenarius Judex, Albertus Cacalancia, Anricus Mainerius, Ardericus Cassina, Onricus de Cimiliano, Anricus de Marliano, atque Guillielmus Capellus.*

✠ EGO UBERTUS, TIT. SANCTI LAURENTII IN DAMASO PRESBYTER CARDINALIS, ET APOSTOLICÆ SEDIS LEGATUS, SUBSCRIPSI.

Ego Ambrosius de Valnexio, Notarius Sacri Palatii, scripsi.

DLXXXV. Fallimur profecto, longeque fallimur; si quisquam e Lectoribus nostris jam erit, quem maxime non pudeat vel etiam tantillum dubitare, an sacrosanctum Patroni nostri *Ambrosii* Corpus etiamnum in hac sua Basilica quiescat, nec alio fuerit hactenus translatum. Atqui nos ne propterea quidem abstinebimus in posterum ab eorum commemoratione Documentorum, quibus ejusmodi tantum pudor adaugeri adhuc possit, quæve ceteroqui silentio transigeremus. Hoc igitur etiam Anno in eundem præcise finem tale istud ex parte nunc proferimus: *ANNO Dominicæ Incarnationis Millesimo centesimo octuagesimo quarto, tertio decimo Kalendas Martii, Indictione secunda, investivit per mercatum, ac intrandi in possessionem parabolam dedit Lafrancus, qui dicitur Polvare, de Civitate Mediolani,* DOMNUM BELTRAMUM, DEI GRATIA MONASTERII SANCTI AMBROSII, UBI EJUS SANCTUM REQUIESCIT CORPUS, ABBATEM, *ad utilitatem ipsius Monasterii, nominatim de sedimine uno cum terra, quam ipse Lafrancus habere visus est in Loco & Territorio* COROGNA, *veluti continetur & legitur in Imbreviatura una ibi visa & lecta, pro pretio denariorum bonorum Mediolanensium novorum libris octoginta duabus* &c. *Actum in isto Monasterio.* Et huic quidem authentico Documento subscriptum ita denique post aliquot Testium nomina legimus: *Ego Petrus, Abbas, Sacri Palatii Notarius, tradidi, & scripsi.*

DLXXXVI. Quod bene prosit: hoc tandem Anno quadam nos in posterum saltem absolvimus cura, quæ multo jam ex tempore nos satis anxios ac solicitos habuit. Etenim tamquam ex alta specula, in omnem intenti occasionem, cunctabundi circumspectabamus, quonam ex tempore apud nostros *Mediolanenses* Annus Incarnationis Dominicæ inchoaretur, hoc est, an a die Martii mensis vigesima quinta. Ecce igitur hoc tandem Anno eum deprehendimus ante illam diem inchoari solitum per hæc saltem fuisse tempora. Etenim superiora duo præsentis Anni Documenta æqualiter asseruntur data Dominicæ Incarnationis Anno Millesimo centesimo octuagesimo quarto, Indictione secunda; cum alioqui prima Indictione viderimus data, quæ superiore Anno in mensem Junium recitabamus. Et tamen isthæc ambo data fuerunt ante vigesimam quintam Martii diem. Primum quippe illud jam vidimus datum die octavo mensis Februarii: secundum vero istud tertio decimo Kalendas Martii, sive decima septima ejusdem Februarii die. Consequens est igitur, ut hic ipse Dominicæ Incarnationis Annus jam fuisset inchoatus ante certum illum ac solemnem Dominicæ Incarnationis diem, ac Martii mensis vigesimum quintum. E quanam vero præcise die fuisset antehac inchoatus: istud quidem nos hactenus latet. Quod si non modo per hæc tempora servatum apud Majores nostros id fuit, sed etiam pariter ab eo primum ini-

initio, quo Annos ab Incarnatione *Christi* computare incœperunt; tum vero nobis etiam reliquum esset, ut in superioribus aliquando Annorum seriem a nobis servatam emendaremus; quæve juxta usum *Romanum* conjecta sunt aliquando in Annum subsequentem, retrotrahenda forent in eum, qui proxime fuerat exactus. Quod quidem interea monuisse sit satis.

A.C. 1185. DLXXXVII. Octuagesimum quintum *Christi* hoc Sæculo Annum nunc aggredimur, amplissimis *Friderici* erga Patriam nostram & *Ambrosianum* istud Monasterium Privilegiis quam maxime insignem. *Subsequenti hyeme* (*Tristani Chalci* textus est) *Fridericus ad Italos sexto profectus est: & undecimo Kalendas Februarias Anni octogesimi quinti Placentiæ Longobardorum Civitatum Legationem audivit. Coiverant ad eum frequentes, affirmandæ Pacis Constantianæ gratia.* Et paulo post: *Ex Placentia Parmam Regiumque progreditur Fridericus. Hic assecuti quatuor Consules Mediolanenses* &c. *& cum his sex alii honesti Cives* &c. (horum quippe Consulum & Civium nomina nos in ipsomet mox Privilegio conspiciemus) *novam gratiam ab eo retulerunt: Ut, salva* PARATICA, *id est, iis, quæ Cæsaribus præstari solita sunt, quotiens Mediolani vel Moguntiæ* (sive Modoëtiæ) *coronantur, redintegrentur jurisdictione totius tractus sui ad Adduam cum statione Leucensi* (& hic errorem mox corriges *Tristani* nostri vocabulum *Stationæ*, de qua nos paulo ante disserebamus, cum *statione* perperam confundentis) *& Transadduanis Oppidis ad Ollium pertinentibus.* Nonnulla ergo *Chalcus* Privilegii hujus capita summatim perstringit. Plura *Sigonius*; at nonnihil etiam incertus. Abunde omnia *Gualuaneus Flamma* in Chronico Majori Cap. 229. quippe cum exemplar ejusdem Privilegii haberet ac legisset in suo Sanct-*Eustorgiani* Conventus Archivo; sicut ipse atteſtatur. Idipsum nos verbatim ad certiorem fidelioremque tantæ rei memoriam ex Archivo pariter *Ambrosiano* depromere (quando forte fortuna nobis illud hic invenire datum est) deque nostra Urbe nonnihil hac in parte mereri constituimus; tametsi satis illud oblongum sit, quantum videlicet subsequitur:

IN NOMINE DOMINI, ET INDIVIDUÆ TRINITATIS. FEDERICUS, DIVINA FAVENTE CLEMENTIA, ROMANORM AUGUSTUS. *Præclaræ Serenitatis nostræ liberalis benignitas ea virtutum gratia pollet, ut, cum universos Fideles suos abundantis clementiæ favore complectatus, illos tamen arctius & specialius suæ familiaritati conciliet, quos fidelitatis perseverantia & devotionis fervore erga Sacram Imperii Majestatem cæteris præpollere perpendit. Circumspectæ itaque discretionis oculo* DILECTORUM FIDELIUM NOSTORUM CIVIUM MEDIOLANENSIUM ATTENDENTES STRENUITATEM, FIDEM, AC DEVOTIONEM: QUO FERVENTIORI CÆTERIS AFFECTU NOSTRÆ IN DIES DIGNATIONI GRATIORES SE EXHIBENT, *tanto honori & promotioni ipsorum ac Civitatis suæ accuratius volumus intendere*, QUANTO NOBIS DATUM EST DE IPSORUM SINCERITATE PERFECTIOREM FIDUCIAM HABERE. *Ea propter Imperiali placuit Clementiæ nostræ, prædictorum Fidelium nostrorum desideriis, nostræ mansuetudinis animum ad commoditatem eorum & laudabilem Civitatis statum applicare; ut Concessiones & Permissiones, quas eis in Pace* (nimirum Constantiæ) *sine censu fecimus pro Nobis & Illustri Filio nostro Henrico Romanorum Rege Augusto, confirmaremus; & insuper Regalia illa Imperii, quæ illis sine censu non concessimus, secundum infrascriptum modum in subscriptis Terris pro censu concederemus; & Pactum, quod subsequitur, cum eis iniremus. Concedimus itaque Mediolanensibus omnia Regalia, quæ Imperium habet* IN ARCHIEPISCOPATU MEDIOLANENSI; *sive* IN COMITATIBUS SEPRII, MARTESANNÆ, BURGARIÆ, LEUCENSI, STATIONÆ, *vel in aliis Comitatibus & Locis extra Comitatus, ubicumque sint, in aqua & terra. Si qua etiam Regalia habemus in Locis, quæ Mediolanenses concesserunt Cremonensibus ultra Abduam; similiter, cum ea recupaverint, eis concedimus. Comitatum autem Seprii, in quo superius & Regalia eis concessimus, sic intelligimus sicut in........ nostro distinctum est, silicet per hos fines: a Lacu Majori sicut pergit flumen Ticini usque ad Padrinianum, & a Padriniano usque Cerrum de Parabiago, & a Parabiago usque ad Caronnum, & a Caronno usque ad flumen Sevisi, & a Seviso usque ad flumen Tresæ, & sicut Tresa refluit in prædicto Lacu Majori. Eo addito, quod de omnibus illis Locis, in quibus Commune Mediolani habet jurisdictionem, quam eis concessimus, vel nunc concedimus, non obsit Mediolanensibus, si quis a tempore Regni nostri, vel ab eo qui a nobis habuit aliquod datum vel scriptum, habeat in supradictis Locis de Regalibus Imperii, unde ille qui datum suscepit, publice non est in possessione. Ab hac concessione Regalium excipimus omnia Feuda & Beneficia antiqua, ab Antecessoribus nostris de Regalibus concessa Ecclesiis vel quibuscumque personis, & etiam......... a Nobis concessa sunt de Regalibus, de quibus possessor manifestam habet possessionem. Et reservata paratica Nobis, quæ debet præstari Filio nostro Illustri Regi Henrico, & omnibus Successoribus ejus,* CUM PRIMO CORONAM REGNI MEDIOLANI AUT MODOETIÆ SUSCIPIENT, *præstanda ab iis, qui ipsam paraticam soliti sunt præstare. Et reservato Modoetiæ, quod Marascalco nostro vel Regis liceat ibi hospitia assignare. Excepto quoque jure appella........... in forma Pacis est comprehensum. Pro iis autem Regalibus, quæ eis nunc concedimus, & in Pace nunc concessimus, debent Mediolanenses præstare Nobis, vel nostro Nuncio, & Successoribus nostris, in Civitate Mediolani a Kal. instantis Martii ad annum pro censu singul. Kal. Martii libras trecentas Imperiales. Ad majorem quoque cautelam & eorum securitatem, talem pro Nobis & Filio nostro Rege Henrico cum Mediolanensibus conventionem fecimus, quæ hinc inde juramento firmata est. Juravit Rudolfus Camerarius noster parabola & in anima nostra, quod Nos bona fide manutenebimus Civitatem Mediolanensem, & quod juvabimus Ecclesiam Mediolanensem & Mediolanenses manutenere omnes possessiones, quas habent & possident, & jura omnia, justitias & rationes, quas habent. Si quas etiam possessiones, jura, justitias & rationes amiserint; adjuvabimus eos bona fide recuperare. Eas autem possessiones, jura, justitias & rationes intelligimus, quas habent in Archiepiscopatu Mediolanensi, sive in Comitatibus prædictis, & in Locis extra Comitatus, ubicumque sint, contra omnes homines & Civitates & Loca Lombardiæ, Marchiæ, & Romaniolæ. Eo tamen tenore, ut Nos pro speciali negotio Papiensium non faciamus guerram Mediolanensibus, nec pro speciali negotio Mediolanensium teneamur facere guerram Papiensibus. Sed si aliqua lis inter eos orta fuerit; Nos bona fide partes nostras interponemus ad componendum, vel ad justitiam faciendam. Si vero Papienses adjungent se alicui Civitati vel personæ ad guerram faciendam Mediolanensibus; Nos teneamur Mediolanenses adjuvare, sicut supra continetur. Et omnes Concessiones seu Permissiones illas, quæ factæ sunt in tenore Pacis sine censu, & quas modo facimus pro censu, cum justitia & ratione eis manutenebimus. Et quod Nos non faciemus specialem societatem cum aliqua Civitate, Loco, vel persona, quæ sit in Lombardia, Marchia, vel Romaniola, absque consensu Consulum Mediolanensium, vel majoris partis, vel omnium.*

Idem etiam sacramentum faciemus præstare Regem Henricum, filium nostrum, in anima sua & parabola sua faciendum ad terminum, quem Consules Mediolani CUM CONSILIO CREDENTIÆ *nobis dixerint. Item idem Rudolfus suprascripto modo parabola nostra juravit, quod Nos bona fide & sine fraude dabimus operam,* UT CREMA INTEGRE REÆDIFICETUR *ad terminum, quem Consules Mediolani* CUM CONSILIO CREDENTIÆ SUÆ *Nobis dixerint, cum ea virtute, quam habemus in Lombardia, Marchia, & Romaniola. Dabimus autem operam hoc modo: commendando, exhortando, præcipiendo personis, Civitatibus, & Locis Lombardiæ, & Marchiæ, & Romaniolæ, sub debito sacramenti & fidelitatis, publice & privatim, bona fide, ut Nobis ad hoc perficiendum & efficax consilium & auxilium præbeant. Si autem infra terminum constitutum aliam fortiam, quam modo habemus, in Lombardia, Marchia, & Romaniola habuerimus; eam ad hoc perficiendum bona fide adhibebimus. Et si infra terminum constitutum id facere nequiverimus; ad idem perficiendum secundum prædictum modum teneamur cum primum poterimus, quousque reædificetur. Siqua autem persona, Civitas, vel Locus, ad hoc perficiendum aliquod impedimentum, ne id fiat, præstare præsumpserit; eum, eosve; vel eas, per districtum sacramenti & fidelitatis, qua nobis tenentur, prohibimus. Et si propter hoc non acquieverint; eos easve in banno publice mittemus, quousque digne satisfecerint. Et si satisfacere distulerint; per sacramentum & fidelitatem proximis Civitatibus Locis & personis præcipiemus, ut eis guerram faciant. Similiter faciemus jurare Regem Henricum filium nostrum ad terminum, quem Consules Mediolani constituent* CONSILIO CREDENTIÆ SUÆ, *quod Cremam manutenebit bona fide, sicut & Nos de ea bona fide manutenenda jurari fecimus. Manutenebimus autem Cremam hoc modo, & ea ope, sicut dictum est de reædificatione facienda. Eo addito, si fuerimus ultra Montes, quod bonum nuncium & litteras mittemus pro simili adjutorio præstando, & impedimento inhibendo, cum inde fuerimus requisiti. Pacti quoque & juramenti formam, quod Mediolanenses Nobis & Filio nostro Romanorum Regi facere debent, præsenti Paginæ duximus inserendam. Curabunt, quod bona fide & sine fraude adjuvabunt Nos & prædictum Filium nostrum manutenere Imperium in Lombardia, Marchia, & Romaniola: & manutenere omnes possessiones, justitias, jura, & rationes, quas habemus in Lombardia, Marchia, & Romaniola:* ET SPECIALITER TERRAM QUONDAM COMITISSÆ MATILDIS. *Si quas etiam possessiones, justitias, jura, & rationes in prædictis Terris, scilicet Lombardia, Marchia, & Romaniola,* ET NOMINATIM DE TERRA QUONDAM COMITISSÆ MATILDIS, *amiserimus, adjuvabunt Nos bona fide recuperare; & hoc contra omnes Civitates, Loca, & personam quamlibet Lombardiæ, Marchiæ, & Romaniolæ. Eo tenore, ut si Nos aut Filius noster Rex Henricus aliquando (quod Nobis licere nolumus) contra Concessiones seu Permissiones factas personis, Civitatibus, seu Locis Societatis, sicut in tenore Pacis continetur, venire voluerimus; Mediolanenses non teneantur hoc sacramento nos adjuvare. Et si aliqua persona, Civitas, vel Locus Societatis contra hoc fecerit, quod Nobis & Filio nostro Regi Henrico in Pace convenerunt; teneantur Mediolanenses Nos adjuvare & Filium nostrum Regem, usque quo venerint ad congruam satisfactionem. Item jurare debent, quod non facient specialem societatem cum Civitate, Loco, vel persona, de Lombardia, Marchia, & Romaniola, absque consensu nostro, vel Regis Henrici Filii nostri. Item Consules* ET CREDENTIA *jurabunt, quod bona fide & sine fraude dabunt Nobis & Filio nostro Henrico Regi rectum consilium de illis negotiis, de quibus ab eis postulabitur a Nobis, vel a Filio nostro Rege Henrico, per Nos, aut certum Nuncium nostrum, aut nostras litteras: nec per fraudem se subtrahent, quin illud dent. Et hoc sacramentum facere debent Mediolanenses a decem & octo annis supra, & a septuaginta infra, bona fide & sine fraude, qui consueverunt sacramenta generalia facere. Et eos, qui non jurabunt propter minorem ætatem, facient jurare cum fuerint majores in quinto anno, si requisitum fuerit. Et renovabunt in singulis decenniis hæc sacramenta etiam illi, qui fecerint, cum requisiti fuerint a Nobis, vel a certo Nuncio nostro. Et ibi statim in conspectu nostro Consules Mediolani, quos Commune ad hoc destinavit, juraverunt, ut supra de eorum sacramento continetur: hi videlicet: Pinamons de Vicomercato, Heriprandus Judex, Adobadus Bultrafus, Ugo de Camerario. Hoc amplius facient Socios suos* ET CREDENTIAM *intra octo dies postquam Mediolani fuerint, jurare, ut supra, & alios Cives Mediolanenses, cum inde a Nobis vel nostro Nuncio fuerint requisiti. Alii quoque Legati, qui cum eis erant, supradictum juramentum juraverunt sine prædicto additamento. Hi videlicet: Rugerius Viccomes, Arnaldus de Mariola, Guillielmus de Ossa, Ardericus Judex de Bonate, Otto Cendararius, Alcherius Bonusvicinus. Interfuerunt huic facto Guillielmus Astensis Episcopus, Vala Pergamensis Episcopus, Conradus Lubicinensis Electus, Obertus Modoetiensis Archipresbyter, Fredericus Præpositus Argentinæ, Frater Tidericus de Silva Benedicta, Chunradus Dux Spoleti, Churadus Marchio Anchonitanus, Gerardus Comes de Los, Conradus Castellanus de Nurimberch, Simon Comes de Spanhein, Dipoldus Comes de Leesgemmide, Bertoldus Italiæ Legatus, Vamerus de Bonlaude, Henricus Dapifer, Conradus Fincerna, Henricus Marschacus de Lutra, Domertus Bentzonis, Rogerius de Osio, Benso Boni senioris, Consules Cremensium. Signum Domni Federici, Romanorum Imperatoris Invictissimi.*

Ego Godfredus, Imperialis Aulæ Cancellarius, vice Domni Philippi Coloniensis Archiepiscopi, & Italiæ Archicancellarii, recognovi.

Anno Regni ejus trigesimo tertio, Imperii vero trigesimo primo.

Actum Anno Dominicæ Incarnationis Millesimo centesimo octuagesimo quinto (non autem octuagesimo quarto, sicut hallucinatus est *Bernardinus Corius*) *Indictione tertia, regnante Domno Frederico, Gloriosissimo Romanorum Imperatore Augusto.*

Datum apud Regium per manum Rudolfi, Imperialis Aulæ Protonotarii, tertio Idus Februarii fæliciter. Amen.

DLXXXVIII. Hactenus Privilegium *Friderici*, erga *Mediolanenses* jam tandem ex infensissimo humanissimi. Quoniam vero in ipso CONSILIUM CREDENTIÆ atque CREDENTIAM nominari conspeximus; nosse præstat, quid ea significent. *Congeries Artistarum* (inquit *Gualuaneus Flamma* in Chronico Majori, Cap. 82.) *dicta* CREDENTIA, *sibi ex Nobilibus præfecerunt Tribunum, quem* CAPUT POPULI *appellaverunt.* Publicus itaque fuit in Urbe Magistratus. De quo legi etiam commode potest *Carolus Sigonius De Regno Italiæ* Anno *Christi* Nongentesimo septuagesimo tertio, Millesimo quadragesimo primo, tum etiam centesimo postea sexto, prope initium Libri Decimi.

DLXXXIX. Superioris fecerat Privilegii mentionem *Tristanus Chalcus*, cum ita prosequitur: *Per idem tempus Algisius Piroveneus, Archiepiscopus Mediolani, tertio Kalendas Aprilis moritur: sepultoque in Majori Æde, ut moris est, sufficitur Ubertus, nobili & vetusta Cribellorum familia Mediolanensi oriundus.* Qua quidem in re *Chalco* etiam ii multum suffragantur Scriptores, quorum testimonio *Algisius* octo annos ac totidem vel etiam novem menses Archiepiscopalem hanc Sedem obtinuisse asseritur. Ejusmodi sunt qua-



quatuor illi nostrorum Archiepiscoporum Catalogi, quos pluries adhuc in testimonium adduximus: primus videlicet insertus Actis Ecclesiæ *Mediolanensis*: secundus a Metropolitano Archipresbytero, tertius ab Urbis Secretario nobis commodatus: quartus autem qui post *Beroldi* Adnotamenta subsequitur. Sic etiam Chronicon *Flos florum* fol. 152. pag. 1. *Donatus* item *Bossius* in suo Archiepiscoporum Catalogo, *Joannes Franciscus Besutius* in sua Historia Pontificali. *Paulus* vero *Morigia* sicut etiam forte sensit, cum novennem *Algisio* Archiepiscopatum adscriberet. Anno igitur supra Millesimum centesimum septuagesimo sexto, decima octava die Aprilis obierat Sanctus *Galdinus*, quemadmodum Num. 543 ac 544. videbamus. Fortasse vero *Algisius* etiam intra mensem postea sublectus illi fuerat, ut Num. 548. & 550. innuimus. Quod si præsenti quoque Anno octuagesimo quinto, trigesima die Martii, ut *Chalcus* scribebat, occubit; jam profecto satis liquet, quam prope ad hanc ejusdem *Chalci* sententiam Scriptores illi accesserint. Hanc utique nos etiam deinceps sequemur.

DXC. Antequam tamen ulterius progrediamur, operæ pretium erit subsequentem *Algisii* querimoniam, & *Mediolanensis* Ecclesiæ per hæc tempora consuetudinem recensere. Quod enim primus ac secundus testis (*Honestus* videlicet de *Cosenigo*, & *Manfredus Oculi Blanci*) pro Canonicis in eo Processu, quem, Anno Millesimo ducentesimo ac ducentesimo primo confectum, aliquoties jam nominavimus, examinati, attestabantur quidem, at non ita expresse: hoc ipsum decimus sextus Testis pro Monachis examinatus, *Petrus de Garlate*, Metropolitanæ Lector, his præcise verbis jam fuerat testatus: *Item dixit, quod consuetudo talis est Mediolanensis Ecclesiæ: Quod Decumani omnes, aut pars major,* QUI SUNT DE NUMERO CENTUM (intra quorum consortium *Ambrosianos* Officiales rogatu *Petri* Abbatis receperat *Thado* Archiepiscopus Num. 115. & 119) *veniunt ad Ecclesiam Majorem, antequam Missa Major ibi incipiatur, in Dominicis diebus & præcipuis Festivitatibus*, ET AD PORTANDAM ARCAM ET IDÆAM. *Interrogatus, quomodo scit; respondit: Quia vidi illuc venire multotiens* PRÆPOSITUM SANCTI AMBROSII, *Præpositum Sancti Nazarii, & Sancti Naboris, & Sancti Stephani, & aliarum Canonicarum Mediolani cum Fratribus suis* (seu Canonicis) *aut cum magna parte eorum, a decem annis supra; sed modo raro veniunt. Unde, sicut credo, vidi* DOMINUM ALGISIUM ARCHIEPISCOPUM *in Presbyterio admodum corrigere illos*, QUI ERANT DE NUMERO CENTUM, *& alios; quia non veniebant in Dominicis diebus & solemnibus Festis ad Majorem Ecclesiam, & ad Annualia Mortuorum; sicut debebant.* Hæc ille. Quippe tunc in Ecclesia Metropolitana non ea residebat Ministrorum copia, quæ talium dierum celebritati sufficeret. Ejusmodi vero etiam consuetudo nobis ex eo deducta videtur, quod olim Ecclesiæ Metropolitanæ Decumani simul essent talium aliarum Urbis Ecclesiarum Officiales; uti Num. 227. disseruimus. Ea vero IDÆA erat Beatissimæ Virginis imago, quam gestatoriæ Arcæ super positam Ministri suppositis humeris deferebant ab Ecclesia Hyemali ad Aestivam: cujus Arcæ simul & Idææ lapideam effigiem videre nunc etiam datur in fronte Ecclesiæ Sanctæ *Mariæ* BELTRADIS.

DXCI. *Fridericum*, ab Urbe *Regiensi*, ubi tertio Idus Februarii superius dederat Privilegium, non multo post *Mediolanum* venisse, luculenter e proximo constabit Privilegio, quod ille quarto Nonas Maji *Ambrosiano* Monasterio indulsit; cum apud hoc ipsum esset hospitatus. Archetypum ejus exemplar nos quidem nullum adhuc invenire potuimus. Sed ex eo tamen rite autenticata nobis suppetunt duo: & unum quidem Anno *Christi* supra Millesimum trecentesimum undecimo, alterum vero decimo nono: illud octavo & vigesimo Januarii die, hoc autem vigesimo tertio Februarii. Quanta vero *Fridericus* huc veniens fuerit ad purum ac sincerum exceptus animorum alacritate, quam effusa prodigaque benevolentia, quantoque apparatu, nobis quidem vel e superiore ipsius Privilegio satis intelligi datur: cui gratis & ingentibus absque dubio animis respondere *Mediolanenses* voluisse, quo quis prætextu inficiari ausit?

DXCII. Quod autem in præsens pollicemur Privilegium, ita prorsus se habet:

IN NOMINE SANCTÆ ET INDIVIDUÆ TRINITATIS. FEDERICUS, DIVINA FAVENTE CLAMENTIA, ROMANORUM IMPERATOR AUGUSTUS. *Circumspecto sane deliberationis Imperatoriæ Majestatis nostræ inter varia Christianæ professionis vota & opera ex officio a Deo nobis credito potissimum proficere judicat ad salutem animarum, Ecclesiarum Dei reverentiam bonorumque suorum diligentem observantiam, & prosperitatem utrorumque fælici statu juris sui liberaliter promulgatam, quatenus dum ad pedes Domini vitam æternam Maria comtemplatur, Martha exteriorum administratione valeat illam opulentius adjuvare. Ea propter cognoscat tam præsens ætas Fidelium Imperii, quam successura posteritas quod* NOS, PRUDENTER ET PIE CONSIDERANTES HONESTATEM MODESTIAM ATQUE RELIGIONEM COENOBII BEATI CONFESSORIS ET DOCTORIS AMBROSII BEATORUMQUE MARTYRUM GERVASII ET PROTASII, AC INTUITU DIVINÆ RETRIBUTIONIS PRO SALUTE ANIMÆ NOSTRÆ DIVA PRÆDECESSORUM NOSTRORUM REGUM ET IMPERATORUM VESTIGIA DIRECTO TRAMITE SEQUENTES, *& autenticis eorum Largitionibus auctoritatem Majestatis nostræ perempniter adhibentes*, *AMBROSIUM VENERABILEM ABBATEM EJUSDEM LOCI* (Beltramo videlicet jam substitutum) *& personas ibidem divino cultui mancipatas & in futurum mancipandas, ET IPSUM MONASTERIUM MEDIOLANENSE, juxta Murum situm, Cum Claustro, PALATIIS, domibus, officinis, & cum omnibus casiis & terris usque ad Muros Civitatis, sicut murorum ambitu circundatum esse videtur, & ECCLESIAM SANCTI MICHAELIS CUM PAROCHIA ET HOSPITALI, & insuper omnia, quæ præfatum Monasterium ad jura nostræ Dominationis pertinentia, nunc & antea de nostræ largitione liberalitatis obtinuit, vel aliunde juste & rationabiliter acquisivit, vel in posterum quibuscunque locis mobilia seu immobilia justo adeptionis titulo obtinere poterit, sub protectione Imperatoriæ Majestatis nostræ suscepimus: & tantummodo ad usum atque sumptum Deo servientium inviolabiliter corroboranda confirmamus. Quæ ad lucidioris evidentiæ certitudinem suis censemus exprimenda vocabulis: ECCLESIAM videlicet SANCTI SATYRI INTRA CIVITATEM CUM PAROCHIA & possessionibus suis: item MONASTERIUM AURONÆ cum omni providentia & regimine, quod Engelberga olim Imperatrix devotissime obtulit in ipsum Monasterium: CURTEMQUE DE PASILIANO cum suis pertinentiis, cum tribus Ecclesiis in ipso Loco, & una in Castaneto de ipsa Curia, cum omni honore, cum districtis, & teloneo, & fodro, cum servis & ancillis ac famulis, cum egressibus & ingressibus, silvis, pascuis, vineis, pratis, ripis, ripaticis, omnia in integrum cum omni subjectione: item possessiones DE TURIGLA cum Ecclesia, & tertia parte decimæ, & quicquid juris habet in villa de Ledegiano: CURTEM DE MONTE cum duabus Ecclesiis, cum servis, ancillis,* vi-

vineis, pratis, campis, silvis, atque molendinis, piscationibus, ripis, ripaticis, paludibus, montibus, collibus, vallibus, planitiebus, & omnia in integrum cum districto & fodro, & cum omni subjectione: CURTEM DE FELICIANO cum omnibus ad se pertinentibus. Quas duas Curtes prædecessores nostri fælicis memoriæ LOTHARIUS ET UGO REGES de propria hæreditate sua pro anima Matris eorum PERTHA eidem Monasterio contulerunt: item possessiones IN SARMAZA: CURTEM DE CIRAXOLA cum octuaginta tribus mansis, cum omni honore, silvis, pratis, pascuis, cum Ecclesia una in honore Sancti Ambrosii, cultis & incultis, ingressibus & egressibus, aquis aquarumque conductibus, omnia in integrum: IN EPISCOPATU VERCELLARUM ECCLESIAM DE QUINTO cum suis possessionibus, ET IN CASTRO IPSIUS LOCI ECCLESIAM SANCTI PETRI cum decimis, primitiis, possessionibus suis: IN CIVITATE PAPIÆ DUAS ECCLESIAS, unam in honorem SANCTI SYRI, alteram in honorem SANCTI PETRI, cum omni providentia & regimine, terram quoque & casas in ipsa Civitate: item IN IGNIANUM cum omni honore & districto, cum ripis & molendinis: IN BADELLO mansos quatuor, cum quarta parte honoris de castro villa territorio: IN CLAVEIS mansos quattuor; item possessiones IN BARADEGLO ET DOMINICASCHO: CELLAM DE CASTERNO cum possessionibus suis, districto, & molendinis: CELLAM SANCTI SEPULCHRI cum omni honore, cum servis, ancillis, famulis, cum possessionibus, piscationibus, districto, & cum omnibus ad eam pertinentibus: item possessiones IN SAMARAGO cum honore, districto: IN LEXIA mansos octo: CURTEM DE CAMPILIONE cum tribus Ecclesiis, & una in Canobio, cum omni honore, cum servis, ancillis, famulis, rupibus, alpibus, piscationibus, districtis, albergariis, prataria, & omnibus ad se pertinentibus in integrum: CURTEM DE DUBINO cum Cella, & cum mansis de Valcellino, qui ad eandem Curtem pertinere dignoscuntur, cum omni honore, cum servis, ancillis, famulis, possessionibus, piscariis, venationibus cum districto, & albergariis: CURTEM DE LEMONTA cum Cella una, cum omni honore, servis, ancillis, pascuis, & piscationibus, albergariis, cum districto, fodro, & omnibus ad eam pertinentibus in integrum, & quicquid juris habet in pescaria pescali: DISTRICTUM ETIAM DE CAPIATE, & quicquid juste possident in ea Curte: Item CELLAM SANCTI DAMIANI cum possessionibus suis, molendinis, ripis, insulis: Item COLLONIAM cum omni honore, districto, fodro, albergariis, molendinis: Item ANTIZIAGO cum omni honore, servis, ancillis, famulis, districto, fodro, albergariis, cum Ecclesia, & decimis: Item terram de PASCARIOLO: ECCLESIAM SANCTI PETRI AD SALAM cum terris suis, Parochia, & decimis: CELLAM SANCTI SYRI AD VEPRAM, cum Parochia, decimis & possessionibus suis, molendinis, ripis, pratis, pascuis, aquis, aquarumque decursibus, cum omnibus ad se pertinentibus: OLEODUCTUM cum Ecclesiis duabus, cum omni honore, servis, ancillis, famulis, cum fodro, districto, tertia parte decimæ: Item VILLAM ALBAM cum possessionibus suis, cum districto, & cum omni honore. Statuimus quoque, & Imperiali auctoritate sancimus, ut nullus omnino in posterum Abbas, vel Prior, vel etiam totus ejusdem Cænobii Conventus, aut aliquis publicæ seu privatæ functionis Missus, vel quæcunque extranea seu domestica persona, ex prædicti Cœnobii possessionibus, mobilibus aut immobilibus, fictum, censum, seu fundum, parvum vel magnum, aliqua occasione alicui dare, præstare, vel solvere, aut aliquo modo a Fratrum & pauperum usibus aliquod alienare præsumat. Et quicquid de jam dictis incommoditatibus ante nostra tempora intro-

A ductum fuerit, nostra Imperiali auctoritate tamquam rem, quæ contra omnem honestatem irrepserit, execramur, & in irritum revocamus, & perpetuo interdicto condemnamus. Sed liceat Abbati, ac Dei Servis sub ipso degentibus, ad suam & pauperum sustentationem, omnibus in integrum ejusdem Cœnobii justis possessionibus libere frui & quiete, sine omnium hominum contradictione; ita quod nullus præter nostram Imperialem Majestatem, magna vel parva seu mediocris persona, Episcopus, aut Archiepiscopus, Dux, sive Marchio, Comes, vel Vicecomes, Castaldio, seu Advocatus, vel Civitas, seu quilibet publicæ vel privatæ functionis Mis- B sus, fodrum, vel datium, sive viaticum, censum, vel aliquod, sine Imperiali auctoritate jus albergariæ, vel convivii, vel cujuscumque servitutis, vel aliquod omnium, quæ ad ejus Cœnobii gravamen & injurias aliquo modo spectare videantur, in ipso Cœnobio, ejusve possessionibus, parvis vel magnis, mobilibus sive immobilibus, intrinsecis sive extrinsecis, de cætero requirere, petere, aut exigere, vel etiam ullam in ipsis parvam seu magnam ulla occasione aliquid constituendi ordinandi disponendive potestatem usurpare præsumat. Nos enim ipsum Cœnobium cum ejus Cœnobijs ac possessionibus universis, quas de nostræ Concessionis largitate nunc habeat, aut in posterum acquiret, nostræ tantummodo Serenitatis regimini, nostræque Clementiæ dispositioni per C omnia subjacere decernimus; ut noster tantummodo Missus, ad hoc specialiter directus, in quibuslibet sibi a nobis injunctis nostra ibi vice fungatur. Abbati vero, Fratribusque religiosis sub ipso degentibus, omnino religiose ibi sub nostræ protectionis munimine vivere, & possessiones, remoto omni alienationis modo, ad usus Deo ibi servientium, & egenorum substentamentum, utiliter ordinare & disponere concessimus: confirmantes prædicto Cœnobio quicquid per emptionem, vel donationem, seu commutationem, per libellum aludii legaliter possidere videntur. Si quis itaque, quod absit, temerario ausu contra hujus nostri Imperialis Edicti Paginam aliquid agere, aut, quod semel a Nobis statutum est, & corroboratum, infringere attemptaverit; mille libras D auri puri pro pœna componat; quarum medietatem Cameræ nostræ, & medietatem injuriam passis. Cæterum supra dicta omnia, quæ Venerabilis Ecclesia Sancti Ambrosii in præsentiarum tenet, vel de cætero per successiones temporum liberalitate Imperatorum & Regum, Largitione Pontificum, oblatione Fidelium juste & rationabiliter poterit adipisci, præsentis Privilegii auctoritate confirmamus; salva in omnibus Imperiali justitia, quam Nos solummodo & Romani Imperatores IN IMPERIALI COENOBIO SANCTI AMBROSII perenni jure tenere, vel possidere debemus. Quod ut verius credatur, & perpetua stabilitate ab omnibus observetur, præsentem inde Chartam conscribi, & Sigilli nostri impressione jussimus insigniri. Hujus rei testes E sunt Martinus Milnensis Episcopus, Vuilielmus Astensis Episcopus, Albrigunus Regitius (aliter *Reginus*) Episcopus, Hildebrandinus Volterranus Episcopus, Ubertus Archipresbyter Modoetiæ, Lupoldus Dux Austriæ, Comes Gerardus de Los, Comes Simon Spanhein, Albertus Abbas Sancti Benedicti super Padum, Vinfredus Abbas Sancti Salvatoris, Martinus de Castello, Diapoldus Comes de Leesgemmide.

Signum Domini Frederici Romanorum Imperatoris Invictissimi.

Ego Gotefredus, Imperialis Aulæ Cancellarius, vice Philippi Coloniensis Archiepiscopi & Italiæ Archicancellarii, recognovi.

Acta sunt hæc Anno Dominicæ Incarnationis Millesimo F centesimo octuagesimo quinto, Indictione tertia, Regnante Domino Frederico Romanorum Imperatore Gloriosissimo, anno Regni ejus trigesimo quarto, Imperii vero trigesimo. Datum Mediolani apud idem Monasterium quarto Nonas Maji. Fæliciter. Amen.

DXCIII. Hactenus hoc item alterum *Friderici* Pri-

Privilegium. Cujus in extremo si quis fortasse dubius hæret, quia datum istud dicatur *anno Regni ejus trigesimo quarto*, cum superius alterum diceretur datum *trigesimo tertio*: & tamen utrumque pariter asseratur datum *Imperii anno trigesimo primo*; meminerit ille, *Fridericum* mense Martio creatum fuisse Regem, atqui Junio coronatum a *Romano* Pontifice Imperatorem; uti jam vidimus Num. 406. 410. 412. & 462. Hoc igitur posterius Privilegium, sicuti quarto Nonas Maji datum, sic etiam vere datum fuit inchoato jam trigesimo quarto Regni ejus anno, sed adhuc perdurante Imperii trigesimo primo. Quamobrem nulla sine dubio hic extat contradictio.

DXCIV. Quod si *Fridericus* olim *Ambrosianum* istud Cœnobium & Basilicam Corporibus Sanctorum *Protasii* & *Gervasii*, vel etiam *Ambrosii*, tanto nimirum thesauro, spoliasset; nobis quidem dubium non videtur, quin longe aliter de Cœnobio ipso ac Basilica locuturus nunc fuisset, aliterque divinæ retributionis intuitu pro salute animæ suæ se gesturus, ut diva prædecessorum suorum Regum & Imperatorum vestigia recto secutus tramite re vera dici posset.

DXCV. Ecce vero duplex jam nobis hoc Anno suppetit ex Archivo domestico exemplum, duobus non impar illis, quæ Num. 463. e *Chapeovillo*, proferebantur: quibus utique Scriptum illud e *Germania Corio* transmissum contendebamus indignum penitus esse, ut authenticum censeretur; quippe quod ea etiam formula careret, authenticis ejusmodi Scriptis usitata, qua videlicet anni Regni seorsim ab Imperii annis numerari consuevissent; præterquam quod nihil profecto illud authentici habebat. Congruenter ad ea, quæ tunc nos innuebamus, vide Lector hic tandem, quid initio Voluminis Authenticarum *Justiniani* Legum tradatur de nominis hujus etymologia. AUTHENTICON *Græce* (sic ibi traditur) *Latine* AUTHORATUM *possis interpretari: hoc est id, cui vel ipsi fides habeatur, quasi accersitis aliunde probationibus haud quaquam indigeat, vel quod a seipso non ab alio dependeat, quasi dicas* ORIGINALE. *Quemadmodum & Author is dicitur, qui ipse facit, non ab alio accipit: & in quo jus est potestas ac dignitas, nec ab alio pendet.* Scite propterea sapienterque *Dominicus* etiam *Gravina* Catholicarum adversus Hæreses Præscriptionum Libro 3. Art. 5. in Conclusione Catholica sic disserit: *Quamvis alicujus, quem non videmus, testificatio ob personæ dignitatem secundum se fidem adstruere possit; tamen quoad nos fidem non habet, nisi talis testificatio sit per testes authenticata.* UNDE AUTHENTICUM SECUNDUM OMNEM LATINORUM USUM *non accipitur pro eo, quod se ipsum probat, vel ex se habet auctoritatem*; SED PRO EO, QUOD MULTORUM ATTESTATIONE COMPROBATUR. *Unde testificationes, juramenta, ultimæ voluntates, etiam Regum, eorumque Decreta in Parlamentis, in tantum secundum nos digna fide sunt, in quantum authentica sunt & multorum testium, aut sigillo authentico comprobata; etsi ratione personarum tam sublimium summam in se habeant authoritatem.*

DXCVI. Concilium, sive potius Colloquium illud, cui Pontificem simul & Imperatorem Anno superiore *Sigonius* existimavit *Veronæ* interfuisse, cujus gratia Imperator illuc pridie Kalendas Augusti accesserit: idipsum merito *Baronius*, *Albertum Krantzium* Lib. 6. (non Metropolis, sicut apud ipsum in ora marginali male citatur, sed *Saxoniæ*) cap. 46. in fine & 47. secutus, affirmat hoc ipso Anno quinto & octuagesimo habitum fuisse. Quocirca hæc, quæ *Sigonius* in superiorem illum Annum subinde conjiciebat, nos constanter in præsentem transferimus: *Fridericus tertio Nonas Novembris adhuc in Villa Sancti Zenonis prope Veronam fuit. Verona inde digressus Mediolanum accessit: atque ibi magno rerum apparatu Henricum filium, qui se subsecutus advenerat, per Lambertum Archiepiscopum* (nobis Ubertum) *Regem Italiæ, faventibus Mediolanensibus, coronavit.* Qua de re *Gualvaneus* item *Flamma* in Chronico Majore Cap. 298. sic tradit: *Fredericus Barbarubea Imperator, de Alemania exiens, intravit Italiam. Et perveniens ad Civitatem Mediolani, cum mirabili honore receptus est. Et post aliquot dies venit Henricus filius ejus Rex Alemaniæ: & petiit coronari per Archiepiscopum Mediolanensem.* ARCHIEPISCOPUS UBERTUS DE CRIVELLIS IPSUM INCORONAVIT IN ECCLESIA SANSANCTI AMBROSII. Hæc ibi *Gualvaneus*. At in Manipulo Florum Cap. 210. & 212. eadem referens. *Henricum* ceteroqui narrat ab *Algisio Pirovano* coronatum: nec aliter *Donatus Bossius* in Chronico *Mediolanensi*, & *Ludovicus Cavitellius* in Annalibus *Cremonensibus* ad Annum superiorem octuagesimum quartum (ubi eum appellat *Aloysium*) arbitrantur. Catalogus vero Actis Ecclesiæ *Mediolanensis* insertus, itemque alter *Successores Sancti Barnabæ* inscriptus, idipsum *Miloni*, qui postea *Uberto* successit, adscribere videntur; ut suo postea loco recitabimus. De *Algisio* nulla quidem jam nobis hæret ambiguitas. At neque *Uberto* potius, quam *Miloni*, adjudicare audemus; tanta brevitas temporis ab eo effluxit, quo *Fridericus Mediolanum* ab Urbe *Verona* venisse potuit, ad illud usque tempus, quo *Ubertus* ad *Romani* Pontificatus fastigium evectus est. Etenim si tertia Novembris die *Fridericus* adhuc apud *Veronam* morabatur; certe *Ubertus* sub ejusdem mensis finem *Lucio* Papæ Tertio *Veronæ* defuncto ac tumulato suffectus statim fuit, cum ipse jam ibidem consisteret. Consulatur inter alios *Baronius* hoc Anno Art. 11. & rursus Anno subsequente Art. 1. & 2. Quid, quod etiam juxta ea, quæ mox ibidem Art. 3. recitantur, *Fridericus* ne interim quidem ab Urbe *Verona Mediolanum* venisse videtur? *Veronæ* sic etiam *Lucius* Papa Imperatori responderat, se nolle Imperialem Coronam *Henrico* imponere, nisi eam *Fridericus* ipse prius deposuisset; sicut idem *Baronius* Articulo mox 4. recitat ex *Arnoldo Lubecensi*. Eandem pariter ob causam *Ubertus* ipse postea factus Pontifex (sicut ex eodem *Arnoldo* legitur apud *Baronium* altero subsequenti Art. 3.) talem illam Coronationem detrectabat. *Dicebat enim*, UT A SUO PRÆDECESSORE INSTRUCTUS ERAT, *quod minime Imperatoris Filium Imperialibus insigniret, nisi ea Pater primum deposuisset.* Fortasse igitur (tanquam e Pontificis *Romani* voluntate) ne interea quidem temporis, quo demum Archiepiscopus erat, Regiam *Mediolani* Coronam *Henricus* ab *Uberto* accepit.

DXCVII. Inter alios hujus Ævi Chronologos *Gotfridus* celebratur *Viterbiensis*: qui, cum Regis olim *Conradi* Tertii, ac deinde *Friderici* Primi Imperatoris, & filii ejus *Henrici* Sexti Notarius esset, Chronicon, titulo PANTHEON, conscripserit, ac Domino Papæ *Urbano* Tertio, *Mediolanensi* nostro nuncuparit. In fine autem Partis Decimæ septimæ sic ille scribebat: *Anno ab Incarnatione Domini* A. C. 1186. *Millesimo centesimo octuagesimo sexto, Indictione sexta, sexto Calendas Februarii*, REX HENRICUS SEXTUS CUM REGINA CONSTANTIA, FILIA ROGERII REGIS SICILIÆ, NUPTIAS GLORIOSAS CELEBRAVIT MEDIOLANI APUD SANCTUM AMBROSIUM, ANNO ÆTATIS SUÆ VIGESIMO PRIMO, ANNO AUTEM REGNI SUI DECIMO SEPTIMO. De quibus nuptiis *Gualvaneus* item *Flamma* superioribus illis verbis, per nos proxime recitatis, hæc attexebat: *Supervenit Uxor ejus* (Henrici) *ex Alemania:*

ET IN BROLIO SANCTI AMBROSII NUPTIÆ FACTÆ SUNT MIRABILES, *die vigesima sexta Januarii: & interfuerunt Prælati & Barones multi. Cremonenses istis nuptiis interesse noluerunt. Ex hoc turbatus Imperator jussit in odium Cremonensium, quod* CREMA *reædificaretur, &* FRIXORIUM CREMONENSIUM *nominaretur. Quo audito, Cremonenses arma paraverunt, omnino impedire volentes, ne Castrum Cremense erigeretur. Imperator præcepit, quod Carrocerum de Mediolano extraheretur: & equitans versus Cremonam, Soncinum consumpsit incendiis, Castrum Manfredi funditus evertit: & ad petitionem Sicardi Episcopi Cremonensis Imperator cum Cremonensibus pacem fecit, & Mediolanum rediit.* Hæc ibi *Gualuaneus.* Accipe vero quæ Chronico itidem *Flos florum* de his nuptiis hunc in modum fol. 153. pag. 2. narrantur: *Eodem Anno, in præsentia Frederici Imperatoris tunc morantis Mediolani, Henricus Quintus* (aliis Sextus) *Romanorum Rex, duxit in uxorem Constantiam, filiam Rogerii Regis Siciliæ:* ET FECIT NUPTIAS IN MONASTERIO SANCTI AMBROSII *in Calendis Februarii, vel die vigesima sexta Januarii. Et inter alia detulit centum quinquaginta somarios, oneratos pannis aureis, sericis, & harmelinis.* ET AMBO, SCILICET SPONSUS ET SPONSA, FUERUNT CORONATI IN SANCTO AMBROSIO, ET IN MODOETIA. Et hæc quidem Coronatio videtur ea esse, quam prædicti denique duo Archiepiscoporum nostrorum Catalogi Archiepiscopo *Miloni* adscribebant, his utique verbis: *Henricum Imperatorem una cum Constantia Corona Ferrea decoravit.* Qua tamen de re nos aliter sentimus. Persuasum quippe nobis est, *Milonem* istum ne hoc quidem Anno fuisse *Mediolani* Archiepiscopum, sed solummodo fuisse postquam *Ubertus* ipse *Cribellus*, jamque Papa *Urbanus* Tertius, e vivis excessisset; sicuti paulo infra ostendemus.

DXCVIII. Quicquid igitur hoc Anno de Coronatione ista sit, ejusmodi saltem nuptias certe credimus hic *Mediolani* magnificentissime celebratas. Quocirca neque quicquam nos remorantur *Arnoldus* Abbas *Lubecensis* in Chronico *Slavorum* Lib. 3. Cap. 14. & ex ipso *Albertus Krantzius* Libro 6. *Saxoniæ* Cap. 49. vel etiamsi fortasse a nobis dissiderent, cum de iisdem nuptiis sic tradunt: *Rex, Imperatoris filius, in Italia duxit uxorem, amitam Vuilhelmi Siculi: celebravitque nuptias in confinio Papiensium & Mantuanorum. Quas cum juxta regalem magnificentiam magnifice exhibere voluisset, omnes Nobiliores, non solum de Italia, verum etiam de Theutonicis partibus adesse rogavit.* Nobiscum profecto consentiunt etiam *Ottho de Sancto Blasio* in Appendice ad *Otthonis Frisingensis* Chronicon, Cap. 28. *Gualuaneus Flamma* in Chronico Majori, Cap. 300. *Donatus Bossius, Bernardinus Corius, Tristanus Chalcus* (quamquam hi tres in assignando ejusmodi nuptiarum Anno erraverint) præterea *Carolus Sigonius*, & Cardinalis *Baronius* in hunc ipsum Annum. Apud quem *Baronium* ab Artic. 25. pluribus convictum fabulæ invenies argumentis, quod apud plerosque neotericos Rerum Scriptores pervagatum jam est, *Constantiam* istam olim fuisse Monialem.

DXCIX. Sed profecto nuptias istas hic celebratas fuisse domesticis etiam testatum Tabulis habemus: ac eo nominatim Processu, cujus etiam mentionem paulo ante faciebamus. Tertius enim Testis pro Monachis interrogatus, Domnus *Petrus Sapa*, Monachus & Diaconus ejusdem Monasterii, enumerans, quemadmodum multoties aureum in hac Basilica Altare vidisset a Canonicis ex voluntate Abbatis adapertum, sic etiam traditur testatus: *Illud item totum vidit similiter in tempore Abbatis Ambrosii* (qui quidem hoc tempore Abbas erat, ut jam vidimus, ac rursum postea videbimus) *& tantum plus, quod vidit illud Altare ab eodem Burro Presbytero aperiri* ILLA DIE, QUA NUPTIÆ REGIS ANRICI FACTÆ FUERUNT. Et paulo post: *Item testatur, quod, antequam factus fuisset Monachus, cum esset puer, & venisset ad festum Beati Ambrosii, sicut faciunt pueri, inveniebat Ecclesiam Beati Ambrosii revestitam & ornatam palliis & cortinis: & postquam factus fuit Monachus, non vidit eam revestitam* ANTE (subintellige *quam*) FUIT TEMPUS FACIENDI NUPTIAS DOMINI ANRICI; REGIS; *quia Ecclesia illa desuper erat impedita blavæ Communis.* TEMPORE VERO NUPTIARUM ILLARUM *Presbyter Burrus cum aliis Canonicis eam revestierunt & ornaverunt cortinis & palliis; sicut vidit.* Hæc ipsa vero confirmat etiam postmodum Quartus Testis, Domnus *Ubertus* ejusdem Monasterii Monachus & Sacerdos. De quo præterea sic legitur: *De apertione Altaris idem per omnia de testimonio, quod Domnus Petrus Sapa; excepto, quod non vidit illud aperiri pro aliquo extraneo (quod sciat) nisi semel cuidam Archiepiscopo Ultramontano ad petitionem Abbatis Ambrosii* TEMPORE NUPTIARUM DOMINI ANRICI REGIS; quia nempe Archiepiscopus iste post primam & celebriorem illam nuptiarum diem supervenisset. Denique vero duodecimus Testis, Domnus *Guido* Monachus, inter cetera sic etiam respondit: *Non vidi, quod aliquis requireret Canonicis revestire Ecclesiam; sed ipsi Canonici revestiverunt per se, vel nuncios suos, Ecclesiam Beati Ambrosii,* QUANDO IMPERATOR ANRICUS FECIT NUPTIAS IN MONASTERIO, SEU IN BROLIO (*Corius* etiam sic loquitur) BEATI AMBROSII. Porro BROLIUM nobis idem est ac VIRIDARIUM: & quia *Nazariana* & *Stephaniana* Basilicæ intra publicum sitæ stabant Civitatis Viridarium; iccirco in præsentem usque diem Sanctorum *Nazarii* & *Stephani* IN BROLIO nuncupantur. Suum igitur ac peramplum *Ambrosiano* quoque Monasterio cohærebat Brolium, quod *Sigonius* hoc ipso Anno SANCTI AMBROSII HORTOS, *Donatus Bossius* POMARIUM appellat: nuptiæque illic istæ sexto Kalendas Februarias celebratæ fuerunt; neque tamen sub aperto cœlo (vel ipsa enim temporis hyberni vetabat asperitas) sed in Palatio inibi citra omnem dubitationem opportuno; nec enim nobis aliter opinandum videtur.

DC. *Otthonis* porro *Frisingensiis* Chronicon ad finem Libri Septimi Caput denique habet, in quo hæc etiam leguntur: *His etiam diebus prædictus Imperator Fridericus Henricum filium suum regia dignitate sublimavit: eique Puellam nobili genere procreatam, Rogerii scilicet & Vuilhelmi Apuliensium Principum filiam, copulavit:* NUPTIASQUE IPSIUS MEDIOLANI REGALI GLORIA MULTAQUE POTENTIA PERPETRAVIT. Hoc utique Caput nobis favet, cujuscumque Chronologi sit. Etenim, *Otthonis* non esse, compertissimum est, tum ex Capite superiori, tum etiam ex eo, quod multos ante annos ille procul dubio jam obierat. *Baronius* illum Anno Millesimo centesimo quinquagesimo nono obiisse tradit Art. 74. Sic etiam *Bellarminus* in Libro *De Scriptoribus Ecclesiasticis*, & *Claudius Robertus* in Abbatiarum *Galliæ* Nomenclatura, Verbo *Morimundum*, cujus Abbatiæ Tertius olim Abbas ipse fuerat: præterea vero etiam *Matthæus Raderus* in sua *Bavaria* Pia, quam Tertio *Bavariæ* Sanctæ Volumini adjecit; ubi scilicet ipsius Vitam, sane quidem admirabilem, descripsit: nec ab ejusmodi sententia dissentit *Chrysostomus Henriquez* in Menologio *Cisterciensi*, suis in Notis ad septimam Septembris diem, qua eum diserte BEATUM nominat, & ADMIRANDÆ SANCTITATIS VIRUM. Tametsi vero nobis hoc ad præsens institutum sufficiat;

ciat; non tamen sufficit compertæ a nobis veritati; quæ proinde placeat, obsecramus, hic a nobis in aperto collocata; cum præsertim de Beato *Cisterciensis* Instituti Præsule agatur. *Otthonem* quippe superiore mortuum esse Anno quinquagesimo octavo, nos quidem pro certo arbitramur. Timueramus vero etiam, ne singularis ac propterea etiam magis errore suspecta esset nostra hæc opinio, nec ullum ante nos haberet assertorem; cum ecce *Matthæo Radero* indice primum invenimus *Vuigeleum Hundium* in Metropoli *Salisburgensi*; deinde vero ex ipsomet *Hundio Joannem* quoque deprehendimus *Aventinum*; damnatæ quidem lectionis Auctorem, at historica B ceteroqui eruditione perinsignem. Ipsemet ergo legatur *Hundius*, dum de *Otthone* isto, inter Episcopos *Frisingenses* vigesimo tertio, agit. Nos argumentis præterea idipsum evidenter concludere intendimus. Quoniam vero quæstio hæc e *Radevici* præsertim testimonio tota pendet; nos illud præsertim expendendum proferemus; sed cum ea insuper præmonitione, ut quæ deinceps argumenta nos depromemus e rerum serie quam *Radevicus* in sua Historia servavit, eadem pariter e *Guntheri* Poëmate *Ligurino* (cujus eadem prorsus est series) tacite deprompta censeantur. *Radevicus* igitur Libro Primo demum egerat de prima *Mediolani* obsidione, qua denique *Fridericus* illud in potestatem suam redegerat C Anno hujus Sæculi quinquagesimo octavo, ac die Septembris octava; sicut etiam nos Num. 417. meminimus. Post hæc tam exitu ejus Libri, quam initio Secundi, aliquot Capitibus comprehenderat, quæ fæliciter & ex ipsius voluntate gesta fuerant in Curia, sive in Colloquio, quod apud *Roncalias* in proximum Sancti *Martini* festum indixerat, & de quo nonnihil etiam nos diximus Num. 566. & 567. Hæc igitur & alia nonnulla prospere illo Anno per *Fridericum* gesta *Radevicus* ad Caput usque decimum executus, undecimum sic incipit: *Romanus Imperator, etsi in aliis omnibus secunda fortuna usus fuerit; in morte tamen nonnullorum Principum PER IDEM* D *TEMPUS* (de quo videlicet mox dixerat) *ejus sævitiam & cæcitatem expertus est: quorum ut apud posteros nulla celebretur memoria, nobilitas generis, mentis prudentia, & egregiæ tam animi quam corporis virtutes non permittunt. In numero quorum PRIMUS FUIT OTTHO, FRISINGENSIS ECCLESIÆ VENERABILIS PRÆSUL, hujus Historiæ* (quam duobus ab eo jam libris elaboratam ipsemet tunc continuabat Radevicus) *Auctor: & feliciori fine futurus consummator; nisi, ut quidam incusant, fata virtutibus invidissent.* Talia *Radevicus.* Quæ pariter *Guntherus*, Poëta contemporaneus, in sui *Ligurini*, sive de Gestis ejusdem *Friderici*, Libro Nono sic con- E cinit:

Inter successus lætos, & prospera rerum,
Magna repentino Regem jactura dolore
Perculit, & placidæ turbavit gaudia mentis.
Nam Procerum multi, seu qui sub Principe claro
Castra sequebantur, seu qui sub pace quieta.
Teutonicas Urbes nataliaque arva tenebant,
Extremum clausere diem. Quo tempore PRÆSUL
ILLE FRISINGUS OTHO majoris causa doloris
Extitit, ingenuo comperta morte Nepoti.
Hic patruus Regis, studiis in utrisque peritus,
Regia signa sequi semper consueverat. At nunc,
Credo equidem revocante Deo, languore gravatus
F *Manserat, ut medius Fratrum Clerique gementis*
Inter luctificos Psalmis modulantibus Hymnos,
Non in Castrorum strepitu ferrique fragore,
Expirare sacram divini muneris auram
Posset, & Aethereo tandem sua reddere Regi.

Subsequitur ibidem *Radevicus* paulo post (& hic ulcus, quod ajunt, attingimus) *Anno ergo ab Incarnatione Domini* (nos enim numericis notis, quæ in Codice impresso extant, errori nempe nimium obnoxiis, abstinebimus) *Millesimo centesimo quinquagesimo nono, Indictione Septima, regnante Serenissimo Imperatore Friderico, anno Imperii ejus tertio, Regni quinto, memoratus Antistes ab hac luce, Deo vocante, migravit* &c. Et initio Capitis duodecimi: *Otthone Episcopo, decimo Kalendas Octobris, quod est circa Solstitium Brumale, defuncto* &c. Sic igitur *Ottho* Anno illo quinquagesimo nono, & vigesima secunda, non autem septima (sicut est in Menologio *Cisterciensi*) Septembris die obiisset. Quid, si vero manifestus error notis illis numeralibus insit? Inest autem profecto; sicuti postea demonstrabimus. Sed rationem istam in universum præmittere lubet. Quæ proximis deinceps Capitibus a *Radevico* narrantur, ea sine dubio post mortem *Otthonis* acciderunt. Quis enim hoc negare ausit? quod meridiano sole clarius est. Atqui eadem sine dubio acciderunt quinquagesimo nono tantum Anno. Igitur ante hunc Annum mortuus jam erat *Ottho.* Vide autem nunc in primis, quid Capite 15. prosequatur. *Friderico* (inquit) *in hybernis agente* (de quibus dixerat Cap. x.) *Adrianus, Romanæ Urbis Antistes, quorumdam instinctu ea, quæ jam inter ipsum & Imperatorem apud Augustam sopita fuerant, refricare cœpit, & denuo meminisse, modo Nunciorum suorum injuriam, modo eorum, qui pro colligendo fodro directi fuerant, insolentiam: & Castellanorum suorum gravamen incusans, se pro bonis mala suscepisse, Imperatorem beneficiis suis ingratum existere:* & cetera, de quibus idem *Radevicus* agere pergit usque ad Caput vigesimum. Nonne vero isthæc omnia, eodem *Baronio* teste, in Annum quinquagesimum nonum inciderunt? Sequitur *Radevicus*, & Capite mox vigesimo primo ita rursum exorditur: *Interea cum de Curia Optimatum* (sicut eodem Cap. x. jam dixerat) *ad singulas Civitates bini vel plures pro constituendis Potestatibus & Consulibus a Principe* (Friderico) *destinati fuissent; contigit Reinaldum Cancellarium & Otthonem Palatinum Comitem de Bajoaria, sæpe jam memoratas, Comitemque Cozuvinum, Mediolanum devenisse; id negotium in ea Civitate, sicut & in cæteris, jussos promovere.* Itaque seditionem illam *Mediolanensium* commemorat, de qua nos item Num. 419. agebamus, quamque *Ottho* ipse *Morena* excitatam testabatur ejusdem Anni quinquagesimi noni mense Januario. Sed quid inde *Fridericus*? Audiamus itidem *Radevicum* Cap. 23. *Fridericus* (inquit) *in Villa, quæ vocatur ANTIMIACUM, Festivitatem luminum* (hæc a nobis *Purificatio Beatæ Mariæ Virginis* communiter appellatur, ac secunda Februarii die celebrari consuevit) *celebrans, cum multi ad eum Hesperiæ Proceres confluxissent, dolos atque crudam Mediolanensium superbiam, omnibus notissimam, in medium commemorat, exhibens vultum justi doloris simul & regalis indignationis indicem. Exclamare* (inquit) *cogimur, o Proceres, in auribus vestris* &c. Et prope Capitis ejusdem finem subdit *Radevicus*: *Erant ibi absque Laicis Optimatibus Episcopi, Eberhardus Babenbergensis,* ALBERTUS FRISINGENSIS &c. An certius adhuc argumentum expectamus? Nonne igitur *Albertus* hic ipse nunc coram Imperatore consistens *Otthoni* jam defuncto successerat? Sed adhuc tamen confirmando progrediamur. Imperator auxilia Ultramontanorum sibi asciscit Cap. 26. illique *alacri animo se ad novam in proximo Vere accingunt expeditionem.* Sic etiam Cap. 27. *Novam Laudam toto tempore Quadragesimæ summo studio communit, vallum immensum extruit, portas & propugnacula disponit.* De hinc vero etiam Cap. 29. *Anno Dominicæ Incarnationis* (& hæc quidem verissima est computatio) *Millesimo centesimo quinquagesimo nono Fridericus Pascha apud Mutinam celebravit: Festoque terminato, in Territorium Bononiense, ubi tunc manebat exercitus, demigrans, adventu suo universos lætificavit. Nempe a* die,

die, quo Cinis super capita Fidelium poni solet (est autem Feria quarta ante primam Quadragesimæ Dominicam) *usque tunc, semel tantum ad exercitum venerat, supradictis negotiis occupatus.* Reliqua porro multa jam prosequi pudet æque ac tœdet. De solo *Adriani* Papæ obitu dicemus. De quo nos Num 424. *Radevicus* autem Cap. 43. sic habet: *Ea tempestate* (nimirum Anno supra Millesimum centesimum quinquagesimo nono, sicut etiam fatetur Art. 18. *Baronius*) *Adrianius Papa in Kalendis Septembris apud Anagniam diem clausit extremum* &c. Ergone vero postea decimo Kalendas Octobris *Ottho* quoque *Frisingensis* hoc ipso Anno defunctus est? ut proinde quæ *Radevicus* de ipso scripserat Cap. XI. & XII. postponenda sint etiam tempori, quo Pontifex *Adrianus* obiisse hoc ipso Cap. 43. narratur. Nihil minus. Nec enim tam præposterus & perversus narrator erat *Radevicus.* Quocirca reliquum profecto est, ut *Ottho* non quinquagesimi noni, sed quinquagesimi octavi Anni mense Septembri occubuerit: utque propterea fateamur, errorem Capite illo XI. irrepsisse in eum Anni Dominici numerum, & pro *quinquagesimo nono* legendum esse *quinquagesimo octavo.* Sed ne ipsa quidem Indictio, nec ipsemet Imperii Regnique *Fridericiani* annus quinquagesimo nono illi Anno ac vigesimæ secundæ Septembris diei cohærere possunt. Septima namque Indictio jam erat inchoata Septembri mense Anni octuagesimi octavi; sicut etiam tunc *Baronius* Art. 8. *Otthonem Morenam* interpretans, disertissime fatetur. Itaque vigesima secunda sequentis intra quinquagesimum nonum Annum Septembris die Indictio pariter octava jam cœperat. Quod si quis de Indictione ambiguus forsan hæret, quia non ita certus sit, qua præcise Septembris die Indictio inchoaretur; de Regni certe Imperiique anno nihil prorsus erit causæ, cur hæreat. Ut enim pluries adhuc, ac denique Numero 593. monuimus, *Fridericiani* Regni annos ex Anni Dominici supra Millesimum centesimum quinquagesimi secundi mense Martio computari oportet; Imperii vero annos e quinquagesimi quinti mense Junio: idque luculenter utrumque Libro Secundo, Cap. I. & 22. ab ipsomet traditum fuerat *Otthone Frisingensi*, a quo citra omnem controversiam *Radevicus* ipse nusquam postea dissensit. Quocirca quinquagesimi noni Anni mense Septembri jam excurrebat Regni octavus, Imperii vero quintus: superiore videlicet ille Martio, hic autem Junio inchoatus. Per hæc itaque convictus aperte itidem tenetur alter etiam hic error, in verum *Radevici* textum illapsus. Vere igitur verax ipsius sententia hæc est: ut *Ottho* mortuus fuerit Anno ab Incarnatione Domini Millesimo centesimo quinquagesimo octavo, Indictione septima (recenter inchoata) regnante Serenissimo Imperatore *Friderico*, anno Imperii ejus quarto, Regni septimo, nec non etiam decimo Kalendas Octobris. Atqui suam ille de *Friderici* Gestis Historiam non ultra Millesimum centesimum quinquagesimum sextum *Christi* Annum prosecutus est. *Radevicus* postea, tam ipsius quam *Friderici* jussu, eandem inde prosequi adorsus: cum explicuisset Acta Conciliabuli *Papiensis*, quod pro *Victore* Antipapa celebratum fuit paulo post Januarium Anni Sexagesimi mensem (ut nos jam diximus Num. 425.) sese intra tempus illud absoluto Libro Secundo continuit: pluraque peritioribus (ut ipsemet in Operis Epilogo loquitur) & magis domesticis ad scribendum relinquens, sese historico huic oneri subtraxit. Quæ quidem cum ita se habuerint; causa profecto, cur *Ottho Frisingensis* & *Radevicus* Chronica sua non perduxerint in Annum postea septuagesimum septimum, quo *Fridericus Alexandro* Papæ *Venetiis* tandem reconciliatus fuit, longe alia est, quam quæ *Ripamontio* visa fuit Partis Secundæ Libro Tertio. Certe

A tamen *Ottho* ille San-*Blasianus*, cujus paulo ante facta nobis est mentio, Appendicem suam, *Otthonis Frisingensis* Chronico superadjectam, produxit non ad eum modo Annum, sed ad Millesimum quoque ducentesimum decimum: suoque præterea loco ac tempore (nimirum Cap. 23.) *Fridericum* narravit a *Mediolanensibus* prælio denique superatum, ac subinde *Venetiis Alexandro* Papæ reconciliatum; neque tamen uspiam, *Otthonem Friderici* filium navali tunc certamine contra *Venetos* dimicasse, indicavit. Anno autem Millesimo centesimo nonagesimo Chronologus hic florebat, quemadmodum *Christianus* ostendit *Urstitius*, dum in eandem Appendicem, typis a se primum editam præfatur. Hanc utique inter Illustres Germaniæ Historicos primum edidit *Francofurdi* Anno Domini Millesimo quingentesimo octuagesimo quinto. Quæ quidem obiter per hanc occasionem observasse Lectori non displiceat. Nunc ad propositas præsentis Anni octuagesimi sexti nuptias redimus.

DCI. Eas igitur (uti *Gotfridus Viterbiensis*, & ex ipso tot alii Rerum Scriptores affirmabant) *Henricus* Rex anno ætatis suæ vigesimo primo celebravit: quod quidem ipsum *Joannes* quoque *Nauclerus* disertissime in eundem Annum fatetur. Superiore igitur tantum Anno sexagesimo quinto editus in lucem ille fuerat; cum alioqui sterilis antehac fuisset Augustalis thorus quo ex tempore primas matrimonii spes inter se congressi *Ænobarbus* & *Beatrix* tentavere; hoc est, jam inde ab Anno superiore quinquagesimo sexto. Sapienter propterea sibique bene constans *Sigonius* Anno supra Millesimum centesimum septuagesimo jam scripserat: *Paschate inde in Alsatia celebrato* (Fridericus) *Henricum filium*, ANNORUM QUINQUE PUERUM, *Regem Germaniæ legi, eundemque per Philippum Coloniensem Archiepiscopum coronari Aquis curavit.* Et Anno rursus postea septuagesimo sexto: *Cæterum Filius Friderici, de quo loquuntur* (in superiore Juramento *Lombardi*, contra *Fridericum* fœderati) *Henricus fuit, Rex Germaniæ, ut supra diximus, designatus.* QUI CUM ANNOS UNDECIM ESSET NATUS; *facile, quam ætatem agere* FRIDERICUS ET OTTHO, POST EUM NATI, *potuerint, id est,* QUAM MINIME REBUS GERENDIS IDONEAM, *viderint ii, qui Otthonem ante hæc tempora prælio navali cum Venetis conflixisse scripserunt.* Itaque viderit hoc etiam *Ripamontius* Libro illo, quem paulo ante nominavimus, Tertio: ubi tempore illius prælii *Otthonem* contendit, non octennem fuisse puerum, sed juvenem annorum fere novendecim: quin etiam tantæ ipsius ætati demonstrandæ testimonia nominatim *Joannis Naucleri*, *Guntheri* Poëtæ, ac *Joannis Saxonis* obtendit. Certe quidem *Nauclerus Otthonem* censuit armata classe contra *Venetos* tunc pugnasse, victumque tunc etitm fuisse. Sic etiam qui nos *Friderici* e *Beatrice* filios paulo post enumeravit. Sed quoto tunc *Ottho* esset ætatis anno, nusquam explicuit; immo vero, sicuti nuper dicebamus, *Henricum* postea diserte confessus est vigesimo tantum primo ætatis anno tunc fuisse, cum Millesimus centesimus octuagesimus sextus *Christi* Annus excurreret. *Guntherus* autem in sui Poëmatis *Ligurini*, sive *De Gestis Friderici* Libro Quinto, describens illius cum *Beatrice* nuptias, obortos tantum inde filios hunc in modum ex ordine recenset:

Hoc rerum splendore sacros Regina Mariti
Venit in amplexus, Comites Regesque Ducesque
Fælici paritura thoro: Te maxime, qui nunc
Fortiter Ausonias Urbes HENRICE *regendo*
Grande Tibi nomen primo nancisceris ævo:
Et Te, Suevorum Ductor FRIDERICE, *paterni,*
Quod tua facta probant, dignissime nominis hæres:
Te quoque cum magno præclaræ laudis OTHONE
In-

Insignis CHUNRADE *puer: cunctisque minorem,*
Sed non dissimilem morum probitate, PHILIPPUM.
Hos equidem partu foelici Foemina Princeps
Edidit. Et plures generosa forsitan alvo
Terrarum Dominos, longe lateque potentes,
Progenitura fuit; si non florente juventa
Invida fallaces rupissent stamina Parcæ.

Cum igitur Imperatori *Friderico* e *Beatrice* statis quisque suis mensibus, ut supponitur, nati fuerint *Henricus* primo fœtu, secundo *Fridericus*, tertio autem *Ottho*, & sic de reliquis; vel ex ipsa profecto *Henrici* ætate facile potest istorum quoque posteriorum ætas æstimari; dato maxime, quod ejusmodi soboles nullis irritis mensium spatiis provenerit, quemadmodum sibi *Ripamontius* assumit. Sed hæc, ut dicebamus, ille ipse discutiat. *Guntherus* porro ille *Ligurinum* ejusmodi Poëma, sicuti vidimus, conscribebat post *Beatricis* obitum (quæ juxta *Otthonem* San-*Blasianum* Cap. 27. obierat Anno superiore octuagesimo quinto) sed superstite adhuc *Friderico*, sicut ex ejusdem Operis initio præsertim ac fine liquidissime constat. Conscripsit autem illud intra quimestre spatium, posteaquam Poëma item primitus alterum, nomine *Solymarium*, sive De Sacra *Solymorum* Sede, confecisset, atque *Chunrado* quartogenito nuncupasset. Quocirca non procul ab initio Libri Primi sic ipsum alloquebatur:

Nec Tu, regifico CHUNRADI *nomine clarus,*
Ac verus virtute nepos, cui fœdere certo
Nominis & juris succedens, Francona Rura
Herbipolimque regis, PRIMÆ CUI MUNERA MUSÆ
Obtulimus, scriptos SACRA DE SEDE *Libellos,*
Prætereundus eris; sed & hic quoque nomen habere
Te volumus, partemque novi sacramus honoris.

In fine autem Libri Decimi, ad ipsummet sui *Ligurinum* conversus, ita etiam cecinit:

Mox, ubi sit noster SOLYMARIUS *ille, requires,*
Quem prius INGENUO *dedimus leve munus* ALUMNO:
Qui sibi te, QUINTO POST SE VIX MENSE CREATUM,
Ac veluti medio projectum ventris aborsu,
Accessisse novo mirabitur ordine fratrem.

Ceterum hic ipse *Ligurinus* non ultra excidium *Cremæ*, ac dimissos subinde a *Friderico* paululum milites (quoadusque *Mediolani* rursus obsidendi opportunitas adesset) processit; cum alioqui Auctor deinceps etiam reliqua prosequi meditaretur. Hinc ergo paulo ante sic etiam scripserat:

Et nunc pauca quidem, Sacræ quæ sanximus Aulæ,
Carmina sufficiant: & respirare Poëtam
Ad tempus liceat, dum bellica signa quiescunt,
Grataque dimissus bello fovet otia miles.
Mox, ubi sollicite revocatus in arma redibit,
Nos quoque, belligeras acies & castra petentes,
Interrupta novo repetemus cœpta labore:
Cunctaque summatim, SUPERET MODO VITA, *sequentes,*
Continuo quodam suscepta negotia filo
Propositi memores AD TEMPORA NOSTRA *trahemus.*

An vero ad hæc re ipsa traxerit: hoc quidem hactenus incompertum: neque nos alia ipsius Opera præter *Ligurinum* in lucem adhuc prodiisse cognovimus. Quod vero *Joannem* quoque *Saxonem Ripamontius* sibi testem asciverat: nos quidem hactenus nihil ejusmodi apud ipsum, sicut neque apud *Saxonem* Grammaticum in Historia *Danica*, invenimus.

DCII. Quam ob causam *Ænobarbus Cremonensibus* iratus *Manfredi* Castrum everterit, paulo ante nos diximus. Inde *Chalcus* in hunc ipsum Annum: *Junio deinde mense Castrum Manfredum Cremonensis Agri Cæsar adiit: atque ibi jurisdictionem Mediolanensibus ampliavit, integra auctoritate concessa Oppidorum omnium, quæ ab Abdua ad Ollium pertinent. Mox abiens in Germaniam, Henricum filium Italiæ præfecit.* Quibus insuper *Sigonius* addit: *Et Filiam Gulielmo Marchioni Montisferrati in matrimonium collocavit:* quæ proinde ceteris quinque filiis supra nominatis connumeranda est. Ejusmodi vero Privilegii luculentam facit mentionem *Gualuaneus Flamma* in Chronico Majori Cap. 300. sed paulo etiam luculentiusculam in Manipulo Florum Cap. 214. ubi verbatim sic narrat: *Anno Domini Millesimo centesimo octuagesimo sexto Imperator Federicus in destructionem Castri Manfredi, in Territorio Cremonensium, concessit Civitati Mediolani & Potestati & Consulibus*, EX MERA IMPERIALI LIBERALITATE, *Rivoltam, Casirate, Agiranellum, Pandinum, Misanum, Verate, Calnenzanum, Arziagum, Paradinum, Turnium, Comazanum, Gardellam, Doveram, Roncadellam, Pradam, Vidalengum, Pagazanum, Carravazium, Potenzo, Bregnanum & omnia alia Loca posita inter Abduam & Lollium. Et tenentur Communitati Medeolani in fodris, coltis & in munitionibus, aliisque rationibus & oneribus Dat. quinto Idus Junii, Anno Regni ejus trigesimo quarto, Imperii vero trigesimo primo* (qui quidem Imperii annus postea complebatur decima octava mensis ejusdem die, qua *Fridericus* olim Diademate Imperiali fuerat a *Romano* Pontifice redimitus) & *aurea Bulla communivit.* Hactenus *Flamma.* Conditor autem Chronici *Flos florum* fol. 153. pag. 2. sic insuper addit: *Hæc omnia habentur bullata auro in Sancto Eustorgio Mediolani:* ubi scilicet idem *Flamma* religiosam vitam sub Sancti *Dominici* disciplina traduxit.

DCIII. Campanile Novum, ad hanc Sancti *Ambrosii* Basilicam consistens, novo per hæc tempora incremento, & in eam, quæ nunc quoque nobis conspicua est, altitudinis mediocritatem augetur. Debueramus hoc autem superiori potius Anno circiter octuagesimo primo memorare; sed Amanuensis error nos fefellit. Qui enim Processus illos, plurіes adhuc a nobis nominatos, ex authentico chartæ pergamenæ exemplari transcripsit in alterum illud, quo nos primum usi sumus, alicubi pro anno vigesimo quintum decimum falso reposuit; neque nos hunc errorem, nisi nunc, urgente jam prælo, animadvertimus; cum prius exemplar ipsum authenticum more nostro inspicere jam tandem voluissemus. Testes igitur per Canonicos producti de hoc etiam præcise interrogabantur: *Si ab annis viginti infra fecerunt* (Canonici) *pro maxima parte extolli ipsum Campanile.* Tres autem in hanc sententiam responderunt: *Sic, sicut novum opus a veteri discernitur:* & hi quidem fuerunt Secundus, Quartus & Quintus. Certe autem non modo tunc temporis, quando ejusmodi Testes de hoc interrogati fuerunt, novum istud ac supere extructum ædificium discerni poterat a veteri & olim substructo; sed etiam in præsenti commodissime potest; quippe cum novum istud a plano incipiat circumcirca æquali, & ad cubitos circiter duodenos extollatur. Sub tecto tamen, ubi Campanæ dispositæ sunt, quatuor hujus molis angulos videre licet alte ad sustinendum tectum sic extructos, ut apertissime indicent, molem ipsam nondum esse, quantum destinabatur, absolutam, sed adhuc altius esse attollendam. Quippe aliquanto illic inter se dissiti spatio, e quo sonitus circumquaque audiri possit, sibi porrigunt invicem alternos lateres, continuandi deinceps illic operis indices & hinc inde exceptores, quos Italice MORSA, MORSE, IMMORSATURE, RIPRESE, nuncupamus. Hinc vero manifesti convictus erroris tenetur *Joannes Baptista Villa*, multoties adhuc a nobis alibi nominatus, cum de Basilica ista sic scriberet: *Hà due Torri per Campanili. La piu bella, & meglio fabricata, & piu*

grande, serve per le Campane de Signori Canonici: & delli Reverendi Monaci l'altra. Queste Torri erano altissime; ma per causa del Castello (loquitur de Castro *Jovis*, quod in eo tractu propinquum est) *furono atterrate; si come ancora furono atterrate le Torri delle Campane di Santo Simpliciano, San' Francesco, & San' Marco.* Hæc ille. Nos vero de Sanct-*Ambrosiani* etiam Monachorum Campanilis statu, quo nunc est, aliquid jam diximus Num. 392. pluraque suo etiam tempore dicemus, quibus idem *Villa* refellatur. De ceteris vero Turribus illis Campanariis, quas *Villa* tunc dejectas (nimirum ex parte) asserebat: ecce tibi, Lector, Testem contemporaneum, cui potius fidem adhibeas. Frater hic est *Marius Pizius*, ex Ordine olim Humiliatorum Præpositus: de quo inter ejusdem Ordinis Monimenta, necdum typis edita, mihi frequens est mentio ex ipsius apud me Codice manuscripto, versibus Italicis exarato. Cujus in fine nonnulla etiam sui temporis memorabilia sermore soluto, & nostra in Patria tunc temporis usitato, adjecit. Inter alia igitur hoc item: *L'Anno del Mille cinquecento cinquanta due, lo ditto Signor' Don Ferrando* (loquitur de *Gonzaga*, tunc temporis Gubernatore *Mediolanensi*) *fece fare quelle due Fortezze al Castello de Milano, qual' sono appellate TANAGLIE. L'una verso Porta Cumana, l'altra verso Porta Vercellina* (quæ tamen duo propugnacula postmodum ætate nostra vidimus a fundamentis dirui, quia Castro potius jam obessent, quam prodessent) *Et perche li Campanili de Santo Simpliciano & de Santo Francesco li signorezavano; volse fussero ambidue abbassati piu de brazza quaranta per Campanile. Era quello de Santo Francesco una mirabil cosa, alto, & forte, & bellissimo.* Hactenus *Pizius*: nec ille quicquam prorsus de Campanili Sancti *Marci*. Quod quidem aliquanto magis, quam illa duo, distat inde, nec ita Castro dominatur & imminet. Quocirca nec ullum in culmine nunc præfert dejectionis ac novitatis judicium: quale tamen illa duo manifestissimum spectatoribus exhibent.

DCIV. Hoc ipso circiter Anno *Christi* octuagesimo sexto invecta primitus in hanc Basilicam ea videtur consuetudo, ut in honorem *Friderici* simul & *Henrici* ejus filii quotannis unus dies festus celebraretur. Testes ipsos pro Monachis in Processu jam toties memorato examinatos audiamus. De tertio in primis Teste sic ibidem legitur: *Item testatur, se vidisse Zaninum Scartabiam, qui tunc erat Custos Canonicorum, portare Crucem ante Abbatem Ambrosium & Fratres suos* * IN DIE FESTI, QUOD CELEBRATUR PRO IMPERATORE FEDERICO ET FILIO EJUS ANRICO: *ab Ecclesia videlicet Sancti Ambrosii usque ad Sanctum Michaelem prope Portas. Et ibi incœpto Psallentio redierunt in Ecclesiam Beati Ambrosii. Et ipse cum fuit ad introitum Chori, gubernavit Crucem: & Dominus Abbas tunc cantavit suam Missam cum suis Monachis. Et cantata Missa, ivit Custos ille cum Abbate & Monachis in Refectorio, ad comedendum cum eis.* Deinde vero sextus Testis, *Ongarinus* Clericus & Lector, inter cetera dicit, *se vidisse illud Altare* (Sancti *Ambrosii*) *apertum* IN QUODAM DIE ARCHITRICLINI, *aut bis, aut ter*: IN QUO CELEBRABATUR ANNUATIM FESTUM ILLUD IN HONORE DOMNI ANRICI REGIS ET PATRIS; *sed ignorat, quis vel qui illud aperuerunt.* Et paulo post: *Item credit, quod idem Scartabia portavit similiter Crucem ante Monachos, Canonicis semper absentibus, a Sancto Michaele ad Sanctum Ambrosium* PRO FESTO, QUOD CELEBRABANT PRO IMPERATORE FEDERICO. Sed & octavus Testis, *Zan de Cartabia* (qui paulo ante *Zaninus Scartabia* nominabatur) Clericus de *Gizano*, atque per septem & amplius annos olim Canonicorum hujus Basilicæ Custos, sic etiam testatur: *Se vidisse, quod idem Abbas* (*Ambrosius*) IN DIE PROCESSIONIS QUÆ FIEBAT AD HONOREM DOMNI IMPERATORIS FEDERICI ET FILII *ab illo Abbate & Monachis, misit duos ex Monachis suis, de quorum nominibus non est memor, ad prædictum Cimiliarcham, ut aperiret, vel aperiri faceret Domno Abbati Altare; quia volebat celebrare Missam, & facere prædictam Processionem. Hoc audito ab illo Cimiliarcha, ivit ille Cimiliarcha ad Præpositum & Canonicos, narrando eis: Quid vobis videtur super hoc, quod Domnus Abbas per nuncios suos mandavit mihi, ut aperirem ei Altare in Processione prædicta? Dixit, quod quidam ex eis dixerunt: Non nobis bene videtur, ut aperiatur in tali die; quia forte vellet dicere, quod in tali die ei semper deberet aperiri. Et Domnus Præopositus & alii quidam ex Canonicis dixerunt: De nostro consilio est, & bene nobis videtur* (*ex quo ad honorem Domni Imperatoris vult ut aperiatur*) *non ei prohibeatur aperiri. Unde præceperunt ipsimet Testi, ut illud ei aperiret. Et tunc illud ei aperuit.* Et paulo post: *Item testatur, quod, cum esset Custos Canonicorum, multotiens portavit Crucem ante Monachos,* AD TURRICELLAM (sicuti nos etiam infra narrabimus) *obviam Archiepiscopo, & ad Sanctum Michaelem, die Ramolivæ,* ET AD PROCESSIONEM, QUAM FACIT ABBAS PRO IMPERATORE: *& ipsi Monachi dabant ei semper refectionem illa die, qua illam portabat.* Et infra rursus dixit, *quod Abbates per se, vel eorum nuncios, rogaverunt Præpositum, vel Cimiliarcham, ut faceret eis aperiri Altare in illis diebus, in quibus Altare non consuevit aperiri: & eis apertum fuit* IN PROCESSIONE FACTA IN HONORE DOMNI IMPERATORIS, *ut supra dixit.* Quæ cum ita se habuerint; hanc ergo festivitatem solus Abbas cum suis Monachis (non autem Præpositus cum suis Canonicis, ac multo minus Civitas universa) celebrabat; & (sicut interpretari fas videtur) ob singularia *Friderici* simul & *Henrici* pignora beneficentiæ ac benignitatis erga suum ipsorum Monasterium. Ille porro Architriclini dies, quo festivitas ejusmodi annuatim celebratur, absque dubio Secunda est post Epiphaniam Dominica, in qua e Sancti *Joannis* Euangelio Cap. 2. Nuptias in Cana Galilææ factas *Ambrosiana* Ecclesia inter Missarum Solemnia recitare consuevit. Forte autem sequenti Anno octuagesimo septimo diem singulariter istum ejusmodi festivitati delegerunt in memoriam quoque nuptiarum, quas Anno superiore Rex *Henricus* fecerat in hoc ipso Monasterio, sive in Brolio ipsius, nempe Sexto Kalendas Februarii. Qui dies absque dubio post secundam Epiphaniæ Dominicam effluxerat; cum ipsamet Epiphaniæ Solemnitas in sextam semper incidat Januarii diem. Quamdiu autem postea ejusmodi festivitatis obsequium perseveraverat, ex his colligi facile potest verbis, quæ de primo Teste recitantur in hunc modum: *Vidit enim, quod,* VIVENTIBUS IMPERATORE FEDERICO ET FILIO EJUS, *in Festo Architriclini Custos Canonicorum, Jacobus nomine, ad petitionem Domni Ambrosii, tunc Abbatis, portavit Crucem.* A.C. 1187.

DCV. *Urbanus* Papa Tertius, antehac *Ubertus Cribellus*, hoc ipso certe Anno octuagesimo septimo *Ferrariæ* moritur decimo tertio Kalendas Novembris: ac legatur Art. 12. *Baronius*, *Algisium* ille Archiepiscopum, tertio Kalendas Apriles Anni octuagesimi quinti defunctum, subsecutus erat: deinde autem post *Lucium* Tertium Papam, septimo Kalendas Decembris eodem Anno defunctum, ac postea tumulatum Papa fuerat illico creatus; sicut a nobis indicatum jam fuit Num. 589. & 596. Quid, si ve-

* Adverte Lector, Festum istud hoc Num. 604. memoratum, fuisse Ecclesiasticum, & ad gratias Deo referendas, atque ad obtinendam Friderico & Henrico prosperitatem.

si vero *Mediolanensem* quoque Archiepiscopatum sibi retinuit una cum Pontificatu *Romano?* sicuti nos Num. 597. pollicebamur ostensuros. Archipresbyteri profecto Metropolitani Catalogus luculentissimis hoc testatur his verbis: *Ubertus de Crivellis, antea Archidiaconus, postea Mediolanensis Archiepiscopus Octogesimus sextus, sedit annis quinque* (quod tamen a nobis non admittitur) *mensibus duobus. Istius tempore sedit Lucius Tertius, Papa Centesimus octuagesimus secundus, annis quatuor, mensibus duobus. Postea sedit Ubertus iste, qui dictus fuit Urbanus Tertius, annis duobus,* RETENTO ARCHIEPISCOPATUS MEDIOLANI TITULO. Sic etiam in idipsum tacite consentiunt Catalogus Actis Ecclesiæ *Mediolanensis* insertus, & alter *Successores Sancti Barnabæ* inscriptus, cum *Milonem, Uberti* Successorem, asserunt a *Clemente* Papa Tertio creatum fuisse *Mediolanensem* Archiepiscopum. *Clemens* quippe Tertius non modo *Uberto* & *Urbano* nostro, verum etiam *Gregorio* Octavo ipsius successori successit, posteaquam ille, necdum binis mensibus in Pontificatu expletis, ex hac vita migrasset hoc ipso Anno, decima sexta Decembris die, ut nominatim est apud *Baronium* Art. 20. Sed eidem prætera opinioni adstipulatur ipsamet *Milonis* Sententia, quam nos deinde recitabimus, Anno Domini Millesimo centesimo nonagesimo die tertia Martii pronunciata: quæ tamen simul etiam data dicitur anno Pontificatus ejus *Mediolanensis* tertio. Quod utique verum esse non posset, si *Milo* successisset *Uberto* ex quo primum tempore creatus ille fuerat Pontifex *Romanus.* Adde vero, quod eandem opinionem nonnihil nos etiam confirmabimus ex eo errore, quem idem ipse *Milonis* Cancellarius incurrit, cum alteram ipsius Sententiam, suo similiter tempore a nobis recitandam, scripsit datam Anno Domini Millesimo centesimo nonagesimo tertio, die sexta Aprilis; & tamen una simul adjecit fuisse datam Pontificatus ejus anno quinto. Quippe tunc sextus absque dubio jam erat inchoatus, e superioris saltem Martii die tertia; sicut unicuique, vel etiam mediocriter computandi gnaro, certissimum esse debet. Hunc utique illi errorem arbitrabimur propterea condonandum; quia quintus ille annus, cui antehac notando assueverat, non ita multo ante illam diem Aprilis sextam expletus fuisset; nec id ab ipso fuisset animadversum, quando posteriorem illam Sententiam scribebat.

DCVI. Post *Urbani* Papæ Tertii obitum sequenti die Pontifex *Romanus* sublegitur *Albertus* Cardinalis Cancellarius, Presbyter Tituli Sancti *Laurentii* in *Lucina*: & *Gregorius* Octavus nominatur. Eodem vero mensem solummodo unum ac dies præterea viginti septem supervivente, *Adelardus* interea *Veronensis* & *Rodulphus Nigellus Pisanus*, Cardinales, ille Presbyter, hic Diaconus, sequentem Sententiam, ex archetypo adhuc exemplari apud nos asservatam, ex ipsius etiam mandato in favorem hujus *Ambrosiani* Monasterii protulerunt:

A. SANCTÆ ROMANÆ ECCLESIÆ PRESBYTER TITULO SANCTI MARCELLI, & R. SANCTI GEORGII AD VELUM AUREUM DIACONUS, DEI GRATIA CARDINALES: *omnibus, ad quos Litteræ istæ pervenerint, Salutem in Domino. Notum vobis facimus, quod cum Causa, quæ vertebatur* INTER ANSELMUM CUMANUM EPISCOPUM, *&* AMBROSIUM ABBATEM MONASTERII SANCTI AMBROSII MEDIOLANI, *super Districto* HOMINUM BEATI AMBROSII, *in his octo Locis, scilicet* GUIDINO, CADDOLO, CANOBIO, CADAMPINO, BETLANO, *in Valle-Luani,* ROBORETO, COSO, ET ALEBIO, *in Valle-Telina,* SUPER TERRAM EJUSDEM BEATI AMBROSII HABITANTIUM, *Nobis primo fuisset* A DOMINO URBANO TERTIO FÆLICIS RECORDATIONIS, *postmodum vero* A DOMINO GREGORIO OCTAVO SUCCESSORE EJUS, *examinanda determinandaque commissa: asserente Abbate, Districtum illud ad se de Jure spectare, & quibusdam rationibus suam intentionem fundante. Introducebat enim pro se Romani Pontificis Gregorii Quinti & quorumdam Imperatorum & Regum (scilicet Lotarii, Lodoici, Arnulfi, Berengarii, Conradi Secundi, atque Frederici) Privilegia: longissimique temporis, id est, triginta quinque & quadraginta annorum, quasi possessionem: insuper quandam Sententiam, per quam* CAMPILIONIS CURIA *videbatur cum omnibus pertinentiis suis ab omni conditione Cumani Episcopatus, ex confessione Heliberti Episcopi prædicti Episcopatus, liberata. Introducebat etiam & alias quamplurimas quidem rationes. Episcopus vero e contra, sexaginta annis se possedisse Districtum, quam plurimis Testibus asserebat; causam possessionis nec Testibus nec Instrumentis astruens, Nos, consideratis eis, quæ apud alios Delegatos fuerant actitata, & receptis attestationibus utriusque Partis sub Sigillo eorundem Delegatorum, & Allegationibus sub nostra præsentia, & Instrumentis publicis sufficienter inductis; omnia diligenter examinavimus; habitoque consilio cum quamplurribus Sapientibus,* BEATI AMBROSII HOMINUM, *in supradictis octo Locis* SUPER TERRAM EJUSDEM SANCTI AMBROSII *habitantium, Districtum Monasterii Sancti Ambrosii Mediolani Abbati & ejus Ecclesiæ adjudicavimus auctoritate, qua fungebamur; jam dicto Episcopo super Districto sæpedictorum Locorum hominum, Terram prædicti Monasterii colentium, perpetuum silentium imponentes. Et ut ea, quæ a Nobis mandata sunt, tractu temporis non valeant immutari, præsentem Paginam nostrorum Sigillorum munimine fecit insigniri.*

Acta Ferrariæ Anno ab Incarnatione Domini Millesimo centesimo octuagesimo septimo, Indictione sexta.

DCVII. Decimo septimo Kalendas Januarii *Gregorius* Octavus *Pisis* occubuerat; cum *Paulinus* (aliter *Paulus*) Cardinalis Episcopus *Prænestinus*, octavo deinde Idus Januarias Anni subsequentis consecratur Pontifex, & *Clemens* Tertius nuncupatur; ut bene *Baronius* Anno superiori Art. 20. & Anno præsenti Art. 1 nec non etiam hoc ipso Anno *Sigonius*. A.C. 1188.

DCVIII. Altera mox inde die, ac deinde tertia decima, proferendum se nobis offert subsequens fidelitatis Juramentum, *Ambrosiano* præstitum Abbati a suis subditis, *Paxilliani* & *Montis* accolis: de quibus Curtibus pluries adhuc Privilegiis expressa mentio continetur:

IN NOMINE DOMINI. *Anno Dominicæ Incarnationis Millesimo centesimo octuagesimo octavo, septimo die mensis Januarii, Indictione sexta,* IN CASTRO DE PAXILLIANO. *Nomina illorum hominum, qui juraverunt fidelitatem* DOMNO AMBROSIO DEI GTATIA ABBATI MONASTERII SANCTI AMBROSII, SITI IN CIVITATE MEDIOLANI. *In primis Domnus Ubertus Advocatus juravit fidelitatem per manum: & Joannes Canis sine manu idcirco, quod per manum fecerat antea Domno Episcopo Astensi: Rufinus de Monte-urdengo sine manu: Aribaldus Ottobelli sine manu: Simon de Turrigio, de Loco Turrigio, sine manu: Amedeus, frater illius Simonis, sine manu: Guala Paganus de Paxilliano per manum: Anselmus de Puteo, de Loco Casate, Sancti Evasii, sine manu: Jordanus de Furno de Paxilliano, sine manu: Leonardus Dens, de Paxilliano, sine manu: Otto Mussonis, de Paxilliano, sine manu: Guala Binellus, de Casate, sine manu: Ubertus Turricus, de Paxilliano, sine manu: Anricus Picinus, de Paxilliano, sine manu: Germanus de Erba, de Paxilliano, sine manu. Guazo de Ponte per manum:*

Jacobus Scarcaramarella, de *Cella*, *sine manu*: *Albricus Plantavinea*, *de Casate*, *sine manu*: *Petrus filius quondam Ottonis Lupi*, *de Casate*, *per manum*: *Guilielmus Monachus*, *de Ocimiano*, *sine manu*: *Anricus filius Rufini*, *de Conzano*, *sine manu*: *Rolandus Cornarellus sine manu*. *Item tertio decimo die mensis Januarii homines de Monte*, *qui juraverunt fidelitatem eidem Domno Abbati*: *in primis Guido Ansaldi*, & *Petrus Guisca frater ejus*: *Rolandus Bessa*: *Guilielmus Clericus*: *Albertus Lotterus*: *Bernardus Guisca*: *Ogerius Passabelli*: *Ubertus de Castello*: *Zoanus Passabelli*: *Mainfredus Muranus*: *Anselmus Cava*: *Petrus Molinus*: *Guilielmus Balbus*: *Zermanus Merces*: *Rolandus Galberius*: *Lugarus Groniardus*: *Rufinus de Castello*: *Adam Molinus*: *Dona de Piovara*: *Rubeus de Piovara*: *Petrus Calvus*, *qui habitat ad Varenzam*. *Interfuerunt Testes*, *Ardericus Nasus*, *Benno Curtus*, *Benno Curtus*, *Montenarius Judex*, *Rogerius Regizonus*, *Otto Plattus*, & *Ariprandus Bonafides*, & *quamplures alii de Civitaie Mediolani*.

Ego Ambrosius de Valnexio, *Notarius Sacri Palatii*, *interfui*, & *rogatus scripsi*.

DCIX. *Milonem* si forte *Clemens* ipse Tertius ad *Mediolani* Archiepiscopatum promovit, ut nobis paulo ante affirmabatur; ecce igitur, quemadmodum primus *Miloniani* Archiepiscopatus annus non multo ante diem Martii tertiam hoc Anno inchoatus fuisset. *Milonis* hujus cognomentum plerique fuisse tradunt *de Cardano*, alii *de Castelliono Seprii*: nonnulli quoque *Candianum* appellarunt. Catalogus Archipresbyteri Metropolitani; nec non item alter Secretarii urbani, de ipso verbatim hæc habent: *Hic primo fuit Archipresbyter Ecclesiæ Mediolanensis*, *deinde Episcopus Taurinensis* & *dicti Archipresbyteratus Commendatarius*, *postea Mediolanensis Archiepiscopus*. Catalogus autem *Successores Sancti Barnabæ* ipsum insuper asserit ab *Urbano* Tertio creatum primo Ecclesiæ *Mediolanensis* Archipresbyterum, deinde *Taurini* Episcopum. Sed profecto, quam procul hoc sit a veritate, satis jam constat ex dictis Num. 431. 531. 533. 548. 564. Quippe *Milo* jam erat Archipresbyter, priusquam una cum Archiepiscopo *Oberto* fugeret e Schismaticorum manibus Anno superiori sexagesimo secundo; sic etiam Episcopus jam erat *Taurinensis* Anno circiter septuagesimo tertio. Apud *Claudium Robertum* in Secunda Parte Appendicis ad *Galliam Christianam*, Titulo *Taurinenses Archiepiscopi* (etenim ea Sedes a *Leone* postea Decimo Metropoleos jure donata fuit Anno Millesimo quingentesimo decimo quinto) dicitur Episcopus jam fuisse anno septuagesimo primo; sed nos ipso etiam septuagesimo fuisse comperimus e subsequenti & archetypo Documento, quod nuper e Monasterio Sanctæ *Mariæ* in Valle (hoc Num. 583. memoratum jam est) nobis accidit ad manus, quodque ad aliarum item rerum notitiam (quam curiosus & prudens Lector inde sibi facile colliget) placuit hoc loco producere. Est autem hujusmodi:

IN NOMINE DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI. *Coram* DOMNO GALDINO, SANCTÆ MEDIOLANENSIS ECCLESIÆ ARCHIEPISCOPO, APOSTOLICÆ SEDIS LEGATO, *Domna Cecilia*, ABBATISSA MAJORIS MONASTERII, *quod est in Civitate Mediolani*, *conquerebatur de Domna Columba*, ABBATISSA MONASTERII SANCTÆ MARIÆ DE MONTANO: *proponens*, *ipsam Ecclesiam de Montano cum omnibus suis veteribus possessionibus ad Majus Monasterium pertinere*: *ipsamque Ecclesiam*, & *veteres ejus possessiones sibi restitui postulabat*. *E contra vero eadem Abbatissa de Montano respondebat*, *prædictam Ecclesiam* & *ejus possessiones se ei restituere non debere*: *ipsamque Abbatissam Majoris Monasterii nihil aliud juris ibi habere dicebat*, *nisi quod singulis annis solidos*

A *quinque* & *duos cereos duarum librarum pro censu habere debebat*: *possessionemque triginta annorum super hoc allegabat*. *Super quibus omnibus publicum induxit Instrumentum* (nos utique istud etiam vidimus authenticum, ac datum Anno Millesimo centesimo trigesimo septimo, mense Julii, Indictione quinta decima: & in eo Monasterium Majus appellabatur SANCTORUM MARIÆ ET MAURITII) *quo continebatur*, *Margaritam Morasterii Majoris quondam Abbatissam*, *investisse Gualdradam* & *Truitam ad vicem* & *utilitatem aliarum fœminarum*, *ad Societatem Religionis earum venientium*, *de Ecclesia Sanctæ*

B *Mariæ de Montano*, & *rebus ad eandem Ecclesiam tunc pertinentibus*, *ad supra dictum censum*, *singulis annis persolvendum*. *Dum autem hæc agerentur*, *utraque Pars hanc litem per Transactionem dirimendam* IN DOMNUM MILONEM, MEDIOLANENSEM ARCHIPRESBYTERUM ET TAURINENSEM EPISCOPUM, *deposuerunt*: &, *quod ipse laudaret*, *firmum* & *ratum habere pro se* & *Partibus suis promiserunt*, *datis utrinque fidejussoribus sub pœna quinquaginta librarum*: *ex parte Abbatissæ Monasterii Majoris Teito de Fagnano*, *fratre ejusdem Abbatissæ*: & *ex altera parte Pagano Borro*. *Super hoc prædictus Archipresbyter* & *Episcopus*, EX MAN-

C DATO DOMNI ARCHIEPISCOPI, & *consilio Fratrum ac Sapientum suorum*, *per Transactionem laudavit*, *ut præfata Abbatissa Monasterii Majoris faceret finem eidem Abbatissæ de Moniano de jam dicta Ecclesia* & *ejus possessionibus*; *ita ut nihil habeat ibi ad requirendum*, *nisi pro censu singulis annis solidos septem*, & *libras quatuor ceræ*, *in Vigilia Sancti Mauritii persolvendas*. *Et statim sæpe memorata Abbatissa Monasterii Majoris sic finem fecit*. *Et sic finita est Causa*. *Actum* IN DOMO SUPRADICTI DOMNI EPISCOPI *Anno a Nativitate Domini Millesimo centesimo septuagesimo*, *duodecimo Kalendas Novembris*, *Indictione quarta*. *Interfuerunt Gregorius Cagi-*

D *narca*, *Obertus* & *Anselmus de Orto*, *Ariprandus Judex*, *Arialdus* & *Rogerius Vicecomites*, *Guercius de Hostiolo*, *Paganus* & *Gulielmus Borri*, *Boso de Sancta Maria ad Circulum*, & *Vuilielmus Presbyter de Sancto Quirico*, & *alii plures*.

✠ *Ego Vuifredus*, EX MANDATO DOMNI MEI GALDINI, MEDIOLANENSIS ARCHIEPISCOPI, *subscripsi*.

✠ EGO MILO, TAURINENSIS EPISCOPUS ET MEDIOLANENSIS ARCHIPRESBYTER, *a me facto subscripsi*.

✠ *Ego Robertus*, *ex mandato Domni Ugonis Diaconi*, *subscripsi*.

E ✠ *Ego Philippus*, *indignus Diaconus*, *subscripsi*.

Datum per manum Domni Algisii Cimiliarchæ & *Cancellarii*.

Ego Adobadus, *ex mandato ejus*, *hanc Chartam Transactionis scripsi*.

Monasterium vero illud DE MONTANO situm erat prope *Viganum* quod *Mediolano* denis circiter milliaribus distat: ejusque postea Moniales in Urbem translatæ habitaverunt ubi nunc SANCTÆ MARIÆ IN VALLE Monasterium appellatur.

DCX. Iidem bini Catalogi, quos una simul paulo ante proferebamus, sic etiam protinus de ipsomet addunt *Milone*: *Pontificatus istius anno primo Mediolanenses*, *dempto dominio ab Ecclesia*, *quæ semper Ci-*

F *vitatem per Consules a se datos gubernaverat*, *nunc primo Commune Mediolani Potestates sibi fecit*. *Quorum omnium primus fuit Ubertus Vicecomes*, *qui per annum rexit* &c. Hoc autem Imperatoris privilegio concessum fuisse *Mediolanensi* Communitati *Gualuaneus* affirmat in Chronico Majori, Cap. 301. & in Manipulo florum Cap. 219. *Sigonius* tamen *Henrico* Regi hoc adscribit. Etenim Anno supra Millesimum centesimum octuagesimo sexto sic narrat: *Profecto Ita-*

Italia Patre (Friderico) *Henricus Regnum administrare pro suo judicio instituit.* Et paulo post: *Mediolanensibus autem jus Prætoris pro arbitrio creandi concessit: qui Comes esset, & jus vitæ necisque haberet. Quo facto apud eos antiquum jus Vicecomitis exolevit. Primus hoc honore Ubertus, ex Vicecomitum familia Placentinus, affectus est.*

DCXI. Satagente interea *Clemente* Tertio Pontifice, Crucemque pro recuperatione Terræ Sanctæ per Ecclesiam Occidentalem denunciante, maximus excitatur animorum & armorum ardor, nec operam desiderari suam passi fuerunt *Mediolanenses*, quinetiam ne ipse quidem *Fridericus* Imperator. Inde *Rogerius de Houveden* in suis *Angliæ* Annalibus, sicut a *Baronio* etiam Art. 17. recitatur, hæc habet: *Eodem Anno Fridericus Romanorum Imperator, accepta Cruce de manu Henrici Albanensis Episcopi Cardinalis, sicut prudentem & circumspectum decebat, satis provide sibi & itineri suo necessaria providebat.* IN PRIMIS ENIM RECONCILIAVIT SE DEO, ET SANCTÆ ECCLESIÆ, ET CLEMENTI ROMANO PONTIFICI. *Tristanus* porro *Chalcus Henricum quoque* (inquit) *filium ex Italia revocatum, rebus Imperii præficit. Is autem jam prole auctus ex Constantia erat. Puero Avi Avunculique nomen inditum: isque Fridericus Rogerius vocatus est.* *Sigonius* etiam indicato ejusmodi Expeditionis apparatu, sic subdit: *Quæ dum eximio studio pietateque constituuntur, Henricus a Patre, profectionem parante, in Germaniam evocatus, Italia cessit, ac Trusardum in ea Legatum reliquit.*

A.C. 1189. DCXII. *Fridericus* tamen Anno tantum subsequenti suum in *Syriam* iter suscepit, *Friderico* filio *Suevorum* Duce comitatus: atque nono Kalendas Maji, in festo Sancti *Georgii*, e *Germania* per *Ungariam* discessit. Legantur inter alios Rerum Scriptores *Sigonius* & *Baronius*.

DCXIII. Monachos interea & Canonicos *Ambrosianos* nonnullæ ad invicem lites exercuerunt: quas
A.C. 1190. proximo subinde Anno hunc in modum *Milo* Archiepiscopus pro virili parte diremit, prout in duobus Archivi domestici archetypis Exemplaribus continetur:

IN NOMINE DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI AMEN. CORAM DOMINO MILONE, DEI GRATIA VENERABILI MEDIOLANENSI ARCHIEPISCOPO, ET EJUS FRATRIBUS, *inter* DOMNUM AMBROSIUM, MONASTERII SANCTI AMBROSII MEDIOLANENSIS ABBATEM *nomine ipsius Monasterii, ex una parte, &* NAZARIUM PRÆPOSITUM CANONICÆ EJUSDEM ECCLESIÆ SANCTI AMBROSII, ET MAGISTRUM PETRUM LONGUM CIMILIARCHAM ET CANONICUM EJUS EX ALTERA, *libellis hinc inde porrectis, talis Causa & Controversia vertebatur. Petebat siquidem prædictus Abbas a jam dicto Magistro Petro Cimiliarcha, ut faceret, vel fieri faceret ea, quæ ipse Cimiliarcha & Prædecessores sui Antecessoribus suis facere consueverunt: scilicet vestire sive ornare Pulpitum, quando Monachi illius Monasterii volunt Pulpitum ascendere ad celebranda divina Mysteria: & ut expoliet vel faciat expoliari Altare in die Veneris Sancti, cum Diaconus legit in Pulpito,* DIVISERUNT VESTIMENTA EJUS, SORTEM MITTENTES: *& ignem extinguat vel extingui faciat, cum Diaconus legit,* DOMINUS EMISIT SPIRITUM: *& in die Sabbati Sancti vestiat vel vestiri faciat Altare, cum Diaconus dicit,* ECCLESIAM IGNIS COLUMPNA RESPLENDET: *& Cruces faciat deferri ad Mortuorum Cadavera, licet Canonici non intersint, cum requisitus fuerit ab Abbate, vel Monachis. Et hæc ideo postulabat; quia jam dictus Cimiliarcha claves paramentorum ipsius Ecclesiæ habet; & quia de illo officio se intromisit. Postulabat insuper idem Abbas ab Præposito nominato Canonicæ Sancti Ambrosii, ut non impediat ipsum Cimiliarcham, vel alium ad hoc constitutum, prædicta officia facere. Petebat itidem, ut prædictus Cimiliarcha Sancti Ambrosii ponat aut poni faciat Pallium ante Altare Beati Ambrosii, quando celebrat Vigilias Sancti Ambrosii, & Sanctorum Martyrum Protasii & Gervasii, cum Fratribus suis; ut super illud prosternat se in oratione cum Litaniæ fiunt: & ne Præpositus jam dictum Cimiliarcham, vel alium habentem claves paramentorum, hoc facere impediat. E contra præfatus Petrus Cimiliarcha postulabat, quatinus jam dictus Abbas in diebus statutis, in quibus ei refectionem præstat propter aperturam Altaris Sancti Ambrosii quam illi fieri facit, in mensa juxta eum faciat sedere ex parte dextera: & ut quinque refectiones, quas se non habuisse dicebat, ei præstet. Insuper postulabat, ut ipse Abbas de cætero ab injuria, quam nuper facere cœpit, abstineat, spoliando Altare palla & brosto, & ponendo sub genibus & pedibus suis, dum orando prostratus jacet ante Altare. Similiter Præpositus jam dictæ Canonicæ Sancti Ambrosii conquerebatur de prædicto Abbate & Monachis, eo quod perturbarent divina Officia, inchoando sua antequam Canonici suum Officium finirent: quod fieri dicebat contra præceptum quondam Domini Robaldi Venerabilis Archiepiscopi. Insuper prænominatus Præpositus suo & Fratrum suorum nomine petebat, quatinus supra dictus Abbas præstet refectionem in festivitate Sancti Satyri sibi & Fratribus suis, sicut continetur in Instrumento Sententiæ latæ super hoc negotio. Et quia ipsam refectionem in hoc anno non præstitit; petit, ut eam præstet. Super quibus omnibus petitionibus Testes & Instrumenta & Privilegia multa hinc inde producta sunt. Quibus omnibus inspectis, & Allegationibus utriusque Partis diligenter intellectis, prænominatus Dominus Milo Archiepiscopus de consilio Fratrum suorum, ex officio suo tantum; & non ratione vel jure dominationis ipsius Abbatis, sed divini cultus sive officii, quo Abbas ejusque Fratres Sanctæ Ecclesiæ Beati Ambrosii obsecundant seu deserviunt; & non jure dominationis ipsius Abbatis, sed exequiorum, quæ in jam dicta Ecclesia faciunt; quia infrascripta annexa sive appendicia sunt jam dictis divinis Officiis, & in eis fieri consueverunt; & quia ad officium Cimiliarchæ cura infra dictorum pertinet jam dicto Petro Cimiliarchæ, ut jam dicto Abbati & ejus Fratribus infra scripta in divinis Officiis, seu Mortuorum Exequiis exhibeat, vel exhiberi faciat, per se vel per Ecclesiæ suæ Sancti Ambrosii Custodes, præcepit; scilicet, ut vestiat vel vestiri faciat seu ornet vel ornari faciat Pulpitum, quando Monachi debent Pulpitum ascendere ad celebranda divina Ministeria; & expoliet vel expoliari faciat Altare in die Veneris Sancti, cum Diaconus legit in Pulpito,* DIVISERUNT VESTIMENTA, SORTEM MITTENTES; *& ignem extinguat, vel extingui faciat, cum Diaconus legit,* DOMINUS EMISIT SPIRITUM; *& in die Sabbati Sancti vestiat vel vestiri faciat Altare, cum Diaconus legit,* ECCLESIAM IGNIS COLUMPNA RESPLENDET; *& ut Cruces deferri faciat ad Mortuorum Cadavera, licet Canonici non intersint, cum requisitus fuerit, ut Cruces deferri faciat, ab Abbate vel Monachis. Et prædictis rationibus jam dicto Præposito præcepit, ut suprascriptum Cimiliarcham, vel alium ad hoc constitutum, non impediat præscripta Officia facere. Jam dictum vero Cimiliarcham absolvit, ne pallium ante Altare Beati Ambrosii ponat vel poni faciat, ut super illud Abbas se prosternat in oratione, cum Litaniæ fiunt in Vigiliis Sancti Ambrosii, & Sanctorum Protasii & Gervasii; sed ipse Abbas concessione nostra pallium per suos ministros apponi faciat quod est super Lectorile* (aliter *desuper Lectorile*) *si ei placuit, supra quod prosternat se in oratione; & Præpositum super hoc similiter ab-*

absolvit. *Abbatem vero a petitione Magistri Petri absolvit, ut teneatur in refectione ipsum ad dexteram partem ponere; sed in mensa sua, a quacumque parte velit, honeste habeat, sive a dextris, sive a sinistris. Abbatem vero condempnavit, ut in refectione pro festo Sancti Satyri præstet Canonicis Sancti Ambrosii; si ipsi Canonici interfuerint divinis Officiis illius festi: alioquin illam refectionem Abbas illis præstare non teneatur. De præteritis refectionibus non præstitis Abbatem absolvit. Item Abbatem & Monachos condempnavit, ut non perturbent divinum Officium Canonicorum: & Canonicis præcepit, ne in fraudem suum Officium sive Ministerium protrahant. Item condempnavit Abbatem, ne de cætero pallium, quod est supra Altare, auferat, vel auferri faciat, ut ponat sub genubus suis, ut prostratus jaceat orando ante Altare cum Litaniæ fiunt. Et sic finita est Causa.*

Actum in Palatio Domini Archiepiscopi, Millesimo centesimo nonagesimo, die Sabbati tertia die Martii, Indictione octava.

Interfuerunt Rogerius de Sedriano, Azo Crivellus, Ugucionus Grasellus, Ariprandus Murigia, Guido Menclocius, Arnoldus de Bombellis, Ariprandus Bonafides, Otto Zendadarius, & Passaguerra, & alii quamplures Clerici & Laici.

✠ EGO MILO, DEI GRATIA SANCTÆ MEDIOLANENSIS ECCLESIÆ ARCHIEPISCOPUS, SUBSCRIPSI.

✠ *Ego Philippus, Dei gratia Sanctæ Mediolanensis Ecclesiæ Archipresbyter, subscripsi.*

✠ *Ego Viscardus, Presbyter, subscripsi.*

✠ *Ego Albericus, Presbyter, subscripsi,*

✠ *Ego Ugo, Presbyter, subscripsi.*

✠ *Ego Guiscardus de Arzago, Sanctæ Mediolanensis Ecclesiæ Presbyter, subscripsi.*

✠ *Ego Obertus, Mediolanensis Archidiaconus, subscripsi.*

✠ *Ego Otto, Diaconus, subscripsi.*

✠ *Ego Otto, Diaconus & Vicedominus, subscripsi.*

✠ *Ego Oldo, Mediolanensis Ecclesiæ Diaconus, subscripsi.*

✠ *Ego Rolandus, Sanctæ Mediolanensis Ecclesiæ Diaconus & Cancellarius, subscripsi.*

✠ *Ego Jacobus, Subdiaconus, subscripsi.*

✠ *Ego Petrus de Arcizate ex mandato Domini Lanterii Subdiaconi subscripsi.* Sed in altero tamen Exemplari pariter archetypo deest hic ipse *Petrus*, ac ipsemet sese *Lanterius* subscripsit.

Datum per manum Domini Rolandi, Dei gratia Mediolanensis Ecclesiæ Diaconi & Cancellarii, apud Mediolanum, PONTIFICATUS DOMINI MILONIS ANNO TERTIO.

DCXIV. Hoc eodem nonagesimo Anno *Fridericus* post immensos labores in ea Expeditione superatos, post devictum in prælio *Soldanum Iconii*, peragrans partes *Armeniæ* inferioris, dum rapido flumini *Caleph* (aliter *Saleph*) innatans se refrigerat & abluit, ex improviso absorptus immoritur. Sic enim præcise testatum videmus ab eo, qui tunc ibi aderat, Scriptore illius Epistolæ, quæ in Appendice ad *Radevicum* legitur prima, cujusve testimonium *Baronius* quoque Artic. 6. & deinceps non immerito ceteris anteferendum putavit. Ejus igitur in extremo talia ille narrabat: *Cum inde procederemus, ivimus Caleph: ubi tantam asperitatem & difficultatem in transitu montium invenimus, quod summa jactura rerum vix pervenimus Caleph in Dominica die, quæ fuit Vigilia Barnabæ Apostoli. Eodem die cum Dominus Imperator per quoddam compendium transiret in convallibus montium quandam rapidissimam aquam; salvumque eum recepit* (sive *salvum se recepit*, ut *Baronio* etiam placet Art. XI.) *in aliam partem. Facto autem ibi prandio, post infinitos & intolerabiles labores, quos per mensem jam erat passus*: ET VELLET BALNEARI IN EADEM AQUA, ET ITA SE REFRIGERARE VELLET NATANDO; DEI JUDICIO, CASU LACHRYMABILI ET INOPINATO SUBMERSUS EST. *Cujus reliquias debita veneratione nobiscum portamus* &c. Inde porro temporis illius Historicus exclamat Rerum *Anglicarum* Lib. 4. Cap. 13. *Gulielmus Neubrigensis*, & *Baronius* itidem acclamat Art. 12. *O abyssus multa judiciorum Dei! Vir tantus, & qui divino quodam fervore, relictis deliciis opibusque Imperii, mille se exposuerat propter Christum periculis, tam subito miseroque casu absumitur.* PECCATUM TAMEN EJUS TANTUM ET TALE ELUCET, QUOD FORTE IN IMPERIALIBUS NON POTUERIT DELICIIS EXPIARI: ATQUE ADEO OPORTUERIT, NE ÆTERNALITER PLECTERETUR, PIA DIVINITATIS PROVISIONE IN HAC VITA SEVERIUS CASTIGARI. *Siquidem nefarii Schismatis sub Venerabili Papa Alexandro principalis fautor extiterat, & pacis Ecclesiasticæ per Imperialem potentiam multo tempore perturbator. Tandem vero perspicuæ dans palmam veritati, minus tamen in deliciis Palatii piaculare malum defleverat. PORRO, NE PROPTER HOC GRAVIA POST MORTEM SUPPLICIA LUERET, SED POTIUS TAM GRANDE MALUM MOMENTANEÆ MORTIS CASUS ACERBUS PERFECTE DILUERET; ILLA INSIGNI DEVOTIONE, QUA PROPTER CHRISTUM RELICTO IMPERIO TANTIS SE IMMERSIT PERICULIS, ACTUM CREDO Sane Exercitus Christianus ita stupuit doluitque de raptu Principis, ut collapsis animis matura immanissimorum præda hostium fore videretur. Verum resumpto paulisper spiritu, loco extincti Patris præsenti Suevorum Duci adhæsit & paruit. Qui paterni corporis (quod post casus infelicissimi dies aliquot ægre inventum ereptumque aquis dicitur) ossibus assumptis, in multo laborum & periculorum experimento cum Exercitu progressus est.* Et paulo post: *Qui, paternis ossibus apud Tyrum cum decenti honore sepultis, militiæ Christianæ, quæ Acram obsidebat, cum omni comitatu adjunctus, ibidem post modicum morbo defecit. Hunc finem occulto Dei judicio habuisse noscitur famosa illa Teutonici Imperatoris Expeditio.* Hactenus *Neubrigensis*. Ceterum *Sigonius* de tanti hujus Imperatoris præstantia sic etiam denique conclusit: *Fridericus Germanos Imperatores omnes virtute ac gloria superasset; si Otthones potius in tuenda, quam Henricos in oppugnanda Ecclesia, sibi æmulandos putasset.*

DCXV. Sicut autem aliquoties mentionem jam fecimus, *Fridericus* jam fuerat in Regem coronatus Anno superiore quinquagesimo secundo, & quinto Martii die: in Imperatorem autem Anno quinquagesimo quinto, & Junii mensis die decima octava. Quoniam ergo inde Regni, sed hinc Imperii annos satis superque constat computandos esse; certe sequitur, ut *Fridericus* occubuerit anno jam inchoato Regni sui trigesimo nono, sed Imperii nondum expleto trigesimo quinto. Siquidem ille, ut nuper dicebamus, occubuit hoc Anno nonagesimo, ac decima Junii die; trigesimum quintum vero Imperii annum nonnisi decima octava ejusdem mensis die completurus erat, sicut & inde trigesimum sextum inchoaturus. Quocirca nobis hoc item loco suadendum est, ut quisque prudens veritatis æstimator paulo adhuc minutius & accuratius examinet, quam scite quantave maturitate contextum fuerit illud Scriptum: cui *Corius* noster ad se transmisso e Germania tantopere credidit, ut authentici nomine commendandum esse arbitraretur, quemadmodum nos Num. 462. ostendebamus. In eo siquidem Scripto *Fridericus* asserebatur Anno Dominicæ Incarnationis Millesimo centesimo quinquagesimo secundo Imperator,

rator, indeque triginta sex annos imperasse, ac decimo Imperii sui anno *Mediolanum* destruxisse. Quidnam igitur hoc Imperatoris Imperii & imperandi vocabulo a nobis intelligi oportebit? Si non aliud, quam quod Regis Regni & regnandi vocabulo exprimitur; primum quidem illud ac tertium assertum vera erunt; atqui non secundum; quippe cum *Fridericus* undequadragesimum etiam inierit Regni sui annum. Sin autem tale quid diversum intelligitur, quale sine dubio intelligendum est, quando Regni annus sejunctim ab Imperii anno in eodem sermonis contextu numeratur; tum vero quis jam neget tria pariter illa esse falsa? Quod si forte primo ac tertio loco accipi volunt in uno eodemque sensu, sed secundo in diverso; ecce in primis, quam pudenda pauculis inest illis verbis æquivocatio; ecce præterea, quemadmodum *Fridericus* ne annum quidem Imperii trigesimum sextum morte præventus inchoare potuerit. Facessat igitur a nobis illud Scriptum: ac nobiscum suo in tumulo Corpora Sanctorum *Protasii* & *Gervasii*, sicut & *Ambrosii*, Tutelarium nostrorum perseverent.

DCXVI. Subeunte postmodum Anno supra Mil-
A.C. 1191. lesimum centesimum nonagesimo primo *Henricus* Rex *Mediolanum* revertitur, hinc *Romam* quoque profecturus ad Coronam e manu Pontificis Imperialem capessendam. Inde *Chalcus* hoc ipso Anno: *Henricus Rex animo ad res Siculas adjuncto, ex Germania cis Alpes venit: Constantiam Reginam & infantem Filium adduxit. Dum Mediolani diversatur, Privilegia a Patre Papiensibus olim data affirmavit.* Forte vero nunc etiam peractum est illud, quod alias innuimus de *Milone* in præsens Archiepiscopo affirmatum tam in Catalogo Actis Ecclesiæ *Mediolanensis* inserto, quam in altero *Successores Sancti Barnabæ*, his verbis: *Henricum Quintum Imperatorem una cum Constantia Augusta uxore in Urbe Mediolani Corona Ferrea decoravit.* Cujus utique Coronæ jam tandem suscipiendæ tempus erat maturum, antequam Imperialem a *Romano* Pontifice acciperet, ut paulo post indicabimus.

DCXVII. Cum superiori *Milonis* Archiepiscopi Sententiæ neutro Partium acquievisset; ad *Romanum* ambæ Pontificem appellarunt. Ille Causæ denuo dijudicandæ munus Abbati Monasterii Sancti *Petri ad Laudem Veterem* siti, & Præposito Cathedralis Ecclesiæ *Pergamensis* injunxit. Isti vero Sententiam denique subsequentem pronunciarunt:

ANNO ab Incarnatione Domini nostri Jesu Christi Millesimo centesimo nonagesimo primo, sexto decimo Kalendas Aprilis, Indictione nona. Cognoscentibus ex causa Delegationis seu Commissionis factæ A DOMINO CLEMENTE TERTIO SUMMO PONTIFICE, *sicut in Litteris Commissionis sigillatis continetur. Videlicet:* DOMNO PAULO ABBATI MONASTERII SANCTI PETRI DE LAUDE VETERI, *&* OBERTO PRÆPOSITO PERGAMENSIS ECCLESIÆ. *Super Controversiis, quæ vertebantur inter* AMBROSIUM ABBATEM MONASTERII SANCTI AMBROSII DE MEDIOLANO *nomine ipsius Monasterii ex una parte, & ex altera* PRESBYTERUM PETRUM LONGUM CANONICUM ET CIMILIARCHAM SANCTI AMBROSII DE MEDIOLANO, ET DOMNUM NAZARIUM PRÆPOSITUM EJUSDEM CANONICÆ BEATI AMBROSII: *& quæ Controversiæ diffinitæ fuerant* PER DOMNUM MILONEM MEDIOLANI ARCHIEPISCOPUM; *sicut in Charta ejus proprio Sigillo sigillata continetur: & a qua Diffinitione seu Sententia utraque Pars ad præfatum Summum Pontificem libellis hinc inde porrectis apellaverant. Quæ quidem Controversiæ tales erant. Petebat siquidem prædictus Ambrosius Abbas a jam dicto Petro Cimiliarcha, ut faceret vel fieri faceret ea,*

A *quæ ipse Cimiliarcha & Prædecessores sui sibi & Antecessoribus suis facere consueverant:* & reliqua, quæ Num. 613. ex ipsius *Milonis* sententia recitavimus ad illa usque verba *Super quibus omnibus petitionibus &c.* In quorum quidem locum ista in præsenti succedunt. *Et visis Allegationibus, Testibus, Instrumentis.. & argumentis hinc inde productis, & a Nobis nostrisque Assessoribus diligenter inspectis & examinatis; talem Nos præfati Obertus Præpositus Pergamensis & Domnus Paulus Abbas Monasterii Sancti Petri de Laude Veteri, consilio Alberti de Summaripa de Laude & Lafranci Ottonis Veteris de Pergamo, Assessorum nostrorum proferimus*
B *Sententiam. Condempnamus enim prædictum Petrum Canonicum, ut vestiat vel vestiri faciat, seu ornet vel ornari faciat prædictum Pulpitum, quando Monachi illius Monasterii Sancti Ambrosii voluerint ascendere Pulpitum illud ad celebranda divina Mysteria. Similiter solempnibus diebus (quando solempniter celebratur, solempnes intelligemus dies) quibus Monachi consueverunt ascendere; dum tamen non ascendant fraudulenter citra consuetudinem. Et ut faciat expoliari Altare in die Veneris Sancti cum Diaconus legit in Pulpito,* DIVISERUNT VESTIMENTA, SORTEM MITTENTES. *Et ut extingui faciat ignem cum Diaconus legit,* DOMINUS EMISIT SPIRITUM. *Et*
C *ut in die Sabbati Sancti vestiri faciat Altare prædictum, quando Diaconus dicit,* ECCE JAM IGNIS COLUMPNA RESPLENDET. *Et prædicta omnia, de quibus condempnavimus, sicut dictum est, faciat ipse Petrus Cimiliarcha per Custodes ipsius præfatæ Canonicæ. Insuper condempnamus præfatum Præpositum Nazarium, ne impediat nec prohibeat jam dictum Cimiliarcham, vel alium habentem claves paramentorum, seu Custodes illius Canonicæ, facere prædicta, de quibus, ut dictum est supra condempnavimus. Et absolvimus jam dictum Petrum Cimiliarcham, ne deferri faciat Cruces ad Cadavera Mortuorum, cum requisitus fuerit ab Abbate vel Monachis Sancti Ambrosii: & ne ponat*
D *pallium ante Altare Beati Ambrosii, quando Abbas cum Fratribus suis celebrat Vigilias Sancti Ambrosii & Sanctorum Martyrum Protasii & Gervasii, supra quod Abbas prosternat se in oratione, cum Litaniæ fiunt; sed liceat ipsi Abbati per suos ministros facere apponi illud, quod fuerit supra Lectorile, si ei placuerit; supra quod prosternat se in oratione. Et similiter prædictum Nazarium Præpositum absolvimus a petitione, quam Ambrosius Abbas faciebat ab eo in predictis duobus capitulis, in quibus absolvimus prædictum Cimiliarcham, sicut dictum est superius. Præterea condempnavimus jam dictum Ambrosium Abbatem, quatenus faciat, prædictum Cimiliarcham sedere juxta se a dextera parte in*
E *mensa Abbatis in diebus statutis, in quibus ipse Abbas eidem Cimiliarchæ refectionem præstat propter aperturam Altaris Sancti Ambrosi, quam ipsi Abbati fieri facit: & ut præstet ipse Abbas eidem Cimiliarchæ infra dies triginta æstimationem quinque refectionum, quæ remanserunt ad dandum temporibus aperturarum Altaris, taxatione nostra in ipsa æstimatione refectionum adhibita, scilicet in solidos septem & medium, denarios novæ monetæ. Et insuper condempnamus Abbatem, ut de cætero abstineat se ab injuria spoliandi supra dictum Altare pallio & brosto, & auferendi & ponendi illud sub genibus & pedibus suis, dum orando prostratus jacet ante Altare. Et condempnamus Abbatem prædi-*
F *ctum Sancti Ambrosii & Monachos ejus, ne perturbent divinum Officium Canonicorum Sancti Ambrosii. Præterea condempnavimus eundem Abbatem, ut deinceps præstet ipsi Præposito & Canonicis Sancti Ambrosii refectionem* IN FESTIVITATE SANCTI SATYRI, *sicut continetur in Charta sigillata Sententiæ* (hanc ipsam nos recitavimus Num. 404.) *quondam latæ super hoc negotio per Teutaldum quondam Sanctæ Mediolanensis Ecclesiæ Archipresbyterum, jussione Domni Oberti ipsius*

ipsius Ecclesiæ quondam Archiepiscopi, sive Præpositus & Canonici intersint divinis Officiis festi Sancti Satyri, sive non intersint. Et condempnamus eundem Ambrosium Abbatem, ut præstet Nazario Præposito & Canonicis Sancti Ambrosii infra triginta dies æstimationem unius refectionis, quæ quondam .... Canonicis in festo Sancti Satyri, taxatione in ipsa æstimatione a nobis adhita, videlicet duodecim solidorum novæ monetæ. Prædictas autem condempnationes, quas superius fecimus.......................... Cimiliarcham & Præpositum Nazarium Sancti Ambrosii, ideo fecimus; quia per plures Testes probatum invenimus & cognovimus, ea, de quibus sic supra eos condempnavimus, per longa & longissima tempora per Custodes Canonicæ Sancti Ambrosii facta fuisse; & quia similiter per Testes probatum invenimus & cognovimus, ea facta fuisse per plura & diversa tempora per jam dictæ Canonicæ Custodes, jussione & præcepto Cimiliarchæ, qui pro temporibus fuit; & ideo jus præsumit, ea de jure facta fuisse, & in futurum de jure fieri debere; & ideo illas condempnationes fecimus. Nec illas easdem condempnationes fecimus propter hoc, quod cognovissemus per Instrumenta vel Privilegia, seu per aliquas alias rationes, quod Monasterium Sancti Ambrosii, vel Abbas seu Monachi ejusdem Monasterii habeant vel habuissent aliquod jus dominationis super jam dicta Canonica Sancti Ambrosii, nec super Præpositum neque Canonicos ejusdem Canonicæ, neque aliquam dominationem. Et sic Causa finita est, & plures exinde Sententiæ eodem tenore simul sunt rogatæ. Et sic ambæ Partes in concordia dederunt parabolam istis Domno Oberto Præposito, & Domno Paulo Abbati istam ferre Sententiam: & renunciaverunt ambæ Partes omni juri, quo defendere se possent, dicendo, quod tali die Sententia non esset danda vel ferenda. Actum est hoc in Laude, in Canonica Majoris Ecclesiæ. Adfuerunt ibi Magister Vivianus, Presbyter Petrus, & Darius, & Guigontio Laudenses Canonici: & Magister Gerardus Pergamensis Canonicus, & Baldizonus Stampa de Mediolano, & Coradus Judex, & Petrus Scarpa, & Enricus de Somaripa, & Joannes Cimiarca, & Ambrosius Custos, & Evurardus, & Rogerius Clericus Sancti Storgii (sive *Eustorgii*) *rogati Testes.*

✠ *Ego Paulus, Abbas Sancti Petri, subscripsi.*

✠ *Ego Obertus, Pergamesis Præpositus, hanc Sententiam protuli, ut supra, & subscripsi.*

✠ *Ego Albertus de Summaripa, Judex, & Assessor prædictorum Abbatis & Præpositi, interfui, ut supra, & subscripsi.*

✠ *Ego Lafrancus Ottonis Venteris, Judex, & Assessor prædictorum Abbatis & Præpositi, interfui, ut supra, & subscripsi.*

Ego Anselmus Regalis, Notarius, jussu ipsorum Domni Pauli Abbatis Monasterii Sancti Petri, & Oberti Præpositi Pergamensis, scripsi.

DCXVIII. Ejusmodi vero Sententiam Canonicis potius quam Monachis placuisse, nos quidem inde colligimus, quod ex iisdem protinus Canonicis duo *Romam* perrexerunt, ut ipsius Confirmationem a *Cœlestino* Papa obtinerent; sicut etiam re quidem ipsa obtentam *Mediolanum* adsportarunt. Sic enim aperte plures postea in Processu Testes affirmarunt; ac nominatim octavus Monachorum Testis *Zan de Cartabia*; itemque Canonicorum Testes, primus, secundus, tertius & quintus; sive *Honestus de Cosenigo*, *Manfredus Oculi Blanci*, *Guitfredus*, & *Bertramus Corbus*. Atqui nullum ipsius Exemplar nos quidem hactenus in Archivo Monachorum invenimus.

DCXIX. Ceterum, quod attinet ad memoratam Sancti *Satyri* festivitatem, certe placebit etiam nonnullos audire Testes, a Monachis postea productos in eo Processu, quem pluries jam diximus Anno postea ducentesimo confectum. Ibi siquidem de Tertio in primis Teste, Domno *Petro Sapa*, Monacho, sic etiam scriptum invenimus: *Item testatur,* A *quod Canonici Sancti Ambrosii consueverunt & debent esse cum Ordinariis Ecclesiæ Majoris ad Festivitatem & Vigiliam Beati Satyri pro Officiis divinis celebrandis: & eos Canonicos vidit cum illis Ordinariis ad illud Festum & Vigiliam, videlicet Guilielmum Bruxatum, & Guilicionem, & alios, de quorum nominibus non est memor. Et ad hoc scit, quod, finitis Vesperis illius Vigiliæ, Ordinarii cum illis Canonicis consueti sunt intrare in Capitulum: & pluries fuit administrator cum aliis de Monachis, prodandis fructibus eis: & ipsemet dedit tam eis Canonicis quam Ordinariis de illis fructibus.* Sed & quartus subinde Testis, *Domnus Ubertus*, Sacerdos & Monachus, hæc eadem affirmavit B *a decem annis infra; excepto, quod non est memor, si viderit Guilicionem in Refectorio in ipso Festo cum Ordinariis, pro fructibus accipiendis; sed bene recordatur, quod vidit Presbyterum Burrum, & Guilielmum Bruxatum, ut credit, in illo die post Vesperas.* Accipe vero, quemadmodum aliquanto etiam luculentius iisdem adtestetur quintus Testis, Domnus *Arnoldus* Sacerdos itidem ac Monachus. Tale siquidem ipsius fuit assertum: *Item testatur, se vidisse, quod Canonici ante destructionem Mediolani, & post,* USQUE AD TEMPUS ABBATIS AMBROSII, *consueverunt venire cum Ordinariis ad Festivitatem Beati Satyri pro divinis Officiis celebrandis, scilicet,* C *ut credit, Mainfredus Oculi blanci, & Presbyter Burrus, & Guiffredus Longus, & de aliis: &* ETIAM TEMPORE ABBATIS AMBROSII *vidit eos venire in Capitulum cum Ordinariis in Vigilia illius Festi pro accepiendis de fructibus, qui dabantur Ordinariis. Et pro ipso Festo dabantur eis solidi duodecim tertiololorum pro benedictione, aut pastum unum. Et* TEMPORE ILLIUS ABBATIS AMBROSII *litem talem vidit inter Abbatem & Monachos, & Canonicos. Quia pauci de Canonicis veniebant ad illud Festum; dicebant Abbas & Monachi, quod nolebant dare pastum illud omnibus Canonicis; nisi illis qui interfuerant illi Fistivitati. Et pro hac tali lite miserunt se in placitum,* D NOLENTES POSTEA AD ILLUD FESTUM VENIRE. Quamobrem hac in parte ne superior quidem Sententia videtur executioni data in posterum. Placetne vero insuper audire, quemadmodum ad valvas Ecclesiæ tunc Ordinarii a Monachis exciperentur? Simul autem illos contuebimur venire quotannis consuevisse ad Ecclesiam quoque Sancti *Augustini* (ubi scilicet ipsum traditio adhuc viget baptizatum fuisse) tum in ejus, tum etiam in Sancti *Luxoli*, sive *Luxorii* festivitate. Cum enim decimus tertius Testis, *Ambrosius* de Sancto *Ambrosio*, fuisset secundo examini subjectus; inter cetera interrogatur, E *Si Abbas & Monachi recipiunt Ordinarios ad Regias Sancti Satyri cum Incenso & Aqua sancta.* Sic autem ille respondit: *Nescio, nec vidi. Sed ad Ecclesiam Beati Augustini vidi Domnum Martinum revestitum recipere Ordinarios cum Incenso* IN FESTO SANCTI AUGUSTINI, ET SANCTI LUXOLI. Similiter etiam *Petrus de Garlate*, Testis decimus sextus interrogabatur: *Si scit, vel credit,* QUANDO ORDINARII VADUNT AD FESTIVITATES SANCTI SATYRI, ET SANCTI AUGUSTINI, ET SANCTI LUXORII, *quod Monachi Sancti Ambrosii recipiant Ordinarios ad januas illarum Ecclesiarum cum Incenso: &* F *si illi Monachi tenent Librum Ordinariis, dicentibus Orationes illarum Festivitatum.* Ipse vero verbatim hæc respondit: *Sic, ut credo, per se, vel per suos Cappellanos, vel Nuncios suos.* Neque vero prætereundus silentio nobis est *Guitfredus*, hujus Basilicæ Canonicus & Cimiliarcha, per Canonicos tertio loco in testimonium productus. Inter cetera siquidem ille respondens sic etiam dixit: *Se credere, quod Monachi Sancti Ambrosii,* CUM ORDINARII VADUNT AD FESTIVITATES, QUÆ FIUNT

FIUNT IN ECCLESIIS SANCTI SATYRI ET SANCTI AUGUSTINI, *recipiant eos cum Incenso & Aqua sancta: & teneant eis Librum, cum Sacerdotes dicunt ibidem Orationes. Et vidi ipsos Monachos, scilicet Domnum Martinum & Domnum Ubertum, portantes Librum, CUM ORDINARII VENIUNT CUM PSALLENDA A SANCTO AUGUSTINO AD SANCTUM AMBROSIUM: & ante Altare Beati Ambrosii Librum tenentes, cum dicunt Ordinarii Orationes.*

DCXX. *Henricus* Rex jam *Romæ* appropinquabat, Augustalia suscepturus Insignia, cum *Clemens* Papa Tertius quarto Idus Aprilis ex hac vita migravit. Eidem subinde substituitur *Hyacinthus*, Diaconus Cardinalis Sanctæ *Mariæ* in Cosmedin. Qui die ipso Paschatis, decimo octavo Kalendas Majas, consecratus Pontifex *Cœlestinus* hujus nominis Tertius, postridie *Henricum* & *Constantiam* ejus conjugem Imperiali Diademate coronavit. *Baronius* eodem hoc Anno de his abunde agit Art. 1. ac 10. Ab Urbe deinde *Roma Henricus* in *Apuliam* proficiscitur, accepturus totam Terram *Vuillelmi Siculi*, quæ ipsum simul cum Imperatrice uxore sua contingebat. Cumque *Neapolim* quoque pervenisset, quin etiam circumfuso exercitu acriter obsideret; morbo correptus (præterquam quod sæva exercitum pestilentia fuerat adorta, & plerosque militum absumpserat) satis habuit inde abire. Rediit ergo *Mediolanum*: & hinc Epistolam scripsit ad *Cœlestinum* Papam, ut pro liberatione suæ ageret Conjugis; quæ interim per proditionem a *Salernitanis* capta fuerat, & ad regnantem in *Sicilia Tancredum* missa, ibi ab eo detinebatur. Sic enim deinceps narrat idem *Baronius* Art. 13. & 14. Ceterum *Henricus* non multo post in *Germaniam* transivit; ut *Chalcus* & *Sigonius* affirmant.

DCXXI. Anno Domini nonagesimo tertio supra A.C. 1193. Millesimum centesimum insigne hoc habemus *Milonis* Archiepiscopi Privilegium, & archetypo quidem contentum exemplari. Haud dubie vero datum asseritur die sexta mensis Aprilis; & ejusdem *Miloniani* Pontificatus anno quinto; cum alioqui sexto potius anno saltem inchoato nobis vere datum videatur; sicuti jam Num. 605. computabamus. Verbatim vero ita prorsus se habet:

MILO, DEI GRATIA SANCTÆ MEDIOLANENSIS ECCLESIÆ ARCHIEPISCOPUS, *Dilectis in Christo Filiis*, AMBROSIO ABBATI MONASTERII SANCTI AMBROSII MEDIOLANENSIS, EJUSQUE FRATRIBUS, *tam præsentibus quam substituendis, in perpetuum. Sacra testante Scriptura, ex officio Nobis injuncto interest Ecclesias & Ecclesiasticas personas, nostro commissas regimini, paterno affectu diligere, & eas earumque bona protectione munire. Dignum namque & honestati conveniens esse aperte cognoscitur, ut qui ad Ecclesiarum regimen, sub Mediolanensis Ecclesiæ obedientia commorantium, sumus Domino disponente vocati, eas & a pravorum hominum nequitia tueamur, & nostræ Mediolanensis Ecclesiæ patrocinio foveamus. Proinde, Dilecti in Domino Filii, vestris justis petitionibus clementer annuentes, præfatum* BEATI AMBROSII MONASTERIUM, *in quo divino estis mancipati obsequio, & ejus bona sub nostræ Sanctæ Mediolanensis Ecclesiæ protectione & defensione suscipimus, & præsentis Privilegii Pagina communimus. Statuimus itaque, ut quascumque possessiones, quæcumque bona, prædicta Beati Ambrosii Ecclesia in præsentiarum juste & canonice possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione Fidelium, seu aliis justis modis Deo propitio poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus & illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis: Monasterium cum Claustro,* PALATIIS, *domibus, Officinis, & cum omnibus casis & terris usque ad muros Civitatis, sicut murorum ambitu circumdatum esse cognoscitur:* ECCLESIAM BEATI PETRI, *juxta Ecclesiam Sancti Vitalis ædificatam:* ECCLESIAM SANCTI AUGUSTINI *cum suis possessionibus:* ECCLESIAM SANCTI MICHAELIS *cum Parochia & suis possessionibus, & cum Parochia* HOSPITALIS *ibi prope ædificati:* ECCLESIAM BEATI PETRI AD SALAM *cum Parochia de Cassinis de Bessis, & de domibus* DE BAINTANA, *& decima:* ECCLESIAM SANCTI SYRI AD VEPRAM *cum Parochia & decima:* ECCLESIAM SANCTI SATYRI INFRA CIVITATEM *cum Parochia illa, quæ est ab Ecclesia Sancti Satyri usque ad domum Lanfranci Boccardi, & ex altera parte viæ usque ad domum Amizonis Montenarii, sicut determinatum est in Sententia bonæ memoriæ Domini Oberti Mediolanensis Archiepiscopi, cum omnibus possessionibus suis:* CURTEM OLEODUCTI *cum duabus Capellis, scilicet Ecclesiam Sancti Syri, & Ecclesiam Beatæ Mariæ, cum famulis & decima:* ECCLESIAM SANCTI SEPULCHRI ET ECCLESIAM SANCTÆ TRINITATIS DE TRINITATE, *cum Parochia & decima, & earum possessionibus:* CURTEM CAMPILIONIS *cum tribus Capellis, videlicet Ecclesia Sancti Zenonis, & Ecclesia Sancti Petri, & Ecclesia Sanctæ Mariæ, cum Parochia & decima, & omnibus ad eam pertinentibus:* ECCLESIAM SANCTI SYRI DE CANOBIO *cum possessionibus ad prædictam Curtem pertinentibus:* CURTEM DE DUBINO *cum duabus Capellis, scilicet Ecclesia Sancti Petri & Ecclesia Sancti Benedicti, cum Parochia, & decima, & famulis* CURTEM DE LEMONTIS *cum Ecclesia Sancti Genesii, & decima totius Oliveti, & Parochia, & famulis:* CURTEM DE CAPIATE *cum Ecclesia Sancti Nazarii, cum Parochia & decimis, & primitiis, atque famulis:* CURTEM DE ANTICIACO *cum Ecclesia Sancti Ambrosii, & Advocatia Ecclesiæ Sanctæ Mariæ, cum decima, & famulis:* ECCLESIAM BEATI AMBROSII DE GLOXIATE *cum omnibus ad eam pertinentibus.* ECCLESIAM SANCTI DAMIANI IN BARAZA *cum Parochia, decima, & omnibus, quæ ad eam pertinent:* CURTEM DE PASILIANO *cum tribus Capellis, videlicet Ecclesia Beati Petri cum Parochia & decima, atque Ecclesia Sancti Salvatoris & Beati Ambrosii, & Ecclesia Sancti Georgii: cum suis possessionibus:* IN CASTANETO *Ecclesiam Sancti Michaelis: in* TURRICULA *Ecclesiam Sancti Martini cum decimis & famulis:* CURTEM DE MONTE *cum Ecclesia Sancti Vigilii, & Ecclesia Sancti Eusebii, cum decimis:* CURTEM DE CIRIXOLA *cum Ecclesia Sancti Ambrosii, cum decimis & famulis, aliisque possessionibus:* ECCLESIAM SANCTI AMBROSII DE QUINTO *cum suis & aliis possessionibus, & in Castro prædicti Loci Ecclesiam Sancti Petri cum decimis, primitiis, & possessionibus:* ECCLESIAM SANCTÆ MARIÆ ET ECCLESIAM SANCTI MARTINI DE CASTERNO *cum suis aliisque possessionibus:* ATQUE JUS ILLUD, QUOD ANTIQUITUS HABETIS IN MONASTERIO AURONIS: *& possessiones, quas habetis* IN DOMREGASCO: *Monasterium de Rocello cum omnibus suis possessionibus: præterea* DIGNITATEM ILLAM, *quæ, ut in vestris continetur Privilegiis, vobis ex longo & antiquo tempore concessa est, videlicet,* QUOD ABBAS IN DOMINICIS ET SOLEMNIBUS DIEBUS CUM INFULA ET ANNULO ALIISQUE ORNAMENTIS EPISCOPALIBUS, IN ECCLESIA BEATI AMBROSII MISSAS CANTET, *vobis confirmamus. Universas insuper consuetudines antiquas, quas in Ecclesia sæpe dicta Beati Ambrosii habere consuevistis,* ET SPECIALITER CONSUETUDINEM

NEM ASCENDENDI PULPITUM, VOBIS SOLUMMODO, VESTRISQUE SUCCESSORIBUS, ET NULLI ALII, CONFIRMAMUS; ITA QUOD NULLI ALII, EXCEPTIS ORDINARIIS MEDIOLANENSIS ECCLESIÆ, LICEAT OCCASIONE ALIQUA SUADENTE PULPITUM ILLUD, VEL ALIUD IN IPSA ECCLESIA ALIQUANDO CONSTRUCTUM, AD DIVINA MINISTERIA VEL ALIQUA ECCLESIASTICA OFFICIA CELEBRANDA ASCENDERE SINE VESTRA VEL SUCCESSORUM VESTRORUM LICENTIA ET VOLUNTATE. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum, in nostra commoranti Ditione, liceat contra hujus nostri Privilegii Paginam venire, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem id attemptare præsumpserit: & commonitus, si satisfactione debita suam non correxerit temeritatem; iram Dei Omnipotentis, & nostram, ac sui Ordinis & Officii periculum se noverit incursurum. Cunctis autem hæc eadem vobis servantibus pax sit & gratia Domini Nostri Jesu Christi. Amen. Amen. Amen.

✠ EGO MILO, DEI GRATIA MEDIOLANENSIS ARCHIEPISCOPUS, SUBSCRIPSI.

✠ *Ego Philippus Mediolanensis Archipresbyter, subscripsi.*

✠ *Ego Petrus, Presbyter, subscripsi.*

✠ *Ego Viscardus, Presbyter, subscripsi.*

✠ *Ego Guiscardus de Arzago, Sanctæ Mediolanensis Ecclesiæ Presbyter, subscripsi.*

✠ *Ego Albericus, Presbyter, subscripsi.*

✠ *Ego Ugo, Presbyter, subscripsi.*

✠ *Ego Obertus, Mediolanensis Archidiaconus, subscripsi.*

✠ *Ego Otto, Diaconus, subscripsi.*

✠ *Ego Oldo, Diaconus, subscripsi.*

✠ *Ego Rolandus, Mediolanensis Cancellarius, subscripsi.*

✠ *Ego Otto, Diaconus & Vicedominus, subscripsi.*

✠ *Ego Obertus, Diaconus Mediolanensis Ecclesiæ, subscripsi.*

✠ *Ego Albertus, Subdiaconus Mediolanensis Ecclesiæ, subscripsi.*

Datum Mediolani per manum Domini Rolandi, Dei gratia Mediolanensis Ecclesiæ Diaconi & Cancellarii, Anno Domini Millesimo centesimo nonagesimo tertio, die Martis, sexto mensis Aprilis, Pontificatus Domini Milonis Anno Quinto.

A.C. 1194. DCXXII. *Henricus*, jam valetudine confirmatus, *Neapolitanam* expeditionem iterum suscipit, ineunte Anno Sæculi hujus nonagesimo quarto: atque per Julium mensem in *Italiam* reversus, *Genuam* proficiscitur: indeque, quo destinabat provectus, votis potitur; sicuti commode legi potest apud *Chalcum* & *Sigonium*, *Panormus* (ejusdem *Sigonii* verba sunt) *integræ præmium victoriæ fuit. Siquidem, ea recepta, & Constantiam uxorem e custodia liberavit, & Regem se Siciliæ cum ea coronari maximo totius Regni concursu jussit. Hæc pridie Kalendas Decembris administrata. Itaque, quod ex ejus Diplomatis liquet,* IS ANNOS REGNI SICILIÆ AB HAC DIE INSTITUIT.

A.C. 1195. DCXXIII. *Henricus* inde cum thesauris in *Longobardos* revertitur sub Annos quinque & nonaginta: inquit *Chalcus*. Atqui, *Sigonio* teste, prius in *Germaniam* deinde autem mense Majo in *Lombardiam* trajecit. Sic etiam juxta *Chalcum* eodem Anno trans *Alpes* in *Germaniam* discessit. *Sigonio* tamen visus est usque ad mensem Martium Anni subsequentis moram in *Italia* traxisse. A.C. 1196. Certe autem Augusto præterea ejusdem Anni mense *Mediolani* erat; quemadmodum e proximo dignoscitur Diplomate, quod ibidem *Ambrosiano* huic Monasterio concessit, quodque in hodiernam usque diem archetypum ac bene sanum conservatur:

A IN NOMINE SANCTÆ ET INDIVIDUÆ TRINITATIS. HENRICUS SEXTUS, DIVINA FAVENTE CLEMENTIA, ROMANORUM IMPERATOR SEMPER AUGUSTUS, ET REX SICILIÆ. *Ad æterni Regni meritum, & temporalis Imperii incrementum, apud Regem Regum nobis potissimum proficere non ambigimus; si Ecclesiis Dei & Ecclesiasticis Personis auxilium & munificentiæ nostræ piam impendimus defensionem. Quapropter notum facimus universis nostri Imperii Fidelibus, præsentibus & futuris, quod Nos ad imitationem Antecessorum nostrorum, Imperatorum seu Regum Romanorum, & specialiter Otthonis Tertii,* B *Romanorum Imperatoris Divi Augusti,* MONASTERIUM SANCTI AMBROSII APUD MEDIOLANUM *cum Personis ibidem Deo servientibus, & universis bonis, quæ nunc habet, vel in posterum concedente Domino juste poterit obtinere, in specialem Magestatis nostræ protectionem atque mundiburdium recepimus: ipsique ab Antecessoribus nostris, & specialiter ab ipso Otthone Imperatore, concessa & confirmata, Imperiali auctoritate concedimus & confirmamus. Videlicet Districtum & Curtes* DE PASILIANO, CAPIATE, COLONIA, ANTICIACO: *& mansos* DE VALLE TELLINA, *sicut ad nostrum jus pertinent:* AC DOMINIUM, C UT ABBAS PRÆDICTI MONASTERII PRÆDICTA LOCA IN OMNI JURE ET SERVITIO TENEAT ET DISTRINGAT SECUNDUM JUS NOSTRUM, *sine alicujus personæ contradictione. Insuper concedimus & confirmamus ei Curtem* DE MONTE *cum Castellis & Capellis, Curtem* DE LEMONTA, *Curticellam quæ dicitur* VILLA-ALBA, *Curtem de* OLEODUCTO, *cum universis eorum pertinentiis & familiis: & omnia, quæ* IN CAVANAGO ET VAREDIO *tenet & possidet. Statuentes, & Imperiali sancientes auctoritate, ut nullus Archiepiscopus, Episcopus, Dux, Marchio, Comes, Vicecomes, nullus Consul, nulla Civitas, nullum Commune, nullaque omnino* D *persona, humilis vel alta, sæcularis vel Ecclesiastica, prædictum Monasterium Sancti Ambrosii, Abbatem & Personas, & qui ibi nunc sunt, vel pro tempore fuerint, in prædictis omnibus aliquatenus impedire audeat, distringere, vel molestare. Quod si quis attemptaverit; centum libras auri puri pro pœna componat; dimidium Cameræ nostræ, & reliquum passis injuriam. Ad cujus rei certam evidentiam præsentem Paginam inde conscribi jussimus, & Magestatis nostræ Sigillo communiri. Hujus rei testes sunt, Vuilielmus Ravennas Archiepiscopus, Angelus Tarentinus Archiepiscopus, Albertus Vercellensis Episcopus, Nazarius Astensis Episcopus, Bonifacius* E *Marchio de Monte Ferrato, Raynerius & Ubertus Comites de Blandrate, Ottho Zendadarius & Passaguerra Imperialis Aulæ Judices, & alii quamplures.*

Signum Domini Heinrici Sexti, Romanorum Imperatoris Invictissimi, & Regis Siciliæ.

Ego Conradus Ildenes Hemensis Electus, Imperialis Aulæ Cancellarius vice Adolfi Coloniensis Archiepiscopi, & totius Italiæ Archicancellarii, recognovi.

Acta sunt hæc Anno Dominicæ Incarnationis Millesimo centesimo nonagesimo sexto, Indictione quartadecima, Regnante Domino Heinrico Sexto, Romanorum Imperatore gloriosissimo, & Rege Siciliæ potentissimo, Anno Regni ejus decimo septimo, Imperii vero sexto, F *& Regni secundo.*

Datum apud Mediolanum per manum Alberti, Imperialis Aulæ Protonotarii, secundo Idus Augusti.

DCXXIV. *Milonem* Archiepiscopum Anno Millesimo centesimo nonagesimo tertio fuisse mortuum, eique suffectum *Ubertum* cognomento *Terciacum* (aliter *Tertiagum*, aut *Terzagum*) *Sigonius* scribebat. *Chalco* nos potius assentimur, hoc ipsum adjudicanti Anno supra nonagesimum sexto. Eidem sen-

sententiæ adstipulantur Chronicon *Flos florum* fol. 155. pag. 2. & Catalogus *Aloysii ab Ecclesia*. Ulterius vero progressus alter Archipresbyteri Metropolitani Catalogus, diem quoque, qua obierit intra eundem hunc Annum *Milo*, sextam decimam esse mensis Augusti enunciat. Tacite vero favent etiam ii omnes, quorum testimonio sedisse traditur *Milo* septem annos, & octo menses. Ceterum Catalogus ille Adnotamentis *Beroldi* superadditus vacasse dehinc Sedem asserit viginti sex dies, priusquam *Ubertus* ille (aliter *Obertus*) in eam substitueretur. Hic porro fuerat *Modoëtiensis* Archipresbyter: & ille quidem ipse (sicuti nos arbitramur) quem Num. 587. & 592. cernebamus Testem binis illis *Friderici* Privilegiis subscriptum. An vero fuisset etiam Metropolitanæ *Mediolani* Ecclesiæ Canonicus Ordinarius, quemadmodum in Catalogo Actis ejusdem Ecclesiæ inserto, & a *Joanne Francisco Besutio* in sua Historia Pontificali affirmatur: hoc quidem nobis hactenus non videtur satis compertum. Certe autem videri nobis non potest ab *Innocentio* Papa Tertio creatus Archiepiscopus; quemadmodum tam Catalogus ille, quam *Successores Sancti Barnabæ* testantur. Longe vero minus ab ipso creatus jam fuerat Sanctæ *Romanæ* Ecclesiæ Presbyter Cardinalis, Tituli Sancti *Stephani* in Cœlio Monte, sicut in eodem illo priori Catalogo habetur. Tempore siquidem *Celestini* Papæ Tertii (qui etiamnum vivebat) ac deinde *Innocentii* (ad multos saltem annos) non alius fuit ejus Tituli Cardinalis, quam *Joannes Salernitanus*, *Campanus*, ejusdem *Cœlestini* Legatus in *Germania*, tum *Innocentii* Legatus in *Sicilia*, deinde vero in *Anglia* & *Hibernia*. Sic enim vere *Ciaconius* etiam observavit. Sed nos idipsum satis etiam dignoscemus infra; cum Episcopi *Vercellensis* & Abbatis *Locediensis* Sententiam recitabimus, Anno datam Millesimo ducentesimo primo, & in ea consertas Innocentii Litteras, nono Kalendas Junii Annoque Pontificatus ejus secundo datas.

DCXXV. Quantum vero temporis *Obertus* iste Archiepiscopalem hanc sedem obtinuerit, discors est Scriptorum sententia. *Sedit annos quatuor*, *menses tres*: Catalogus habet insitus Actis Ecclesiæ *Mediolanensis*, *Donatus*, autem *Bossius* in suo: *Anno Domini Millesimo centesimo nonagesimo septimo creatus*, *sedit annos duos*, *menses novem*. *Claudius Robertus* in Catalogo multoties jam producto, Num. 91. *Valbertus Secundus*, *vel Ubertus*, *Terciacus*, *Millesimo centesimo nonagesimo tertio*, *annos duos*, *menses novem*. Simile vero quiddam diceret etiam *Sigonius*: quo teste *Ubertus* hic *Miloni* suffectus est Anno Millesimo centesimo nonagesimo tertio; ei vero postea successit *Philippus Lampugnanus* Anno nonagesimo sexto. Atqui Chronicon *Flos florum*, nec non etiam tres illi Catalogi Manuscripti, quos nuperrime nominabam, in id consentiunt: *Sedit mensibus novem*, *& diebus quinque*. Nos ergo interim postremæ potius huic opinioni adhærescimus; atque propterea hoc potius Anno narrare lubet, quæ proxime sequuntur.

DCXXVI. Sicut enim hoc circiter tempore Basilica isthæc *Ambrosiana* corruerat ex parte; sic etiam ejus restaurationem *Obertus* iste Archiepiscopus (non multo nempe post, ut credendum videtur) incœpit; eoque vita functo priusquam opus absolveretur, *Philippus* ejusdem Successor absolvit. Hæc autem omnia Lectori nostro tunc abunde innotuerint, cum Testes illos protulerimus, quos Processus ille, toties jam nobis ad tam multa scitu digna memoratus, forte fortuna suppeditat. Quod vero plures illi sint; ne pigeat. Unusquisque siquidem suo testimonio aliquid singulare nobis interseret. A duodecimo Teste incipiam. De quo sic habetur: *Domnus Guido*, *Monachus Monasterii Beati Ambrosii*, *die Mercurii*, *tertio decimo Kalendas Januarii* (Millesimo scilicet ducentesimo Anno) *juratus dixit*: *Viginti anni sunt & plures*, *quod sum Monachus Monasterii Beati Ambrosii*. *Et ab ipso tempore infra multotiens audivi (& credo fore verum) a Monachis hujus Monasterii*, *quod* DOMNUS ARIBERTUS DE PAXILIANO FECIT SEDILIA, QUÆ SUNT IN CHORO BEATI AMBROSII: *Quæ Sedilia ab ipso tempore infra vidi refici sine contradictione alicujus per Monachos*, *vel eorum nuncios* &c. ET QUANDO ECCLESIA BEATI AMBROSII CECIDIT IN PARTE, *tunc Monachi vel nuncii ipsius Monasterii*, *tulerunt sine contradictione alicujus partem Sedilium in Ecclesiam Sancti Satyri*, *& alteram partem tulerunt juxta Altare*. *Et facto labore* (hoc est, Ecclesiæ in ea parte lapsæ reparatione) *restituerunt & reportaverunt ipsa Sedilia in pristina loca*, SECUNDUM QUOD IN LOCA PRISTINA SUA POTUERUNT RESTITUI. Quæ vero tertius decimus Testis dixerit, hunc in modum narratur: *Ambrosius de Sancto Ambrosio*, *qui stat in Monasterio Sancti Ambrosii*, *die Jovis*, *duodecimo Kalendas Januarii*, *juratus dixit*: *Duodecim anni sunt & plures*, *quod utor in Monasterio Beati Ambrosii*. *In quibus temporibus multotiens audivi ab antiquioribus Monachis ipsius Monasterii*, *quod* DOMNUS ARIBERTUS DE PAXILIANO FECIT SEDILIA, QUÆ SUNT IN ECCLESIA BEATI AMBROSII &c. *Et tunc* QUANDO APTABATUR TIBURIUS ECCLESIÆ, *vidi eadem Sedilia*, *sive Stadia*, *sine alicujus contradictione in parte portari in Ecclesiam Sancti Satyri*, *& in parte juxta Altare Beati Ambrosii*, *per nuncios Monachorum* &c. In eandem sententiam decimus quartus hisce verbis succedit Testis: *Joannes de Sancto Syro*, *Conversus Monasterii Beati Ambrosii*, *die Sabbati*, *undecimo Kalendas Januarii*, *juratus dixit*: *Quadraginta anni & plures sunt*, *quod sum Conversus Monasterii Beati Ambrosii*: *quibus temporibus hactenus usus fui & steti in ipso Monasterio*. *Et scio*, *quod Sedilia*, *quæ sunt in Choro Beati Ambrosii*, *sunt Monachorum tantum*, *& non Canonicorum*. *Interrogatus*, *quomodo scit*, *respondit*: *Ego vidi* DOMNUM ARIBERTUM DE PAXILIANO, *Monachum hujus Monasterii*, DICENTEM, QUOD IPSA SEDILIA FECERAT AD UTILITATEM MONACHORUM. *Et hoc audivi similiter confiteri ipsi Domno Ariberto Monachos Monasterii Beati Ambrosii*, *qui tunc erant*. *Interrogatus*, *si vidit*, *ipsa Sedilia fieri*, *respondit*: *Non*. *Sed ab illo tempore quadraginta annorum & plurium infra vidi ipsa Sedilia & formas retineri quiete sine alicujus contradictione per Monachos*, *& eorum nuncios*, *aptando ea Sedilia & formas* &c. *Item vidi*, *& egomet adjuvi portare partem ipsorum Sedilium in Ecclesiam Sancti Satyri* PROTER RUINAM ET LABOREM ECCLESIÆ. *Et*, *facto labore ipso*, *vidi eandem partem Sedilium per nuncios ipsius Monasterii reportari quiete & sine alicujus contradictione in pristina loca*: *& egomet ad hoc subsidium præstiti* &c. Ejusmodi porro Testes, per Monachos producti, de hoc etiam verbatim interrogabantur: *Si Dominus Archiepiscopus ponit ibi Superstantem* (aliter *Superstitem*) *&*, *si non potest reficere Superstans ille Ecclesiam*, *si Dominus Archiepiscopus reficit eam & refecit*. Vide autem, quid ad hæc responderint nonnulli; quibus nemo certe alius contradixit. Primus profecto sic respondit: *Superstans reficit de havere* (hoc est, e facultatibus) *Domini Archiepiscopi*; *quia Ecclesia*, *& quantum habet Superstans*, *est Archiepiscopi*. Undecimus autem: *Ego credo*, *quod sit ibi Superstes per Dominum Archiepiscopum*: *& quod reficiat Ecclesiam*, *sicut potest*. *Et si non potest*; *Dominus Archiepiscopus reficit eandem Ecclesiam*. *Et vidi*, QUOD ARCHIEPISCOPUS OBERTUS IPSAM ECCLESIAM FECIT APTA-

TARE, ET QUOD DOMINUS PHILIPPUS FECIT OPUS INCOEPTUM PERFICI. Paucioribus vero verbis decimus octavus ac decimus nonus Testes responderunt: QUONDAM DOMINUS OBERTUS ARCHIEPISCOPUS IPSAM REFECIT. Hinc ergo sic etiam interrogabantur: *Si multi lapides Ecclesiæ Beati Ambrosii sunt & fuerunt portati in Ecclesiam Sancti Satyri,* QUANDO REÆDIFICATA FUIT ECCLESIA BEATI AMBROSII. Cui quidem interrogationi Testis ille undecimus respondit: *Sic, de voluntate Superstitis.* Duodecimus vero nude respondit affirmativum *Sic*, hoc est, *Ita prorsus.* Atqui decimus tertius: *Sic, Lapides Pulpiti.* Decimus vero quartus: *Nescio, nisi de lapidibus Pulpiti*, qui fuerunt *portati in Ecclesiam Sancti Satyri.* Hactenus Testium dicta, præsens ad institutum pertinentia. Lectorem nunc rogamus, ut inde nobiscum hæc observet. Monachus in primis ille, quem nunc Testes ARIBERTUM DE PAXILIANO appellarunt, unus idemque nobis videtur cum eo, cujus mentio nobis Nu. 389. Annoque *Christi* Millesimo centesimo quadragesimo primo fiebat sub nomine ÆRIBERTI DE PASILVANO. Sicut igitur AD TURBIDAM ille tunc Sanctorum *Petri* & *Pauli* Apostolorum Ecclesiam reædificaverat; sic etiam deinde ante Annum *Christi* Millesimum centesimum sexagesimum Chori hujus Sedilia construxit; quæ tamen Canonicis etiam in commune deservirent, sicut ex universo passim Processu liquidissime constat. Chorus porro & Odæum per hæc tempora situm erat ante primarium Altare, quemadmodum Num. 20. describebamus. Quoniam ergo interea temporis, quo ea Basilicæ pars, quæ conciderat, reficeretur, necesse fuit, ut translata inde Sedilia servarentur alibi; propterea nos quidem arbitramur, superiorem illic Basilicæ partem concameratam concidisse; atque sic etiam fortasse illam, ex qua olim ea conciderat tabula, quæ subjectis (ut Num. 21. narrabamus Sanctorum *Protasii* & *Gervasii* capitibus illisa, tantum inde sanguinis elicuit. Ceterum ejusmodi partem ita tunc refectam existimamus, ut ejus loco Culmen ac Fastigium seu Pinnaculum illud extruxerint, quod tertius decimus Testis Idiomate nostrati hodieque usitato TIBURIUM appellabat tunc APTATUM. Idipsum profecto Culmen, Num. 21. asserebamus non tantæ nobis visum esse antiquitatis, quantæ reliquam ejusdem Basilicæ molem, sive quæ Altari primario, sive quæ vestibulo est obversa. Siquidem hanc ipsam partem Num. 392. variis indiciis ostendimus esse minus altera vetustam. Quod autem Num. pariter illo 21. quatuor semicolumnæ ingentibus illis totidem pilis postea superadditæ describebantur: has quidem nunc credimus in eum præcipue finem superadditas, ut, suffultis fornicibus, qui adhuc salvi stabant, quive Pinnaculum vetus (quale scilicet in Odæo cernimus adhuc opere musivo elaboratum, atque Num. 74. protulimus inde incisum æri, & chartæ impressum) sustinuerant, Pinnaculum sustineretur ipsum, quod in præsenti construxerunt. Hoc igitur etiam constructo, Sedilia illa primorem in locum restituta utcumque fuerunt. Sed quia duabus illis semicolumnis, quæ interim superadditæ fuerant, aliquanto magis impediebantur; earum propterea latus exterius alicubi scalpro nonnihil excindi, ac rotunditatem deformari (quemadmodum hactenus etiam cernere licet) oportuit. Et ejusmodi profecto excisione continentur ea indicia, quæ nos eodem illo Num. 21. innuebamus. Cur vero Pulpiti lapides inde pariter tunc alio fuerint translati, hæc forte causa fuit; quia Ecclesiæ illic collapsæ succubuisset Pulpitum, atque superior saltem ipsius pars, compage lapidum soluta, una simul corruisset.

A DCXXVIII. Testes per Monachos producti sic etiam interrogabantur: *Si* MURUS, QUI EST SUB TIBURIO, QUEM FECIT FIERI DOMINUS ARCHIEPISCOPUS, *est inter Chorum & illam fenestram* (quæ tunc ibi circiter videtur fuisse, ubi nunc est Porta lateralis obversa Canonicæ) *ita quod ille murus removet lumen totum, quod consuevit venire in ipsum Chorum ab illa fenestra.* Sic autem vicissim responderunt infrascripti Testes. Ac primus quidem, Domnus *Johannes*: *Non: immo Lobia, seu tectum illud* (de quibus nos alibi dicemus) *removet lumen illud.* Septimus vero, *Burghettus*: B MURUS, QUI FACTUS EST SUB TIBURIO, *præstat obscurationem in Choro, & Lobia ad Pulpitum.* Octavus item, *Zan de Cartabia*: MURUS, QUI EST SUB TIBURIO, *magis impedimentum præstat lumini, quam Lobia, ut credit.* Undecimus vero, Domnus *Martinus*: *Multum obscurat visum legentium & canentium in Choro: & non est quasi in meditullio, ut credo. Immo ipsam fenestram credo esse per medium sedilis Abbatis. Sed* MURUS, QUI EST SUB TIBURIO, *non removet totum lumen fenestræ obturatæ, sed partem, ut credo.* Duodecimus autem, Domnus *Guido*: *Non removet totum lumen: sed* PARS IPSIUS MURI DE TIBURIO *est inter fenestram & Chorum, & non in totum.* Talia C Testes isti. Ut autem sensum hic quoque nostrum aperiamus: ante omnia DOMINUS ARCHIEPISCOPUS, absolute hoc loco nominatus, nobis quidem non alius videtur, quam *Philippus* ipse tunc Archiepiscopus, quando Processus iste condebatur. Quocirca sicut ipse restaurationem ab *Oberto* sui decessore cœptam perfecit, sic etiam illum sub Tiburio murum construxit. Ejusmodi vero murus a nobis item non alius fuisse conjectatur, quam ille, quo certe superaddito cernimus adhuc occlusum illud intercolumnium, quod simul est Canonicæ obversum, & Altari primario dexterum: e quo scilicet muro D præsens inter Monachos & Canonicos altercatio pendebat. Utrumque siquidem illud intercolumnium, eidem hinc inde Altari laterale, sine dubio patebat ab initio: ac prospectus inde liber, atque etiam fortasse ingressus, ad Altare primarium dabatur. Ferrea ergo tantum crate (cui etiam ostium inesset) illud deinde septum fuisse credimus: ac eo præsertim ex tempore, quo laminas aureas *Angilbertus* Archiepiscopus interjecto eidem Altari circumdedit. Denique vero *Philippus* Archiepiscopus pro crate illa parietem, sicut uni, sic etiam alteri adstruxit: quo videlicet utrumque oppletum intercolumnium ambo itidem illa Basilicæ latera redderet firmiora, Cul- E minique sive Tiburio suffulciendo magis idonea.

DCXXIX. Sicut autem *Obertus* Archiepiscopus hoc ipso Anno restaurationem hujus Basilicæ aggressus opinione nostra fuit; ita profecto Codex ille *Charævallensis* Monasterii manuscriptus, cujus mentio nobis Num. 384. incidit, hæc præcise verba de ipso habet in *Anselmo*, intra nonagesimum secundum & nonagesimum octavum supra Millesimum centesimum Annum ejus Monasterii Abbate: *Tempore hujus, Anno Millesimo centesimo nonagesimo sexto, facta est Consecratio Altarium a Reverendissimo Domino Oberto de Terzaghis, Archiepiscopo Mediolani.* Nec plura nobis in præsentem Annum.

F DCXXX. *Dum Henricus* (hæc utique sunt e *Chalci* contextu) *in Germania moram trahit, Fridericum Rogerium, Constantia genitum, Cæsarem dici, consortemque Imperii decerni ab Heroibus curavit. Mox eundem in Italiam adducit. Neapolimque & inde in Siciliam profectus, ibi eum veluti legitimum Avunculi hæredem successoremque coronat, & Populis imperare jubet. Ipse Messanam reversus, pridie Kalendas Octobris moritur, ætatis tempore florentissimo; quippe quartum & trigesimum annum non excedens. Quorum duos* A.C. 1197.

&

A *& viginti cum Patre, septem solus regnaverat.* Hactenus *Chalcus.* Erat autem adhuc *Henricus* a Pontifice *Romano* excommunicatus. Qua de re idem *Chalcus* jam egerat Anno nonagesimo quarto, legique potest etiam *Baronius* Anno nonagesimo tertio Art. 18. & Anno nonagesimo quinto Art. 5. Hinc ergo *Rogerius de Hovueden*, sicut etiam recitatur apud eundem *Baronium* Anni nonagesimi septimi Art. 5. inter alia sic scribebat: *Prædictus Romanorum Imperator obiit in Sicilia apud Messanam, in Vigilia Sancti Michaelis*, EXCOMMUNICATUS A COELESTINO PAPA *propter captionem & redemptionem Richardi Regis Angliæ.* ET IDEO PROHIBUIT IDEM PAPA, NE CORPUS ILLIUS
B SEPELIRETUR; *licet Archiepiscopus Messanæ pro eo multum orasset.* Legantur vero reliqua etiam, quæ *Baronius* ibidem prosequitur: illudque etiam nominatim, quod Art. 10. recitat e *Matthæo Paris* in hæc verba: *Henricus Imperator* LEGAVIT CAPITULO CISTERCIENSIUM *tria millia marcharum argenti de redemptione Regis Richardi*, AD THURIBULA PER TOTUM ORDINEM FACIENDA ARGENTEA. SED ABBATES, *tam ipsum Imperatorem quam donum ejus detestantes*, RENUERUNT DE TURPI QUÆSTU ACQUISITUM DONUM EJUS RECIPERE. Ceterum *Fridericus Rogerius*, *Henrici* filius, ei deinceps minime potuit in Imperium succedere. *Philip-*
C *pus* ipse *Sueviæ* Dux, & demortui *Henrici* ex *Ænobarbo* frater, id sibi vendicare cœpit, & aliquandiu contendit. Sed *Otthoni* tandem *Pictaviæ* Comitati delatum est; ut suo nos tempore dicturos in altero Volumine speramus.

DCXXXI. Si verum est, quod paulo ante veri nobis videri similius fatebamur, de temporis spatio, quo Archiepiscopalem hanc Sedem rexerit *Obertus*; hoc igitur Anno vitam ille cum morte commutavit. Sin autem *Philippus* quoque *Lampugnanus* ei successit, postquam Sedes viginti novem solummodo dies vacasset (ut expresse Catalogus affirmat ille post *Beroldi* Adnotamenta conscriptus) hoc igitur item Anno ei successit; & quidem post Quadragesimalem
D Olivarum Dominicam; qua tamen Anni subsequentis Dominica nos illum certo credimus Archiepiscopum fuisse. Quocirca, quintus etiam in Processu Testis Domnus *Arnoldus*, Anni Millesimi ducentesimi mense Novembri examinatus, cum dixisse scriptus a Notario fuisset, sese annuæ Olivarum a Sancti *Laurentii* ad Sancti *Ambrosii* Basilicam Processioni eo die Dominico interfuisse a tempore *Oberti Pirovani* usque ad *Milonis* Archiepiscopi tempus; tum vero sic etiam ista dixisse traditur: *Item, existente illo Abbate Ambrsio, vidit idem* IN TEMPORE DOMINI PHILIPPI, QUI MODO EST ARCHIEPISCOPUS, *Item* IN TEMPORE EJUSDEM DOMINI PHILIPPI ARCHIEPISCOPI,
E *& tempore Domni Airoldi* (aliter *Arialdi*) *qui modo est Abbas, idem vidit* ETIAM PER DUAS VICES. Quod si tempore *Airoldi* hujus Abbatis (qui *Ambrosio* successit) ejusmodi Processionem a *Philippo* celebratam viderat per duas vices; igitur & per duos annos, ducentesimum videlicet ac nonagesimum nonum, *Philippus* jam erat Archiepiscopus. Sin autem viderat illam pariter ab eodem *Philippo* celebratam, cum *Ambrosius* adhuc esset Abbas; igitur Anno saltem nonagesimo octavo *Philippus* eam pariter celebraverat; proindeque Archiepiscopus antehac jam erat. Hæc igitur, tali nixa testimonio, satis
F quidem certa nobis videntur. Illud vero satis etiam probabile: *Philippum* Augusto circiter mense præsentis Anni nonagesimi septimi electum fuisse *Mediolanensem* Archiepiscopum. Auctor Chronici *Flos florum* fol. 155. pag. 2. sic de ipso habet: *Philippus de Prandebonis de Lampugnano, natus Mediolani Archiepiscopus Mediolani Octuagesimus octavus, Anno Domini Millesimo centesimo nonagesimo septimo. Sedit annis decem.* Sicut autem infra nobis testimonio constabit *Honesti de Cosenigo*, quem in suo Processu Canonici ante alios omnes examini subjecerunt, idem hic *Philippus* tempore *Milonis* Archiepiscopi fuerat Metropolitanæ Archipresbyter. Quocirca sic etiam Num. 613. Annoque *Christi* supra Millesimum centesimum nonagesimo, & rursus tertio inde Anno ac Nu. 621. eidem *Miloni* subscribebat. Congruenter autem ad hæc, quæ de *Oberti* obitu deque *Philippi* substitutione censuimus, nullas extare dicemus Litteras, quas *Innocentius* Papa Tertius (de cujus promotione reliquum est ut proxime agatur) ad *Obertum* istum Archiepiscopum scripserit. In hoc enim nos constanter a Catalogo *Successores Sancti Barnabæ* dissentimus: atque Litteras illas non ad ipsum, sed ad *Philippum*, successorem ipsius immediatum, *Milonis* vero mediatum (& hinc respondebimus argumento, quod, ex una ejusmodi Litterarum forte depromptum, ei dedit occasionem opinioni, ne dicamus errori) scriptas fuisse, mordicus tenemus. Certe autem miramur, cur ejusmodi *Philippum* in aliquot Catalogis omissum videamus: videlicet in eo, quem *Donatus Bossius* collegit: in altero Metropolitani Archipresbyteri: tum etiam in tertio Secretarii Urbani.

DCXXXII. Nonagesimus octavus supra Millesimum centesimum jam sequitur *Christi* Annus: ejusque sexto Idus Januarias *Cœlestinus* Pontifex moritur: A.C. 1198. eademque protinus die, post ipsius exequias honorifice celebratas, *Lotharius*, Sanctorum *Sergii* & *Bacchi* Diaconus Cardinalis, in ejus locum sufficitur, doctrina simul & pietate animique magnitudine perinsignis: atque mutato nomine *Innocentius* Tertius appellatur.

DCXXXIII. Hoc ipso Anno *Innocentius* varias dedit Litteras, ad Ecclesiam *Mediolanensem* pertinentes: quarum nonnullas nos hoc loco indicabimus. Ac primæ quidem nobis illæ sint, quarum preces, TANQUAM PRIMITIAS, ille nostro Archiepiscopo direxit: Subdiaconum suum, non *Hugonem* (sicut in Catalogo *Successores Sancti Barnabæ* perperam legitur) sed *Henricum* (& quidem de *Settara*, qui postea noster itidem Archiepiscopus fuit) ei commendans, ut Archiepiscopalem ipsi Cancellariam conferret: *quatenus eidem Subdiacono* (sic enim Pontifex Archiepiscopum verbatim alloquitur) *QUI TAM PER SE QUAM PER CONSANGUINEOS SUOS TIBI ET ECCLESIÆ TUÆ PLURIMUM ESSE POTERIT FRUCTUOSUS, & ad ipsius executionem officii probatur idoneus, quem Nos etiam quadam prærogativa speciali diligimus, dictam Cancellariam sine cujuslibet difficultatis obstaculo, tam nostrarum precum intuitu, quam ipsius meritorum & probitatis obtentu, non differas assignare.* Et hæc quidem Libro Primo Epistolarum ejusdem *Innocentii* Decretalium continentur Epistola 120. cui deinde alteram ille adjecit ejusdem argumenti (quæ numero est 366.) lectu profecto dignissimam. Sic etiam eidem scripsit Archiepiscopo Epistolam 22. *Laterani duodecimo Kalendas Martii* datam: qua ei concessit, ut Ordinatos a Summo Pontifice ipse posset ad Diaconatum ac Sacerdotium promovere; quippe cum Ecclesia *Mediolanensis* tam in Metropolitana quam in ceteris Basilicis magna Ministrorum penuria laboraret. *Sicut ex tenore* (inquit) *tuarum litterarum accepimus, Mediolanensis Ecclesia, TAM IN CAPITE, QUAM IN MEMBRIS, occasione Clericorum illorum, qui ab ipso Romano Pontifice Ordinem receperunt, adeo est Ministrorum solatio destituta, ut paucos Clericos in eadem Ecclesia valeas invenire, quos ad Diaconatus & Presbyteratus possis officium promovere.* Sed præter a paucis post diebus eidem scripsit super quæ-

quæstione quadam, jam inde a *Milonis* Archiepiscopi tempore controversa inter ipsum & Monasterium Sancti *Donati de Scozula*, sive *de Sexto* (quod nos hodie SEXTUM KALENDAS, in *Ticini* e *Urbano* Lacu effluentis ripa situm, appellamus) cujus controversiæ causa Procuratorem suum *Philippus* Archiepiscopus *Romam* miserat Causidicum quemdam *Passaguerram*; sicut habetur in Epist. 37. data *Laterani sexto Nonas Martii*. Hic autem *Passaguerra* nobis idem ille videtur, quem Num. denique 613. vidimus Testem Sententiæ *Milonis* Archiepiscopi, & Num. 623. Imperatoris *Henrici* Sexti Privilegio subscriptum. Certe autem postea, quia *Innocentio* Papæ oblocutus fuerat; propterea fuit etiam Pontificio tandem anathemate percussus. Sic enim constat ex Epistola 85. *Mediolanensi* Archiepiscopo data *Romæ apud Sanctum Petrum Idibus Aprilis, Pontificatus nostri Anno primo:* tum etiam ex Epist. 358. Consulibus *Mediolanensibus* postmodum scripta. Ceterum de controversiæ pariter illius exitu multisque aliis scitu dignis, quæ præsertim ad ejus Monasterii originem ac Privilegia pertinent, legatur in ejusdem *Innocentii* Epistolarum Libro Secundo Epistola 37. ad eundem *Philippum* Archiepiscopum. Nos quidem inde isthæc tantum in præsenti memorabimus, quibus *Joannis Anagnini* Cardinalis & Apostolici Legati (de quo aliquid diximus Num. 425. Annoque *Christi* supra Millesimum centesimum sexagesimo) & *Alexandri* Papæ Tertii pro *Mediolanensibus* contra *Ænobarbum* gesta illustrantur. *Innocentius* namque sic etiam tradit: *Porro ad exceptionem permissam sæpedictus Procurator tuus taliter replicabat: Quod bonæ memoriæ* JOANNES ANAGNINUS *Sanctæ Mariæ in Porticu Diaconus Cardinalis, postea Sancti Marci Presbyter, & tandem Episcopus Prænestinus*, TUNC APOSTOLICÆ SEDIS LEGATUS, *attendens*, QUAM BARBARICA FERITATE ET INSATIABILI ODIO ECCLESIAM ET CIVITATEM MEDIOLANENSEM FEDERICUS IMPERATOR FUNDITUS VELLET EVERTERE, ATQUE IN SUPREMAM REDIGERE SERVITUTEM; *quicquid ipse, vel aliquis Judex seu Ministerialis ejus, in Ecclesias, Clericos vel Cives Mediolanenses statuerat tempore illo in irritum revocavit. Cujus factum fælicis recordationis ALEXANDER PAPA prædecessor noster approbans confirmavit.* Quid, quod etiam octavo Calendas Junii, Pontificatus itidem sui anno primo ad Capitulum scripsit *Mediolanense?* Cui quidem mandabat, ut Præbendam & domum Canonicalem restitueret O. *Terdonensi* Episcopo, sed interim Concanonico nihilominus suo.

DCXXXIV. Basilicam porro istam proprie attingit Epistola 314. *Mediolanensi* Archiepiscopo his conscripta verbis: *Cum pro his tibi preces Apostolicæ porriguntur, qui apud Romanam Ecclesiam obsequiis tuis & Ecclesiæ Mediolanensis insistunt; miramur non modicum, si eos differas effectui mancipare; & ex hoc Nos a te pro alienis minus audiendos præsumimus, a quo pro tuis familiaribus & domesticis non audimur. Meminimus, quod olim tibi preces porrexerimus & mandatum, UT DILECTUM FILIUM BONACOSAM, CLERICUM ET NUNCIUM TUUM, qui apud Sedem Apostolicam pro tuis diutius obsequiis laboravit, IN CANONICUM ECCLESIÆ BEATI AMBROSII RECIPI FACERES: & Beneficium, quod in ea vacare dicebatur, ipsi ob reverentiam Sedis Apostolicæ assignari. Verum (sicut rerum demonstrat effectus) te id minus solicite procurante Canonici ejusdem Ecclesiæ, cum ad te dictæ litteræ pervenissent, post appellationem ad Nos interpositam, tres in suos Canonicos recepere, mandato Apostolico, quod pro eodem Bonacosa tibi porrectum fuerat, non admisso. Quocirca Fraternitati tuæ per Apostolica Scripta mandamus,*

A *quatenus, revocato in irritum quicquid post appellationem ad nos interpositam super Beneficio ipso in ipsius præjudicium inveneris attentatum ei Beneficium, si quod vacat, appellatione remota, non differas assignare. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, octavo Idus Julii. Pontificatus nostri Anno primo.* Hactenus *Innocentius.*

DCXXXV. In eundem Annum *Tristanus Chalcus* ita etiam tradit: *Interea Mediolani locus publici Conscilii (quoniam hactenus certus non fuerat) constituitur: in quem magnis de negotiis tractaturi convenirent. CREDENTIAM DIVI AMBROSII nuncupavere. Spe-*
B *ctatur adhuc media Urbe Turris eo titulo celebris: & diu pro Curia habita fuit.* Eadem affirmat etiam *Corius*, qui eodem florebat tempore, quo *Chalcus*. Atqui nos, ubinam Turris illa esset, vel etiam fortasse nunc sit, ne adhuc quidem post accuratam inquisitionem invenire potuimus. Ceterum de ipsomet *CREDENTIÆ* publico Magistratu nonnihil Num. 588. diximus. Nunc de ipsius etymologia. *Gualuaneus Flamma* in Manipulo Florum Cap. 225. de Consulibus loquens, quos ille sibi Magistratus quotannis diligebat, sic habet: *Dicti vero sunt CONSULES DE CREDENTIA, quasi DIGNI CREDULITATE ET FIDE.* Hinc igitur universum etiam
C ipsum Magistratum *CREDENTIAM* fuisse appellatum, nos quidem haud difficulter credidimus; quippe qui nonnisi delectis constare deberet Viris, qui credulitate ac fide digni essent. Alteram porro etymologiam nobis indicat Auctor Chronici *Flos florum* fol. 157. pag. 1. cum de Artistarum congerie, quæ *SANCTI AMBROSII CREDENTIA* vocabatur, sic narrare pergit: *In processu temporis isti Artifices divisi sunt in duas partes; quia illi, qui vivunt de emptionibus & venditionibus absque opere manuali, dicti sunt Populares & Mercatores, & homines medio se habentes inter divitias & paupertatem; illi autem, qui vivunt opere manuum suarum, dicti sunt CREDEN-*
D *TIÆ, eo quod CREDENDO MULTA DAMNA SUSTINUERUNT A NOBILIBUS. Et isti tales sunt Becharii, Farinarii, Calcifices, Sutores, & his similes homines.*

DCXXXVI. Decembri ejusdem Anni mense Monachi Canonicos arcuerunt ab ingressu Chori, ac divina ipsorum Officia non sine magno tumultu interturbarunt. Audiamus hac de re tertium Canonicorum Testem, *Guitfredum*, ita verbatim post duos inde annos testantem: *In Vigiliis Sancti Ambrosii proxime præteritis fuerunt anni duo, & quibusdam Vigiliis Beati Apostoli Thomæ (quibus Vigiliis Beati Thomæ proxime præteritis similiter fuerunt duo*
E *anni) & tunc Abbas & Monachi, obviantes Canonicis, prohibuerunt ingressum Chori ipsis Canonicis, volentibus intrare Chorum Sancti Ambrosii cum Psallenda, & cantare ibi Responsum & Orationem Vigiliarum Sancti Thomæ, sicut consueverant, quas Vigilias Canonici inceperant apud Altare Sancti Andreæ, ubi festum Sancti Thomæ celebratur* &c. Idipsum contestati subinde fuerunt etiam sextus Testis *Guilielmus Marinonus*, septimus *Petrus Taberna*, nonus *Prævostus Clocarius* (cujus quidem testimonio incidenter indicatur Palatium tunc unum prope Sanctæ *Mariæ* Græcæ Ecclesiam, de qua nos jam Num. 533. & 534. diximus, extitisse) decimus *Petraclus de Bonaventis*, &
F undecimus *Nazarius de Caravate*.

DCXXXVII. Millesimo centesimo nonagesimo A.C. 1199.
nono *Christi* Anno, in Dominica Palmarum, jam erat Monasterii hujus Abbas post *Ambrosium Arialdus* (aliter *Airoldus*) sicuti Num. 631. præmonebamus. De ipso autem, Processus ille jam toties memoratus, in tertio Teste pro Monachis examinato, Domno nimirum *Petro Sapa*, sic verbatim habet: *Item testatur, se vidisse eundem Presbyterum Burrum aperire illud Altare* (Sancti *Ambrosii*) QUANDO DOM-

DOMNUS AIROLDUS, QUI MODO EST ABBAS, CANTAVIT MISSAM NOVELLAM, *ad ejus petitionem. Sed dicit, quod, cum Canonici illud tunc nollent ei facere aperiri, ex mandato Domini Archiepiscopi ei apertum fuit:* ET QUOD ETIAM ILLI CANONICI TUNC EXCOMMUNICATI FUERUNT, QUIA NOLEBANT ILLUD APERIRE. Quod ipsum Domnus etiam *Martinus*, Testis undecimus, aperte significavit.

DCXXXVIII. At enim quintus Canonicorum Testis itemque Canonicus, *Bertramus Corbus*, in hunc ipsum quoque Annum ita testabatur: *Bene credo firmiter, quod Canonici recipiant Archiepiscopum & Ordinarios ad omnes Processiones, quæ veniunt ad Sanctum Ambrosium: & numquam vidi aliquem Monachorum recipere Archiepiscopum vel Ordinarios cum Incenso ad Portam Ecclesiæ Sancti Ambrosii. Sin vero Ordinarii veniunt aliquando ad Ecclesiam Beati Ambrosii pro Annuali vel Psalmis faciendis; tunc eis tenetur Liber a Canonicis. Et hoc scio; quia egomet pluries tenui Librum eis in Psalmis & Vesperis Beati Ambrosii & Sanctorum Martyrum Protasii & Gervasii.* ET AB ANNIS DUOBUS INFRA *venerunt Ordinarii Ecclesiæ Majoris ad Sanctum Ambrosium pro faciendo Annuale uno (sed cujus annuale fuerit, non recordor)* ET QUIA EIS LIBRUM NON TENUERUNT CANONICI, *ut audivi & credo; quod hoc ex relatione quorumdam scivit Archiepiscopus,* OB HOC NOBIS INTERDIXIT. Atque hoc etiam fortasse illud est Interdictum, cujus mentionem hoc ipso fecit Anno, Pontificatus sui secundo, *Innocentius* Papa Tertius in suis ad Episcopum *Vercellensem* atque Abbatem *Locediensem* Litteris, nono Kalendas Junii datis, quas eorumdem postea Sententiæ insitas nos infra recitabimus.

DCXXXIX. Variis de rebus, ac nominatim etiam de quodam Interdicto, quæstiones inter Monachos hoc tempore vertebantur & Canonicos. Cumque communi Partium consensu earum cognitio a Supremo Pontifice demandata fuisset Archidiacono *Mediolanensis* Basilicæ Metropolitanæ, ac Præpositis Ecclesiarum Sancti *Joannis de Papia* & de *Treno:* nec illi Partes componere potuissent; tum vero Monachi, quantumvis Canonici renuerent, ab eodem Pontifice impetrarunt, ut aliis rursum Judicibus eædem pariter lites ad discutiendum demandarentur. Demandatæ igitur eæ fuerunt Episcopo *Vercellensi*, & Abbati *Locediensi*; quemadmodum infra constabit. De *Locediensis* autem Monasterii origine *Carolus* abunde scribit *Sigonius* in Libro *De Episcopis Bononiensibus*, in Episcopo videlicet *Frugerio*, qui Episcopatum illum iniit circiter Annum Domini Millesimum decimum quintum, quive Anno etiam postea vigesimo sexto eundem regebat. *Interim Bonifacius, Montisferrati Marchio* (verba sunt ipsius *Sigonii*) MONASTERIUM AD LOCEDUM IN AGRO VERCELLENSI *construxit: atque ei Bononium, Civem Bononiensem, insignem ex ipso Divi Stephani Monasterio Monachum, ob singularem sanctitatis famam, Petri Vercellensis Episcopi commendatione præfecit. Qui per multos annos cum Monasterium omni edito virtutis moderationis & sanctitatis exemplo rexisset; demum Anno Millesimo vicesimo sexto* (Libro Octavo *De Regno Italiæ* vicesimum septimum fuisse tradit) *diem suum obiit, ingenti sui relicto Monachis Locediensibus desiderio: ac sanctitatis suæ opinionem insignibus post mortem editis miraculis comprobavit. Unde postea Aram ab Arderico Episcopo Vercellensi, cum esset a Pontifice numero Sanctorum ascriptus, accepit. Dies ejus celebratur tertio Kalendas Septembris. Vita apud Monachos Sancti Stephani scripta extat.* Hæc ibi *Sigonius*. Eandem porro ipsius Vitam *Surius* inde acceptam recitat Tomo Septimo: ex eaque quinetiam constat, *Bononium* alteri fuisse illic Abbati suffectum. Atqui *Chrysostomus Henriquez* in Menologio *Cisterciensi*, sub quarto Idus Septembris, de Beato locutus *Olgero*, illius Monasterii Abbate, ita mox ad vocem LOCEDII adnotat: *Cœnobium est Ordinis Cisterciensis, constructum Anno Domini Millesimo centesimo vigesimo tertio, duodecimo Calendas Augusti, in Lombardia, & Diœcesi Valcellensi* (hoc est, *Vercellensi*) *Monachis e Firmitate eo missis.* Quo quidem tempore, non tam primitus constructum, quam *Cisterciensibus* traditum fuisse Monasterium illud, nos quidem tamquam ex *Henriquez* sententia interpretamur; ne forte a *Sigonio* dissideat. Ex Ordine igitur *Cisterciensi* erat hic Abbas (& quidem nomine *Petrus*) cui pariter ac *Alberto Vercellensi* Episcopo *Innocentius* dijudicationem *Ambrosianarum* ejusmodi controversiarum demandavit. Quanti vero illos faceret, vel ex eo nos etiam comperimus, quod iisdem pariter hoc Anno mandavit, ut Primi & Secundi Humiliatorum Ordinis Regulas, ad confirmandum sibi oblatas, corrigerent, & unam e duabus componerent; sicut etiam re vera peregerunt; peractumque sic etiam *Innocentius* ipse sua Pontifice e Cathedra docentis auctoritate confirmavit. Sic enim suo tempore suoque separatim Volumine commonstrabimus inter universi ejusdem Ordinis Monimenta, per nos jam collecta: quæ prælo typographico destinavimus, ad Urbis etiam nostræ splendorem; quippe cum e primaria ipsius Nobilitate feliciter Ordo ille prodierit. Utinam vero primores etiam spiritus perenniter conservasset illos, qui per hæc præsertim tempora vigebant! Non enim solæ nunc Moniales tanto ex Ordine superessent.

DCXL. Dum lites odimus ac discordias, inter hæc duo *Ambrosiana*, Monachorum unum, alterum Canonicorum, Collegia recenter excitatas; facere profecto tamen non possumus, quin confectos earum gratia Processus, e quibus ceteroqui tam multa nobis illuxerunt, vehementer diligamus. Iidem vero Processus intra Millesimum ducentesimum ac ducentesimum primum *Christi* Annum confecti fuerunt: & quidem pro Monachis a Novembri mense usque ad proximum inclusive *Martium*; pro Canonicis autem ab undecima Decembris die usque ad octavam subsequentis Januarii. Sic enim ex iisdem liquidissime constat. Quoniam vero Num. 586. animadvertimus, Incarnationis Dominicæ Annos per hæc tempora computari apud *Lombardos* nostros non consuevisse a vigesima quinta Martii die; idipsum præstat etiam in præsenti rursum indicare. In Processu ergo Monachorum, posteaquam undecim jam Testes fuissent examinati, sic legitur intersertum: *Prædictos vero Testes omnes recepit Nicolaus Vercellensis Tabellio Anno Dominicæ Incarnationis Millesimo ducentesimo, mense Novembris, Indictione quarta. Sed infrascriptos Testes cunctos recepi ego Lanfrancus de Concorezo postmodum, & prædictos Testes iterum interrogavi.* Cum vero ipsos iterum interrogare aggreditur, ita protinus incipit: *Domnus Joannes, Presbyter & Prior Monasterii Beati Ambrosii, reversus Anno Dominicæ Incarnationis Millesimo ducentesimo primo, octavo die Martii, interrogatus per me Lanfrancum de Concorezo Mediolani Tabellionem* &c. En igitur apparet, quemadmodum die Martii octava ducentesimus primus a Dominica Incarnatione Annus jam successisset ducentesimo, qui superiori mense Novembri ducurrebat. Quoniam insuper plurimum interest observasse, quanta sit amborum ejusmodi Processuum fides; ita profecto iis denique subscriptum, & quidem propria cujusque subscribentium manu (loquimur autem de conscriptis in charta pergamena) conspeximus:

A.C. 1200. 1201.

✠ *Ego Alberius, Vercellensis Ecclesiæ humilis Minister, mandatum supra dictum, factum ab Abbate Locediensi suo & meo nomine, ratum habeo, & subscripsi.*

✠ *Ego Petrus, Locediensis Abbas, mandavi, ut dicta supra*

ſupra dictorum Teſtium publicarentur, & ſubſcripſi.

✠ *Ego Lanfrancus de Concorezo, Domini Henrici Imperatoris Notarius, præſcriptos Teſtes, in parte a me receptos, & in parte a Nicolao Vercellenſi Tabellione receptos, mandato dicti Domni Locedienſi Abbatis autenticavi, & in formam publicam, perpetuo valituram, efficaciter redegi.*

Sic utique ſubſcriptum extat Monachorum Proceſſibus. Iis vero, qui pro Canonicis confecti fuerunt, hoc ſolum:

✠ *Ego Lanfrancus de Concorezo, prædictos Teſtes omnes recepi.*

DCXLI. Poſt confectos ejuſmodi Proceſſus ſuam Judices Sententiam ſub finem præſentis Anni ducenteſimi primi pronunciarunt. Interea vero nos alia quædam inde, ſcitu digna, Monumentiſque præſentibus neceſſaria, depromemus. Quorum primum ea ſit pompa & apparatus, quo *Mediolanenſis* Archiepiſcopus in Dominica Palmarum & Olivarum, poſteaquam in Baſilica *Laurentiana* munere ſuo perfunctus eſſet, per Abbatem deinde *Ambroſianum* excipiebatur, & ad Baſilicam ipſam deducebatur *Ambroſianam.* Qua de re ſatis jam multa nos in ſuperiora tempora diſſeruimus Num. 51. ac deinceps. Quæ igitur in præſenti proferemus, ad poſteriora potius ſpectabunt tempora, jam inde ſaltem ab *Oberto Pirovano* Archiepiſcopo, Sancti *Galdini* deceſſore: in cujus etiam ætatem, priuſquam noſtra Civitas ab *Ænobarbo* everteretur, ejuſmodi Proceſſus inquiſierunt. Quocirca decurſu temporis aliquid etiam videre licebit in hac ipſa celebritate immutatum. Ut autem a Teſtibus per Canonicos productis ordiamur; inter alia ſic illi verbatim interrogabantur: *Si* DOMNUS ABBAS *cum Fratribus ſuis, & Cappellanis, & Crucibus Eccleſiæ,* & CUM OMNIBUS SUIS ORNAMENTIS, & INFULA, & BASTONO PASTORALI, & SCEPTRO REGALI, & CUM VASSALIS SUIS, *vadit in Dominica Olivarum obviam Archiepiſcopo* USQUE AD ECCLESIAM PARVAM, QUÆ EST JUXTA CARRUBIUM PORTÆ TICINENSIS: *& ibi honorifice Domnus Abbas recipit Archiepiſcopum: & ipſe Dominus Archiepiſcopus dat Abbati* MAXIMAM TRUITAM, & PALMORERIUM: *& ſic Domnus Abbas venit cum Archiepiſcopo cum Proceſſionibus uſque ad Altare Beati Ambroſii: & ſi Dominus Archiepiſcopus ibi ad ipſum Altare cum Abbate & Monachis tantum celebrat divinum Officium, Canonicis abſentibus.* Ad hæc igitur primus Teſtis, *Honeſtus de Coſenigo,* ſic reſpondit: *Per omnia ita eſſe credo; præter quod non credo* (quis ad hanc exceptionem non rideat?) *Truitam eſſe maximam.* Idem tamen jam ante ad aliam interrogationem ſic etiam reſponderat: *Canonici Eccleſiæ Beati Ambroſii recipiunt Archiepiſcopum & Ardinaros ad omnes Proceſſiones, quæ ad ipſam Eccleſiam Beati Ambroſii veniunt, præter in Ramis Olivarum. Quæ Proceſſio Rami Olivarum ſpecialis eſt, & non generalis; quia ſine Ordinariis ipſe Archiepiſcopus cum Abbate & Monachis ad ipſam Eccleſiam Sancti Ambroſii venit; Ordinarii vero, relicto Archiepiſcopo* AD CARRUBIUM PORTÆ TICINENSIS, *cum omni Proceſſione ad Eccleſiam Majorem vadunt.* Tertius vero Teſtis, *Guitfredus,* ad ſuperiorem illam interrogationem ſic inquit: *Credo, quod ſic.* Quartus autem, *Ambroſius: Sic, ut credo.* Quintus item, *Beltramus: Bene credo, quod ipſa ſic fiant, dimiſſis Ordinariis & Clero Clericorum Mediolani ab Archiepiſcopo ad Carrubium Portæ Ticinenſis; præter quod ignoro, quid credam, ſi vadat cum Crucibus Eccleſiæ.* Sed & ſextus, *Guilielmus Marinonus: Credo prædicta ita eſſe.* Septimus itidem, *Petrus Taberna: Bene vadit Domnus Abbas obviam Archiepiſcopo, ut ſupra dictum eſt, cum Fratribus ſuis, & Cappellanis, facta maxima collectione hominum.* Sed, *ſi vadat cum Crucibus Eccleſiæ, ignoro. Et bene tunc celebrat Archiepiſcopus Officium divinum ad Altare Beati Ambroſii cum Abbate & Monachis, Canonicis abſentibus.* Nonus vero, *Præpoſtus Clocarius: Neſcio. Sed audivi, quod ſic.* Decimus denique, *Petracius de Bonaventis,* hunc & ipſe in modum reſpondit: *Sic, ut credo; quia Cruces ſunt in poteſtate Canonicorum. Et unde datur comeſtio a Domno Abbate Cuſtodibus Canonicorum, deferentibus ipſas Cruces.* Hactenus e Canonicorum Proceſſu. Nunc e Monachorum. Tertius igitur ipſorum Teſtis, Domnus *Petrus Sapa,* ſic & ipſe teſtatus fuit: *Si Archiepiſcopus ad eſt; dicit, quod ipſa die Ramolivæ* (ita enim Dominicam illam vocitabant) *Abbas cum Monachis cantat Miſſam ſuam Olivarum ad Altare Beati Ambroſii, & Archiepiſcopus cantat ſuam Miſſam ad Eccleſiam Sancti Laurentii. Et celebrata Miſſa ab Abbate & Monachis, dicit, quod Abbas cum Monachis vadit in Proceſſionem, habendo quolibet ramum unum Olivarum in manu, & deferente Cuſtode Canonicorum ante eos Crucem* USQUE AD PORTAM ISNESEM (hoc eſt TICINENSEM; ſicut etiam corrupto nunc vocabulo Italice PORTA SNESA vulgo nuncupatur) *ibi, ubi dicitur* AD TURRICELLAM MALSANORUM: *& ibi morantur, quouſque Archiepiſcopus cum Ordinariis & Fratribus ſuis ad eos acceſſerit. Et ibi Dominus Archiepiſcopus, eo recepto ibi ab Abbate & Fratribus, offert eidem Abbati* TRUITAM UNAM: *& oſculatus eſt eidem Abbati* (legendum potius videtur *idem Abbas*) *manum ſuam, exiſtente tamen ipſo Archiepiſcopo ſupra equum, & Abbate in pede: & inſuper dat ei* PALMORERIUM UNUM *idem Dominus Archiepiſcopus. Et ibidem ſic omnibus congregatis, incipitur ibi Proceſſio: & vadit Dominus Archiepiſcopus ſupra equum reveſtitus, & Abbas ſimiliter reveſtitus ad pedem cum Fratribus ſuis, uſque ad Eccleſiam Beati Ambroſii; Canonicis vero redeuntibus* (ſcilicet *Ordinariis*) *ad Eccleſiam Majorem, & non ad Eccleſiam Beati Ambroſii. Et dicit, quod Cuſtodes Canonicorum Sancti Ambroſii, quouſque ſunt ad Eccleſiam Beati Ambroſii, deferunt Cruces: & ibi in ipſa Eccleſia Archiepiſcopus reveſtitur & celebrat ad Altare Beati Ambroſii cum Abbate & Monachis Miſſam* (ſive quia Sacrificio tunc per unum e Monachis Sacerdotibus oblato Archiepiſcopus una cum illis aſſiſteret; ſive quia ſecundam hoc die Miſſam ipſe, miniſtrantibus illis, celebraret; ut infra ipſiſmet *Ambroſianis* Canonicis per hæc tempora certis licuiſſe diebus ſuſpicabimur) *&, celebrata illa Miſſa, vadit poſtea Cuſtos cum Abbate & Monachis in Refectorium, & ibi recipit refectionem. Et hæc omnia vidit; quia interfuit his omnibus pluries.* De Domno pariter *Arnoldo,* quinto Teſte, ſic legitur: *Item dicit, ſe interfuiſſe Proceſſioni Ramolivæ tempore Domini Uberti de Pirovano Archiepiſcopi, & tempore Domni Amizonis Abbatis: & ad illam Proceſſionem vidit Cuſtodem Canonicorum deferre Crucem* USQUE AD ECCLESIAM MALSANORUM, *& ab illa Eccleſia uſque ad Eccleſiam Beati Ambroſii, ante illam Proceſſionem. Et hoc vidit per quatuor annos & plus. Item dixit, quod tempore Domini Galdini Archiepiſcopi, & tempore ejuſdem Amizonis Abbatis, idem vidit facere per multas vices. Item poſtea tempore Domni Joannis de Arzago, & Prædicti Domini Galdini Archiepiſcopi idem vidit facere. Item, exiſtente adhuc Abbate illo Domno Johanne de Arzago, tempore Domini Algiſii de Pirovano, vidit idem facere, ut ſupra. Item tempore ejuſdem Algiſii Archiepiſcopi, & Domni Abbatis Beltrami, idem ſimiliter vidit. Item poſtea tempore Domini Milonis de Gardano* (nos illum *de Cardano* appellavimus) *Archiepiſcopi, & Abbatis Ambroſii, idem vidit. Item, exiſtente illo Abbate Ambroſio, vidit idem in tempore Domini Philippi, qui modo eſt Archiepiſcopus. Item in tempore ejuſdem Domini Philippi Archiepiſcopi, & tempore Dom-*

Domni Airoldi, qui modo est Abbas, idem vidit etiam per duas vices. His addimus *Petrum de Garlate*, sextum decimum Testem, qui sic etiam testabatur: *Item vidi, ab introitu Mediolani infra, Domnum Abbatem Sancti Ambrosii & Monachos multotiens in festivitatibus suis ire ad Sanctum Naborem cum Psallentio, cum Crucibus Ecclesiæ, quæ portabantur per Custodes Canonicorum: & ire similiter cum Crucibus Ecclesiæ, quæ portabantur per eosdem Custodes, obviam Archiepiscopo in Dominica Olivarum, Canonicis Sancti Ambrosii tunc absentibus. Et tunc Domnus Abbas vadit obviam Archiepiscopo revestitus, & habens in capite* INFULAM, *&* ALIA INSIGNIA EPISCOPALIA *secum ferens, & etiam* SCEPTRUM REGALE. *Et recipit Archiepiscopum* AD PORTAM TICINENSEM, *relictum ibi ab Ordinariis, inde Domum redeuntibus.* Ex his ergo tot ac talium Testium dictis, in unum coacervatis, intelligi facile jam tandem datur, qualis & quam palmaris hoc tempore apud *Ambrosianos* etiam monachos istos esset ejusmodi Palmarum & Olivarum celebritas. Nunc ad Feriam sextam & ad Sabbatum subsequentis Hebdomadæ Sanctioris progrediamur.

DCXLII. Ac de Feria quidem sexta Domnus *Martinus*, Monachus, & Monachorum Testis undecimus, item dixit, *Quod Domnus Abbas cum Fratribus suis* IN DIE VENERIS SANCTI *celebrat divina Officia, ad diem pertinentia, in Choro & Ecclesia Beati Ambrosii: & Canonici non. Interrogatus, quomodo scit; respondit: Quia ego, postquam fui Monachus, multotiens ipsa Officia vidi celebrari a Domno Abbate & Fratribus suis die ipsa: & egomet celebravi. & Canonici non. Interrogatus, si possent Canonici in Ecclesia illa die ipsa celebrare divina Officia, vobis insciente & ignorante; respondit: Possent forsitan privatim aliqua Officia ibi celebrare; sed non Officium, quod spectat ad diem. Quia hoc ei prohiberemus; si nos sciremus. Immo faciunt Canonici Officium illius diei* AD SANCTAM MARIAM GRÆCAM, *secundum quod audivi de Canonicis ipsa die in illa Ecclesia Officia diei celebrare.* Similiter *Ambrosius de Sancto Ambrosio*, tertius decimus Testis, *Item ab annis duodecim infra* (inquit) *omni anno* IN DIE VENERIS SANCTI, *me præsente, in Ecclesia Sancti Ambrosii vidi Domnum Ambrosium quondam Abbatem, & præsentem Abbatem, cum Fratribus suis quiete divina celebrare Officia, ad diem ipsam pertinentia, in Choro Beati Ambrosii: & Canonicos audiebam sua Officia celebrare* IN ECCLESIA SANCTÆ MARIÆ GRÆCÆ. Talia sic etiam præ ceteris testabantur duodecimus ac decimus quartus Testes, Domnus *Guido*, & *Joannes de Sancto Syro*: quos brevitatis gratia omittimus. Certe quidem in hujus Basilicæ Visitatione, quæ per Sanctum Archiepiscopum & Cardinalem *Carolum Borromæum* facta fuit Anno Domini Millesimo quingentesimo septuagesimo octavo, qua parte agitur de Visitatione Ecclesiæ Sanctæ *Mariæ Græcæ* & Sancti *Sigismundi*, sic etiam verbatim scriptum, sicut etiam tunc temporis usu servatum, invenimus: IN DIE VENERIS SANCTI *celebrant* (Canonici) *in hac Ecclesia omnes Horas Canonicas, ex consuetudine antiqua, & conventione item cum Monachis.* Quas quidem Horas illi pariter in præsentem quoque celebrarunt Annum, Millesimum sexcentesimum quadragesimum secundum, quo nos typis isthæc mandamus.

DCXLIII. Priusquam nunc de Sabbato Sancto per Monachos celebrato disseramus; repetat animo Lector, quæ Num. 449. dicta sunt de loco illo, post Altare primarium sito (ubi nunc Chorus est & Odæum) qui per ea tempora, in quibus nunc versamur, CIMILIARCHIA, TRIBUNAL, SEDES EPISCOPORUM, & EPISCOPALE nominabatur. Sic enim facilius intelligentur sequentia Testium pronunciata. Idem igitur Domnus *Martinus* ita protinus adjecisse traditur: IN DIE SABBATI SANCTI *Domnus Abbas facit cantare benedictionem Ceræ & Ignis per Diaconum suum, Subdiacono sibi tenente Librum,* IN TRIBUNALI, QUOD EST POST ALTARE SANCTI AMBROSII. IN QUO SUNT SEDES EPISCOPORUM. *Interrogatus quomodo scit; respondit: Quia semper fere omni anno, postquam fui Monachus, si eram in Urbe, aut si sanus eram, vidi ibi benedictionem Ceræ & Ignis celebrari sine alicujus contradictione, posito Cereo & Candelabro: & post benedictionem ipse Cereus accenditur, cum dicimus,* ECCE JAM IGNIS COLUMPNA RESPLENDET. Ecce vero ipsum etiam Domni *Guidonis* testimonium: & quidem paulo petitum altius, ut ea magis ob oculos ponantur, quæ Num. illo 449. perstringebamus. *Interrogatus, si locus, in quo dicunt Monachi.* SEDEM EPISCOPORUM, *vocatur,* CIMILIARCHIA; *respondit: Sic vocatur ab eis* (Canonicis) *ut credo; a nobis vero minime. Interrogatus, si ibi sunt Arcæ & Scrinia* CIMILIARCHIÆ, *quæ sunt tantum Canonicorum; respondit: Arcæ & Scrinia sunt Canonicorum tantum, ut credo: quæ sunt* IN EPISCOPALI, *& in quibus ornamenta Ecclesiæ reponuntur. Interrogatus, si vidit umquam aliquem Episcopum vel aliquos ibi sedere, & convenire; respondit: Sic: scilicet* EPISCOPUM NOVARIENSEM, *&* DOMINUM OBERTUM CRIVELLUM, QUANDO ERAT CARDINALIS, *ut credo.* ET VIDI TAPETUM PONI IN SEDE ARCHIEPISCOPI, QUANDO ARCHIEPISCOPUS MISSAM DEBET CELEBRARE IN ECCLESIA BEATI AMBROSII, IN FESTIVITATIBUS SANCTI AMBROSII, ET SANCTORUM MARTYRUM PROTASII ET GERVASII. *Item vidi multotiens per prædicta tempora, quod* IN DIE SABBATI SANCTI *Domnus Abbas facit cantare benedictionem Ceræ & Ignis, sine alicujus contradictione, per Diaconum suum, Subdiacono ei tenente Librum,* IN TRIBUNALI, QUOD EST POST ALTARE BEATI AMBROSII, IN QUO SUNT SEDES EPISCOPORUM: *& egomet pro Subdiacono ipsum Librum tenui, Diacono benedictionem Ceræ & Ignis faciente, seu celebrante.* In idipsum suppetunt etiam nobis *Ambrosii de Sancto Ambrosio* (alios enim multos taciti præterimus) responsa: e quibus hoc unum proferre lubet, cum ille itidem interrogaretur, *Si umquam vidit aliquem Episcopum ibi sedere, & convenire.* Sic enim respondit: *Non, nisi* ARCHIEPISCOPUM IN FESTO SANCTI AMBROSII, QUOD EST IN FERIIS PASCHÆ. Quo nimirum etiam festo Archiepiscopus & Capitulum Metropolitanum venire quotannis ad hanc Basilicam solebant; tametsi hoc tempore non soleant. Ad eandem porro interrogationem sic etiam Testis anterior, Domnus *Martinus*, responderat: *Non.* SED IBI VIDI EPISCOPOS DE ULTRAMONTES REVESTIRI PRO FACIENDA MISSA AD ALTARE BEATI AMBROSII. Quamquam etiam primus Canonicorum Testis cum fuisset interrogatus, *Si scit vel credit, locum, quem dicunt* CIMILIARCHIAM, *esse locum Episcoporum*, sic respondit: *Nescio;* TER IN ANNO SEDIT IBI ARCHIEPISCOPUS CUM FRATRIBUS SUIS (hoc est, Canonicis Ordinariis) CUM VENIT IBI AD FESTA.

DCXLIV. Sed huc, ad prædictam quoque Sabbati Sancti diem Missæ Sacro celebrandam, veniebat aliquando ipse sine Capitulo Archiepiscopus: quinetiam vel Canonicis vel Monachis pro arbitratu suo administris utebatur. Quem quidem usum ille nobis unus testetur, quem ipsimet Canonici suo in Processu primum produxerunt. *Honestus* namque

de Cosenigo de hoc item interrogabatur: *Si scit, vel credit, quod* QUADAM DIE SABBATI SANCTI *venisset quondam Milo Archiepiscopus ad ipsam Ecclesiam pro Missa celebranda; & Canonici (scilicet Mainfredus Oculi Blanci, & Mainfredus Longus) induerent se Dalmatica & Alba: & ad postulationem Abbatis fecit eos disvestire, & ab officio cessare; & Missam illam celebravit cum Abbate & Monachis ipse Dominus Archiepiscopus.* Sic autem ille respondit: *Sic credo fuisse: & in terram, sicut credo. Sed audivi, & credo, ipsam Missam fore celebratam per Canonicos fere semper,* ANTEQUAM CANONICI HABUISSENT CAUSAM (sive LITEM) CUM QUONDAM DOMINO ARCHIEPISCOPO ALGISIO DE DALMATICIS. *Item propter discordiam ortam inter Canonicos & Monachos ex ipsa Missa tempore Domini Oberti de Arzago Archiepiscopi vidi venire ad Ecclesiam Beati Ambrosii Domnum Oldum Crivellum, Ordinarium Majoris Ecclesiæ: & ibi in Ecclesia convocantem Canonicos & Monachos dixisse, ut scirent, ipsam Missam ad Archiepiscopum pertinere, & de jure Archiepiscopi esse, quos velit, eligere ad celebrationem ipsius Missæ.* *Algisius* porro Archiepiscopus Sanctum *Galdinum* subsecutus est Anno superiori septuagesimo sexto, atque ad octuagesimum quintum pervenit; sicuti nos Num. 547. & 589. disseruimus. Dalmaticarum vero causam litemque illam nos eandem credidimus fuisse cum lite, quæ tunc contra Canonicos excitata iccirco fuerit, quia Missam cum Diacono & Subdiacono, atque adeo cum Dalmaticis, contra veteres Ecclesiæ *Mediolanensis* consuetudines celebrare ipsi quoque occœpissent; ut infra ostendemus. Ad cujus litis uberiorem intelligentiam proferre præterea nunc lubet quinti Monachorum Testis, Domni *Arnoldi*, testimonium (ad alia etiam non importunum, ac præsertim ad cognoscendos aliquot ex ordine Præpositos hujus Basilicæ) cum generis ejus litem innueret. In Processu sic habetur: *Domnus Arnoldus, Presbyter & Monachus prædicti Monasterii, juratus testatur, se recordari* PRESBYTERUM MARTINUM, PRÆPOSITUM ECCLESIÆ BEATI AMBROSII. *Et suo tempore vidit in illis diebus, in quibus ipse debebat celebrare Missam, quod nemo ante eum celebrabat Missam: & cum ipse Præpositus eam celebrabat, eam valde mane celebrabat. Et mortuo illo Præposito, factus fuit Præpositus* PRESBYTER ALEBERTUS DE SANCTO GEORGIO: *quem idem & in hunc modum vidit facere, & Missam celebrare, ut supra. Et, mortuo illo Præposito Alberto, factus fuit Præpositus* LANTERIUS DE CASTELLIONO: *quem in hunc modum, ut supra, vidit celebrare Missam. Prædicti vero Præpositi omnes fuerunt Præpositi ante destructionem Mediolani: Et cum prædictus Lanterius Præpositus desereret Præposituram,* ET IRET AD MURIMUNDUM (scilicet, ut Monachus ibi fieret) *factus fuit Præpositus* SATRAPUS: *quem vidit, postquam Mediolanum reversum fuit in statum, simili modo celebrare Missam, ut supra. Et mortuo Satrapo, factus fuit* NAZARIUS CORVUS *Præpositus:* IN TEMPORE CUJUS ORTA FUIT DISCORDIA DALMATICARUM. *Et usque ad illam ortam discordiam non consueverunt Præpositi prædicti celebrare Missam ante, &* ALLELUIAM, *ut supra dixit, cum melodiis. Ab illa vero discordia infra aliter incœperunt facere, & celebrare Missam prædictus Præpositus Nazarius, & alii Præpositi, qui post eum fuerunt, & Canonici: videlicet, quod si Præpositus vult modo cantare Missam; primo quidam ex Canonicis Presbyter ante cantat suam, & Præpositus postea suam. Et bene asserit, se audisse, ab illa discordia infra præpositum & Canonicos aliquando celebrare Missam &* ALLELUJAM *cum melodiis in solempnibus diebus. Sed dicit, quod sæpius audivit, quod dimittebant illas melodias in* ALLELUJA, *quam eas memorarent in eorum Missis.* Hæc ille.

DCXLV. Verum enimvero Abbas idem *Ambrosianus* auctoritate propria in id usque tempus tam Clericos quam Monachos facere consuevit. Ecce Testes, quos e Monachorum Processu delegimus. Domnus in primis *Martinus*, undecimus, item dixit, *quod* DOMNUS ABBAS BEATI AMBROSII FACIT PER SE, VEL PER NUNCIUM SUUM, JUXTA ALTARE BEATI AMBROSII CLERICOS LIBERE, *sine alicujus requisitione, vel contradictione. Interrogatus, qualiter scit hoc; respondit: Quia Domnum Ambrosium, quondam Abbatem, vidi facere Clericos juxta Altare Beati Ambrosii, sine alicujus requisitione, vel contradictione: & postea fecit eos Monachos: scilicet Domnum Mainfredum, & Domnum Frogerinum, & Domnum Vivianum, & Domnum Ambrosium, & plures alios. Similiter vidi Domnum Airoldum Abbatem facere Clericos ibi juxta Altare, & postea Monachos: filium Cacii de Modoetia, & Burrinum filium Burri Dionysii, & Guidinum Bocconum, & nepotem Prioris. Insuper audivi, & credo verum esse, quod Domnus Ambrosius tempore suæ Abbatiæ fecit juxta Altare Beati Ambrosii Clericum illum, qui modo est Sacerdos Ecclesiæ de Dubino: de cujus nomine non recordor. Et audivi, quod Abbates, qui pro temporibus fuerunt in ipso Monasterio, fecerunt Clericos juxta ipsum Altare, & qui habent Beneficia vel habuerunt in Capellis, Monasterio Sancti Ambrosii subpositis, vel in Monasterio. Item vidi Anrichetum quendam stare in Monasterio Beati Ambrosii, & portare titulum Clerici in Capite: & qui factus erat Clericus ibi per Abbatem ipsius Monasterii, secundum quod audivi. Tamen non vidi ipsum titulari; sed ipsum vidi ibi stare tamquam Clericum, & habere ibi Præbendam, sicut & Monachum.* Testi huic undecimo duodecimus succedit, Domnus *Guido.* Qui pariter dixit, QUOD DOMNUS ABBAS FACIT CLERICOS ET MONACHOS AD ALTARE BEATI AMBROSII. *Interrogatus, qualiter scit; respondit: Quia vidi Domnum Johannem de Arzago Abbatem, & Domnum Bertramum Abbatem, & Domnum Ambrosium Abbatem, & Domnum Airoldum, qui modo est Abbas, per se vel per suos Nuncios diversis temporibus facere Clericos & Monachos ad Altare Beati Ambrosii, sine contradictione alicujus. Interrogatus, quos vidit fieri Clericos per dictos Abbates, vel Nuncios eorum; respondit: Me existente in Sedilibus Chori, vidi Domnum Johannem de Arzago per se, vel per Nuncium suum, Clericum facere Petrum de Zibidia: & egomet Clericus factus fui & Monachus ibi per Domnum Johannem Plattum, de mandato Domni Johannis de Arzago, quondam Abbatis. Similiter vidi Domnum Bertramum, vel ejus Nuncium facere Domnum Lanfrancum Sichizonum. Similiter vidi Domnum Ambrosium Abbatem Clericos & Monachos facere, Domnum Petrum de Pirovano, Domnum Johannem Cuminum, Domnum Vivianum, Domnum Mainfredum, & Domnum Ardengum, & Domnum Frogerinum. Et audivi Domnum Airoldum, modo Abbatem, fecisse Clericos & Monachos Burrimum & Guidinum: &, me vidente, fecit Clericos & Monachos Jacominum & Petrinum. Item vidi Domnum Ambrosium, quondam Abbatem, facere Clericum similiter Alcherium, qui modo est Sacerdos Ecclesiæ* DE DUBINO. *Interrogatus, ubi habent vel habuerunt prædicti Clerici & Monachi Præbendas; respondit: In ipso Monasterio, & alibi, ubi placebat Abbati.* Sic etiam Testis decimus tertius, *Ambrosius de Sancto Ambrosio,* hæc inquit: *Ab annis duodecim infra vidi quondam* DOMNUM AMBROSIUM ABBATEM SINE ALICUJUS CONTRADICTIONE CLERICOS FACERE AD ALTARE BEATI AMBROSII, *& postea in-*

incontinenter Monachos: Domnum Petrum de Pirovano, & Domnum Johannem Cuminum, & Domnum Mainfredum Cigniardum, & Frogerinum Palium, & Ardengum Vicecomitem, & Domnum Vivianum. Præsentem vero Abbatem scilicet Domnum Airoldum, vidi facere Clericos & Monachos: Burrinum, & Petrinum nepotem Prioris, & Guidinum Bocconum. Interrogatus, ubi habent vel habuerunt Præbendas; respondit. In Monasterio Beati Ambrosii. Sed his addamus etiam *Joannem de Sancto Syro*, qui Testium fuit decimus quartus. Ajebat enim: *Item vidi ab annis quadraginta infra* DOMNUM ABBATEM FACERE CLERICOS EX IPSIS QUI NON FIUNT MONACHI, ET EX IPSIS QUI FIUNT MONACHI, *quiete, nullo contradicente, juxta Altare Beati Ambrosii.* Et rursum interrogatus, *Quem Abbatem vidit facere Clericos ita*; sic etiam respondit: *Quondam Domnum Ambrosium Abbatem vidi titulare tantum & Monachum facere quendam, qui modo est Officialis Ecclesiæ* DE DUBINO, *subjectæ Monasterio Beati Ambrosii. Eundem vero Abbatem Ambrosium, & etiam præsentem Abbatem Domnum Airoldum, & alios Abbates vidi similiter titulare quamplures, de quorum nominibus non sum memor, & in continenti eos facere Monachos juxta ipsum Altare: & qui Prebendas habent in hoc Cœnobio.* Et hæc quidem nobis in præsenti sufficiant, ut intelligamus, antiqui moris adhuc in hac Basilica fuisse, ut Abbas auctoritate propria Primam Tonsuram conferret, atque Monachos ad Habitum, vel etiam Professionem, admitteret.

DCXLVI. An vero Basilicæ pariter istius Præposito Clericos facere liceret: de hoc quidem nihil nobis dubitatum videtur; sed de illo tantum, an e propria ipsius, vel ex Archiepiscopi facultate liceret. Audiamus in primis Testes ipsos proxime nominatos. Illi de hoc pariter interrogati fuerunt: *Si Præpositus facit suos Clericos, qui vocentur* CLERICI SANCTI AMBROSII, *& qui postea efficiantur Canonici.* Quid hic ergo Testis ille undecimus? *Non* (respondit) *quod vidissem unquam. Sed credo, quod faciat Clericos de consensu Domini Archiepiscopi.* Duodecimus porro dixit: *Credo, quod faciat Clericos de licentia Archiepiscopi, qui postea efficiuntur Canonici. Et ita audivi.* Tertius decimus: *Nescio.* Quartus decimus: *Sic, ut credo.* Atqui *Petrus* postea *de Garlate*, sextus decimus Testis, sic insuper responsionem suam confirmavit: *Credo, quod fecit Clericos; & tamen de mandato Domini Archiepiscopi. Quia* TEMPORE BEATI GALDINI ARCHIEPISCOPI *venit quondam Satrapus, Præpositus Canonicæ Sancti Ambrosii, ad Dominum Galdinum, volens licentiam ab eo faciendi Clericos impetrare: quam habere nequivit, nisi ad preces* DOMINI OBERTI CRIVELLI, TUNC ARCHIDIACONI: *qui, me præsente, ipsi Domino Satrapo licentiam faciendi Clericos, & vix tamen, acquisivit.* Sic igitur Testes per Monachos producti sentiebant. Ex adverso autem producti per Canonicos oppositum unanimes asseruerunt. Quoniam vero nimis longum esset omnia ipsorum dicta recensere; nos aliqua tantum & aliorum exscribemus; ea videlicet, quibus aliquid nobis ceteroqui curiosius digniusque scitu indicetur. *Honestus de Cosenigo*, primus omnium ita testatus narratur: *Item dicit, quod* DOMINUS PRÆPOSITUS SANCTI AMBROSII FACIT CLERICOS IN ECCLESIA BEATI AMBROSII LIBERE, SUA AUCTORITATE, ET NON DE LICENTIA ARCHIEPISCOPI. *Interrogatus, quomodo scit; respondit: Quia vidi Dominum Petrum Longum Præpositum tempore suæ Præpositura Clericos facere ad Altare Beati Ambrosii, per se, vel per suum Nuncium, præsentibus Canonicis, & aliis pluribus personis, de quibus non recordor: scilicet filium Oldeurandi Canavisii, & filium Alberti Tabernæ, & quendam nepotem Johannis Zavatarii, & alios quamplures; sed non recordor de Nuncio ejus, qui Clericos fecerit per eum. Interrogatus, quomodo scit, quod Præpositus faciat Clericos sine licentia Archiepiscopi; respondit: Quia tempore, quo* DOMINUS PHILIPPUS (in præsenti Archiepiscopus) ERAT ARCHIPRESBYTER MAJORIS ECCLESIÆ (hunc utique locum nos Nu. 631. innuebamus) *rogavit ipse attente pro Anselmo suo Propositum & Canonicos Sancti Ambrosii, ut titularent ipsum Anselmum in Ecclesia memorata Sancti Ambrosii* TEMPORE, *QUO DOMINUS MILO ERAT ARCHIEPISCOPUS: & quem Anselmum ipse Dominus Milo volens titulare facere licentia sua in illa Ecclesia Sancti Ambrosii, noluerunt ejus licentia titulare Præpositus & Canonici, nec ibi titularis fuit. Et quia interfui ibi, ubi Dominus Archiepiscopus, qui modo est, Canonicis Sancti Ambrosii dixit, ut Præpositus Sancti Ambrosii titularet & titulari faceret de licentia sua: & ipsi nolentes hoc facere; demum Præpositus Petrus sua auctoritate, & non de licentia Archiepiscopi, sed ad preces ejus, quosdam titulavit.* Idem aliquanto post in ejusdem consuetudinis confirmationem multa itidem respondit. Nec minus luculenter in eandem sententiam testative fuerunt secundus ac tertius, nec non etiam quartus ac quintus: hoc est *Mainfredus Oculi Blanci*, *Guifredus*, *Ambrosius* Præpositus *de Soma*, & *Bertramus Corbus*. Ceterum decimus, *Petracius de Bonaventis*, hoc insuper adjecit: *Et insuper vidi quandam litteram precatoriam, a quondam Domino Urbano Papa impetratam: in qua continebatur, ut Rolandus Scholaris titularetur in ipsa Canonica a Præposito & Canonicis.* Sed attendi profecto par est hoc itidem loco, quemadmodum nonnulli ad has interrogationes responderint: *Si alii Præpositi Mediolani audent facere Clericos sine licentia Archiepiscopi:* & *Quare ergo Præpositus Sancti Ambrosii habet jus illud? cum alii Canonici non audeant hoc facere.* Ita siquidem isti responderunt. Secundus: *De Clericis non credo; sed Custodes credo quod faciat Præpositus Sancti Nazarii: & Nescio; nisi quod credo,* IPSUM PRÆPOSITUM (Sancti *Ambrosii*) ESSE MAJOREM OMNIBUS PRÆPOSITIS HUJUS CIVITATIS. Quartus item: *De Custodibus nescio; sed audivi, quod nullus Præpositus Mediolani audeat facere Clericos & Custodes, præterquam Præpositus Sancti Ambrosii: & Nescio;* NISI FORSAN PRO MAGNITUDINE SUA. Quintus vero: *Nescio; sed bene credo, quod faciant Custodes sine licentia Archiepiscopi; sed Clericos non: & Nescio quare; sed credo, quod hoc habeat ab Antecessoribus suis.* Sextus itidem: *Non, ut credo: & Quia* EST MAJOR PRÆPOSITUS MEDIOLANI, *secundum quod audivi.* Decimus denique: *Non: & Nescio quare: nisi quia ita semper consueverunt, ut credo.* Quocirca Capitulum istud *Ambrosianum* multo jam ex tempore ceteris hujus Urbis Capitulis ante habitum videtur, contraquam olim se haberet; sicuti Num. 227. observabamus.

DCXLVII. Quemadmodum Num. 512. meminimus, circiter Annum *Christi* Millesimum centesimum septuagesimum Sanctus *Galdinus* Archiepiscopus inter antiquas Ecclesiæ *Mediolanensis* consuetudines, e traditione Patrum acceptas, & usu perrenniter custoditas, hanc quoque confirmabat: Ut *Mediolani*, exceptis Monachorum Congregationibus, in Basilica solummodo Metropolitana Missam cum Diacono & Subdiacono celebrare liceret. Exinde tamen ejusmodi consuetudo non ita rigide servata fuit, quin certis saltem diebus Capitulum *Ambrosianum* ea pridem usum inveniatur Anno ducentesimo supra Millesimum. Quocirca tertius itidem Canonicorum ille testis *Guifredus*, interrogatus, *Cum quibus solemnitatibus fiebant ipsæ Missæ* (de quibus proxime dictum fuerat) res-

respondit: *Cum illis solemnitatibus, cum quibus faciunt alii Præpositi & Canonici Mediolani. Et multotiens vidi Præpositos & Canonicos Beati Ambrosii Missas celebrantes cum Diacono & Subdiacono, revestitis Alba & Dalmatica, in Natale Domini, & Epiphania, & Pascha Resurrectionis, & Dominicis diebus Quadragesimæ Majoris, & in Missis novorum Sacerdotum. Et egomet pluries revestitus Alba, cum eram Subdiaconus, cantavi Epistolam: & vidi Mainfredum Oculi Blanci, revestitum Dalmatica, multotiens, quando Diaconus erat, cantare Euangelium, & facere in Dominicis diebus Quadragesimæ Majoris Litanias. Et quod dixi de Mainfredo, idem dico vidisse de Rogerio de Bocio, quando Diaconus erat.* Similia porro disertissime ceterorum testatos itidem legimus *Bertramum Corbum*, *Guilielmum Marinonum*, ac *Prævostum Clocarium*, Testes utique, quintum, sextum, ac nonum.

DCXLVIII. Suspicatos paulo ante nos fatebamur, an per hæc tempora Canonicis aliquando liceret duas eodem die Missas celebrare. Hanc vero suspicionem nobis injecit eorundem Canonicorum Processus. Inter alios Testes *Mainfredus Oculi Blanci*, ordine secundus, sic etiam testabatur: *Item per prædicta tempora, scilicet quadraginta duorum annorum & plurium, vidi centies & amplius, quod Canonici Sancti Ambrosii faciunt decenter Matutinum omni die, & post Matutinum incipiunt Primam, & expleta Prima incipiunt Ingressum & faciunt Missam & Missas, cum* GLORIA IN EXCELSIS DEO, *& aliis solempnitatibus ad diem congruentibus. Similiter vidi eos facere Dominicis diebus Missas duas, & in die Lunæ Missas duas & tres interdum, & in Vigiliis Natalis Domini Missas duas, unam scilicet cum Alba & Dalmatica & Diacono: & in Nativitate Domini similiter Missas duas, unam cum Alba & Dalmatica & Diacono: & in Vigiliis Epiphaniæ, & in Epiphania similiter Missas duas, unam scilicet cum Alba & Dalmatica & Diacono: & in Octava Domini similiter Missas duas: & in festivitate Beati Ambrosii, & Sancti Andreæ, & Sanctæ Marcellinæ, & die Jovis sanctæ, & Pentecosten, similiter Missas duas. Scilicet in die Jovis sanctæ vidi eos celebrare Missam unam cum Alba & Dalmatica & Diacono. Et egomet, qui eram Diaconus, ipsa die Jovis sanctæ revestitus sum Diaconus, & cantavi Euangelium pluries. Et in quatuor Dominicis diebus Quadragesimæ Majoris, scilicet in Dominica Samaritanæ, & in Dominica Abraham, & Dominica Cæci, & Dominica de Lazaro, vidi eos celebrantes unam ex ipsis duabus Missis cum Alba & Dalmatica & Diacono, & Litaniis ad diem pertinentibus.* Nec multo post interrogatus, *A quibus Sacerdotibus fiebant illæ Missæ*; sic respondit: *Ego vidi ex ipsis Missis celebrari a Domino Lanterio Præposito hujus Ecclesiæ, & Domino Nazario Præposito hujus Ecclesiæ, & Presbytero Alberto Colderario, & Presbytero Burro, & fortasse ab aliis, de quibus non recordor.* Hæc igitur *Mainfredus Oculi Blanci*: quibus similia nonnulli quoque alii Testes attigerunt. Vidi autem, quemadmodum tam ipse quam illi subinde protinus fuerint super ejusmodi Missis interrogati. Siquidem interrogati fuerunt: *Si unus Sacerdos celebrabat omnes Missas, an plures:* quas quidem Missas uno eodemque die binas vel etiam ternas nuper dixerant celebratas. Quod si uni Sacerdoti plures uno die Missas celebrare non licebat; ut quid ergo ista interrogatio? Idem profecto *Mainfredus* huic etiam sic respondit: *Immo plures, scilicet prædicti*: ET BENE VIDI UNA DIE PRESBYTERUM BURRUM FACERE DUAS MISSAS. Hæc igitur nostra est suspicio: quam ceteri dijudicent, ad quos præsertim ea spectat. Quoniam vero solemnes ejusmodi Missas in præsenti commemoravimus; operæ pretium erit etiam hic addere, quid *Petrus Taberna*, se-

A ptimus Testis, interrogatus, *Cum quibus solemnitatibus fiebant ipsæ Missæ*; responderit. Quippe ita respondit. *Cum his solemnitatibus honeste & devote, cum quibus fiunt Missæ; nisi quod prima Missa fit celerius secunda. Sed ab annis sexdecim infra audivi primo dicere Canonicos* MELODIAS FRANCIGENAS *ante Euangelium in Natale, & Epiphania, & Pascha Resurrectionis.* Quarum quidem melodiarum multas etiam hodie videmus Libris intermixtas Choralibus, quibus ad Cantum firmum *Mediolanenses* Canonici utuntur.

DCXLIX. Quemadmodum vero per hæc etiam tempora Monachi Vigilias Sanctorum *Ambrosii* ac *Protasii Gervasii*que celebrarent, quintus certe ipsorum Testis, Domnus *Arnoldus*, ita nobis indicabit, ut aliorum recitare verba non oporteat. De ipso igitur in Processu sic habemus: *Item testatur, se multotiens per longum tempus interfuisse ad Processionem, quæ fit in Psalmi* (hoc est, *Vigiliis*) *Sancti Ambrosii & Sanctorum Protasii & Gervasii circa Vesperas, quando vadunt Abbas & Monachi ad Sanctum Andream, & a Sancto Andrea usque ad Sanctum Vitalem, & Sanctum Naborem* (hodie Sanctum *Franciscum*) *Non vidit, quod aliæ Cruces portarentur ante eos, nisi Cruces Beati Ambrosii. Quas vidit portari a Custodibus Canonicorum* &c. Eadem porro sic etiam tertius septimus & octavus Testes affirmarunt. Sed ex quo tamen tempore destructa fuit Sancti *Vitalis* Ecclesia (sicuti Num. 78. recensuimus) ad Cappellam Sancti *Michaëlis*, quæ sita est intra eandem *Ambrosianam* Basilicam, procedere consueverunt. Quamobrem hodiernus etiam ipse Pontifex (quem diu nobis Deus incolumen conservet) *Urbanus* Octavus, in suo Brevi Apostolico, super hujus Basilicæ Concordia dato *Romæ* Anno *Christi* Millesimo sexcentesimo trigesimo, sic etiam decernit: *In Vigiliis Sancti Ambrosii ac Sanctorum Gervasii & Protasii Abbas celebrans cum Monachis ad Altare Sancti Michaelis, a latere Canonicorum existentis, antelatis Insignibus Abbatialibus, procedat: ibique pro solita Statione immoretur: & inde discedens, Portamque Majorem Ecclesiæ egrediens, per plateam proximam ad Ecclesiam Divi Francisci pergat: & redeundo per Portam Canonicalem ingrediatur Ecclesiam Sancti Ambrosii: & omnes easdem Ecclesiasticas cæremonias, præcedenti die per Capitulum Canonicorum factas, ipse Abbas cum suis proportionaliter adimpleat.* In Ecclesia porro Sancti *Francisci* Stationem suam Monachi peragunt ad Cappellam Sanctorum *Protasii* ac *Gervasii*: ubi nimirum, vel ad minus prope quem locum, ipsorum Corpora olim per Sanctum *Ambrosium* inventa fuisse creduntur.

DCL. Ut vero Basilicæ ipsius per hæc tempora condicio & status magis expresse dignoscatur; commemorare juvat, quot in ea tunc Altaria inessent; quamquam etiam simul alia quædam nobis optatissime dignoscentur. Primus Monachorum Testis, inter alia interrogatus, *Si Monachi vel Canonici faciunt Aquam Sanctam* IN ECCLESIA SANCTI SATYRI; sic respondit: *Canonici non faciunt in Ecclesia Sancti Satyri Aquam sanctam: nec consuetudo est Canonicorum ibi facere Aquam sanctam. Sed ille Presbyter, qui habet septimanam ex illis Monachis, qualibet die Dominica vadit revestitus in Chorum Beati Ambrosii, & ibi facit Aquam sanctam: & dat de illa & projicit* AD ALTARE BEATI AMBROSII *in circuitu: & postea dat ex illa Abbati, & illis, qui tunc in illo Choro sunt. Et exeunte de illo Choro, vadit* AD ALTARE SANCTI ANDREÆ, *& projicit ex illa ibi,* UBI POSITUS EST DOMINUS PETRUS ARCHIEPISCOPUS (quidni vero placeat hoc saltem indicium? quale Num. 27. non habebamus) *& postea* AD ALTARE SANCTI GEORGII, ET SUPER DOMINUM LOTERIUM (sive LOTHARIUM, sicuti mentionem

Num. 171. & 470. jam fecimus) REGEM. *Et postea Aqua illa sancta portatur in Ecclesiam.* Sic etiam quintus Testis, *Borghettus*, cum secundo semet examini subjecisset: cumque interrogaretur, *Si Monachi Sancti Ambrosii faciunt Aquam benedictam* IN ECCLESIA SANCTI AUGUSTINI, ET SANCTI MICHAELIS. *Sed aqua, quæ ponitur in Lavello Sancti Satyri, benedicitur in Choro Beati Ambrosii ante Altare Sacerdote revestito: & ex ea Aqua aspergitur* AD ALTARE SANCTI ANDREÆ, ET SANCTI PANTALEONIS, ET SANCTÆ MARCELLINÆ, ET SANCTÆ JUSTINÆ, ET SANCTI GEORGII. *Et quod superabundat ex ipsa aqua, dejicitur in Lavello Sancti* B *Satyri.* Similiter interrogatus denuo Domnus *Arnoldus*, septimus Testis, ad eandem interrogationem sic respondit: *Ille Sacerdos Monachorum, qui Officia Divina facit in Ecclesiis Sancti Augustini & Sancti Michaelis. Sed quidam Sacerdos Monachorum revestitus in Dominicis diebus Aquam benedictam facit* ANTE ALTARE BEATI AMBROSII: *& ex ipsa Aqua aspergitur Abbati, & Monachis, & aliis hominibus, qui in ipso Choro sunt: & postea* AD ALTARE SANCTI PANTALEONIS ET AD ARCHIEPISCOPOS QUI IBI SEPULTI (quod item scitu dignum est nobis pariter ac novum) ET AD ALTARE SANCTI ANDREÆ, ET SANCTÆ MARCELLINÆ, ET SANCTÆ JUS- C TINÆ, ET SANCTI GEORGII ET IBI UBI SEPULTUS EST REX LOTHARIUS. *Et quod ab ipsa aspersione superabundat, in Lavello Sancti Satyri reponitur: unde Monachi mane & sero se aspergunt.* Et his quidem testimoniis facile videri posset indicatum, eamet Altaria intra istius Basilicæ complexum & ambitum sita fuisse; nisi aliorum testimonia obstarent. Cum enim e Canonicorum Testibus quæreretur, *Quot Altaria sunt in Ecclesia Beati Ambrosii*; primus quidem ita respondet: *quatuor Altaria sunt infra muros Ecclesiæ: scilicet ALTARE BEATI AMBROSII, ALTARE BEATI ANDREÆ, ALTARE BEATÆ MARCELLINÆ, ET ALTARE BEATÆ JUSTINÆ.* Quid expressius? Nec minus luculenter D secundus: *Prædicta quatuor Altaria sunt infra muros Ecclesiæ.* Paulo vero ante numeraverat illa eadem, quæ primus. Audiamus & quartum. *In Ecclesia* (inquit) *Sancti Ambrosii est* ALTARE SANCTI AMBROSII, ET ALTARE SANCTÆ ANDREÆ ET ALTARE SANCTÆ MARCELLINÆ, ET ALTARE SANCTÆ JUSTINÆ. *Ibi vero* JUXTA MURUM FORIS EST ALTARE SANCTI PANTALIMONIS: hoc est PANTALEONIS. Eadem vero quatuor connumerat quintus itidem Testis, *Bertramus Corbus*: ac de Sancti *Pantaleonis* Altari nullam facit mentionem. Hoc igitur Altare E tunc temporis extitisse videtur extra muros Basilicæ, in aliqua scilicet Cappella juxta ipsos foris constructa, in qua multi etiam nostrorum Archiepiscoporum tumulati fuissent. Idipsum pariter de San-*Georgiano* Altari affirmare ausim; præterquam quod non modo jam supra Num. 336. sed a binis etiam Canonicorum Testibus indicatum videtur. Tertius quippe sic ajebat: *Et vidi Monachos Sancti Ambrosii ornare vel facere ornare multotiens* ECCLESIAM ET ALTARE SANCTI BARTHOLOMÆI *cortinis & palliis pro festo ipso Sancti Bartholomæi*, ET ALTARE SANCTI GEORGII. *Et credo, quod adornent vel adornari faciant* ALTARIA, QUÆ SUNT IN ECCLESIA SANCTI SATYRI. F *Et multotiens vidi Custodes Monachorum, & non alios, accendere & extinguere cicindilia* (sive lampades) *quæ* IN ECCLESIA SANCTI GEORGII, SANCTI BARTHOLOMÆI, ET SANCTI SATY- A RI: *& portare Aquam in Labello, qui est in Ecclesia Sancti Satyri.* Ecce nobis, quid item *Ambrosius*, *Somæ* Præpositus & hujus Basilicæ Canonicus, Testium quartus. *Item, Canonicis* (inquit) *cantantibus Missam in Choro Sancti Ambrosii, audivi bis aut amplius Monachos cantantes officia sua* IN ECCLESIA SANCTI BARTHOLOMÆI, ET SANCTI GEORGII (perinde ac si dixisset expressius, ET IN ECCLESIA SANCTI GEORGII) *quod eis facere non licet, scilicet præstare impedimentum Canonicis clebrantibus Officia sua.* Quamobrem hoc tempore San-*Georgianam* illam & Cappellam non minus ab ipsamet *Ambrosiana* Basilica diversam fuisse conjectamus, quam fuerint adjacentes Sanctorum *Satyri* ac *Bartholomæi* Ecclesiæ. Quod autem nuper videbamus affirmatum, plura quoque Altaria eodem hoc tempore in Ecclesia Sancti *Satyri* extitisse: idipsum alii quoque confirmarunt: primus nempe, undecimus, duodecimus, ac decimus tertius, Monachorum Testes. Sed, quibus illa Sanctis nuncupata essent, nusquam profecto adhuc invenimus. Ut autem hinc ad Basilicam revertamur *Ambrosianam*: certe quidem Crucis, quæ in ea extaret (nimirum juxta æneum Serpentem, uti jam diximus Num. 198. ac deinceps) aliqualem invenimus mentionem. Hanc nobis solus reliquit *Mainfredus Oculi blanci*, secundus Canonicorum testis, cum diceret: *Insuper Canonici habent* ANTE CRUCEM *scrinium unum: in quo reponuntur candelæ, quæ offeruntur* AD CRUCEM, *quæ est in Ecclesia.* Quarum tamen oblationum medietas Monachis nihilominus debebatur; uti jam vidimus Num. 336. & 398.

DCLI. Quid, quod ipsummet Monasterium suas etiam Conversas hoc tempore habebat? quæ videlicet in aliqua Monasterii parte sejunctim a viris habitarent. Sic enim nos interpretamur vel ex ipso etiam usu per hæc tempora frequentissimo, quo plurimæ Humiliatorum Domus tam Fratres quam Sorores, sed has sejunctim ab illis ibidem habitantes, habebant & *Mediolani* & alibi; sicut aliunde nobis compertissimum est. Hinc igitur de Domno *Petro Sapa*, Monachorum tertio Teste, sic legimus: *Et vidit, quod Custodes (*Canonicorum*) similiter deferunt Cruces ad Corpora* (hoc est, ad Funera) ILLORUM QUI SUNT DE MONASTERIO (*tam Abbatis & Monachorum seu Clericorum, quam Conversorum* VEL CONVERSARUM) *ad petitionem Abbatis. Et illas Cruces specialiter vidit deferri ad Corpus Domni Amizonis Abbatis, & Domni Sozi Monachi, & Domni Gregorii, & Domni Petri Vegli, & Domni Milonis, & Domni Joannis de Marliano, & Azonis Sclavi Conversi,* ET DOMNÆ TALIÆ CONVERSÆ, ET DOMNÆ ADELAXIÆ CONVERSÆ *& Joannis Portenarii Conversi, & Domni Johannis Abbatis, & Abbatis Beltrami, & Abbatis Ambrosii, & aliorum multorum, tam fœminarum quam masculorum.* Earumdem similiter Conversarum meminit etiam quintus mox Testis, Domnus *Arnoldus*: & paulo nobis opportunius Testis item sextus. *Ongarinus.* Siquidem ipsius testimonium hisce verbis continetur: *Item dixit, se vidisse Custodes Canonicorum portare Crucem* INTRA MONASTERIUM (in quo scilicet ipsimet habitabant sepeliendi) *ad Corpus Abbatis vel Monachi, vel Conversi* VEL CONVERSÆ, *de quorum nominibus non est bene memor* &c.

DCLII. Sola rei singularitas hoc nobis nunc eblanditur & elicit, quod alioquin ad Basilicam & Monasterium istud non pertinet, quodque propterea silentio facile transegissemus. Ad Metropolitanam enim & ad Sancti *Georgii* IN PALATIO Basilicas pertinet. Cum igitur Monachorum Testes fuissent de ducentis olei libris interrogati, quas Archiepiscopus quotannis in usum Chori *Ambrosiani* suppeditabat; ecce, quemadmodum singillatim subinde

interrogarentur: *Si scit vel credit, quod* PRÆPOSITUS ET CANONICI SANCTI GEORGII DANT LAMPADES ILLAS, QUÆ PONUNTUR IN PLAUSTRO, SIVE CARRO, QUOD EST IN CHORO BEATÆ MARIÆ. Ejusmodi autem interrogationi hunc satisfecit in modum decimus quintus Testis, *Jacobus Magister*, qui dicitur *de Rhaude: Nescio, nec credo. Sed credo, quod Archiepiscopus dat ipsas lampades & oleum: & Canonici Sancti Georgii accendant vel accendere faciant ipsas lampades,* ET VOLVANT ET VOLVERE FACIANT IPSUM CARRUM. Quocirca tunc in Basilicæ Metropolitanæ Choro multæ simul lampades in mystico veluti curru versatili dispositæ ardebant: quarum cura penes San-*Georgianum* Capitulum erat; sed cur esset, nobis adhuc ignoratur. Paulo tamen aliter respondit *Risus*, Custos ejusdem Ecclesiæ Majoris, ac decimus septimus Testis. Interrogatus enim, *Si Dominus Archiepiscopus dat oleum, quo illuminatur Chorus Beatæ Mariæ*; respondit: *Sic: illud, quod ardet per totum annum in tribus cicindilibus.* Dehinc vero ad alteram illam interrogationem, proxime a nobis recitatam, ita respondit: *Dant lampades, & oleum, quod in eis ponitur*; itaut, non Archiepiscopus, sed Præpositus & Canonici San-*Georgiani* oleum istud, nedum curam & operam, subministrarent. Et rursus interrogatus, *Si Dominus Archiepiscopus dat alias lampades* (vide, quam multæ inibi essent) *quæ sunt in Choro Sanctæ Mariæ*; respondit: *Non: immo Cimiliarcha.* Et in hanc quidem per omnia sententiam respondit etiam *Petrus*, PRIMICERIUS VEGLONORUM (ut hinc etiam intelligamus, cam SANCTI AMBROSII SCHOLAM, cujus mentio nobis incidit Num. 52. suum habuisse Primicerium) testis decimus nonus.

DCLIII. His interim per nos privatim ex utroque Processu collectis, quæ quidem selectiora videbantur, & curioso Lectori appetenda, progredimur nunc tandem ad Episcopi *Vercellensis* & Abbatis *Locediensis* Sententiam: quam inde illi auctoritate, qua pollebant, Apostolica conceperunt, conceptamque pronunciarunt Anni præsentis Millesimi ducentesimi primi mense Novembri. Sicut autem in archetypo Monasterii hujus exemplari verbatim legitur, ita prorsus se habet:

IN NOMINE DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI. *Incumbit nobis ex mandato Apostolicæ Sedis,* ALBERTO *scilicet vocato* EPISCOPO VERCELLENSI, *&* PETRO *dicto* ABBATI LOCEDIENSI, *ut controversias* MONACHORUM ET CANONICORUM SANCTI AMBROSII MEDIOLANENSIS, *quæ jamdiu sub nostro sunt examine ventilatæ, perducamus ad finem: &, quos non revocat Christi amor & fraterna charitas ad concordiæ unitatem, compescat saltem justitiæ vigor, & Sententiæ diffinitivæ premat auctoritas. Ut autem ordine suo cuncta procedant; a Litteris Commissionis sumamus exordium. Quarum hic tenor est:* INNOCENTIUS EPISCOPUS, *Servus Servorum Dei, Venerabili Fratri* VERCELLENSI EPISCOPO, *& dilecto Filio* ABBATI DE LUCEDIO, *Salutem & Apostolicam Benedictionem. Cum Causam, quæ inter Dilectos Filios,* ABBATEM ET MONACHOS *ex una parte, &* PRÆPOSITUM ET CANONICOS SANCTI AMBROSII MEDIOLANENSIS *ex altera, super Interdicto & quibusdam aliis vertitur, Procuratoribus Partium apud Sedem Apostolicam constitutis, de voluntate ipsorum Dilectis Filiis I. Archidiacono Mediolanensi, Sancti Johannis Papiensis, & Sancti Johannis de Trenno Præpositis commiserimus terminandam; ipsi, quemadmodum Nobis suis litteris intimarunt, cum non possent ad invicem concordare Partes, ab observatione sui judicii absolventes, ad Nos negotium integrum remiserunt. Quod ab Abbate & Monachis memoratis coram Dilecto Filio nostro I. Tituli S. Stephani Cœlio Monte Presbytero Cardinali, cui Partes commisimus audiendas, sub forma, qua fuerat primis Judicibus delegatum, committi personis aliis petebatur, Parte altera contrarium postulante. Quia vero nihil est rationabiliter allegatum, quare circa præmissam Commissionem, de communi Partium voluntate impetratam, mutare aliquid deberemus: cum circa negotium ipsum nihil fuerit immutatum; volentes, ut finis litibus imponatur, Causam ipsam vobis duximus committendam; per Apostolica Scripta mandantes, quatenus juxta tenorem prioris Commissionis in negotio ratione prævia procedatis. Datum Laterani nono Kalendas Junii, Pontificatus nostri Anno secundo. In Litteris vero prioris Commissionis, quarum istæ faciunt mentionem, sic habetur: Discretioni vestræ per Apostolica Scripta mandamus, quatinus, vocatis ad præsentiam vestram qui fuerint vocandi, de omnibus, quæ utrinque proposita fuerint, ex integro cognoscentes, quod justum fuerit, appellatione postposita, statuatis: facientes, quod statueritis, per Censuram Ecclesiasticam firmiter observari. Constitutis igitur in præsentia nostra Domno Arialdo Abbate, & Johanne Presbytero ac Monacho Sancti Ambrosii, Monasterii ipsius nomine, ex una parte, qui etiam Johannes, sicut per Instrumentum publicum apparebat, Sindicus Monasterii fuerat constitutus: & ex alia parte Olrico qui dicitur Camerarius, atque Ambrosio, Canonicis Sancti Ambrosii, nomine suæ Ecclesiæ, qui similiter Sindici fuerant a suis Fratribus orndinati, quemadmodum ex Instrumento itidem publico monstrabatur; Monochi Libellum hujusmodi Canonicis obtulerunt: Ego Domnus Arialdus, Abbas Monasterii Beati Ambrosii, nomine illius Monasterii peto, quatinus Petrus, Sancti Ambrosii Præpositus, nomine Canonicæ, & Canonici illius Ecclesiæ Missas suas incipiant tam tempestive & eas expediant & finiant, seu Officia Missarum, sicut Sacerdotes & Capellani Mediolani, & præcipue sicut* CANONICI DECUMANORUM *faciant; ita quod nullum nobis ad Primam & ad Missas nostras tempore competenti celebrandas præstent impedimentum; & quod possimus sonare Primam omni tempore, sicut Ordinarii Majoris Ecclesiæ in Quadragesima faciunt sonare ad Primam post Missam prædictorum Canonicorum celebratam; & possimus Missam nostram Majorem sonare quando Ordinarii suam sonare faciunt; & hoc præcipue in festivitate Natalis Domini, & Resurrectionis, & Dominicis Diebus, & aliis Solemnitatibus. Eodem modo peto de Vesperis: videlicet ut possimus pulsare cum ad Majorem Ecclesiam pulsatur ad Vesperas, incipere nostras Vesperas cum Ordinarii incipiunt suas: hoc peto per totum annum. Item peto, ut ipsi aperiant vel aperiri faciant Altare Beati Ambrosii ad petitionem nostram, cum nobis placuerit, præcipue celebrandarum Missarum tempore. Item peto, ut* TECTUM *seu* LOBIAM *removeant penitus & auferant, quam fecerunt vel fieri fecerunt juxta murum Ecclesiæ Beati Ambrosii & fenestram in ipso muro factam; quia præstant impedimentum legentibus & stantibus tam in Pulpito quam in Choro; & similiter lumini nocent. Item peto, ut removeant, vel removeri faciant omnes arbores, quas habent post* TRIBUNAL BEATI AMBROSII; *quia similiter luminibus obsunt super Altare Beati Ambrosii Officia divina Celebrantibus. Item peto, ut Cruces faciant deferri ad Cadavera Mortuorum, licet Canonici non intersint, cum requisiti fuerint ab Abbate, vel Monachis, vel nuncio suo. Et si in hoc obtinere non possem; peto, ut ipsi exhibeant Cruces Custodi, vel nuncio meo. Item peto, ut ipsi Præpositus & Canonici exornent Ecclesiam Beati Ambrosii more solito in festivitate Beati Ambrosii, & Beatorum Martyrum Protasii & Gervasii, & Beati Laurentii. Item peto, ut ipsi Canonici intersint in festivitate Beati Satyri pro Officiis celebrandis: & si non interfuerint; dico, eos*

non

non debere habere refectionem, nec nos ad eam teneri, nec eam eis præstare debere. Item peto, ut cooperiant Pulpitum honesto pallio & decenti, quandocunque Missa Major celebratur. Salvo jure addendi, mutandi, & meliorandi in aliis meis petitionibus, & omni jure, quo uti potero usque ad Sententiam. Super his autem Capitulis producti sunt hinc inde plurimi Testes, Privilegia multa, & alia Documenta prolata: disputatum sufficienter de jure antiquo & novo utriusque Collegii. Quibus omnibus diligenter inspectis, & consilio prudentum Virorum adhibito, quantum desuper datum est, justitiæ statera libratis; invenimus, utrumque Collegium, Monachorum scilicet & Canonicorum, a longissimis retro temporibus fuisse in Ecclesia Beati Ambrosii, sicut varietate Ordinis diversum ab invicem, sic possessionibus & habitatione divisum; nec patere potuit nobis, unde alterum subjacere debeat alteri; sed unum quodque propriis basibus inniti videtur, quantum ad alterutrum pertinet. Cæterum ipsa Ecclesia, in qua sacrificio laudis jugiter honorandus est Deus, remansit media & communis; ita videlicet, ut utrumque Collegium divina ibi Officia diurnis & nocturnis temporibus, sed alternis vicibus, soleat & debeat celebrare. Sed hinc materia scandalorum; & unde provenire debuerat æmulatio Dei, inde contentiones & jurgia oriuntur; sicut & nunc apparet ex eo, quod habemus in manibus. In primo igitur Capitulo, ubi de Missarum Solemniis agitur: Sindicis Canonicorum, nomine Fratrum suorum, præcipimus, ne Missarum suarum Officia, in quibus præveniunt Monachos, ex industria protrahant; sed sic ea tempestive incipere, convenienter & moderate agere ac peragere studeant, ne ullum præstent impedimentum Monachis, Officia sua celebrare volentibus tempore opportuno. Videtur autem nobis opportunius esse tempus: ut, quando circumstantia Monasteria ad Missam Majorem consueverunt signa sua sonare, tunc Monachi Sancti Ambrosii sua similiter signa sonare valeant, & eodem tempore cum aliis, qui sunt ejusdem Ordinis, Missarum Solemnia celebrare; ita tamen, ut post Missam Canonicorum, antequam prædicta signa sonentur, cantare suam Primam Monachi possint. Porro de signo, quod sonatur ad Missam Ordinariorum, non videtur nobis statuenda esse Monachis regulam generalem: ut semper ad Missam tunc valeant sua signa sonare. Quia plerumque ad alias Ecclesias vadunt Ordinarii, celebraturi divina Officia; & tunc tempestivius signa sua sonantur. Similiter accidit in solemnibus diebus. CUM DOMINUS ARCHIEPISCOPUS PRÆDICATURUS EST POPULO VERBUM DEI: *& forsitan in aliis casibus. Unde melius nobis visum est, ut ex aliis Monasteriis generaliter sumant tempus & exempla sonandi. Illud autem Apostoli meminerint omnes,* SUFFERENTES INVICEM IN DILECTIONE; *ut & Canonici solicite studeant, urgente charitate, dare Monachis tempus & locum suum; & Monachi debeant eos æquanimiter expectare. Et ita super hoc Capitulo pronunciamus, statuimus & decernimus, bona fide & sine fraude ab utraque parte servari. Super alio Capitulo, quo postulant Monachi, ut tempore quadragesimali Primam tunc sonare possint, quando Ordinarii faciunt sonari suam: Sindicos Canonicorum absolvimus, præsertim cum ante Primam ipsorum Ordinariorum Missa tantum, & non alia Prima, in Ecclesia Majori cantetur; sed aliter in Ecclesia Beati Ambrosii. Non tamen propter hoc occasionem sumant Canonici immoderate dilatandi Officia sua; sed ita caute modeste & temperanter agant in inchoandis & peragendis Officiis suis, ut Monachi valeant suam cantare Primam tempore competenti. Super tertio Capitulo, quod pertinet ad Officia vespertina: præcipimus Sindicis Canonicorum, nomine sui Collegii, quatinus ita studeant suas finire Vesperas, ut Monachi tunc possint sonare & celebrare suas, quando circumstantia Monasteria sonant & celebrant. Super quarto Capitulo, quod est de*

A *apertura Altaris Canonicorum Sindicos ipsorum nomine condempnamus, ut in Psalmis Sancti Ambrosii in Nativitate Domini, in festivitate Beati Stephani, in Epiphania & Resurrectione Domini, in Pentecoste, & in Psalmis Sanctorum Gervasii & Protasii, Abbati & Monachis Altare faciant aperiri; salvo refectionis jure, quod pro eadem apertura sibi competere Canonici dicunt. In reliquis autem prædictos Sindicos Canonicorum a petitione Abbatis & Monachorum super ejusdem Altaris aperitione absolvimus; quoniam consuetudo aperiendi Altare in memoratis solummodo festivitatibus sufficienter & sine contradictione probata est. Super quinto Capitulo, quod de* TECTO *removendo proponitur: prædictos Canonicorum Sindicos condempnamus, quatinus faciant* TECTUM *illud ita deponi, ut fenestra, quam nunc totam operit, spatio unius cubiti desuper aperta remaneat; ut ex illa superiori parte lumen libere in Ecclesiam veniat. Super sexto Capitulo, quod est de arboribus incidendis: condempnamus præfatos Sindicos, ut arborem illam amoveant, quæ est opposita medianæ fenestræ, quatinus eminet super ipsam; ut per eandem fenestram lumen libere ingrediatur. De reliquis vero arboribus, quæ sunt in aliis locis, Sindicos ipsos absolvimus. Super septimo Capitulo, quod est de Crucibus deferendis, vel exhibendis: quoad primam pertinet ejusdem Capituli partem, nihil aliud dicimus, quam ut servetur Sententia, quam tulerunt Abbas Sancti Petri de Lauda & Præpositus Bergamensis, quemadmodum continetur in autentico Scripto ejusdem Sententiæ* (idipsum nos Num. 617. produximus) *& in Scripto Confirmationis Domini Papæ. Super alia vero parte Capituli, videlicet ut Canonici faciant exhiberi Cruces Monachis, quando absque Canonicis invitantur ad Exequia Mortuorum, vel quando ipsi Monachi sepeliunt mortuos suos: Canonicorum Sindicos condempnamus, ut in supra dictis casibus Cruces illas faciant Monachis exhiberi; nisi forte per suos Ministros Canonici Cruces ipsas tunc deferri voluerint. Hoc autem ideo dicimus; quia non consueverunt esse in Ecclesia illa aliæ Cruces, quibus vel Monachi vel Canonici uterentur in Exequiis Mortuorum: & Monachos sæpissime in hujusmodi usos fuisse Crucibus illis, sufficienter probatum est. Super octavo Capitulo, quod est de Ecclesia exornanda: Canonicos & Sindicos eorum absolvimus; quia non constitit nobis, exornationem illam totiens factam, ut consuetudinem inducere videretur, aut deberet institutio inde antiquitus facta præsumi: cæterum ad ea, quæ non fiunt, jura non aptantur. Super nono Capitulo, quo postulant Monachi, ut in festivitate Beati Satyri Canonici debeant Officiis interesse: Sententia Abbatis Sancti Petri de Lauda & Præpositi Bergamensis servetur & teneat. Idem dicimus in Capitulo decimo, quod ab Abbate & Monachis de ornando Pulpito præpositum est. Et ita Sententiam nostram in hoc litium denario claudimus:* SUADENTES PARTIBUS, UT CONVENIENTES IN UNUM JAM DESINANT ESSE PARTES, ET ILLUM POTIUS DENARIUM UNANIMITER QUÆRERE STUDEANT, QUI PROMITTITUR LABORANTIBUS IN VINEA DOMINI, ET SOLIS PACIFICIS, QUI SOLI SUNT DEI FILII, RESERVATUR.

Data est hæc Sententia Mediolani, in Domo Archidiaconi Mediolanensis, Anno Dominicæ Incarnationis Millesimo ducentesimo primo, Indictione quinta, octavo Kalendas Decembris. Interfuerunt Testes, Magister Stephanus Casalensis Præpositus, Presbyter Beatus de Sancto Salvatore, Magister Martinus Lector, Robaldus de Casali, Passaguerra, Vuilielmus Calzagrixa, Conradus Judex, Baldizonus Stampa, Suz Hostachius, Martinus Bandus, Secundus Bixatus, Loerengus de Reuzolio, Roglerius de Seriano, Vuilielmus de Melegnanis, Magister Milo Canonicus Vercellensis, & Magister Jacobus Præpositus Bugellensis,

ſis, qui erat cum prædicto Domino Epiſcopo Vercellenſi.

DCLIV. Denique vero ad archetypi (quo quidem uti nos ingeminamus) Exemplaris calcem Sigilla etiamnum pendent, ceræ de more impreſſa, prædictorum Epiſcopi *Vercellenſis* ac *Locedienſis* Abbatis. Illud Sancti præfert *Euſebii*, *Vercellenſium* Epiſcoporum Anteſignani, effigiem: de qua nihil dubitare nos permittunt iſtæ illi circundatæ notæ, SANCTUS EUSEBIUS. In altero autem non ſatis certo diſcernere datur, nec effigiem impreſſam neque litteras circumjectas. Inter obſcura tamen ipſius lineamenta mihi caput ejuſdem videtur coronatum, & a ſiniſtro ejuſdem latere velut ab ubere infantulus pendere. Quocirca Beatiſſimæ *Virginis* Mariæ figuram ego illam eſſe interpretor.

DCLV. Quidnam vero LOBIA eſſet illa tecto cooperta, cujus mentio fiebat in Superiora Sententia, non alius nobis apertius explicat, quam ſecundus Canonicorum Teſtis. De quo quidem ſic legimus: *Item dixit: Cum ſint quadraginta duo anni & plures, quod hic utitur; vidit ſemper arbores mori, qui ſunt in cauſa* (hoc eſt, *in controverſia*) *ſemper poſtea eſſe poſt* TREVUNAM (nos hanc aliis ex locis colligimus idem eſſe ac TRIBUNAL, vel TRIBUNAM) *ut modo ſunt; & etiam* LOBIAM, PER QUAM INTRANT CANONICI ECCLESIAM SANCTI AMBROSII; *& ipſam* LOBIAM *vidit poſitam eſſe ſupra picturam, ſcilicet ſupra lignum, quod adhuc eſt juxta feneſtram. Et tunc erat de* SCANDOLIS (melius SCANDULIS) *cooperta: & poſtea fuit cooperta de palea, quæ combuſta fuit ab igne deſuper Eccleſiam veniente: quæ ab annis quatuor eſt in eo ſtatu facta, ut modo eſt: & paululum altior eſt modo, quam vidi eam eſſe, cum eſſet cooperta de* SCANDOLIS *& palea.* vel e Theſauro autem Latinæ Linguæ compertiſſimum eſt, quemadmodum SCANDULÆ non aliud ſint, quam PARVÆ TABELLÆ, hoc eſt, in parvas laminas ſciſſæ, vel e quercu, vel ex alio ligno, maxime vero e glandiferis, & quæ reſinam ferunt: quibus utique tabellis tecta contegi ſolent. Nos illas Idiomate noſtrati CODEGHETTE appellamus. Sic etiam *Lobiæ* vocabulum nobis hodieque in uſu eſt: idemque ſonat ac Italicum illud CORRIDORE, CORRIDOJO, CORRITOJO; ac Latinum illud PERGULA; velut a pergendo; quod in ea, extra parietem porrecta, deambulare ſoleamus ab una ædium parte ad alteram. Per eam igitur LOBIAM, parieti Baſilicæ adhærentem Canonici ex Ædibus Canonicalibus in Baſilicam ipſam deſcendebant.

A Quoniam igitur ejuſdem LOBIÆ tectum illud paleare, feneſtram quoque tegeret illam, qua legentibus tam in Choro quam in Pulpito lux affulgebat; propterea etiam ſuper eo quinto Capitulo decretum ita fuit, ut vidimus; & hoc quidem congruenter ad multa Teſtium per Monachos productorum reſponſa; & præſertim ſecundi, ſeptimi, octavi, decimi tertii, ac decimi quarti.

DCLVI. Quod autem *Arialdus* Abbas in ſuperiora ſua petitione CANONICOS DECUMANORUM nominabat; de iis certe loquebatur, qui Metropolitanæ Baſilicæ Sanctæ *Mariæ* Majoris deſerviebant; ſicut ex ipſorum præcipue Monachorum
B Proceſſu apertiſſime conſtat. Erant autem numero duodecim; ſicut & Canonici Ordinarii per hæc tempora illic erant viginti. Neque tamen ipſi proterea vocabantur SANCTÆ MARIÆ CANONICI ſed ſolummodo CANONICI CANONICÆ DECUMANORUM, vel CANONICI DECUNANORUM. Sic enim præ ceteris teſtati luculentius fuerunt decimus ſextus, decimus ſeptimus, decimus octavus, decimus nonus, ac vigeſimus pro Monachis Teſtes. Sine dubio autem illic reſidui erant ex eo Decumanorum Eccleſiæ *Mediolanenſis* numero centenario, cujus in ejuſmodi Proceſſu frequens occurrit mentio; præterquam quod etiam in
C ſuperioribus nos ipſi non raro meminimus.

DCLVII. Ceterum ipſius etiam Baſilicæ *Ambroſianæ* Canonicos hoc tempore nonniſi duodecim fuiſſe facile putaſſemus; ſicut etiam Num. 254. & Anno *Chriſti* Milleſimo quinquageſimo quarto jam erant. Sic enim videri nobis poterat indicatum; cum aliqui per Monachos producti Teſtes ita etiam interrogarentur: *Si* DUODECIM CANONICI SANCTI AMBROSII *ſunt de numero Centum.* Atqui majorem nunc illorum fuiſſe numerum ex eo potius conjecimus, quod tertius Teſtis, Domnus *Petrus Sapa*, in hæc præciſe verba reſpondiſſe fertur: *Et credit, quod DUODECIM EX CANONICIS SANCTI AMBROSII ſunt de numero Centum: & quod illi habent portare ARCAM cum illis aliis, qui*
D *ſunt de illo numero, ab Eccleſia Æſtiva ad Eccleſiam Hyemalem, & converſo*; ſicut etiam nos Num. 509. meminimus. Quantus enimvero nunc eſſet ejuſmodi Canonicorum *Ambroſianorum* numerus, nos hodiernis ipſorum Succeſſoribus certiore judicio diſcutiendum cum bona pace ac ſalute in hoc tandem rerum articulo, quo præſens claudimus Volumen, ad Secundum anhelantes, relinquamus. Anni autem a *Chriſto* nato Milleſimi ſexcenteſimi quadrageſimi ſecundi September nunc agitur menſis.

FINIS.



INDEX

I N D E X
AUCTORUM ET RERUM
præcipuarum in hoc opere contentarum.



B.

Ba-

C.

D.

F.

Fre-

H.

Joan-

L.

N.

O.

O.


P.

Q.

R.

Rai-


FINIS.











ANTIQ
ITALIÆ

TOM. IV.
P. I.